0 3/0
2561. Vad C. 81

PRINCIPIA

Pathologiae ac Therapiae

specialis medicae,

usui academico adcommodata;

auctore

J. N. NOBILI de RAIMANN,

Med. Doct., S. C. R. Apost. Majest. Archiatro, Consiliar. aulico actual., C. R. Russ. Ordin. St. Stanisl. tert. cl. Equite, Facult. med. Vindobon., Pestin., et C. R. Academ. med. chir. Josephinae membro, societat. literar. nonnullar. sodal. honor.; nec non Universit. Vindob. Rectore magnif., Nosocom. ac Brephotroph. Directore, atque Praxeos med. Professore p. o. emerito.

K K LYCEAL BIBLIOTHEK zu LAIBACH

Editio latina.

TOMUS PRIMUS.

Febres, Inflammationes, et Efflorescentias cutaneas laeves complectens.

Cum Privilegio Regio Würtembergensi.

VIENNAE. — 1835.

SUMTIBUS FRIDERICI VOLKE.

Typis viduae Antonii Strauss.

EXCELLENTISSIMO,

MAGNIFICO AC ILLUSTRISSIMO

DOMINO

A. J. Libero Baroni de Stifft,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE

DOCTORI,

Ordinis insignis Reg. Hungar. S. Stephani Commendatori, Cruce argentea honor. civic. condecorato, Ord. ins. S. Michaëlis Reg. Gallor. Equiti balteato, Ord. Christi Reg. Lusitan., Ord. S. Ferdin. et pro meritis Reg. Sicil., pro merit. civ. Reg. Saxon., Coron. bavar. Reg. Bavar., Aquil. rubr. Reg. Boruss., et Cruc. austral. Imperat. Brasil. Equiti torquato, S. C. R. Apost. Majestat. intimo nec non ad suprema Status gubernacula et Conferentias Consiliario actuali, August. Austr. Imperatoris Archiatrorum Comiti, per univers. ditiones Austriacas Protomedico, stud. med. chir. et veterinar. in cel. Universitate Vindob. Directori perpetuo, et incl. Facult. med. Praesidi; regn. Hungar. Indigenae, inter Primores Nobilium Status Austriae, Comitat. Tyrol. et Styriae Adlecto; c. r. Academ. med. chir. Josephin. et Universit. Pestin. Membro, Societat. medic., agronom. aliarumque literar. Vindobon., Bohem., Moravo-Siles., Oenipont., Venet., Patavin., Londin., Petropolit. etc. etc. etc. Sodali,

IN TENUEM

VENERATIONIS FILIALIS CORDISQUE GRATISSIMI

TESSERAM

GENER DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quae in Auditorum quondam meorum commodum exaraveram, et editionibus quatuor sensim aucta et emendata idiomate patrio publici feceram juris, *Principia Pathologiae ac Therapiae specialis medicae*, in latinum nunc translata sermonem communico. Benevolo Amicorum et Professorum invitatus judicio hunc libenter suscepi laborem, spe ductus, eundem, utpote rerum in Praxi scitu necessariarum synopsin, non Medicinae practicae tironibus modo sed junioribus quoque Medicis utilem fore; optata simul gavisus occasione, ex cathedra et in institutis clinicis per tria, et quod excurrerat, lustra dictorum et actorum rationi redditae inserendi, quae memoria inde, studium, observatio, praxis ultro suggessere. Lingua latina, et contracta materierum expositio Professoribus insuper, qui Praxin medicam isto docere tenentur idiomate, faciliorem, ni fallor, ac ampliora utut egregia opera, cedent in usum.

Amplectitur haec, uti editiones germanicae, *Tomis duobus* morbos speciales foro Medicorum

consuetim adscriptos, eorumque prognoses et curandi rationes. Classificationem non aliam secutus eosdem pariter Ordines, Genera, Species fere pertractavi. Specialibus ubique generalia praemisi. Specierum singularum in tractatu *nomen* usu longo et communi receptum cum synonymis praecipuis, *definitionem* aut *descriptionem* saltem rhetoricam tradidi, mali *sedem, symptomatum* non *syndromen* solum et *magnitudinem* variam, nonnisi Homoeopathiae asseclis sufficientes, sed normalem etiam, Therapeutae rationali prorsus necessarium *decursum, crises* morbis chronicis quoque non alienas, *exitus* varios, ad naturam fidorumque observatorum imagines describere, *momenta causae disponentia* et *excitantia* cum debito ad morbos fors principes aut praegressos, primarios, respectu enarrare, *naturam* seu *causam proximam* dictam, ubi certitudo defuit, missa hypothesium nihil illustrantium farragine, logica cum probabilitate indigitare, *prognosin, therapiam* tandem, solidis ubique superstructam indicationibus, cum simplici, quantum licuit, remediorum adparatu explanare, indefesso conatus sum labore.

Hypothesium ac theoriarum novarum valorem practicum rigorose, ut in rebus tantae dignitatis oportet, examinanti facile mihi contigit convinci, neotericorum sententias: *„febres ac inflammationes*

non esse morbos, sed naturae solum medicantis remedia; — febres omnes esse symptomaticas; — eas omnes ex partium singularum adfectione proficisci, et potiore quidem numero a gastro-enteritide pendere; — similia similibus curando omnem absolvi therapiae paginam; potentias similibus, quos in sanis produxerint, morbis sanandis esse pares, easque minima (quae conceptum fere fugit) *dosi ultra modum dilutas non sufficere tantum, sed, ne majore noceant, adhiberi debere* etc. etc.“ — partim erroneas a latere solum veritati accedere, partim falsas fatuoque nitentes fuco per observata quotidiana, castumque ex his ductum ratiocinium penitus dissipari. Quare noxias et, quae ab omni in Pathologiam et Therapiam proscribantur influxu, dignas censui. Exules et alias feci, ne temporario quidem valere potitas, exules quoque methodos ac remedia, experientiae nedum corroborata sigillo.

Salubritati febrium et inflammationum nonnisi *relativae* sua defendere jura minime praetermisi. *Triplicem* utrarumque *ad alios*, quibuscum fortasse adsunt, *morbos relationem* distinguendam esse monui. *Characterem febris* dari *simplicem*, activum, eumque ac *inflammatorium* longe *communissimos* inveniri, septicum vero atque nervosum secundario utplurimum evolutos, et si suppositos et facticios demas, multo rariores occurrere, commonstravi.

Morbos semper et ubique obvios, populares prae raris et advenis exoticis, periculosos, urgentes tam acutos quam chronicos prae caeteris paullo fusius pertractavi, omnium tamen expositioni succinctae studens, angustos inter aphorismorum et latos explicationis cancellos medium tenenti. Stylo usus sum facili, qui naturalis promto potius rerum captui secundet, quam artificiosis turgescens ornamentis proprio defatiget sui studio.

Brevem Pathologiae ac Therapiae specialis conspectum historicum praemittere, nec non auctores selectos horumque opera suis nominare locis e re esse duxi. In ipsa natura stricte ac sapienter contemplanda, observanda, examinanda, caute ac prudenter imitanda et regenda principes Medicinae practicae fontes patere, uberrimos atque perennes certo persuasus, viam ad hos, perarduam licet securam tamen, monstrare, pro viribus adnisus sum, nil ardentius optans, quam ut largi hauriantur inde fructus, in aegrorum salutem, scientiae artisque medicae decus, incrementum cessuri.

Vindobonae, Idibus Januarii 1834.

Raimann.

Introductio.

De Pathologia et Therapia speciali in genere.

§. 1. Medicina qua scientia vitae et rationis eam sanam conservandi, laesamque reddendi integram, uti omnis scientia empirica in duas secedit partes, *theoreticam* et *practicam*; satis incongrue *rationalem* et *empiricam* vulgo nominatam. Utraque generalis est et specialis.

Medicina theoretica generalis vitam sanam et aegram in abstracto considerat; *Physiologiae* et *Pathologiae generalis* nomine venit. — *Medicina theoretica specialis* vitam sanam et aegram in individuis certis speciatim apparentem pertractat; *Physiologia* et *Pathologia specialis* (seu *Nosologia*) audit.

Medicina practica generalis vel sanitatis (hominum hic puta) conservandae et vitae tuendae, vel morborum auferendorum et sanitatis reducendae methodos et auxilia in abstracto tradit; ibi *Hygiaene* hic *Jatria generalis* nominatur, quarum prior Macrobioticam et materiam diaeteticam generalem, altera Therapiam et materiam medicam s. Jamatologiam generalem includit. — *Medicina practica specialis* hasce cognitiones de vitae sanae conservandae et aegrae in sanam restituendae rationibus ac praesidiis ad vitam sanam, et ad ipsas morborum formas s. species variorum hominum, diversi sexus, aetatis, temperamenti etc. referre docet et adplicare; ibi *Hygiaene*, hic *Jatria specialis* audit, quarum prior macrobioticam et materiam diaeteticam specialem, altera *Therapiam* et *Jamatologiam specialem* complectitur.

Ex quibus Nosologiae nostrae et Therapiae specialis vera *notio*, *objectum*, *ambitus*, ad reliquas medicinae doctrinas *relatio* intelliguntur.

§. 2. Est itaque *Pathologia specialis* (Nosologia, physiologia morborum specialis) *ea medicinae theoreticae specialis pars, quae singulas morborum species seu formas systematice pertractat.*

Species morbi vocatur omnis *adfectio* morbosa tam universalis quam topica, quae certa sub forma se manifestat, certumque decursum absolvit, adeoque certa symptomata et signa essentialia (statu morbi simplici et normali constantia), eorumque nexum simultaneum et successionem definitam offert. — Quatenus horum phaenomenorum complexus, morbi effigiem constituens, spectatur, species nomine *formae morbi* insignitur. — Ad hanc symptomata singula uti partes ad totum sese habent; etsi nosologi symptomatibus nequaquam morbi pathognomonicis, nomen et dignitatem specierum tribuere non haesitarint, v. gr. vomitui, diarrhoeae, cephaleae et aliis.

§. 3. Cognitiones, quas Pathologia specialis tradit, specierum singularum formam, seu phoenomenorum omnium complexum, per stadia singula decursum, terminationes, causas, nec non naturam seu essentiam concernunt.

§. 4. *Therapia specialis* dicitur illa medicinae practicae specialis pars, quae notiones, principia et regulas curam morbi specierum spectantes systematice exponit.

Referuntur autem huc notiones de opere sanationis, de vi naturae medicatrice et artis facultate in morbis specialibus obviis; expositio indicationum s. legum therapeuticarum, medendi methodi et remediorum iisdem singulis ita adcommodandorum, ut unicuique speciei aptissimum pro indole sua genus medelae opponatur.

§. 5. Pathologia proinde ac Therapia specialis adplicationem Pathologiae ac Therapiae generalis ad singulas morborum species sistunt. Priores enim de morbo, de in-

dole ac differentiis, genesi, causis, symptomatibus, decursu, duratione etc. nec non de curatione morbi in genere tractant, quin specialem morbi formam suum agnoscant objectum; posteriores circa morborum species reapse in natura obvenientes occupantur, singularum indolem, genesim, causas, symptomata etc. nec non medendi rationem expositurae. Priores ideo doctrinae posteribus ubique praeferant facem. Hae per illas cum physiologia et in ejus sphaeram spectante anatomia, cum Jamatologia, atque ultra cum universali naturae scientia nectuntur, ipsaeque via naturali ad praxin seu artem medicam ducunt i. e. ad omnium ex universa medicina theoretica depromtarum notionum, principiorum ac normarum adplicationem in morborum obviorum diagnosim, prognosim et therapiam.

§. 6. *Finis,* in quem Pathologia specialis tendit, est, morborum obvenientium solidam et completam parare cognitionem, — finis Therapiae specialis, ad eorundem malorum curationem rationalem ac securam, totius scientiae omniumque conaminum medicorum metam, perducere.

§. 7. Hucusque dicta de speciali pathologia et Therapia *medica* haud magis quam de *chirurgica* valent; nam quae inter utramque, sicut Medicinam inter et Chirurgiam, adsignari solet differentia, subjectiva potius quam objectiva est, quemadmodum arbitraria utriusque in praxi separatio.

§. 8. *Utilitatem* Pathologiae ac Therapiae specialis determinat influxus, quo ambae gaudent, in morbos occurrentes certe ac plenarie cognoscendos, consequenter et congrue tractandos. Ad omnigenam nempe cognitionem morborum singulorum, causarum, effectuum in organismo, graduum sanabilitatis, mutuarum ad res externas et istarum ad organismum aegrotantem relationum, ad omnigenam porro cognitionem mutationum inferendarum, remediorum efficacissimorum et aptissimarum haec administrandi methodorum ducunt, quibus morborum causae aliaeque potentiae nocentes amoveri, enervari queant, ipsique morbi radicali et securo modo sanari, vel pro possibili

leniri et imminui. Ex institutionibus earum valentissimae prodeunt normae, non morbos tantum sporadicos, sed et pandemios imminentes evitandi, propullulantes confestim in germine suffocandi, jam dominantes, ne horrenda quidem peste excepta, coërcendi ac limitandi, et millenos miseros, quos nec vis naturae medicatrix nec casus salvando par esset, a malis liberandi, et morti certae aut pejori nonnunquam cachexiae diuturnae eripiendi. Illis ducibus carere nequit, qui nomen ac dignitatem medici adspirat; nam qui illis destitutus morborum suscipere curam audet, empiricus aut medicaster ignarus non modo de obtinendo necessario effectu nunquam certus erit, sed aegrum quoque a malis morbo auferendo gravioribus imo a vitae periculo non sinet esse securum.

Sunt quidem obscura, imperfecta, dubia adeoque insufficientia non pauca, quae morborum *nonnullorum* diagnosim, sunt incerta, quae prognosim, manca vacillantia et insufficientia, quae therapiam in statuendis indicationibus, methodis medendi ac remediis determinandis premunt, quae proinde valorem et dignitatem Pathologiae ac Therapiae specialis non possunt non restringere; ast nemo nisi penitus ignorans inficias ibit, defectus ac errores haud minores a nulla scientiarum empiricarum et artium humanarum esse ac fore alienos; et aequus concedet judex, non obstantibus illis medicinam practicam adeo extensam omni aevo in hominum singulorum aeque ac populorum salutem influxum exercuisse summe beneficum, eoque majorem sane in posterum adhuc praestituram, quo perfectius istos doctrinae mendos noverint medici; quo severius, de salute et vita hominum imo populorum hic agi, perpenderint; quo religiosius igitur omnes vires omneque tempus eo adplicuerint, ut eruditione necessaria imbuti summa cum attentione, circumspectione prudente, firmoque judicio suam colant praxim, studium scientiae medicae omni cum amore junctim continuent, atque hac ratione ad

firmandam et ampliandam scientiam artemque perficiendam suas quique conferant symbolas.

Conspectus historicus Pathologiae ac Therapiae specialis.

§. 9. *Origo* et *fata* Pathologiae et Therapiae specialis cum illis totius Medicinae et vel maxime earundem doctrinarum generalium in intimo semper fuerunt et adhuedum existunt nexu. Conveniunt plane, si essentialia spectantur, cum origine at fatis omnis scientiae empiricae, quae eosdem, ac ipsa mens humana, culturae gradus permeare debet, ut perficiatur. (*Ph. Cœr. Hartmann* etc. Theoria morbi s. Pathologia generalis. Edit. altera emendata. Vindobon. 1828. 8. pag. 13.) Ex singularibus observatis et ex phantasia obscuras Medicina ducens origines, primum rudi empiriae et superstitionibus innixa est; postea intellectu nexum inter observata et eorum causas uberius perspiciente, pedetentim verae experientiae magis magisque superstructa, donec ratio cumulatas observationes et singulares experientias colligere, juxta principia abstracta in ordinem redigere, theoria illustrare coeperit, et nosologica tandem systemata exstruere. *Tres* istos *evolutionis gradus*, pro sensuum et imaginationis, dein intellectus, tandem rationis praedominante influxu statutos, Medicina totidem *periodis* consecuta est. Harum autem *cyclum* historia memorat *duplicem: primum* ab initiis suis ad *Galeni* mortem, *alterum* abhinc ad tempora nostra protensum, utrumque utut tot saeculorum intervallis separatum, observatis tamen, cogitatis, et actis sibi perquam analogum. — In utriusque cycli *periodo secunda* Pathologiam et Therapiam specialem proprie *natam* scimus, et sensim cultam fuisse, in tertia ad varios *perfectionis* gradus evectam.

Patebunt haec ex sequentibus momentis, ex medicinae historia a *Sprengelio* fusius exarata haustis, et ad mentem *Hartmanni* (l. c. §. 28—70.), *Horschii* (Hand-

buch der besonderen Krankheitslehre und Heilkunde. Th. I. Frankf. a. M. 1819. p. 1—52.) et *Leupoldtii* (Allgem. Geschichte der Heilkunde. Eine Grundlage zu Vorlesungen und zum Selbstunterrichte. Erlang. 1823. 8.) succincte proferendis.

§. 10. Medicinae rudimenta apud sacerdotes Colchorum, Phoeniciorum, et Carthaginensium, antiquissimorum Aegyptiorum et Israëlitarum, deficientibus scriptorum monumentis, admodum obscura sunt; prima *in Graecia* inveniuntur decimo quinto circiter ante *Chr.* n. saeculo. Sacerdotes hac *prima* cycli primi *periodo* rudia solum observata circa morborum signa et remedia potissimum collegerunt. Philosophi illius aevi *Empedocles* (auctor doctrinae de quatuor elementis) saeculo quinto ante *Chr.* n., *Heraclitus*, *Anaxagoras* (auctor philosophiae corpuscularis s. atomisticae), *Leucippus* et *Democritus* imaginationi magis indulgentes quam ratione ducti, hypotheses potius, theoriae humoralis et solidaris germina, quam theorias genuinas confecerunt.

§. 11. Periodo *secunda* vero *Hippocrates*, anno 456to ante *Chr.* natum, Medicinam a Deorum cultu separavit. Observatis antecessorum collectis, propriisque summe intentus, experientiam ducem sequendo, eamque theoriis suis ubique adjungendo ac praeferendo summum Medicinae decus attulit, solidissima Pathologiae et Therapiae specialis fundamenta posuit, et aliqualem utrique dedit formam. Vitae omniumque corporis virium rationem proximam habet calorem innatum. Morbum ab exsuperante uno alterove humorum quatuor cardinalium, sanguinis, phlegmatis, flavae et atrae bilis, oriri autumat; conflictus hunc inter et principium vitale medicans (ἐνορμῶν), ut opinatur, processum morbi sistit, in quem res externae, uti clima, anni tempora, constitutio epidemica, solum natale, nutrimenta etc. remote influunt, et in quo principium vitale humorem superabundantem (materiam morbificam) eliminare nititur. Processus iste stadia tria, cruditatis,

coctionis et crisis, percurrit, prout vis humoris morbifici in principium vitale adhuc praevalet, vel ille ab hujus reactione resurgente et superante permutatur, coquitur, vel jam permutatus, coctus expellitur, et sic principio vitali in statum normalem redeunte sors aegri judicata est. Quum itaque materiae morbificae expulsio sit finis therapiae, doctrina de crisibus, et diebus criticis maximi aestimatur, cujus dignitas ab observatoribus omnis aevi ad hodiernum usque diem agnita fuit. — Prognosim in morbo signis eruditatis, coctionis et expulsionis plus minus perfectae potissimum superstruit *Hippocrates;* — curationem ad vires naturae medicatrices in expulsione dirigendas, sustentandas instituit. In operibus Hippocratis igitur partes Pathologiae et Therapiae principales: Pathogeniam et Aetiologiam, Diagnosticam, Prognosticam et Therapeuticam primum invenimus. Philosophiae solum experientia fundatae cultor, omnibus metaphysicis missis, unice naturae ejusque phaenomenis attentissime observandis ac prudenter aestimandis sese dedit; quare, utut manca sit illius theoria de morbo et sanatione, morborum tamen phaenomena sincerissime observando, verissime adnotando, ab antecessoribus collecta et propria observata prudenter sequendo, normas diaeteticas praescribendo praestantissimas, naturae vires ac operationes summi faciendo, generatim genio practico eminente ductus Medicinae practicae verae *parens* evasit, veneratione perenni et imitatione dignissimus.

Hippocratis opera omnia, ed. Anutio *Foësio.* Genev. 1657. Fol. — Recudi curavit J. F. *Pierer.* Altenb. 1806. T. III. 8.

§. 12. Post *Hippocratem* schola *dogmatica* praeeunte *Platone* et auctore *Praxagora* medicinam practicam perficere intendens, realium corporis humani notionum defectu hypothesibus potius eam obruit. Huic defectui, *Aristotele*, Alexandri magni praeceptore, anatomiam humanam per historiam naturalem praeparante, succurrere

quidem studuerunt *Herophilus* et *Erasistratus* ex schola Alexandrina in Egypto, ast Medicina interea inanibus onusta hypothesibus, et per dialecticam artem nimium cultam in nominalem degenerata, ad empiriam rediit. Scholam *empiricam Philinus* circa annum 280—250 ante *Chr.* n. fundavit, cognitionibus solum per observationes adquisitis fidem in re medica habendam esse docens. Insufficientibus tamen et hac empiria et praegressa Pathologia humorali chemica dogmaticorum, *Asklepiades* Bithynus Romae saeculo ante *Chr.* n. principium mechanicum sequens, et morbos omnes ad strictum, laxum et mixtum revocans systema *methodicum* condidit, quod *Themison* Laodicensis excoluit, Thessalus *Trallianus* perfecit; *basim Pathologiae solidaris* continens. Eminent inter asseclas *Soranus*, *Moschion*, *Corn. Celsus*, et *Caelius Aurelianus*. — Saeculo primo post *Chr.* n. *Athenaeus* Attaliensis pneuma dogmaticorum pro vitae principio, spissum, tenue, siccum, humidum, calidum, frigidum, turbidum pro praecipuis in morbo agentibus declaravit. — Eodem tempore ibidem *Eclectici* s. *Episynthetici*, *Agathino* Spartano duce, dogmata empiricorum, methodicorum et pneumaticorum in unum redigere systema tentarunt. Inter hos *Archigenes* et egregius morborum pictor *Aretaeus* Cappadox (81 ann. p. *Chr.* n.) celebrati.

Asklepiadis Bithyni fragmenta. Digessit et curavit *C. G. Gumpert.* Praefatus est *C. G. Gruner.* Vimar. 1794. 8.

Caelii Aureliani de morbis acutis et chronicis libri octo. *J. C. Ammann* recensuit notulasque adjecit. Accedunt *Th. Jansen ab Almeloveen* notae et animadversiones in ejusdem lexicon Caelianum. Amstelod. 1755. 4.

A. Corn. Celsi de Medicina libri octo. Edid. *Th. J. ab Almeloveen.* Amstelod. 1685. 12. — Lugd. Bat. 1730. 8. Roderod. 1751. 8. — Bipont. 1786. 8.

Aretaei Cappadocis libri. Graece et lat. ed. *J. Wigan.* Oxonii 1723. Fol.

§. 13. Claudius *Galenus*, Pergami anno 131. p. *Chr.* natus, e schola Eclecticorum, ingenii acumen summum, et

admirandam eruditionem in colligendas aevi praegressi et sui cognitiones medicas, in *Hippocratis*, *Platonis* et *Aristotelis* ideas uniendas, et Medicinam dogmaticam perficiendam adplicuit. Pro vitae principio *pneuma* habet, in vires vitales in corde, animales in cerebro, et naturales in hepate residentes dominans. Corpus animale ex communibus corporum elementis constructum est; certa elementorum compositio partibus crasim s. temperiem impertitur; elementum praevalens qualitates corporis primas, conditio crasis secundas determinat. Elementa certa ratione composita humores cardinales quatuor constituunt: sanguinem, mucum, bilem flavam et atram; in sanguine aequilibrium elementorum est, in muco aqua, in bile flava ignis, in atra demum terra praevalet. Sanitas ex homogenea elementorum mixtione, et legitima partium solidarum ad fluidas proportione proficiscitur; morbus est status corporis, functiones laedens. Morbus primo passionem seu functionis a sana deflexum producit, ex quo deinde symptomata proveniunt. Morbi omnes sunt vel partium similarium s. symplicium vel organorum; illi ex vitiosa elementorum proportione, cui pro elemento uno aut duobus praedominantibus dyscrasia numero octo suam debeat originem, isti ex partium numero, figura, magnitudine, situ vitiosis pendent. Humores quantitate peccant et corruptela; quantitas sanguinis vel absolute vel relate ad vires excedit; humorum corruptela omnis est putredo. In quavis febris specie putredo aliqua adest, aestu generata; solam febrim quotidianam adfectio pneumatis gignit. Inflammatio a sanguinis errore loci oritur. Causas morborum in remotas et propinquas, internas et externas, disponentes et occasionales dividit. Symptomata in functionibus laesis, vel in qualitatibus sensibilibus alienatis, vel in secretorum vitiis consistunt. Insuper doctrinam *Hippocratis* de stadiis et typo morborum, nec non principia prognoseos et therapiae *Galenus* plurimum excoluit; et licet in commentariis ad *Hippocratem* in fusam saepe loquacitatem de-

viaverit; licet in Pathologia sua chemicas et mechanicas organismi relationes magis respexerit quam vitales, principium tamen theoriae medicae jam quaesivit, quod omnes organismi vivi relationes chemicam, mechanicam, et vitalem complecteretur, atque systema Medicinae exstruxit, omnem scientiam medicam aevorum praegressorum sedulo collectam, ingeniose digestam et elaboratam, facunde adornatam continens, quod per sexdecim fere saecula in universam Medicinam ita dominabatur, ut ad saeculum usque proxime elapsum a sententiis Galeni recedere pauci tantum auderent medici.

Cl. Galeni opera. Venet. ap. Aldum. 1525. Fol.

§. 14. *Cycli secundi* a Galeni morte ordientis periodus prima ad Theophrastum *Paracelsum* protensa, in absoluta fere *Galeni* verborum admiratione et obsequio transacta, primis post eum saeculis *Oribasium* modo (362 p. *Chr.* n.), *Aëtium* (530), Alexandrum *Trallianum* (544), et Paulum *Aeginetam* (670) habuit, qui veterum dogmata non excoluerunt adeo, quam in posterorum usum scriptis suis adservarunt. Factis postea in imperium Romanum incursionibus barbarorum splendor scientiarum obfuscatus est, Medicina ad imaginationis sphaeram relapsa, insomniis theosophicis, magicis, astrologicis et alchemicis contaminata. *Arabes* orbis imperio potiti, Graecorum philosophiam et medicinam adoptantes, et *Galeno* adhaerentes, saltem accepta a Graecis conservando bene meriti, a saeculo septimo ad duodecimum usque Medicinae nomen dederunt. Inter hos *Arrasi* s. *Rhazes* († 923), et *Ebn Sina* s. *Avicenna* (978) nominari merentur. In Europa mente ignorantiae tenebris obvelata monachi legere et scribere scientes soli tunc fuerunt medici. Saeculo decimo iterum schola Medicinae prima in urbe *Salerno* instituta de tradenda et addiscenda, nequaquam de perficienda Graecorum et Arabum Medicina occupabatur. Pathologi disputationibus potius quam cognitionibus intenti.

Artis. medicae principes. Recens. et praefat. est *A. ab Haller.* Edit. altera. Lausan. 1787. T. IX. 8.

§. 15. Saeculo decimo tertio et quarto conatus quidem ad scientias et artes resuscitandas instituebantur, universitatibus pluribus in *Italia:* Bolognae, Pataviae, Ticini, Mediolani etc., in *Gallia:* Parisiis et Monspelii, in *Germania:* Pragae (1347), Vindobonae (1384), Heidelbergae (1385), Coloniae (1388) etc., fundatis conspicui, ast exiguo adhuc cum effectu, donec saeculo decimo quinto uti scientiis universim resuscitatis ita et Medicinae nova adfulgeret aurora.

Graecia a Turcis occupata eruditi in Italiam migrarunt, a familiis *Medici, Farnese* et *d'Este* optime suscepti et culti, quorum institutionibus, et praesertim arte typographica (1436) inventa scientiae de novo coli coeperunt et propagari. Medici Indiae orientalis et Americae detectae novis naturae productis incitati, novisque morbis: sudore Anglico, lue venerea, scorbuto, plica polonica, tussi convulsiva, in conspectum prodeuntibus compulsi, philosophia Arabum peripathetica relicta ad veterum Graecorum, imprimis *Hippocratis*, studium et naturae ipsius observationem redierunt. *Fernelium, Capivaccium, Botallum* saeculo decimo sexto secuti sunt Amatus *Lusitanus, Fracastorius, Prosper Alpinus, Diomedes Cornarus*, Professor Vindobonensis et Maximiliani II. Archiater, *Salius Diversus, Lommius* per observationes suas, quemadmodum *Fallopius, J. Schenk a Graffenberg, Felix Plater, P. Forestus* per usum et culturam Anatomiae pathologicae faciem iterum Medicinae meliorem ac dignitatem majorem impertiti.

J. Fernelii universa medicina. Frf. 1577. Fol.

Am. Lusitani curat. medic. cent. septem. Venet. 1566. 4.

Prosp. Alpini de praesagienda vita et morte aegrotantium libri septem. Patav. 1601.

P. Salius Diversus de Febr. pestil. tractat., et cura quorundam peculiar. morbor. etc. Bon. 1584. 4.

Jod. Lommii observ. medicinal. libri tres. Amstelod. 1560. 8. — De curand. Febribus. Ibid. 1563. 8.

Fallopii opera. Venet. 1566. Fol.

Fel. Plateri observ. in homin. affectibus plerisque. Basil. 1614. 8. — Praxis med. Ibid. 1666. 4.

Petr. Foresti observ. med. L. 32, observ. chir. L. 10. Francof. 1673. Fol.

§. 16. *Paracelsus* ab Hohenheim (1526) medicinam *Hippocratis* et *Galeni* deserens, ignavos veterum pedissequos valide invehendo et ad proprium naturae ac Medicinae studium energice provocando de hac bene meritus, novam eidem induxit epocham. Systema ex principio chemico deductum exstruxit novum, et etiamsi Alchemia diu jam culta et medicamina chemica Arabibus bene jam cognita fuissent, *Paracelsus* tamen haec in usum frequentiorem traxit, et ad formandam scholam jatrochemicam plurimum contulit, Theosophiae caeterum mysteria et Astrologiae phantasmata Medicinae immiscuit.

Bücher und Schriften des edlen, hochgelahrten und berühmten Philosophi und Medici *Phil. Theophr. Bomb. von Hohenheim, Paracelsi* genannt etc. durch Joannem *Huserum* Brisgoium. 11 Thle. in 4. Basel 1589—91.

§. 17. Saeculo decimo septimo medici in veterum studium incumbere, et progressus medicinae tum theoreticae tum practicae adjuvare continuarunt, in sectam autem *Galenianam* et chemicam *Paracelsi* secedentes passim systemata construxerunt manca, et ob speculationum prae experientiis praepondium infirma, claudicantia. *Paracelsi* sectatores eclectici evaserunt, inter quos *P. Poterius, D. Sennert, R. Minderer, A. Mynsicht, W. Rolfink, Laz. Riverius* memoratu dignissimi. Observatores praecipui scholae jatrochemicae addicti nominari merentur *Zach. Lusitanus, Salmuth, Guil. Ballonius, Th. Bartolinus, Nic. Tulpius, Diemerbroëk, C. Piso, Tim. a Güldenklee.* Detecto per Guil. *Harvey*

(1619) sanguinis circulo, melioribus imbutus notionibus anatomicis *van Helmont* theoriam humoralem magno oppugnans ingenio proprium exstruxit systema, pro fundamento solidaris Pathologiae recentioris habendum; ast paulo post *Fr. de le Boe Sylvius*, recentiore *Cartesii* Philosophia corpusculari armatus, alio systemate chemico, in quo acrimoniae acidae et alcalinae dominantur, theoriam humoralem denuo extulit, serius per *J. Bohn*, *Fr. Hoffmann* et *H. Boerhaave* magnopere concussam, per *Chr. Lud. Hoffmann* iterum defensam, et subtilius quam utilius cultam.

D. Sennert med. pract. L. VI. Viteb. 1623—35. 4. — Instit. med. L. V. Ibid. 1645. 4.

Laz. Riverii praxis medica. Paris. 1640. — Observ. et curat. Ibid. 1646. 8.

Ballonii consil. med. L. II. Paris. 1636. — Opera Vol. IV. Genev. 1762. 4.

Van Helmont opp. omnia edita a filio. Amstelod. 1642. 4.

Fr. de le Boe Sylvii opp. omnia. Traject. 1695. 4.

§. 17. Interea *Thomas Sydenham* († 1689), posthabitis hypothesibus omnibus, *Baconis Bar. de Verulam* (opp. omnia Lips. 1694. Fol.), philosophi experientiam et philosophiam naturalem summi facientis, principia secutus, observationes exactissimas hisque fundata judicia qua summa Medicinae practicae adminicula commendans, auctoritatem experientiae medicae plurimum extulit. Pro artis medicae incremento ante omnia 1. historias naturales morborum omnium, (more phytographorum) ad definitas ac certas species referendorum, desiderat, eadem diligentia et exactitudine religiosa ex observatis descriptas, quae nonnisi quiete observando, hypotheses philosophicas omnes evitando, symptomata essentialia ab accidentalibus distinguendo, atque anni tempestatum, morbos speciales generantium, respectum habendo obtineri queunt; dein 2. certam consummatam et constantem medendi methodum, eam nempe, quae largo satis experientiarum

numero corroborata suffultaque huic vel illi morbo devincendo par invenitur; tandem 3. remediorum specificorum, debellandis saltem morbis chronicis idoneorum, notiones. (Observ. med. circa morbor. acut. hist. et curat. Lond. 1676. 8.) Quae de constitutionibus epidemicis morborum stationariis, non ab atmosphaerae qualitatibus sensu aut instrumento percipiendis, sed ab intrinseca, adhuc ignota, conditione pendentibus, de morborum universalibus periodis et successione, novorum exortu, aliarumque igitur et aliarum novarum methodorum necessitate docuit; quae de morbis singulis qua substantivis organismis in modum pseudo-organismorum in corpore humano obortis, de eorum cursu et periodis, de chronicorum sanabilitate per remedia specifica; quae tandem de febri qua conamine naturae materies impuras a puris separandi et ejiciendi sensit, de ingenio practico summo *Sydenhami*, philosophice quoque in naturae mysteria penetrantis testantur, famamque illi et nomen alterius *Hippocratis* conciliarunt. — Vestigia illius sequebantur *Baglivi*, *Huxham*, *Morton*, *J. Brendel*, *Freind*, *Valcarenghi*, aliique saeculi 17. celebriores medici.

Th. Sydenham opp. omnia. Genev. 1754. Part. II. 4.
Baglivi praxis medica. Antw. 1715.
Huxham opp. physico-med. ed. *Reichel* T. III. Lips. 1764. 8.
Morton opp. medica. Amstel. 1696. 4.
J. Brendel opusc. mathem. et med. argumenti cura *Wrisberg*. T. III. Lips. 1765—75. 4. — Praelect. de cognoscend. et curand. morbis, ed. notasque adjecit *Lindemann*. T. III. Lips. 1792—94. 8.
Freind opera. Paris. 1735. 4.
Valcarenghi, medicina rationalis constitut. epidem. annor. 1734—36 in Cremon. civitate complectens. Crem. 1737. 4. — Continuat. ad annos 1730—40. Crem. 1742. 4.

§. 18. Sub finem ejusdem saeculi *G. E. Stahl*, *Fr. Hoffmann* et *H. Boerhaave* inclaruerunt, novarum scholarum conditores, ad *Brunonem* usque dominatarum.

Stahl animam pro vera et unica causa proxima vitae omniumque phaenomenorum vitalium, a fibrae animatae motibus pendentium, habet; plethoram fertilissimum morborum fontem esse declarat; in statu morboso motus illos vel ultra modum auctos, vel languidos, vel anomalos apparere defendit; maximum autocratiae naturae respectum haberi, remediorumque heroicorum cautum fieri usum jubet. In morbis inflammatoriis tractandis, utpote auxilium ab anima exspectans, otiosus, in venaesectionum usu excedens, fluxui haemorrhoidum per amara balsamica, stimulantia producendo, promovendo nimium intentus, opii vero, et corticis peruviani inimicus. — Inter asseclas illius nominari merentur: *J. Junker*, *Nennter*, *Mead*, *R. Whytt*, *Sauvages*, *C. Medicus*, *E. Platlner*.

G. E. Stahl, theoria med. vera. Hal. 1737. 4.

§. 19. *Fr. Hoffmann* praxin medicam summa cum celebritate faciens, prius principiis chemicis addictus, senex systematis proprii mechanico-dynamici auctor, nimium animae in corpus humanum influxum a *Stahlio* defensum oppugnavit, phaenomena physica et viribus materiae explicare conatus, magnam nervis speciatim dignitatem adscribens. Partes corporis vi et potentia motrice instructas esse statuit, qua fit, ut rebus externis concitatae reagant, motum contractivum et expansivum edentes. Morbus in motu harum partium incongruo consistit, qui excedere, deficere vel perverti potest; vitia humorum subordinata et effectiva esse enunciat. In morbis sympathiam partium, praesertim primarum viarum plurimum respicit. De viribus naturae medicantibus non absonas habet ideas. Medicamina omnia in roborantia, sedativa, alterantia et evacuantia dividit, iisque utitur paucis, simplicibus, selectis tamen et efficacioribus, methodo incitanti praecipue addictus. Exactas morborum historias pro vera Medicinae basi declarat. — Adhaese-

runt huic doctrinae *N. Schulz*, *A. El. Büchner*, *E. A. Nicolai* et alii.

Fr. Hoffmann med. rational. systemat., observ. et consult. (opp. omnia) Vol. IX. Genev. 1740—53. Fol.

§. 20. *Boerhaave* quoad theoriam eclecticus principia chemica et mechanica combinavit, multa ex *Galeni* dogmatibus adoptans, humoribus nimiam in morbis gignendis et sanandis dignitatem adscribens; quoad praxin empiricus rationalis, ad aegrorum lectulos hypothesium oblitus, sedulus naturae observator, indicationes therapeuticas praesertim vitalem egregie statuens, in formulis praescribendis prolixitatem, aevo ejus regnantem, quidpiam restringens et simplicitati studens, observationes et experientiam magis quam theoriam propriam secutus, hinc ad *Brunonem* fere aestimatione maxima gavisus est. — Plurimos ad finem usque saeculi 18. habuit imitatores, e quibus *Gaubius*, *Gorter*, *van Swieten*, *van Haen*, *Osterdyk-Schacht*, *Lieutaud*, *R. A. Vogel*, *Ludwig* et *J. B. Burserius* eminuerunt.

H. Boerhaave aphor. de cognosc. et cur. morbis. Lugd. Bat. 1709. 1737. 8. — Institut. med. Ibid. 1734. — Praelect. acad. in proprias institut. c. not. *Halleri*. T. VII. Goetting. 1744. 8. (Opp. omn. Venet. 1751. 4.)

D. Gaubii instit. Pathol. medicinal. Lugd. B. 1758. 8.

Gorter med. hippocratica, exponens aphor. *Hippocratis*. Amst. 1734. 4.

Van Swieten commentar. in *H. Boerhaavii* aphorismos etc. Vol. V. Lugd. Bat. 1743—72. 4.

Van Haen praelect. in H. Boerhaavii instit. pathol. etc. ed. a. *Wasserberg*. T. III. Vindob. 1780. 8. — Ratio medendi in nosocom. pract. Tom. 14. Ibid. 1756. — Rad. med. continuata. Tom. 12. Ibid. 1771—74. 8.

R. A. Vogel praelect. de cogn. et cur. praecipuis c. h. affectibus. Goett. 1768. 1772. 8.

J. B. Burserius de Kanilfeld institutiones med. pract. Vol. 4. edit. altera. Lips. 1796. 8.

§. 21. Progressus eximii, quos deinde physiologia sub auspiciis *Halleri* fecit, speciatim doctrina ejus de irritabilitate partium in pathologiam aeque ac Therapiam plurimum influxerunt. Hac doctrina systema *Fr. Hoffmanni* magnopere suffulciebatur, uti ex scriptis *Zimmermanni* et *Tissoti* videre est, et ex utriusque combinatione *Pathologia solidaris* recentiorum prodiit, cujus princeps Guil. *Cullen* nominandus, et quam *Reil*, sicut *Chr. L. Hoffmann* theoriam humoralem, ad perfectionis culmen evexit. Caeterum pars medicorum alia *Stahlium*, alia *Fr. Hoffmannum* et *Cullenium*, alia *Boerhaavium* sequebatur, minor eclecticorum numero, uti *Selle* et S. G. *Vogel*, inserenda.

Eodem tempore *M. Stoll* praxeos medicae in Universitate nostra Professor (1776—89) doctrina et experientia clarissimus, ingenio Hippocratico ductus, acutissimus naturae observator, scrutator, scholam *Sydenhami* empirico-rationalem restaurare conatus, Medicinam practicam observatis multis egregiis, praesertim circa constitutiones morborum epidemicorum stationarias et annuas, ditavit. Postea *J. P. Frank* ex eadem cathedra (1795—1804) professor celeberrimus, eruditione vastissima et facundia ornatus, (cujus magistri piam colere memoriam gratus discipuli animus nunquam desinet) eclecticus, philosophus inter sedulos naturae scrutatores eminuit, scriptis suis de Medicina practica et publica optime meritus. — Accedunt *Hebenstreit*, *Webster*, *Bang*, *Rahn*, *Stark*, excelluit *Reil*.

W. Cullens Anfangsgründe der pr. Arzneyw. A. d. Engl. 3. Aufl. 4 Bde. Leipz. 1800. 8.

S. G. Vogel Handb. d. pr. Arzneyw. 6 Bde. Stend. 1781—1816. 8.

M. Stoll ratio medendi in nosocom. pr. viennensi. Vol. 7. Vindob. 1777—90. — Aphorismi de cogn. et cur. febribus. Ibid. 1786. 1832. — Praelect. et dissert. in divers. morb. chron. Vol. 5. Ibid. 1788—89. 8.

J. P. Frank de curand. homin. morbis epitome. L. V. Manhem. 1794—1812. L. VI. P. I. Tubing. 1811. P. II. Viennae 1820.

P. III. ibid. 1821. 8. — Delect. opusculor. Vol. 10. Pav. et Lips. 1785—91. — Interpretat. clinicae. T. I. Tubing. 1812. — Opusc. posthuma ab Jos. filio nunc primum edita. Vienn. 1824. 8.

Fr. L. Bang prax. med. systematice exposita. Edit. 2. Hafn. 1818. 8.

§. 22. *Bruno* (1780) novum Medicinae systema protulit, simplicitate apparente, consequentia et forma systematica potius arridens, quam veritate sese commendans, primum in Italia, deinde praeeunte *Kantii* philosophia in Germania facile susceptum. Vitam per se nullam esse, sed omnem rerum externarum stimulis coactam effici defendit; adeoque organismis incitabilitatem solum inhaerere, hanc autem stimulis incitari debere, ut vitae signa edantur; morbos fieri vel incitabilitate vel stimulis ultra certum gradum auctis aut imminutis (Sthenia aut Asthenia) eosque stimulis vel subtractis vel additis, ita ut debitus incitabilitatis gradus restituatur, sanari. Quae doctrina a *Weikard*, *Roeschlaub*, *Horn*, *Jos. Frank*, *Henke*, defensoribus aeque ac *Hartmann*, *Girtanner* et *Hecker* oppugnatoribus elaborata, modificata et emendata titulo *theoriae incitabilitatis* latissimum in praxin medicam exercuit dominium. Ast concussa jamjam a severis scrutatoribus ad philosophiam confugit, quae vero incitabilitatem examinans et hujus principii infirmitatem et insufficientiam evincens, illam quinque ab ortu lustris funditus pervertit, ostendendo, incitabilitatem non esse vitae principium, nec per totum organismum aequabiliter diffusam, non unicam esse organismo animali ad res externas relationem, non omnes istarum vires stimulante sola comprehendi, nec respectum quantitatis illarum solum sufficere, sed qualitatis quoque rationem et quidem praecipuam haberi debere; atque novum theoriae medicae fundamentum obtulit. Ita factum est, ut haec ineunte saeculo nostro principiis ex *philosophia*, ut ajebant, *naturae* petitis superstrui coeperit, cujus de inveniendo vi-

tae principio, mentis rerumque nexu interpretando, et reconditis naturae legibus intelligendis occupatae dogmata suprema, ab auctore *Schelling* atque cultoribus *Steffens Troxler, Görres, Marcus, Kieser etc.* prolata, quousque a phantasiae insomniis immunia manserunt, sequentibus comprehenduntur: Universum vivit; hujus vita vitae omnis individuorum vegetabilium et animalium fontem sistit. Vitae universi manifestatio triplex sub schemate processus magnetici, electrici et chemici in organismo animali reflectitur, et in vegetationem, irritabilitatem et sensibilitatem extollitur. Animalia et vegetabilia ad universum se habent ut propria eorum organa ad organismum totum; illorum igitur vita non nisi in suo cum natura universa nexu potest cognosci. Vita organismi humani, quatenus sensuum objectum, in mutuo virium ejus elementarium conflictu consistit, quarum factores reproductio, irritabilitas et sensibilitas habentur. Sphaerae (dimensiones) istae tres intime conjunctae aequilibrium individuo conveniens servantes perfectam vitae harmoniam, hinc sanitatem, singulae vero praedominantes phaenomena morbi exhibent etc. — Cum vero plura hujus philosophiae dogmata generalia singulis individuis ac morbis adcommodari non possent, cum plures illius asseclae male intellecto auctoris sensu verbis insolitis, novis et obscuro dicendi genere uterentur, et ingentes doctrinae in praxi hiatus phantasmatibus festinanter explere, atque in veritatis locum somnia imperitis venditare non haesitarent, theoria medica monstrose exstructa ipsi philosophiae oppugnatores imo contemtores plures quam defensores amicos conscivit, quorum sane paucissimi nunc inter medicos practicos inveniuntur.

Jo. Brunonis elementa medicinae. Edinb. 1780. A. d. Engl. übers. mit einer krit. Abhandl. über die Brownischen Grundsätze von *C. H. Pfaff* etc. 3. Aufl. Kopenh. 1804, 8.

Dr. Andr. Roeschlaub Untersuchungen über Pathogenie etc. 3. Bde. Frankf. a. M. 1800—1801. — Lehrb. d. Nosologie. Ibid. 1801. 8.

J. W. *Schellings* Aphorismen über die Naturphilosophie. — Vorläufige Bezeichnung des Standpunctes der Medicin nach Grundsätzen der Naturphilosophie. In *Marcus* und *Schellings* Jahrb. der Med. als Wissenschaft. Bd. 1. 2. Tübing. 1806. 1807.

Dr. G. Kiesers System der Medicin. 1. und 2. Bd. Leipz. 1818 — 19. 8.

§. 23. Tandem et novissima aetate doctrinis utut mere dynamicis *Rasori*, *Broussais* et *Hahnemann* suas sibi pepererunt sectas.

Regnante adhuc in Italia systemate *Brunonis* (1800) *Rasori* Mediolani doctrinam de statu morboso tantum duplici, actione vitali nimirum exaltata, quam *diathesim stimuli*, et depressa, quam *diathesim contrastimuli* vocat, atque de potentiis stimulo recte contrariis i. e. vim vitalem immediate deprimentibus, adeoque ad morbos ex stimuli diathesi longe frequentissimos curandos idoneis, exposuit. Adhaeserunt *Brera*, *Borda*, *Tommasini* aliique Itali, extranei vix ulli. Ast nec duplici diathesi tota morborum classificatio absolvitur, nec utriusque diagnosis certis aut signis aut causis innititur, sed solo tentatis a medicaminibus stimulantibus aut contrastimulantibus observato effectu (therapia exploratoria) obtineri potest; morbos chronicos omnes decurrendi rationis definitae ad diathesim stimuli, acutos vero incerti decursus ad diathesim contrastimuli spectare, morbos speciales diathesis unius vix unquam in diathesim alteram transire, contra observationes genuinas defenditur; in contrastimulorum serie omnia praeparata metallica praecipue antimonialia et mercurialia, emetica et purgantia drastica, acida, oxygenium, nitrum, acidum hydrocyanicum, dein digitalis, hyoscyamus, belladonna, arnica, valeriana, chamomilla, serpentaria, piper, synapis, cantharides etc. adeoque pharmaca diversae admodum naturae ac virtutis continentur; pessime pharmaca heroica usu quotidiano ingentibus praescribuntur dosibus; pessime sanguis manu pro-

funditur largissima; natura medicatrix non agnoscitur, spernuntur crises etc.

§. 24. *Broussais* morbum omnem in incitationis vitio duplici, excessu aut defectu consistere, illum multo frequentiorem, nunquam universalem esse, sed ab uno alterove organo inchoare et *per sympathias* expandi ac transferri, hac ratione quamlibet fere irritationem intensam illico communicari membranae ventriculi et intestinorum muciparae; gastro-enteritidem frequentissimum sistere morbum, non nisi initio venaesectionibus, utilius vero semper hirudinum plurium adplicatione iterata, diaeta tenui et potulentis acidulis, relaxantibus tractandum etc. asseverat. Superfluum foret, doctrinam adeo mancam, lateralem et logicae ac experientiae fundamento destitutam, a *Conradi, Casper, Spitta, Gruithuisen* refutatam, denuo fusius oppugnare; huic superstructa praxis detrimento carere nequit, toties enim gastro-enteritidem supponendo saepissime errat, indicationes pro therapia antigastrica solvente, evacuante spernendo, et sanguinem absque diagnosi et indicatione firma dissipando morbos non sibi solum permittit sed a tramite quoque suo detrudit, naturae conatus pervertit, enervat, atque sic morbos reddit graviores, characterem iis adynamicum, durationem multis longiorem, exitus infaustos inducit, effectusque posthumos invitat.

Broussais Examen de la doctrine médicale. Paris 1806. — Examen des doctrines médicales et des systèmes de Nosologie. Ibid. 1822. 8.

§. 25. *Hahnemann* inaudita cum arrogantia et ruditate saeculorum omnium dicta et acta medica esse vana, inutilia, imo deleteria ignorantiae et fraudis medicorum testimonia declarans, morbum nonnisi symptomatum complexum esse defendit; naturam enim morborum intellectu humano nunquam posse erui, adeoque nullum in therapia respectum mereri credit. Formam stabilem, ex qua

Nosologorum species systematice definiantur, negat; decursus rationem quandam, normalem dicendam, spernit, ideo vitam in morbo alienatam non commemorat, symptomatum solum collector. Causas morbificas communiter notas concedit, sed rarissime erui, adeoque sine damno negligi in praxi posse contendit. Pro therapia principium statuit: *similia similibus curantur;* medendi *methodo* igitur *homoeopathicae* soli addictus, allopathicam et antipathicam s. enantiopathicam negligit. Quare potentias simplices in homine sano symptomata similia dosibus majoribus producere valentes, esse certissima morborum remedia, sed dosibus minutissimis adhibenda defendit; casum quemvis suis stipatum symptomatibus esse alium; certis symptomatibus unicum solum convenire remedium, adeoque id tunc esse specificum, syndrome symptomatum mutata specificum aliud quaerendum, talia specifica partim ex tentamine in hominibus sanis instituto jam nota esse, partim adhuc invenienda; — medentem itaque nihil nisi symptomatologiam et *hanc* materiam medicam callere debere. — Ast morbum non in symptomatibus consistere, non frustraneam ubique indolis morborum investigationem, formae stabilis, rationis decurrendi, mutationum variarum, dispositionis aegrorum singulorum et causarum occasionalium examen, in medendo respectum semper esse necessarium, medicorum rationalium nemo nescit. Mancissimum est, falsae plerumque observatorum interpretationi adquiescens homoeopathiae principium, ad casus peculiares sane paucos restringendum esse. In illius consequentiam morbi phlogistici remediis stimulantibus, calefacientibus, diaeta lauta, regimine activo, adynamici debilitantibus diaetae subtractione, quiete, luce denegata etc. tractandi forent. Adplicatio remediorum in homine sano unam sistit, sed nec sufficientem nec tutam vires medicas explorandi viam. Non de specificis, verum de tanto eorum numero, vi stimulante, irritante aut mitigante, sedante etc. neglecta,

dubitandum. Nisi impossibile, saltem probabile non est, nec genuinis, sine praejudicio institutis, et fide dignis evictum observatis medicaminum atomos celebratis pollere virtutibus, jactatosque producere effectus therapeuticos, quin intentio, phantasia, voluntatis potestas, diaeta, regimen, constitutio atmosphaerae suam potiorem, nisi omnem, contribuerint symbolam. Cum pro mutata symptomatum syndrome aliud requiratur specificum, passim adhuc detegendum, erroribus in plena symptomatum analogia statuenda committendis, sicut hiatibus therapiae in casu curae insufficientis, protractae, frustratae, infaustae excusandis latissimus expanditur astutissime campus. Sane praxis ad mentem *Hahnemanni* instituta, indicatione causali et essentiali omni praetermissa, symptomatum complexum attendendo analogum, hunc medicaminum in sanis exploratorum atomis tantum oppugnando, remedia igitur apta modumque administrandi efficacem et sufficientem negligendo, tempusque perdendo irrevocabile plerisque in casibus, praesertim acutis et urgentibus, summe deleteria non esse nequit. Laudabilis quidem attamen non nova est, et prudenter sumenda indigitatio, casus singulos obvios qua speciales spectari debere; vires medicaminum per examen in sanis quoque perfectius erui posse; simplicia pro re nata compositis et varie mixtis praeferenda esse, parvasque eorum doses scopo saepe sufficere. Dolendum vero imo summe vituperandum, *Hahnemannum* a desideratis veri Medici scientiis historiam ac scientiam naturalem, anatomiam, physiologiam, pathologiam tum generalem tum specialem omnemque nosologiam systematicam, solidissimas plane omnis medicinae bases, ruditer excludere, illasque ad solas phaenomenorum a substantiis variis in homine sano productorum notiones restringere; nihil enim desiderat, quam ut casu dato ex pharmacorum homoeopathicorum apparatu exquirat illud et dilutione adhibeat, quod symptomata similia in homine sano induxisse fuit visum. Ad haec tamen

sensus integri, fida memoria et magna in tentando et adnotando patientia omnino sufficiunt. En igitur empiriam, qua rudiorem, ne dicam exercitatam, sed ne commendatam quidem, medicina historia continet nullam.

S. Hahnemann, Organon d. rat. Heilkunde. Dresd. 1810. 19. 24. 8. — Reine Arzneymittellehre. 6 Thle. Ibid. 1811—21. 8.

§. 26. Has intra sectas, temporis fluctibus brevi submergendas pars medicorum potior medio speculationem inter et empiriam tramite incedere, neutram seorsim sed utramque intime junctam sedulo colere, adeoque veram sequi experientiam constanter continuat, nulli auctoritati addicta sed proprio ingenio utens systemata ac doctrinas novas, antequam approbat, justa rationis lance exponderat, omniaque vera contenta in scientiae artisque medicae commodum et incrementum vindicare tam praxi quam doctrina adlaborat. Spirant hunc genium opera, quae sequuntur:

Chr. W. Hufeland System der praktischen Heilkunde. 2 Thle. Jena 1802—1805. 8.

Pinel Nosographie philosophicale. 5. edit. Paris 1813. 8.

Curtii Sprengel Institutiones medicae. Tom. VI. Amstel. 1811—1816. 8.

A. Fr. Hecker Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen. Bd. II. 4. Aufl. Wien 1815.

J. Val. ab Hildenbrand ratio med. in schola pract. Vindob. P. II. Vindob. 1809. 8. — Institut. med. pract. rudimenta, nosol. et therap. special. complect. T. I. Vindob. 1816. T. II. III. et IV. ed. a *filio Franc. Nob. ab Hildenbrand*. Ibid. 1821—1825. 8. — Edit. altera emend. Tom. II. pyretol. complectentes. Viennae 1833.

A. W. Conradi Grundriss der Pathol. und Therapie. 2 Thle. Marb. 1811—1815. 8.

Jos. Frank Univ. prax. med. praecepta. P. II. in Vol. IV. Lips. 1811—1824. 8. Edit. 2.

A. G. Richter spec. Ther., nach dess. hinterlassenen Papieren herausgegeben von *G. A. Richter*. 10 Bde. Berl. 1813—1828. 8.

Fr. L. Kreysigs System der pract. Heilkunde. Auch Handb. d. prakt. Khslehre. I. und II. Thl. Leipz. 1818—1819. 8.

Dr. Fr. Jahn Klinik der chron. Krankheiten etc. Amst. 1815. Fortges. von *H. A. Erhard* Bd. II., III. und IV. Erf. 1817. 1821. 8.

Dr. W. A. Haase üb. d. Erkennt. u. Cur. d. chron. Krankheiten. 3 Bde. Leipz. 1817—1820. 8.

Dr. J. R. Bischoffs Grundsätze der prakt. Heilk. durch Krankheitsfälle erläutert. B. 1. und II. Abth. I. Prag 1823. 8. — Klinische Denkwürdigkeiten. Jahr 1823. und 1824. 2 Bde. Prag 1825. 8.

§. 27. Fata haec Medicinae universim, et practicae speciatim, breviter lustrata contrahendo, attenta mente contemplando de viis edocemur ac modis, quibus scientia et ars medica non solum post tot tantasque turbas, longissimaque post temporis intervalla ad praesentem evolutionis gradum est perducta, sed quibus etiam certissime ac rectissime ulterius perficienda, regressusque sunt vitandi.

Primum autem, mentique humanae pedetentim progredienti respondens fuit, tum morborum phaenomena et causas, effectus et sequelas, tum naturae medicantis manifestationes et remediorum adplicatorum effectus *intueri*, dein variis sub modificationibus *observare*.

Iteratas ac numerosissimas ejusmodi observationes conferendo *analogiae* atque *differentiae* morborum, causarum et effectuum aeque, ac signorum naturae operantis, et effectuum a remediis obtentorum animadvertebantur; quae naturalibus familiis ac generibus et morborum et remediorum agnoscendis ansam praebuerunt. — *Effectus* analogi *ad causas* consimiles, diversi ad diversas *referebantur*.

Pro morbi phaenomenis, naturae sanantis et remediorum effectibus, eorumque ortu perspiciendis et explicandis, in *rationem* eorum *proximam* inquirebatur (theoria tentabatur); quae initio imaginationis productum arbitrarie supposita fuit, serius autem partim ex sensibili-

bus qualitatibus ac effectibus causarum et medicaminum aliunde observatis, partim ex phaenomenis et effectibus morbi et naturae medicantis concludendo statuta. Hac in provincia progrediendo conclusiones tales circa morbos ac remedia *plurimae* factae extendebantur ad *omnia* similia aut aequalia inventa (inductione), imo ad morbos antea nondum observatos et ad remedia prius nondum usitata adplicabantur per *analogiam* et *inductionem* — in Pathologia et Therapia generali.

Tandem omnia haec phaenomena organismum sanum et aegrum, atque effectus virium naturae medicantium et remediorum spectantia cum phaenomenis similibus in universa reliqua natura comparabantur; ab eo, quod conforme in illis detegebatur, ad aequalem causam fiebat conclusio, atque hac ratione tentamina instituebantur, *leges communes*, juxta quas dicta oriantur phaenomena, *cruendi* et *communia* explicandorum *principia* statuendi, — philosophia naturae; — haec vice versa in explicandas morborum species singulas earumque sanationem in Pathologia ac Therapia speciali *adplicabantur*.

Imperfectis analogiis ac inductionibus *hypotheses* in supplementum veri temporarium proferebantur.

Eadem prorsus via incedant, iisdem mediis, eademque utantur ratione, qui Pathologiae ac Therapiae addiscendae ac perficiendae operam navant, ut naturam intelligere, atque in salutem ac solamen aegrorum, in theoriae solidae et praxeos medicae incrementa imitari discant.

§. 28. Quemadmodum *basim* ita et continuos, ex quibus Pathologia et Therapia specialis incrementa ulteriora et emendationes hauriet, fontes *experientia* vera suppeditat, *empiria scilicet cum ratione arctissime juncta*. *Soli* enim *sensus* externi observata modo singula largiendo, formae solum objectorum materialium cognitionem subministrant, hinc cognitionem morborum singularium aut nullam, aut superficialem tantum et partia-

lem, prognosim mere empiricam, incertam, mancam, therapiam nonnisi symptomaticam, fluctuantem ideo, infaustam parant; — *ratio sola* missis objectis realibus adeoque omnem temporis ac spatii relationem transgressa, vel vanis circumvelatur insomniis, vel phantasmatibus facillime abripitur, quae tantum abest, ut in theoriae morborum specialium horumque curationis fundamenta cedant, ut sensuum potius et intellectus non exercitatorum dexteritate, acutie et certitudine deficientibus medentem morbis obviis eruendis ineptum, proinde cognoscendis et rite curandis prorsus relinquant imparem; aegrorum proinde saluti nullatenus prospiciant.

§. 29. Sicut autem sensuum perceptiones nunquam sine mentis conscientia, et sine intellectu, ita et cognitiones rerum medicarum non sine sensuum usu et intellectus adplicatione, judicia et ratiocinia non sine praegressis intuitionibus sensuum et cognitionibus obtinent. Quare perceptiones et observationes utut sensibus praecipue adjuvantibus non tamen solis, cognitiones non solo intellectu, judicia et ratiocinia non ratione sola, sed conspirante sensuum atque mentis actione fiunt. Hoc sensu Pathologo et Therapeutae *sensibus* percipienda et observanda sese objiciunt: aegrorum constitutio corporea, hujusque proprietates individuales in toto et in partibus; causae morborum excitantes multifariae, nempe materiales; morborum symptomata et effectus; remediorum adhibitorum aliarumque rerum casu vel arte submi-nistratarum effectus perceptibiles boni, mali; mutationes variae in cadaveribus incisis eorum, quorum morbi prius fuerant observati; — *intellectu* haurienda (cognoscenda): nexus phaenomenorum morbi inter se quoad tempus et spatium; mutua eorundem ad individui dispositionem et potentias morbum excitantes relatio; morbi ipsius species, modificatio, hujusque magnitudo, stadium, sola aut cum aliis praesentia; — *ratione* praestanda: theoria morbi specialis i. e. explicatio essentiae, genesis, for-

mationis, decursus, terminationum ejus; aestimatio dignitatis; prognosis scientifica i. e. praenotio rationibus fundata mutationum futurarum et eventuum; theoria sanationis, inde et tractaminis instituendi i. e. formatio indicationum, determinatio medendi methodorum, remediorum selectus, ordinatio, ipsaque curatio ad Pathologiae et Therapiae principia generalia, singulis casibus adaptata; tandem morborum singulorum classificatio, sive juxta essentiam, formam, sedem et extensionem facienda in classes, ordines, genera, species, varietates distributio.

§. 30. Etiamsi observationes morborum in vivis factae praecipuam Pathologiae speciali suggerant materiam, incisis tamen cadaveribus exacta omnium a statu normali mutationum pervestigatio et illustratio non infimi sunt valoris. Non enim diagnoses modo, prognoses et curas in vivis institutas mox stabiliunt, mox erroneas fuisse comprobant, sed nonnunquam morborum analogorum casibus etiam futuris utile offerunt argumentum, ubi morbis praesertim multum complicatis, imperfecte evolutis, ideoque cognitu difficilibus, vel perquam raris, vel novis inductos illos a norma defluxus, qui residuam morbi partem materialem concernunt, omnes, eorum sedem, extensionem, quandoque et morbi causam detegunt, hisque prudenter pensitatis et adplicatis ad ampliandam et firmandam scientiam et praxin medicam conferre valent. Sunt autem, quae inquisitione exacta, dextra et completa in cadaveribus inveniebantur, rite aestimanda, et magnopere cavendum, ne pro morbi parte aut causa declarentur, quae veros ejusdem vel aliarum circumstantiarum effectus, aut mortis, putredinis sequelam sistunt, aut sectioni debentur.

Patet ex his, quaenam sit Anatomiae pathologicae ad Pathologiam specialem relatio, quantique sit ea medico praxin exercenti. De illa condenda et excolenda vel maxime meriti sunt: *Th. Bonnet*, *J. B. Morgagni*, *Jos.*

Lieutaud, *Sandifort*, *M. Baillie* et *Th. Soemmerring*, *A. Vetter*, *Fr. G. Voigtel*, *A. Portal*, *J. Fr. Meckel*, nec non *Spitta*.

§. 31. Etsi vero Pathologia specialis expansissimas et exactissimas contineret institutiones de iis, quae ad morborum specialium diagnosim, prognosim et therapiam requiruntur, et quae de his objectis generatim in libro meo: „*Institutiones generales ad praxin clinicam*, usui academico dicatae. Edit. latina. *Vindob.* 1829. 8.“ fusius exposui; sterilis tamen maneret doctrina, tyroni medico parum proficua, nisi cum illa simul in *institutis clinicis* conjungeretur occasio, morbos speciales ipsos, decursum, exitus, sequelas eorum, atque medendi rationum contra illos commendatarum successus, remediorumque selectorum effectus intuendi, observandi, et sic theoriam cum praxi copulandi. Hoc modo descriptae morborum imagines suam tandem realitatem, diagnosis firmitatem ac veritatem, theoria objectum, speculatio directionem et applicationem nanciscuntur. Ne vastissima quidem Pathologia specialis enumerandis et rite describendis tot modificationibus par foret, quae morbis vel ex innumeris individuorum aegrorum relationibus solis, ut alias taceam, accedunt. Unde inevitabilis autopsiae et observationum morborum necessitas, ad quas discentem omnibus cognitionibus propedeuticis (in institutionibus meis generalibus ad praxin clinicam) probe imbutum, summa cum attentione et absque praeconcepta mente se accingere oportet.

Classificatio morborum.

§. 32. Ut morbi, quotquot occurrunt, rite cognoscantur ac determinentur, id quod ad therapiae errores ac medicorum inter se dissensiones evitandas summe necessarium, Pathologiae speciali incumbit, delineare characteres illorum diagnosticos per omnem decursum et gradum, indicare signa ab analogis distinctiva, eam, quae

speciali formae subest, essentiam illustrare, nec non causalia eorum recensere momenta. Quaelibet nempe species morbi certis phaenomenis manifestatur, vel per omne stadium continuis vel cuilibet propriis, quibus cognoscitur et ab aliis distinguitur morborum speciebus. Hunc in finem characteres singularum essentiales eruantur, et a non essentialibus probe sejungantur, necesse est. Eo non obstante nosographia omnium seorsim specierum exactissima memoriam felicissimam non obruere, sicut ingens earum cohors intellectum non gravare et perturbare non posset, nisi in *certum* redigerentur *ordinem.* Juxta hunc primo omnes morborum formae quoad characteres essentiales sibi analogae a dissimilibus et essentialiter diversis separantur, et pro similitudinibus et diversitatibus suis in majores sectiones paucas (*classes*, familias, *ordines*) colliguntur, dein singularum his sectionibus contentarum similitudines et differentias remotiores, propiores lustrando, tandemque ultimas ac singulares considerando *genera* morborum, *species, varietates* seu modificationes statuuntur. Vocatur dispositio haec morborum *divisio, classificatio;* quae dum certis superstruitur principiis et characteres classium, ordinum, generum etc. exponit, *Systema nosologicum* audit.

Succinctus et ordinatus morborum omnium conspectus proximum illius finem sistit, quo omnimoda specierum ac varietatum singularum cognitio pro instituenda therapia rationali adquiratur.

§. 33. Varia *nosologorum* omnis aevi tentamina, ingens morborum agmen in classes, ordines etc. redigendi, a clariss. *ab Hildenbrand* (l. c. T. I. §. 18—114.) critice lustrata, notas insufficientiae et imperfectionis praeseferunt, gradu solum diversarum, ac dominanti tunc theoriae medicae respondentium. Practico enim scopo non quidem inutiles, partim tamen nimis generales, partim subordinatae sunt morborum divisiones ex *causis* petitae in pandemios et sporadicos; ex *originis ratione* in pri-

marios (originarios, prothopathicos) et secundarios (derivatos, deuteropathicos), in haereditarios, connatos et adquisitos; ex *sede* ac *extensione* (juxta *Celsum*) in universales et locales, internos et externos; juxta alios in morbos solidarum partium et fluidarum; in febriles et non febriles; in morbos sensibilitatis, irritabilitatis et reproductionis (juxta *Schelling, Kilian, Troxler* etc.); ex *decursu ac duratione* (juxta *Asclepiadem*) in acutos et chronicos etc. etc.; ex *exitibus*: in salutares et noxios, benignos et malignos, sanabiles et insanabiles, contagiosos et non contagiosos. — Hypotheticae sunt hucusque omnes *a morbi natura* seu causa proxima partim arbitrarie statuta, partim imperfecte concepta desumtae, quemadmodum *Hippocratis* distinctiones morborum juxta qualitates quatuor morbosas totidem temperamentis correspondentes; — Methodicorum (Themisonis Laodicei) in morbos stricti et laxi; — Dogmaticorum (et *Galeni*) in morbos qualitatum seu partium similarium, et morbos temperiei seu partium dissimilarium i. e. organorum, illorumque iterum in calidos, frigidos, siccos, humidos et mixtos, istorum in vitia numeri, formae, voluminis, organicae compositionis, et situs; — Jatrochemicorum et nominatim *J. B. Beaumes* (Essai d'un système chimique de la science de l'homme. Nism. 1798.) in morbos oxygenisationis, calorificationis, hydrogenisationis, azotisationis, et phosphorisationis; — *Brunonis* et Incitabilistarum *Weikard, Arnemann, Roeschlaub* et a. in morbos virium seu incitationis seu universales, et morbos organismi seu locales, priorum porro in hypersthenicos et — directe ac indirecte — asthenicos; — *Darwini* in morbos motus partium sensibilium, irritabilium, voluntatis, associationis etc. etc. — Superficiales, insufficientes, ordini naturali non exacte respondentes, et pro cura dirigenda non absolute securae habentur divisiones ex symptomatibus eorumque sede ac indole petita, quales in systematibus nosologicis *Fel.*

Plateri, *Fr. B. de Sauvages*, *C. Linnéi*, *R. Vogel*, *G. Cullenii*, *J. B. Sagari*, *Fr. L. Bang*, *J. P. Frank*, *K. Sprengel*, *Ph. Pinel*, *Ploucqueti*, *Swediauri* et *J. V. ab Hildenbrand* occurrunt.

§. 34. Quaevis ergo divisionum, quodvis systematum commemoratorum suis premitur difficultatibus, et speciatim defectu basis solidae laborat, unius videlicet principii supremi logici aeque ac practici, defectu consequentis et completae elaborationis, adeoque aptitudinis ad praxin secure dirigendam. Unicum vero solidum, naturale ac logicum *divisionis principium* in *morborum natura* seu *causa* dicta *proxima* latet; nec spes est fore, ut conamina systema morborum omnibus numeris absolutum exstruendi intensissima et sagacissima exoptato coronentur successu, quousque abstrusa plurimorum morborum natura non fuerit revelata; id quod autem firmiora adhuc Physiologiae universim et hominis speciatim fundamenti, firmam Philosophiam medicam in antecessum ponit. Ad illud usque tempus divisioni morborum adhaerendum, quae pauciores caeteris ac leviores continet defectus pluraque ad praxin desiderata offert, quae nimirum pro constantioribus phaenomenis sub toto decursu observatis seu *pro forma essentiali* (naturae signo) morbos primum in classes, naturalibus familiis propius accedentes, distinguit.

§. 35. Hocce divisionis principium, non tamen solum, Nosologi mox nominati vario cum successu secuti sunt.

Sauvages (Nosologia methodica. Amstel. 1768. T. II. 4.) classibus decem distribuit: Vitia externa; febres; phlegmasias cum inflammatione externa aut exanthematica; spasmos; anhelationes; debilitates; dolores; vesanias; fluxus et cachexias. — *Linnée* (Genera morborum. Upsal. 1763.) in classificandis morbis minus felix quam in vegetabilibus: morbos exanthematicos; criticos; phlogisticos; dolorosos; mentales; quietales, motorios suppressorios, evacuatorios; deformes internos et vitiosos externos. — *R. A. Vogel* (Definitiones generum

morborum. Goetting. 1764.) morbis exanthematicis, criticis et phlogisticis *Linnéi* febres, hyperaestheses seu sensationes auctas, et cachexias substituit. — *Cullen* (Synopsis nosologiae methodicae. Edimb. 1771.) quatuor nonnisi classibus pyrexias, nevroses, cachexias, et morbos locales statuit. — *Sagar* (Systema morborum symptomaticum. Lips. 1771. T. II.) decem *Sauvagesii* classibus duas, titulo exanthematum, et suppressionum excretoriarum, addidit. — *Bang* (Praxis medica systematice exposita. Edit. 2. Hafn. 1818. 8.) pyrexias; dolores non febriles; nevroses; morbos excretionum; et cachexias exponit. — *P. Frank* (Epitom. de cur. hom. morbis.) classibus septem febres; inflammationes; exanthemata; impetigines; profluvia; retentiones, et nevroses. — *Sprengel* (Instit. med. T. IV. Amst. 1814. 8.) morbos febriles; inflammationes; exanthemata; excretiones abnormes; nervorum adfectus, et cachexias. — *Pinel* (Nosographie philosophique. Ed. 2. Paris. 1810. 8.) febres; phlegmasias; haemorrhagias; nevroses; et morbos substantiae organicae. — *Ploucquet* (Delineatio systematis nosologici. Tubing. 1791. T. IV.) septem classibus nevronusos seu morbos nervosos; peritropenusos s. morb. circulationis; anapnoënusos s. morb. respirationis; trophonusos s. morb. nutritionis; eccrisionusos s. morb. excretorios; genonusos s. morb. sexuales, et allocosos s. qualitatum sensibilium mutationes. — *Swediaur* (Novum medicinae rationalis systema. Hal. 1812. T. II. 8.) classibus quinque pyrexias seu morbos febriles; dyseccrises s. excretiones abnormes; dyserethisias et dysaesthisias s. morbos ex irritabilitate fibrarum motricium aut ex sensibilitate nervorum abnormi ortos; cacochymias et cachexias; tandem morbos locales. — *Hildenbrand* (Institut. practico-med. T. I. Vienn. 1816. 8.) denique febres; cachexias; nevroses; eccrises; et localia vitia statuit.

§. 36. *Meam* quod attinet *morborum classificationem*

sequentia ei praemittenda esse arbitror. Simplicissima et characteres solum generalissimos morborum respiciens est classificatio *Cullenii* in pyrexias, nevroses, cachexias, et morbos locales, *Swediaur* et *ab Hildenbrand*, magnam morborum excretoriorum dignitatem et characteris hujus influxum in therapiam cum plerisque Nosologis agnoscentes, nonnisi classem eccrisium inseruerunt. *Sauvages* pyrexias in febres et phlegmasias duplicis ordinis bipartit. *Pinel* eodem fere modo incedit. *P. Frank* et *Sprengel* insuper exanthemata separant. Omnibus vero his classificationibus principium divisionis non unicum subest; nam non modo diversitas indolis symptomatum eminentium et constantiorum respicitur, sed jam sedis quoque praecipue, jam extensionis simul ratio habetur. Hunc basis logicae defectum nec multiplicatio classium nec restrictio ullo emendat modo, nec tentamina iterata emendare valebunt, quousque penitiores naturae singulorum morborum defuerint cognitiones. Quare destitutus adhucdum filo intellectum secure ducente, ac therapiam indicante, memoriae saltem sublevandae intentus, *classes morborum septem* pono sequentes: *I. Febres; II. Inflammationes* seu phlogoses; *III. Efflorescentias cutaneas; IV. Cachexias; V. Morbos se- et excretorios* seu eccrises; *VI. Nevroses; et VII. Organisationis vitia.*

§. 37. Ad classem I. *febrium* spectant morbi universales, qui ab horrore et delassatione spontanea ac peculiari aegritudinis sensu ordiuntur, cum calore animali dein aucto, circulo humorum veloci, se - et excretionum turbis, siti, sub singulari horum phaenomenorum versatilitate celeriter decurrunt, atque in repentinas mutationes naturae viribus praestitas, seu crises nituntur.

Classis II. *inflammationum* morbos includit, qui febri communiter praesente (vel simultanea, vel praegressa, vel adsociata), calore organorum singulorum inten-

so, tumore, rubore, dolore, functione laesa, nisuque in crises repentinas manifestantur.

Classi III. *efflorescentiarum cutanearum* sensu latiore inseruntur quaevis in cute eruptiones, sive *planae* et colore solum alienato forma stigmatum aut macularum, sive *elatae* ac *prominentes*, forma papularum, vesicularum, pustularum, tuberculorum, furfurum, squamarum aut crustarum notatae. — Pro febri essentialiter adhaerente vel deficiente a *Frankio* in febriles seu exanthemata, et non febriles seu impetigines dispescuntur. Febriles *Cullenio*, *Swediaurio* et *Hildenbrandio* classis pyrexiarum ordinem tertium quemadmodum inflammationes secundum, constituunt.

Classe IV. *cachexiarum* comprehenduntur morbi universales, in vegetatione haerentes, et vitiosa assimilatione, sanguinis penuria, hinc nutritione insufficiente, virium vitalium languore, turgoris vitalis recessu, maleque mutato corporis habitu, colore nimirum cutis pallido, aut flavicante, viridicante, terreo aliove insignes.

Classis V. *se- et excretionum abnormalium* seu *eccrisium*, complectitur morbos, qui essentiali unius aut plurium organorum se- vel excernentium adfectione, cum materierum quantitate, qualitate, vel utraque a statu sano abludentium se- et excretione palam fiunt. — Spectant huc morbi evacuatorii et suppressorii, profluvia et retentiones aliorum systematum.

Classis VI. *nevrosium*, continet morbos, qui in nervorum singulorum vel totius systematis nervosi adfectione principali ac eminente consistunt, laesisque vel sensibus externis aut internis, vel musculorum motibus, vel utrisque simul sese produnt. — Ex aliis systematibus huc revocari possunt: morbi dolorosi, mentales, quietales et motorii, hyperaesthises, spasmi, anhelationes, debilitates, vesaniae.

Ad classem VII. *vitiorum organisationis* numerantur morbi, praevalente morboso cohaesionis, nexus, situs,

structurae organorum statu, hinc et firmitatis eorum, voluminis, figurae et vitiis insigniti. — Huc pertinent ex aliis systematibus et quidem ex classe localium morborum: deformitates; tumores seu phymata; dialyses seu solutiones continui; atresiae etc. etc.

Nota. Quodsi ultimarum quatuor classium morbos comitatur febris, vel symptomatica solum est, effectiva, vel coëffectus causae communis, vel alter morbus, complicationem sistens.

§. 38. Septem nunc recensitae morborum classes juxta characterum generalissimorum differentias ita sunt statutae, ut fere quivis in praxi occurrens ad unam alteramve referri haud difficulter possit. Characteres tamen illi adeo essentiales et distinctivi non sunt, ut totidem medendi methodus essentialiter diversas singulas omnibus classium singularum morbis congruas, indicent. Quare subdivisiones in ordines, genera, et species imo varietates, a sede potissimum et a causis petitae, suis ubique locis subjungendae, ad indicationes therapeuticas propius ducant oportet.

§. 39. Morbos jam singulos eorumque therapiam expositurus *rationem* et *ordinem* servabo *sequentem:* Classibus quibusvis, ordinibus, ac, ubi opus fuerit, generibus quaedam generalia circa eorundem diagnosim, prognosim et curationem praemittam, ad quae in specialium pertractatione, ut repetitiones evitentur, saepius provocabo; — in speciebus dein describendis eo adnitar, ut exacte communicentur momenta, quibus singulae cognosci et ab aliis, praesertim similibus, rite dignosci valeant, tum ea, quae in singularum prognosin cedant, tandem quae therapiae modum indicent atque regant. Praeter ea igitur, quae nomenclaturam, etymologiam et synonymiam maxime usitatam concernunt, tradentur: 1) morbi definitio logica, hac deficiente saltem characteristica designatio, circumscriptio rhetorica; 2) descriptio per omnia stadia in decursu re-

gulari et anomalo, fausto et infausto (Nosographia) cum differentiis ab aliis morbis; 3) causae disponentes et producentes (Aetiologia specialis) cum consideratione generationis (Nosogenia specialis); 4) naturae specialis indagatio; 5) prognosis specialis tum empirica tum rationalis; quae (1. — 5.) simul sumta Pathologiam seu Nosologiam specialem constituunt; — tandem 6) therapia specialis, indicationibus ab experientia et ratione petitis superstructa.

Inserentur, ubi interest, morbi antiquitas, et auctores monographi aliique praecipui.

Classis I. *Febres.*

Cap. I. De febribus in genere.

Sect. I. Definitio, descriptio, causae, natura, differentiae, prognosis, therapia febrium in genere.

§. 40. Nomine *febris,* quae aliis ab obsoleto verbo *februo* (idem ac expio, expurgo), aliis a *ferbeo* vel *ferveo* (incalesco) derivanda germanico „*Fieber*" originem dedisse videtur, ampla morborum familia insignitur, cujus symptomatum essentiale et eminens unum aestus constituit. Graecis *pyrexia* — a πυρ, ignis — ab ignis sensatione vocatur, inde et *apyrexia* seu absenia febris, *apyretos*, febri non detentus, et *pyretologia*, doctrina de febribus.

J. B. Burserii Institut. med. pract. Vol. I. P. I. pag. 75.
J. Val. ab Hildenbrand Instit. pract. med. T. I. §. 122. 123.

§. 41. Febres morbos sistunt frequentissimos et dignissimos. *Gorter* una, *Sydenhamo* duae tertiae morborum obviorum partes febribus adnumerandae videntur. Constat saltem, illas passim qua morbos, passim qua symptomata numerosissimas omnium adfectionum esse et communissimas, nulla in regione terrarum, nullo climate, nullo anni tempore deficere, et nec ulli parcere sexui, nec aetati, nec corporis compagi, nec vitae temperici. Jam totam constituunt adfectionem, jam aliis junguntur morbis, quos antecedunt, comitantur aut insequuntur, ut vix inveniatur morbi species, quae fe-

brim essentiali vel laterali modo sibi quandoque sociatam non haberet. Quare haud negandum, potiorem generis humani partem per febres immediate aut mediate orci faucibus tradi, adeoque maximam ex febribus obtinere mortalitatem. Ast ex opposito febris et sanationis non raro instrumentum est; constat enim morbos non paucos per febres sanari, et qui omnibus artis laboribus pertinacissime restiterant, interdum per illas sublatos fuisse, atque individua segnis evolutionis fausta cepisse incrementa. Testimonio sunt observationes quotidianae in apoplexiis, paralysibus, epilepsiis, convulsionibus, melancholia, fatuitate, infarctibus, scrophulis, chlorosi, rheumatalgia et aliis. *Hippocrates* ideo, *Asclepiades*, *Celsus* aliique multi non solum, ut morbis superveniat febris, optarunt, sed hanc aliquando et de industria excitandam esse praeceperunt. Prudenter tamen limitandam esse de febrium salubritate sententiam nonnullorum, eamque a febris genere, gradu aliisque tum hujus tum aegri, causarum, aliarumque rerum adjunctis multum pendere, *Werlhofius* (cautiones medicae de limitandis laudibus et vituperiis morborum Hannov. 1743) comprobavit.

Frequentissimae insuper febrium cum malis chronicis saepe effectivis compositiones, complicationes, evidentissima virium vitae reagentium et medicatricium manifestatio in febribus, et necessitas apertissima consilii promte capiendi, therapiae illico instituendae, saepe mutandae, et constanter dirigendae tot sistunt rationes, ex quibus auctores principem in Pathologia et Therapia speciali locum Pyretologiae concedunt, et ab hac communiter ordiuntur.

Riverius Meth. curand. Febrium. Par. 1648.
Senac de recond. febr. natura. Amst. 1759.
Werlhof obs. de febribus. Opp. Vol. I.
Will. Grants Beobachtungen über die Natur und Heilung der Fieber. A. d. E. Leipz. 1775.

Jos. Quarin meth. medend. febrium. Viennae. 1781.

Elsner Beyträge zur Fieberlehre. Königsberg 1782.

J. Chr. Reil üb. d. Erkenntniss und Cur der Fieber. 5 Bde. Halle. 1797—1815. 8.

Fr. W. v. Hoven Versuch einer prakt. Fieberlehre. Nürnb. 1810. 8.

K. H. Baumgärtner üb. d. Natur u. die Behandlung der Fieber, od. Handb. d. Fieberlehre. Frankfurt a. M. 1827. 2 Bde. 8.

Burserius, M. Stoll, Cullenius, P. Frank, S. G. Vogel., A. G. Richter, J. V. & Fr. ab Hildenbrand, Fr. L. Bang in opp. cit.

Fr. Hoffmann diss. de salubritate febrium. Hal. 1702. in Opp. T. VI. p. 160—169.

Fr. X. Mezler üb. d. Vortheile des Fiebers in langw. Krankheiten. Ulm 1790.

C. L. Klose über Krankheiten als Mittel zur Verhüthung und Heilung von Krankheiten. Breslau 1826. 8.

§. 42. Febris praesentiam cognoscere eamque distinguere a simplici sanguinis orgasmo vasorumque sanguiferorum concitatione simultanea, facilis quidem utplurimum est negotii; *quid vero sit febris* definire, medici omnis aevi strenuis hanc in rem inquisitionibus occupati summe arduum persenserunt. Etiamsi enim virorum scientia et arte celeberrimorum complures, *Boerhaave*, ut veteres taceam, *Selle*, *Stoll*, *Reil*, *Hufeland*, *Hecker* aliique acutis de hoc objecto tentaminibus impenderint ingenium, quaestio tamen nondum soluta haeret. Et revera non diversae solum morborum classes, ordines, genera, sed species quoque febribus hinc inde inseruntur; causarum porro et symptomatum numerus ac varietas, formarum proinde differentiae tantae occurrunt, ut natura non omnibus eadem subesse videatur, utque ideo *S. G. Vogel*, et *P. Frank* de logica febris definitione non immerito dubitarint. Nihilominus ad medelam morborum febrilium rite instituendam et perficiendam summi est momenti, non formam febris modo nosse, sed in ejus quoque natura revelanda, quousque possibile, progredi. Medicus theoriae

intentus dum tentaminibus iteratis ad genuinam naturae febris cognitionem penetrandi insistit, praxin colens, utut definitione logica febris destitutus, determinatione interea carere nequit, quae rationi medendi in basin firmam, ipsique praxi in proficuam cedat normam.

§. 43. *Determinatio* talis via empirico-rationali comparatur; ex curata nimirum omnium phaenomenorum, effectuum et sequelarum, dein momentorum causalium *febris purae* ac *simplicis*, qua omnium occurrentium febrium prototypi, collectione, et prudenti comparatione deducitur, et symptomatum constantiorum *summae, nexui ac successioni* superstruitur. Quae quidem non pro essentiae febris definitione, sed pro mera descriptione formae rhetorica habenda.

§. 44. Sunt autem primo *symptomatum* febris essentialium alia continua, alia transitoria, non nulla certis modo stadiis adstricta. *Continuis* adnumerantur: sensus debilitatis, omnium motuum voluntariorum difficultas; silentium instinctuum naturalium excepta siti majore; aestus; cephalea; circulus velox; se - et excretiones turbatae cum immediatis harum effectibus; — *transitoriis*: frigus ejusque comites essentiales.

Symptomata essentialia stadiis variis nonnisi intensitate sua, non essentialia vero insuper numero, sede ac duratione multifariam variant. Numerantur autem cum prodromis inconstantibus *stadia sex*, quae sunt: 1) stad. prodomorum aut initii valetudinis generatim adversae; 2) introitus seu initii propriae formae febris; 3) incrementi; 4) acmes seu consistentiae; 5) decrementi et crisis, et 6) finis febris.

§. 45. *Decursus ipse* generatim est sequens: 1) Solent febris introitum antecedere gravitas capitis, animi indispositio, languor facultatum mentis, corporis ad motum gravitas, cita defatigatio, proclivitas in sudores, lassitudo, artuum dedolatio; somnus turbatus, non reficiens; consortii et rerum alias gratarum fuga; aucta sen-

sibilitas, adfectus ab ansa levissima inamoeni; oppressio epigastrii, dysorexia aut anorexia cum sapore alieno, ore sicco, anima foetente; cutis pallor cum turgore imminuto, pronitas in horripilationes; oculi languidi, physiognomia alienata, morbum instare significans; calor internus; anomaliae quaedam in pulsibus, se - et excretionibus sanis et habitualibus etc.

Haec autem phaenomena quum non modo febribus variis sed aliis etiam morbis haud raro praecedant, nec febris in genere nec cujusdam speciei certi sunt nuncii. Intensitate ac duratione plurimum variant. Quo vehementior febris futura, eo intensiora sunt (*Hildenbrand*); mitissima quandoque et brevissima facile praetervidentur, raro tamen et nonnisi in febribus per noxas violentas subito ortis plane deficiunt.

§. 46. Posteaquam plura illorum aut cuncta aut et alia minus consueta jam per horas solum jam per dies infestarunt, vel interdum subito et absque prodromis ullis 2) febris *intrat* cum *frigore* et *lassitudine*. *Frigus* initio mite, per cutem vage excurrens, breve esse solet, sed pluries redire (horripilatio), dein intenditur, protrahitur, introrsum penetrat, cum tremore, concussionibus motuque musculorum contractorum difficili in horrorem augetur. A nucha, spina dorsi et imprimis a regione plexus coeliaci inchoans, per totum inde corpus diffunditur, aegro quidem soli quandoque perceptibile, communiter tamen et attactu sentiendum, et thermometro confirmandum. Pallet sub frigore cutis, frigidula tangitur, sicca, anserina, collabitur, venae imminuuntur diametro, et fere disparent; livent ungues et labia, artus contremiscunt, dentes conquassantur, fit respiratio molesta, anxia, ceteris, inaequalis, tussiculosa; pectus opprimitur, pulsus frequens, cordis validus, arteriarum vero in extremitatibus parvus, contractus, durus evadit; os siccum, sitis magna, cephalea varia, animi indispositio, delassatio, sensuum omnium hebetudo, gravamina ventriculi, urinae

pallidae, aquosae, largae. — *Lassitudo*, nisi jam praecesserit, utplurimum frigoris febrilis socia, *cum peculiari* verbis non exprimendo *aegritudinis sensu*, cum oscitatione et pandiculatione frequente, animi morositate, insigni ad mentis operationes et motum muscularem segnitie, lecti et caloris desiderio conjuncta est.

Haec phaenomena, utut exordii febrium diagnostica, speciem tamen incipientis febris sola tuto non indicant. Nunc per minuta aut horulam durant, nunc in longius tempus, vix tamen ultra nycthemerum protrahuntur. Vehementiora febris gravior et acutior insequi solet. Sub ipso acutarum decursu frigus febrile non raro repeti observatur, ubi aut invasiones novae, aut exacerbationes, aut characteris mutatio, aut terminationes in mala secundaria contingunt.

Frigori nunc descripto succedit *aestus* varii gradus. Hic initio plerumque cum horripilationibus alternat, dein non interruptus continuat, non sentiendus solum sed et thermometro comprobandus, et, ubi casu rariore frigus non praecesserat, introitum febris designans. Alia symptomatum mox recensitorum mitigata continuant, alia cum frigore essentialiter connexa cessant, novis partim oppositis, utpote quae aestui respondent, supplenda. Etenim cutis arida et sicca nunc intumescere, latius praecipue in genis rubefieri observatur, venae transparente sanguine caerulescentes denuo turgere, spiratio liberior et aequalis, pectus minus oppressum, pulsus haud ita frequens, liberior, cordis minus vehemens, arteriarum plenus, fortis, durus; siccitas oris, sitis, cephalea, lassitudo paullum remittere, oculi vividi splendere, sensibilitas acui, sensus quandoque illudi, unde scintillae, crupsia, photopsia, aurium tinnitus, susurrus, cogitationum perturbatio, lusus phantasiae vivacior, saepe delirium; urina nunc parcior, calens, tincta magis, limpida, cruda, rarius turbidula. Hisce evolutis febris *formam* essentialem est nacta.

§. 47. Hisce sub eminente organorum singularium adfectione adhuc alia eaque diversissima accedunt, formam febris summopere modificantia; cuncta in ulteriore decursu temporibus exacerbationum ac remissionum quotidianarum, morboque 3) increscente (stadio cruditatis), 4) consistente (stadio coctionis), 5) declinante cum aestu febrili simul augentur, sunt, subsistunt, donec febris ipsa (stadio criseos) passu jam celeri post paucas horas, jam lento post dies aut septimanas tandem propriis sub phaenomenis (symptomatibus activis, criticis) 6) penitus tollatur, solvatur, et in convalescentiam, atque per hanc in sanitatem, vel absque omni aut saltem absque fausta crisi in alium (febrilem aut afebrilem) morbum transeat, vel morte terminetur.

§. 48. Stadio *incrementi* forma febris plurimum mutabilis est; stadio *acmes* minor quidem symptomatum mutabilitas, vix unquam tamen plenaria conformitas et constantia. Nunc enim rebus bene cedentibus aliquale jam decrementum cum moliminibus criticis, ipsasque crises praevias evacuatorias animadvertere licet, nunc vero exacerbationes novis cum symptomatibus arduam ab incrementi stadio reddunt distinctionem. Duratio variat, a paucis horis ad dies plures extensa. Brevius hoc stadium in acutis et gravioribus febribus, quam in lentis et levioribus est (ab *Hildenbrand* l. c.).

§. 49. Terminationum dictarum cuilibet utplurimum exacerbatio solennis praecedit, *perturbatio critica* vocata, sub qua vires vitae insurgere videntur, febrisque aut subito aut pedetentim ad faustum vel infaustum perducitur finem.

Ipsum naturae opus, quo febris exitus determinatur, *crisis*, judicatio, — tempus, quo peragitur, *stadium criseos* febris audit.

§. 50. Dari crises a nonnullis negatas, quondam ab *Asclepiade* Bithyno, nuper a *Brunone* circumstantiis accidentalibus adscriptas, easque tum faustas tum infaustas,

jam (quoad evacuationes) apertas jam occultas, et in maximo febrium numero solennes esse (*Hildenbrand* l. c. §. 245), ab omnis aevi observatoribus aeque extra dubium positum est, ac naturam hominis in hoc opere perficiendo *certas* fere *periodos* sequi, crises proinde ipsas sub congrua et non turbata virium activitate *certis* pene *diebus* comparere.

Dies vero *critici* dicti, *Hippocrate* observatore et innumeris aliis testibus, sunt: *periodo quotidiana* primus, secundus, tertius, quartus et quintus; *periodo tertiana* septimus, nonus et undecimus; *periodo quartana* decimus quartus, decimus septimus et vigesimus; subsequi haud ita constantes. Summe solennes eminent *septimus* et *decimus quartus*. Ubi vero natura a normali detruditur tramite, crises diebus quoque acriticis faustas nonnunquam contingere, observatis constat. Rarius crisis subito absolvitur, quam passu lentiori et sub successivo febris decremento procedit.

§. 51. *Phaenomena activa*, quae sub tali febris declinatione, adeoque sub proportionali aestus, sitis, circuli velocis, respirii difficilis, siccitatis linguae etc. imminutione transitum in sanitatem et proxime in convalescentiae epocham comitantur et significant, quarumque partem excretiones certae (criticae) efficiunt sane ponderosissimam, sequentia esse consueverunt: mitigatur aegritudinis sensatio, virium sensus statui praesenti magis respondet, accedunt per vices quies ac somnus; circulus pacatior redditur atque liberior; turbatae interruptae restituuntur se - et excretiones, cutis minus calens, mollis, tractabilis evadit, hinc inde et locis tenerioribus madens, et pedetentim *sudore* universali, calido, vaporoso, largo, multum olente perfunditur; largae minguntur *urinae*, minus tinctae, statim turbidae aut brevi turbandae, sedimentum copiosum, leve, varii coloris dejecturae.

In singularibus febrium speciebus pro organorum

singulorum adfectione primaria vel praedominante, pro charactere febris, individuo aegro, genio morborum regnante et praeter has duas communissimas aliae adhuc *excretiones criticae* occurrunt, uti: *haemorrhagiae*, *diarrhoeae*, *vomitus*, *sputa*, *salivatio*.

Has autem *criticas* esse, *non symptomaticas*, ex inconstantibus et variae significationis prodromis haud ita, quam tunc potius certum habebitur, si *a)* experientia teste characteri febris et aegri naturae et consuetudini, fors ex casibus similibus compertae, respondent; *b)* si in debitum febris tempus, stadium scilicet acmes vel, quod communius, decrementi incidunt; *c)* si requisitae sunt copiae et indolis i. e. non justo parciores aut largiores, et coctae; et *d)* si cum euphoria contingunt i. e. essentialium febris symptomatum conspicuam imminutionem et plenariam cessationem partim comitem habent, partim subsequam.

Adnot. Notiones nominales et reales terminorum: *crisis* et *lysis*, *crisis perfecta* et *imperfecta*, *metaschematismus*, *metastasis bona* et *mala*, ex Pathologia generali hic in antecessum ponuntur. Vid. *Ph. C. Hartmann*, Theoria morbi §. 574—588.

§. 52. Crisis repentina et solennis intra horas modo perficitur, successiva vero in dies, generatim in longius, specialius haud definiendum, protrahitur tempus, quo sub progrediente febris decremento aliquae adhuc exacerbationes utut mitiores fiunt, quas evacuationes morbum aperte levantes, et tandem tollentes, adeoque criticae, sequuntur (ab *Hildenbrand* l. c. P. I. §. 262).

§. 53. *Ordo*, quo symptomata febrilia recedunt ac disparent, non semper idem, quo evoluta et numero ac intensitate aucta fuere, observatur, neque generatim pro certo indicandus. Primo plerumque symptomata periculosa evanescunt, liberiora fiunt sensorium et systema nervosum, redeunt appetentiae sanae, et vires musculares

eriguntur. Ultimo fere pacatur circulus, qui sine febri velocior adhuc manet, levesque per stimulos facile acceleratur (ab *Hildenbrand* ibid. §. 261).

§. 54. Quemadmodum stadiorum singulorum, ita et febris totius *duratio* multum variat; de hac itaque certi nihil statuendum, et id modo memorandum, eandem nunc ad horas paucas, unum alterumve diem, uti in paroxysmis singulis intermittentium, in ephaemera, circumscribi, nunc ad septimanas imo menses, sicut in febri nervosa lenta, in febribus hecticis, extendi; et febribus acutis favente rerum positione commune esse, periodis septimanis aut dimidiatis increscendo acmen consequi, et abhinc decrescere ac judicari.

Symptomaticarum febrium tum acutarum tum lentarum *duratio* magnitudine potissimum et duratione morbi principalis determinatur.

§. 55. Febri sive per crisim sive per lysim feliciter abacta, incipit *convalescentiae* epocha. Per hanc, si non turbatur, nec intercipitur, morbus in sanitatem abit, dum inevitabiles febris effectus et sequelae sensim minuuntur tandemque delentur, et functionum antea laesarum vigor et qualitates ad pristinam revertuntur normam. Ad *effectus* febrium vulgares spectant: lassitudo; vera vitae debilitas, copia, turgorque vitalis sanguinis, volumen corporis imminuta, irritabilitas vero et sensibilitas exaltatae; pallor imprimis faciei collapsae; laxitas cutis, musculorum flaccciditas, macies, magnaque in recidivas proclivitas.

§. 56. Duratio convalescentiae ad plenariam usque restitutionem sanitatis, non accurate definienda, jam valde brevis est, jam in septimanas excurrens. Multum enim pendet a gradu debilitatis morbo, tractamine, casu inductae; ab humorum et totius materiae organicae jactura et mutatis qualitatibus, constitutione, aetate, etc. aegri; diaeta, regimine; anni tempore ac tempestate, genio stationario, aliisque potentiis bene multis.

§. 57. Nec tamen in omni febri, nec in febri eadem *semper* observare licet naturae conamina in secundam ejus solutionem tendentia. Dantur enim febres, quae natura sua cursu rapido et modo fere non refraenando vel in mortem ruunt, uti pestis, nonnunquam et typhus nosocomialis, febris puerperalis etc., vel in mala posthuma desinunt, uti febres exanthematicae, intermittentes etc.; dantur, in quibus constitutio mala aegri, indoles aut vehementia causae, complicationes, therapia neglecta, perversa, aut aliae circumstantiae minime faventes crisim praepediunt.

§. 58. Febris non, vel infauste judicata typum aut characterem mutat (μεταπτῶσις), vel in morbum alium dynamicum sic dictum aut materialem transit (διαδοχή). Id quod utut stadio acmes frequentius accidit, stadiis tamen incrementi et decrementi aeque fieri potest. Mutationes ipsae ac transitus multum varii sunt, et cum aliqui singulis febris speciebus prae aliis competant, sub harum expositione aptius memorabuntur.

§. 59. Mortem febris directe inducere valet modo vario dynamico et materiali; dynamico: virium suppressione, in praeparandis et efficiendis crisibus impedimento ac paralysi universali, vel intensione nimia et subsequa exhaustione, vel defectu et insufficientia quandoque subito et inopinato irruente (*malignitate*); — modo materiali: prava humorum miscela et dissolutione, vel circulo inaequabili, congestione, extravasato in organis nobilibus per secretionem metastaticam aut vasorum diaeresim facto, vel viscerum insigniorum suppuratione, gangraena, desorganisatione multiplici. Indirecte malis posthumis antea memoratis intercedentibus mors inducitur.

§. 60. Conferunt ad lethales febrium terminationes 1) organismi mala ante febrim dispositio quoad vires vel quoad materiales organorum singulorum praesertim nobilium conditiones; 2) causae febrim generantes graves, nec organismi viribus amovendae, aut enervandae, nec

ante vincendo; 3) singulorum symptomatum vehementia, indoles, sedes infensae; 4) complicationes et compositiones graves, decursum anomalum reddentes; 5) concursus circumstantiarum inimicarum, ut: curae necessariae neglectus, et methodi ac remediorum insufficientium, perversorum adplicatio etc.; et 6) crises infaustae, erroneae (*Hildenbrand* l. c.).

§. 61. Ex quibus sponte fluit, cadaverum febri enectorum sectionibus rationem mortis jam nullam detegi posse, jam luculentas humorum organorumve vitiatorum mutationes inveniri, mortis apoplecticae, suffocativae, aliusve causam materialem offerentes.

§. 62. *Dispositionem in febrim generatim* continent irritabilitas universim magna, praesertim in corde et systemate arterioso eminens, magna systematis nervosi sensibilitas, animi mobilitas, quibuscum assimilatio et humorum motus aeque ac materiae organicae formatio et decompositio vividiores, rapidiores facileque mutabiles, compages corporis tenera, imbecillis, cutis mollis, tenuis, sensibilis, parietes vasorum tenues etc. plerumque junguntur. Hinc et infantes, adulti utriusque sexus temperamenti sanguinei, puellae ac foeminae sub periodo menstrua, convalescentes ex febribus, minore occasione in febres aguntur, quam senes, viri robusti, homines inertes, phlegmatici. — Dispositio *in varias febris species* insuper in praedominantibus systematum vel organorum singularium irritabilitate, teneritudine, sensilitate invenienda suo loco memorabitur. Specialem hoc intuitu, considerationem sibi cutis, systema nervosum, gastricum et respiratorium exposcunt, utpote atria, quibus actiones plurimarum noxarum febrim excitantium immediate suscipiuntur, quorumve in sinu saepe prima febris germina foventur.

Causae occasionales s. excitantes febrium sunt *generales*, febri generatim, et *speciales*, singulis ejus speciebus producendis exclusive vel praecipue pares; cae-

terum *epidemicae*, *endemicae* et *sporadicae*; *externae* ac *internae*; modo jam materiali mechanico aut chemico, jam immateriali, nunc in corpus nunc in animam potissimum activae. Speciales in pertractatione specierum infra nominabuntur; generales, quarum hic solum mentio fit, numerosae et indolis multifariae in *externas* ac *internas* possunt dispesci. Consistunt partim in potentiis nocentibus, partim in morbis morborumque productis; et febres generant actione topica aut universali, modo passim idiopathico passim sympathico (per consensum et antagonismum), dum *vel* per validam nimis concitationem positivam, *vel* per copiam humorum absolute aut *relate ad vasa sanguifera* auctam, *vel* per crasin illorum alteratam, adeoque per stimulum naturalem sanguinis intensiorem redditum, *vel* per functionum variarum, praecipue cum humorum motu, assimilatione, sanguificatione nexarum imminutionem, suppressionem (ergo modo antagonistico aut vicario), motus cordis et totius systematis sanguiferi ultra gradum normalem eo excitant, ut hujus systematis influxus tam in se- et excretiones, digestionem et chylificationem, in nutritionem universalem, quam in systematis nervosi functiones essentialiter mutetur, omnesque istae limitentur, deprimantur functiones. Generalibus *externis*, jam idio- jam sympathice systema circulatorium feriendo, febrim facientibus accensentur: aër atmosphaerae et cubilium justo siccior, humidior, calidior, frigidior, quoad temperaturam repente, multum, ac frequenter varians; impurus ab effluviis variis mineralium vegetabilium, animalium, uti ab odoramentis diversis, vaporibus carbonum et lithantracum, miasmate paludum, mephiti carcerum, navium, nosocomiorum hominibus nimis refertorum, contagiis; vis ventorum multiplex; constitutiones aëris epidemicae (praeter qualitates nominatas ab ignota adhuc prava principiorum miscela et sine dubio ab electricitatis ratione plurimum pendentes), quae dum febres febriumque formas decursum et terminationes pro-

prias faciunt, aliis morbis intercurrentibus et sporadicis, febrilibus et afebrilibus simul peculiares impertiuntur modificationes; cibi, potus, pharmaca quantitate nimia, qualitate stimulante, irritante, calefaciente etc. peccantia; venena irritantia, inflammantia, arrodentia; corpora varia partibus externis, internis variis admota premendo, contundendo, pungendo, scindendo, distorquendo, lacerando irritantia, laedentia; validissima infusionis et transfusionis sanguinis actio; — *internis* (ex quibus morbi nominandi symptomaticarum febrium fontem sistunt) adnumerandae sunt: momenta quaevis systema circulatorium idiopathice vel sympathice (vi consensus aut antagonismi) nimium concitantia, quemadmodum cordis arteriarumve imprimis majorum laesiones, phlogoses, partiales indurationes, suppurationes, ulcera, aneurismata, angustationes; sanguinis abundantia, congestio localis, rarefactio magna, dyscrasiae (a corruptis cibis, potibus, aqua, aëre, a nutrimentorum defectu, humorum jacturis etc.); humorum se- et excretoriorum uti muci, bilis, urinae, nec non faecum aliarumve materierum excernendarum retentio, accumulatio, aut decompositio, corruptio aëris; puris accumulati, sanguinis extravasati ichorosa degeneratio; haeterogeneorum intus generatorum, uti calculorum, vermium, imo partium organicarum mole, pondere, duritie, extuberantia peccantium actio; morbi omnes magna cum adfectione sensus communis juncti; processus evolutionis a norma deflectentes; functionum cutis, organorum respirationis, gastricorum, se- et excernentium etc. restrictio, suppressio; — musculorum motus nimii, labores nimis protracti, duri, aut non consueti; adfectus animi vehementes, facultatum mentis intensio, valida pervigilio, phantasia irrequieta, studiis ac meditationibus protractis inducta.

§. 63. Expositis nunc febris per stadia singula phaenomenis, dein ejus effectibus, sequelis uti et causis, pro

illius definitione aut descriptione saltem characteristica patent sequentia:

1) Phaenomena partim intensiorem, partim imminutam virium vitalium concitationem, illam in systemate circulatorio, hanc tam in caeteris assimilationis et productionis organicae partibus, quam in systemate nervoso, speciatim in functionibus animalibus, naturalibus et sexualibus designant. — 2) Effectus febris simultanei conformiter cum phaenomenis partim in alterata sensatione ac reali temperatura, valida et accelerata cordis arteriarumque actione, et humorum proinde vehemente aut saltem veloce circuitu, orgasmo (hinc rapido processu mixtionis et assimilationis atque decompositionis), siti; partim in disproportionata se-et excretionum imminutione, suspensione, anorexia et apepsia, nec non in systematis nervosi et muscularis voluntarii languore, suppressione, hinc sensuum hebetudine, anomaliis, animi depressione, indifferentia, mentis debilitate, voluntatis inertia, impotentia, actionum animae et corporis i. e. functionum voluntariarum segnitie, inconstantia, observantur. — 3) Effectus pariter subsequi partim virium circulum humorum efficientium, sustinentium defatigatione, exhaustione, circuitu humorum debili, inaequali, congestionibus, extravasatis, praevalente decompositione, augmento se-et excretionum cum qualitatibus se-et excretorum alteratis, nutritione restricta, pallore, macie, partim systematis nervosi ac muscularis debilitate vera, et utriusque nec non animae functionum jam segnium jam acceleratarum anomaliis, gradu, successione, duratione plurimum variis palam fiunt. — 4) Momentum causae ad febres disponens in excedente irritabilitate universali ac praecipue cordis et arteriarum cum processus assimilationis, se- et excretionum majore alacritate ac mutabilitate haeret; momenta excitantia in stimulis ac irritamentis variis ex- et internis systema circulatorium jam immediate, jam systemate nervoso aut cutaneo, aut respiratorio, aut ga-

strico, aut sexuali etc. mediantibus, jam directe jam indirecte ad reactiones, intensitate ac extensione aut saltem alterutra nimias, provocantibus inveniuntur; — proinde 5) in febri omnia quidem organismi systemata tam respectu functionum quam mutuarum ad se invicem relationum a norma deflectunt, eminenter tamen et constantissime systema sanguiferum adfectum est; hujusque adfectiones non qua dynamicae solum (utut istae praevalere initio conspiciantur), sed materiales simul sanguinis ipsius humorumque se- et excretoriorum manifestantur, caeterum jam substantivae, jam dependentes, symptomaticae occurrunt; quibuscum nec reliqua et omnis assimilatio et reproductio, nec systematis nervei inprimis cerebralis functiones illaesae possunt manere.

§. 64. His reflexionibus ductus non absonum a vero esse censeo, *febrim* declarare *morbum universalem, in praevalente systematis circulatorii irritatione cum sanguinis mixtione debito celeriore ac vitiosa consistentem*, et *a frigore ac lassitudine spontanea ordiri, cum aestu subsequo, siti, circulo veloce, se- et excretionum, adpetentiae, digestionis, functionumque voluntariarum turbis, magna sub eorundem versatilitate, acute decurrere, et in crises repentinas niti solitum.*

§. 65. Febrim, sive substantivam sive symptomaticam, sistere morbum sive adfectionem *universalem*, ex phaenomenorum ejus essentialium mox descriptorum extensione per omnia organismi systemata demonstratur. — In quantum febris *remedium naturae medicantis* haberi possit, inferius examinabitur. — *Irritatio systematis sanguiferi* nec unicus quidem est nec per se sufficiens, attamen adeo pathognomonicus febris character, ut eo deficiente de febris praesentia nil constet; ab irritatione *cum sanguinis mixtione nimis rapida et incongrua* omne symptoma essentiale ab exordio febris ad finem usque suam trahit originem nunc immediatam nunc mediatam;

et conceptus irritationis dictae ad febris naturam cum probabilitate indicandam omnino facit.

§. 66. Irritationem pro firmanda febris diagnosi essentialem esse, ex eo illucescit, quod in statu orgasmi humorum, circuli accelerati et caloris aucti ab epulis lautioribus, a potu spirituoso, aestu atmosphaerae, animi corporisve motu intensiore etc. febris praesentiam, nisi voce pro arbitrio abuteretur, nemo defendit, quousque phaenomena dicta *simplicem* modo *concitationem auctam* i. e. activitatem vasorum sanguiferorum aequabiliter intensam et acceleratam, sanguinisque expansionem majorem constituunt, cui signa deficiunt sublatae, quae sano in statu inter systema circulatorium (hic nimis concitatum) et nervosum (hic languens), inter illius vasa sanguifera (hic nimis activa) et se- et excretoria nec non organa gastrica (in functionibus suis impedita) obtinet, harmoniae; nam in concitatione simplice per omnem alioquin consuetim brevissimam ejus durationem non delassatio cum proprio aegritudinis sensu, non frigus speciatim, non se- et excretionum, adpetentiae et digestionis turbae, quemadmodum in febri, animadvertuntur. Transire autem similem concitationem, dum vehemens est et protracta, in morbum posse cum febri, nemo ibit inficias.

§. 67. Irritatio, status irritativus in genere pro sede agnoscit organa irritabilia, i. e. ad praestandos motus vitales ad spatium manifestos, voluntarios aut involuntarios, idonea. Est ipsa *actio vitalis* ejusmodi organorum aut partium ea constituentium *in communes aliorum impensas aucta*, adeoque nimia, morbosa, motu excedente conspicua.

Supponit potentiam in nervos organi irritabilis aut partis ejus modo mechanico, chemico, aut dynamico-organico nimium agentem, irritantem. Juxta legem conservationis individui, quae vitae organismi partiumque ejus certo gradu substantivae et spontaneae acquiescit,

actionem talem effectus sequitur duplex, directione duplici et opposita: reactio contra potentiam irritantem, simulque intensionis virium ab ista sollicitatae propagatio ad vicina, et pro minoris majorisve consensus vigore ad remota quoque organa. Illa extrorsum, haec introrsum dirigitur; illa qua repugna partis viventis versus irritamentum absolute aut relative externum, haec qua coacta organorum tam vicinorum quam remotorum concitatio consideranda est, jam ad exiguam circumferentiam restricta, jam latioribus plagis, organis, imo systematibus nunc lente nunc cito communicata.

Quaevis irritatio morbosa essentialiter in sublato harmonico virium inter organorum partes, organa, aut imo systemata, quibus sensationes ac motus perficiuntur, in communem ac totam illorum functionem concursu radicatur; actione partium mobilium nimia manifestatur, sensibilium passione. Testantur id, quae illam circumdant, phaenomena. Vasorum enim in parte quadam, cordis vasorumque sanguiferorum irritatorum motus fortior, celerior, hujusque effectus varii, quemadmodum humorum orgasmus, congestio, largior ibi, hic parcior aut plane cohibita se- et excretio nimiam illorum activitatem designant; ingrata vero sensus communis adfectio, instinctuum fere omnium silentium, facultatum cogitandi ac volendi languor, motuum voluntariorum inertia, inconstantia, cita defatigatio ibi nervorum partis irritatae hic totius systematis nervosi passionem exprimunt praevalentem.

Activitas nimia quaelibet excitationem virium in organis systematibusque vicinis et consensu junctis, suppressionem vero et detractionem in remotis et ad functiones diversas destinatis comitem habet. Quo validior igitur virium in illis intensio eo major earundem in his est suppressio, derivatio; quo diuturnior illa, eo facilius haec in veram abit exhaustionem; quo moderatior e contra aut brevior ibi virium intensio, eo certius ac citius hic suppressarum libertas pristinusque restituitur vigor.

§. 68. Haec ad theoriam febris ejusque symptomatum transferri sequenti ratione possunt: Insignis cordis arteriarumque irritabilitas, et amplissima functionum extensio rationem offerunt, ex qua irritatio notabilis, ubicunque etiam extra systema circulatorium primario generata, systemati sanguifero facile communicatur, et communicata tam immediate per motum sanguinis auctum, orgasmum, nec non indolem irritantem, quam per nervos in totum diffunditur organismum. Si adeo intensa est aut continua, ut suppressionem vel derivationem vis nerveae praesertim, ut videtur, systematis gastrici et nervosi altioris antagonistice efficiat, non solis orgasmi sanguinis, sed febris quoque symptomatibus stipatur; quae nimirum partim ex intensiore et celeriore systematis sanguiferi activitate sanguinisque mutatione, partim ex primaria virium nervearum organismi reliqui derivatione, debilitate, dein partiali suppressione proficiscuntur. Prioribus speciatim aestus, circulus humorum velox et intensus, eorundem orgasmus, turgor vitalis ruborque partium externarum adaucti, se- et excretionum restrictio, sitis, cephalea, pervigilium adnumerantur; posterioribus autem delassatio spontanea cum peculiari aegritudinis sensu, frigus initium febris comitans, functionum voluntariarum tum animae tum corporis languor, inertia, sic et anorexia et apepsia accensentur.

Frigus solutae inter systema sanguiferum et nervosum harmoniae et superati nervosi i. e. ex activo in passivum statum recedentis significare initium videtur; *frigus cum calore intercurrente alternans* luctam inter utrumque systema adhuc vacillantem; *aestus* dein *perstans* superato systematis nervosi renisu, factaque virium sanguiferi adhuc praepeditarum explosione, istius nunc praevalens dominium in nervosum (normali nunc inter utrumque harmonia sublata) indicare; *lassitudo spontanea* virium systematis nervosi cerebralis, medullae oblongatae et spinalis vel debilitatem ex derivatione, vel

suppressionem; *anorexia* et *apepsia* derivationem virium ab organis digestioni dicatis, suspensasque in iis normales secretiones; *sensus interni hebetudo* commemoratum cerebri ac nervorum adfectionem impensasque aliorsum vires corporis nimium intensas; *circuli velocitas et intensitas* nimiam systematis sanguiferi activitatem cum humorum orgasmo, *se- et excretionum parcitas* aut *suspensio* ac *disproportio* sanguificationem prae se - et excretionibus praevalentem, spasticamque ab irritatione vasorum se - et excernentium contractionem; *sitis* obortam inde oris fauciumque siccitatem et instinctus augmentum rationi sanguificationis correspondens; *cephalea* impetuosam vasorum sanguinisque ipsius actionem in cerebrum, *pervigilium* tandem continuam animae per recensitas in corpore turbas concitationem — pro rationibus suis agnoscunt.

In solitis singulorum febris symptomatum *exacerbatione* vespertina et nocturna, atque *remissione* matutina et diurna, nonnisi typum quotidianum typo solari quotidiano duplici, diurno et nocturno, respondentem, alternantis inter systema sensitivum et reproductivum praedominii contemplari licet; vires porro nerveae functionibus animalibus dicatae de die per tot potentiarum actionem saltem pro parte derivatae de nocte omnes in morbosam systematis sanguiferi reactionem abripiuntur, ibique impenduntur; praeterea omnem virium intensionem processui vitali junctam defatigatio periodica concomitatur.

Intermissionum ratio ex his generalibus nondum intelligitur, sed in specialioribus adhuc systematum, probabiliter gastrici ad circulatorium, relationibus, necdum perspectis, quaerenda esse videtur.

Crises ab incitationis in systemate circulatorio nimiae magna remissione, ab harmoniae hoc inter et apparatum vasorum se- et excernentium sublatae restitutione, a redeunte virium systematis nervosi derivatarum, suppressarum libertate et energia, nec non a processus

morbosi in ipso sanguine vigentis terminatione et producti morbosi partim assimilatione partim eliminatione, haud difficile explicantur. (Conf. *Hartmann* l. c.)

Viribus in systemate nervoso diu subpressis, in sanguifero per concitationem validam aut diuturnam, aut aliam quamcunque rationem debilitatis, facile concipitur *characteris febris mutatio*, ex activo originario, aut subinflammatorio aut inflammatorio in passivum speciatim *nervosum* transitus; momento utroque concurrente cum processu in sanguine decompositionem istius moliente character passivus *putridus* seu *colliquativus* generari videtur.

De *malorum posthumorum genesi* dysharmonia functionum nobilium universalis maxima, multiplex, harmonici pro iis restituendis concursus impedimentum, interceptio, morbosi in humoribus processus exaltatio nimia, reditus ad normalem debito segnior, inaequabilis, inhibitus, interruptus congruam suppeditant ideam.

§. 69. Quodsi itaque febris qua morbus universalis spectatur cum eminente systematis sanguiferi irritatione, ipsiusque sanguinis mixtione alienata, *essentia* febris *partim* in organismi per systema sanguiferum nimis concitatum reactione versus irritamentum quoddam cum tendentia illud aut expellendi aut subigendi, *partim* in turbato inde hujus et nervosi atque gastrici systematis concursu harmonico in vitam individui conservandam, invenienda erit.

Hac idea non solum, quod naturale et benificum in febri est, sed etiam morbosum et toties noxium, clare exprimitur, febrimque, utut cum salutari naturae conamine conjunctam, non tamen in hoc solo consistere totam, ostenditur. Per omnem enim febrim finis vitae individualis plus minusve limitatur aut periculo subjicitur, saepe tamen per causas aut morbos febrim provocantes magis periclitaretur, nisi istos et illas per motus febriles coërcere, mutare, solvere, mitigare atque eliminare contingeret.

§. 70. Praecipuae, ab omni aevo prolatae, de natura febris in genere sententiae regnanti theoriae medicae respondentes, pro maximo numero multum ab illa abludunt, paucissimae solum aliquatenus concordant. (Conf. *ab Hildenbrand* §. 369—398.)

Sic philosophis graecis, *Galeno* ejusque pedissequis *natura febris* in cordis et vasorum morbosa alteratione per diversas humorum qualitates pravas (illis praecipue per bilem, huic per putrescentiam) consistebat. Inde stadia cruditatis, coctionis et crisis resolutoriae, evacuatoriae et depositoriae s. metastaticae denominata sunt. — *Paracelsus* principium sulphureum in corpore abundans, *Sylvius* et *Willisius* effervescentiam humorum, *Borelli* fermentationem in fluido nerveo, — *Chemiatri recentiores* combustionem aut processum huic analogum in humoribus qua causam febris proximam statuunt.

Fernelius et postea *Fr. Hoffmann* rationem febris in alterata potius solidorum conditione quaerunt; — *Cullen* speciatim in spasmo vasorum superficiei minimorum, ab organorum superficialium debilitate profecto; — *Juncker* in aucta cordis et vasorum irritabilitate, imminuta nervorum energia; — *Doser* in irritabilitate inaequabili, aucta in organis functionum involuntariarum, imminuta vero in illis voluntariarum.

Bruno et Incitabilistae in incitatione debilitata; *C. W. Hufeland* et *Sprengel* in reactionibus morbose validis omnis vitalitatis irritatae consistere naturam febris defendunt.

Sydenham ad mentem *Hippocratis* advertit, inordinatam massae sanguineae commotionem febris seu causam esse seu comitem, a natura concitatam, ut vel haeterogenea quaedam materia in eadem conclusa ac ipsi inimica secernatur, vel sanguis in novam aliquam diathesin immutetur. (Observ. med. etc. Sect. I. cap. 4.) — *Boerhaavio*, qui aphor. 573. velociorem cordis contractionem pro causa febris proxima habet, febris est affectio vitae,

conantis mortem avertere. — Similiter *Stoll* (aphor. 7) omnia febris phaenomena derivanda esse censet ab irritabilitate cordis aucta, exstimulata a quocunque demum stimulo, et vitae sic irritatae conatu adversus stimulum inimicum. — *P. Frank* (epitom. L. I. §. 3.) quaerit, num febris dici mereatur affectio irritatae per inconsuetum stimulum, reagentisque naturae, cum laesa abhinc functione aliqua? — *Hildenbrand* (l. c. §. 406.) causam principem febris morbi deputat in morbosa haerere simultanea reactione omnium vitae virium versus stimulum morbificum, languentibus inde facultatibus nervorum, ad graviores occupationes adtentorum. —

Zang (Darst. blut. heilk. Operat. 3. Aufl. T. I. S. 103.) omnem statum febrilem pro morbi alius symptomate vel effectu habens, febrim declarat esse vis naturae medicatricis quocunque morbo exstimulatae, plus minusve in- aut extensive magnae conatum, tendentiam, vitam morbo, essentiali febris causa, periclitantem ab interitu salvandi. — *Gruithuisen* (med. ch. Ztg. 1823. B. 3 S. 94.) pariter febrim sicut inflammationem esse activitatem salutiferam, merum semper symptoma defendit, quo natura morbum oppugnat. — *Broussais* imo omnem febrim inflammationum localium frequentissime gastro-enteritidis symptoma et effectum esse, serio declarat.

Multifariae aliorum adhuc hypotheses de febris natura cum una alterave recensitarum in essentialibus conveniunt. Juxta ideam superius prolatam omnes mancae sunt et partiales, vel solos humores, vel partes solidas nimium respiciendo, vel conamen salutare aut exclusive aut aequo majoris aestimando et, quod morbosum simul intime unitum est, postponendo. Veritati, ut videtur, *P. Frank* et *Hildenbrand* inter caeteros proxime accesserunt.

De differentiis febris.

§. 71. Indicatam mox febris *naturam*, et essentialia symptomata superius §. 44 etc. descripta considerando,

febrim modo *unam* statuere licet, cui et prototypus et decursus determinati competunt. Senserunt id jam *Elsner*, postea *Vogel*, *Baldinger*, *Marcus*, *Conradi*: Spectata vero *forma* febris tota in casibus obviis, nequaquam una eademque ubivis occurrit, sed *multifarias* potius *differentias* exhibet, cum in diagnosi et prognosi exactis et completis, tum in therapia summopere attendendas, quum non febris in se spectata, rarissime febris pura et simplex, communissime vero multiplices febris formae (species et varietates) objecta praxeos medicae constituant.

§. 72. Quae ad totam febris formam mutandam faciunt basimque pro speciebus ac modificationibus ejus statuendis suppeditant, potentiae ac circumstantiae multifariae sunt, et *differentiae* febris per illas inductae majoris minorisve momenti. Omnium differentiarum princeps febris *charactere* fundatur i. e. statu virium vitalium cum essentialibus febris symptomatibus reliquo in organismo vigente, humorum conditione, hujusque et illius in febrim ipsam influxu; — sequuntur aliae, a connubio febris, ab eminentibus symptomatibus, decursu ac duratione, ab origine, causis excitantibus, et a relatione tam ad aegrum ipsum quam ad alios homines profectae.

§. 73. Notandae igitur *differentiae formarum febris* sunt:

1) Pro *charactere* in *inflammatoriam*, *putridam* et *nervosam* febrim. — *a*) *Inflammatoria*, *inflammatoria simplex* (f. irritativa, f. characteris inflammatorii) ea dicitur, in qua irritatio systematis circulatorii cum symptomatibus ejus essentialibus principalem morbi statum sistit, et praevalentem influxum in mutandum sanguinem, qui coagulabilior evadit, in se- et excretiones, et in modum turbatarum systematis nervosi altioris functionum exercet. — *b*) Febrim *putridam* (characteris putridi, f. colliquativam) ea constituit, in qua irritatio systematis sanguiferi in relatione mutua cum nisu humorum in dissolutionem, et cum vera in reliquo organismo debilitate

adest; quare quo magis haec virium humorumque conditio praedominatur, eo magis concitatio circuli morbosa non imminui solum et ad accelerationem restringi, sed imo deesse observatur. — *c*) In febri *nervosa* (f. char. nervosi) irritatio systematis sanguiferi, sine humorum dyscrasiae notis cum eminenti cerebri et caeteri systematis nervosi animalis adfectione, et cum vera debilitate universali conjuncta adest, hoc proinde cum statu vel aequali passu incedit vel per eundem ea ratione, qua hic perstat aut ingravescit, mitigatur, intercipitur, aufertur.

Haec febris distinctio pro triplici charactere omnibus caeteris anteponenda, cum omnis febris, seu substantiva aut symptomatica, seu continua aut intermittens, gastrica, biliosa, catarrhalis, rheumatica etc. *unum* ex his characteribus semper gerat, quin tamen eundem v. gr. inflammatorium semper toto decursu secum ducat. — Notatu tamen dignum est, horum characterum quemlibet a mitissimo ad summum adesse gradum, eorum confinia sese contingere, modo vix perceptibili unum transire in alterum, nec non alternare singulos posse. — Primus gradu levissimo saepe character *activus*, aut *irritativus*, aut *febrilis simplex* specialius adpellatur.

§. 74. 2) Pro febris *connubio* cum insigni systematis cujusdam adfectione aut cum morbo altero: in febres *simplices* et *compositas*, *puras* et *mixtas seu complicatas*. — Stricte *simplex* non nisi febris inflammatoria simplex nominari meretur; *composita* omnis, quae cum eminente systematis aut organi cujusdam adfectione nexum fovet causalem v. gr. febris cum inflammatione locali: f. *inflammatoria*, *synocha*; cum nisu humorum in dissolutionem et debilitate vitali: f. *putrida*, *synochus*; cum praevalente systematis nervosi adfectione et cum debilitate: f. *nervosa*; cum praecipuo systematis gastrici morbo: f. *gastrica* varia; cum catarrho: f. *catarrhalis*; cum rheumatismo: f. *rheumatica*. — Compositiones tales

mox ex eadem, quae febrim generat, causa, imprimis favente systematis aut organi dispositione, mox utut rarius, ex febri qua symptomata proficiscuntur, mox ipsae primariae fontem febris sistunt symptomaticae, effectivae. — *Pura* febris dicitur sine omni morbo laterali, sola existens, *mixta* aut *complicata*, quae cum uno aut pluribus morbis lateralibus in individuo occurrit.

§. 75. 3) Pro *gravibus*, quae eminent, *symptomatibus:* in febres cephalalgicas, emeticas, sudatorias, comatosas etc. — Utut id generis symptomata respicere magni sit momenti, haec tamen distinctio febris exiguae utilitatis est.

§. 76. 4) Pro *decursu* et *duratione:* in *continuas* et *intermittentes; acutas* et *lentas* illarumque rursus in acutissimas, peracutas, acutas et subacutas; *breves* et *longas seu chronicas; regulares* et *irregulares.* — *Continuae continentes*, quae nonnisi mane parum mitescant, rarissimae sunt et quidem inflammatoriae solum ac putridae, caeterae cunctae *continuae remittentes* audiunt; *intermittentes* seriem paroxysmorum offerunt cum apyrexiis alternantium. — *Acutae* intra sexaginta dies, et quidem acutissimae intra 5, peracutae intra 6—14, simpliciter acutae intra 15—28, subacutae intra 60 dies terminari dicuntur; quae ulterius excurrunt, *lentae*, *chronicae* vocantur. — Divisio ista, quum ex febris charactere petita non sit, in prognosim potius quam in therapiae essentialia influit.

§. 77. 5) Pro *origine:* in *idiopathicas* et *sympathicas; substantivas* et *symptomaticas; primarias* et *secundarias.* — *Idiopathica* febris est, quae causa occasionali systema sanguiferum immediate adficiente; *sympathica*, quae per causam morbificam systema sanguiferum mediante organo aut systemate alio, sympathice juncto, tentantem generata est. — Febris *substantiva*, aliis essentialis, i. e. febris qua *morbus* per se existens, ea est, quae, potentiis systema sanguiferum sive immedia-

te sive mediate ferientibus progenita, totum morbum sola constituit, nec ab altero pendet. Occurrere qua talis potest febris inflammatoria, putrida, nervosa, intermittens, catarrhalis, rheumatica. — *Dependens, symptomatica* phaenomen, partem alterius morbi sistit, uti febris suppuratoria, depascens, arthritica, verminosa, vulneraria, item saepe inflammatoria, biliosa, saburralis, catarrhalis, rheumatica. Differentia substantivam inter et symptomaticam febrim non a natura sed unice ab origine diversa pendet, quae in symptomatum indolem, in decursum, durationem et rationem eventus omnino influit, adeoque ad prognosim etiam et therapiam facit, quemadmodum febris suppuratoria comprobat. Notandum insuper, febres symptomaticas nonnullis morbis *essentiales* esse, uti encephalitidi, pneumoniae, gastritidi etc., traumaticis, phthisi pulmonali, hepaticae etc., aliis solum *accidentales* i. e. certo solum intensitatis ac extensionis illorum gradui, certoque stadio adhaerentes, ut: hydropi, chlorosi, scrophulis, scorbuto, et plerisque morborum speciebus. — Febris *originaria*, primaria, et *secundaria*, derivata quid sit, vi vocis intelligitur.

Nota: Febres substantivas, incongrue essentiales dictas, *Zang* (Darstell. blut. heilk. Operat. 3. Aufl. Th. I. S. 102.), *Fages, Broussais, Gruithuisen* aliique negant, omnem febrim pro alterius morbi symptomate et effectu declarantes. Sententia haec partim observationi febres symptomaticas reapse frequentissimas, rariores substantivas, rarissime tandem has simul idiopathicas et puras esse, partim praetermissae, quae sympathicam et symptomaticam febrim intercedit, differentiae suam debere videtur originem. De *febrium* autem *substantivarum existentia* vix dubitare poterit, qui secum reputaverit, 1) in febribus compositis adfectionem organi unius, aut plurimum simul, aut systematis unius non semper prius atque ita inferri, ut febrim producere valeret, sed nunc cum febri simultanee oriri, v. gr. ex refrigerio in-

tenso et universali, nunc ex febri prius generata qua symptoma et effectus ejusdem proficisci; 2) febrim ex diathesi universali cum epidemica tum sporadica non raro evolvi ita, ut momentum occasionale vix in censum vocari queat, quemadmodum *Spitta* explanavit, et *Sydenham* (observ. med. etc. Sect. 6. cap. 1.) delineatione febrium epidemicarum complurium ac *Stoll* (aphor. 340. etc.) descriptione febris biliosae aestivae epidemicae abunde evicerunt; 3) tandem ipsas febres symptomaticas eodem prorsus modo, ac alia variorum morborum symptomata, fieri substantivas, quoties morbi in organis aut systematibus residentes et cum febri symptomatica juncti cessant, febris autem primario ab illis profecta nunc absque illis, sola, et nonnisi cum phaenomenis atque effectibus sibi propriis persistit. Hujus generis casus praxis medica non paucos offert.

§. 78. 6. Pro *momentis causae excitantibus:* in *pandemias* et *sporadicas*, et illarum denuo in *epidemicas* et *endemicas* febres. — *Epidemicae* causis communibus, per provincias, regiones ac urbes expansis, non persistentibus, generantur, v. gr. tempestate admodum frigida, calida, continua humida, et perquam variabili, aliisque atmosphaerae qualitatibus tum sensibilibus tum per effectus modo cognoscendis; miasmatibus per infectionem aut contagionem; annonae penuria, mala frugum qualitate; imo animi adfectibus et pathematibus, quemadmodum bello in viciniis saeviente. Distinguendae sunt ultro quae ab atmosphaerae constitutione ortum ducunt, in epidemicas *stationarias* et *annuas*. Illarum character proprius pluribus dominari consuevit annis, paulatim increscit, viget, decrescit, cessat, alteri alius indolis subnascenti locum et dignitatem concedens. (*Stoll* aphor. 27.) — Quoad annuas sequentia notentur: Certae aëris conditiones, quae cum certis anni temporibus periodice recurrere, certumque eorum stadium explere solent, certas valent diatheses organismo inducere, et ubi causae

occasionales febrium simul egerint, morbos febriles intendere et evolvere. Inde diatheses aeque ac febres distinguuntur *hiemales*, *vernales*, *aestivae* ac *autumnales*. Constitutione atmosphaerae temporibus anni congrua, regnare hieme ac primo vere febres inflammatoriae, aestate vigente et inchoante autumno biliosae, vere adulto, autumno provecto et initio hyemis catarrhales, rheumaticae, pituitosae, nec non intermittentes observantur. Dum *vere* organa respiratoria, *autumno* gastrica potius adficiuntur catarrho, pituita etc., ibi nota inflammatoria hiemis praegressae, hic biliosa aestatis elapsae consociata invenitur. *Stoll* (aphor. 37.) ex annuis quasi principes et *cardinales* febres declarat inflammatoriam, biliosam, pituitosam, itemque intermittentem, quarum singulae (quoad characterem principalem) tam late patent, ut innumerae aliae febres ad aliquam ex hisce reduci possint, ad eam videlicet (aphor. 38.), quacum major adfinitas et analogia intercedit. — *Febres epidemice intercurrentes*, ex vocis significatu concipiuntur. Genii stationarii et annui pariter experiuntur dominium. *Endemicae* causarum effectum sistunt domesticarum i. e. a certis circumstantiis localibus pendentium, certisque locis ac regionibus adligatarum, ideoque fixarum et perstantium, utut quandoque in actione sua impeditarum. Exemplo sunt febres intermittentes regionum paludosarum, pestis Turciae europeae et asiaticae, febris flava tropicarum Americae insularum. — *Sporadicae* febres hominibus singulis, per causas singulares pro tempore ad eosdem solum homines circumscriptas illatae, accidunt, adeoque semper discretae cernuntur.

Hippocrates, *Sydenham*, *Huxham*, *Stoll*, *Lepecq de la Cloture* in opp. etc.

Dr. Fr. J. Wittmann, die stationäre Krankheits-Constitution vom empir. Gesichtspuncte betrachtet. Mainz 1825.

J. A. F. Ozanam histoire médicale générale et part. de maladies épidémiques, contagieuses et épizootiques etc. Tom. V. Paris 1817—1823. 8.

Schnurrer Materialien zu einer allg. Naturlehre der Epidemien und Contagien. Tübing. 1810. — Chronik der Seuchen. I. Th. Tüb. 1823.

§. 79. 7. Pro *relatione ad aegrum aliosque homines:* in *leves, graves, ancipites, periculosas,* relative *salutares;* in *benignas* et *malignas, contagiosas* et *non contagiosas* febres. — Quid sint febres *leves, graves, ancipites, periculosae,* ex terminorum conceptu generali in Pathologia exposito intelligitur. — *Salutares* dicuntur, quibus morbi qualescunque auferuntur, saltem melior ac ante valetudo inducitur. Utut facultas haec salutifera sub certis mutuis et febris et morbi coëxistentis relationibus vix ulli non competat, testibus tamen omnis aevi observatoribus in febre inflammatoria pura tum continua tum intermittente gradus moderati prae caeteris frequentius manifestatur. — *Benigna* audit, quaecunque mitis et periculo carens, in oppositionem *malignae*, quae charactere suo nervoso aut putrido symptomatibus quandoque ad speciem levioribus magnum fert periculum, subito et opinione celerius irruere solitum. — *Contagiosa* febris facultatem in organismo evolvit, in hominibus aliis dispositis eandem excitandi febris speciem. Sunt tales: febris typhosa, pestilens, variolosa, morbillosa, scarlatinosa, rubeolaris, putrida. Febres contagiosae ab epidemicis apertissime differunt, sed multiplicatae et late expansae in veras invalescere aeque possunt epidemias *(contagiones epidemicas)*, ac febres simpliciter epidemicae fieri contagiosae *(epidemiae contagiosae)*, inde intendi, latiusque disseminari.

§. 80. *Prognosis* febrium, sicut aliorum morborum cognitis febris naturae, proprietatibus, magnitudini, decursus rationi, effectibus et sequelis, non neglecta simul symptomatum eminentium et complicationum consideratione, porro aegri constitutioni ante et sub febri, causarum occasionalium aliarumque noxarum, speciatim genii epidemici praesentiae, absentiae, indoli, nec non na-

turae viribus et artis pro febri sananda adminiculis innititur. Frequens citaque symptomatum mutatio, celeri acutarum febrium decursui propria, prognosim ante crisim fieri semper cautam jubet et circumscriptam.

Febris, seu substantiva seu symptomatica, processum morbosum sistit magni semper faciendum, pro re nata gravem, imo periculosum, et nunquam spernendum. Laborat enim eminenter systema, per totum organismum expansum, ad functiones vitales et naturales (formationem organicam) cum praepondio faciens, et propterea in statum universalem virium, humorum indolem ac solidorum nutritionem jam prospere jam inimice plurimum influens. Emergit haec febris dignitas jam ex curata lustratione et aestimatione eorum, quos frigus et aestus febrilis inducunt, effectuum, modo in damnum ac perniciem modo in commodum ac beneficium cedentium, adeoque febrim modo noxiam modo salutarem reddere valentium. — Sub frigore febrili humores a corporis superficie interiora versus aguntur, in encephalo proinde, in pulmonibus, corde vasisque majoribus, visceribus imi ventris, congeruntur, quae debito magis impleta et violenter expansa suis in functionibus impediuntur, unde humorum in vasis minoribus stases, hinc glandularum ac viscerum praesertim abdominalium tumores, infarctus fieri, encephali et nervorum energiam deprimi, functiones eorum exinde languidas reddi et inordinatas, se- et excretiones cohiberi, supprimi, urinas vero augeri necesse est. Sub aestu et circulo velociore humores expanduntur, exteriora versus urgentur, velociter moventur, et in miscela cito multumque mutantur; unde congestiones abigi, stases solvi, discuti tumores lenti et frigidi, materiae peccantes eliminari possunt, verum etiam aestu nimio et protracto, virium systematis sanguiferi intensione, mutationibus miscelae sanguinis rapidis et magnis, suspensis digestione et nutritione, nec non functionibus systematis nervosi et influxu animae limitatis, initio noxiae sanguinis ac-

cumulationes, imo extravasata in visceribus cavorum corporis, insuper et serius dyscrasia, dissolutio humorum, virium debilitas, exhaustio, et per has nimiae humorum jacturae, praesertim sudores ac haemorrhagiae colliquativae produci possunt, atque sic morborum posthumorum varii generis fundamenta poni. — Quare quo frigus febrile extensione ac intensitate *majus*, quove diutius durat, eo noxia magis evadit febris, praesertim quia frigus validum aestus valde intensus insequi, et generatim febris fortis evolvi consuevit; quo mitius vero illud et blandior iste, eo facilius febris certis in casibus morborum chronicorum, apoplexiae, paralysium, soporis, congestionum in visceribus et infarctuum passivorum, indeque profectorum digestionis, sanguificationis, nutritionis, se- et excretionis vitiorum, melancholiae etc. salutarem se exhibere poterit, mala haec auferendo aut saltem imminuendo. (Confer §. 41.)

Febres inflammatoriae absque inflammatione locali minoris in genere sunt momenti, quam putridae et nervosae ejusdem intensitatis. Febres cum inflammatione periculum circumdat, si intensae sunt, et valida phlogosi organa nobilia: pulmones, cor, trachea, larynx, ventriculus, intestina etc. tenentur.

Febris cujuscunque notae eo gravior est, imo periculosior, quo magis deficiunt vires exhaustae, quo magis ac diutius suppressae in visceribus ad vitam necessariis continentur; quo viscera intensius ac diutius, et quo plura simul adfecta sunt; quo irregularior et impetuosior virium vitalium activitas in systematibus singulis et partibus dignioribus est.

Quae cito ad formam sibi convenientem absque prodromis multis evolvitur, quae exacte ad formae hujus normam decurrit, adeoque in exacerbationibus aut paroxysmis typum, in crisibus regulam, in duratione tempus suum sequitur, febris minus periculosa est, dummodo

intensitatis caeterum moderatae. Quaevis anomalia major est anceps, et pro re nata plena periculi.

Phaenomena inconsueta, quae nec febris indoli et solitae formae conveniunt, nec aegri constitutioni, nec notis occasionalibus causis respondent, sive febri inchoante sive currente comparuerint, periculum annunciant, qualia sunt: subitanea physiognomiae mutatio, lineamentorum faciei alienatio, inquietudo magna, anxietas, sensuum confusio, praeceps virium lapsus, spasmi, convulsiones, lipothymiae, sopor etc.

Mali ominis signa habentur: delirium continuum, sopor perstans, permanentes dolores, rubedo oculorum, obtutus fixus, ferox, aut admodum languidus; lingua tremula, valde arida, nigricans, fissa; respirium anhelosum, laboriosum, inaequale, stertorosum, halitus frigidus; epigastrium durum, retractum, perquam sensile; meteorismus; vomitus continuus, aeruginosus, nigricans, dolorificus etc.

Quo melius vires aegri vigent, quove liberius agunt, quo remotior iste a duobus vitae extremis, infantia et senectute, quo moderatiore irritabilitate gaudet, eo minus ipsi febres inferre solent periculum. Hinc ex opposito individua cachectica, morbo, senio, aliisve causis confecta, hinc gravidae, puerperae, convalescentes, infantes, homines valde irritabiles ac imbeciles communiter pejus habent, dum febribus invaduntur. Epidemiae tamen occurrunt, in quibus debiles, valetudinarii facilius consanescunt, juvenes, robusti vero gravius plectuntur et frequentius pereunt. Quodsi causae febrim excitantes simul organa nobilia infensissime mulctarunt, gravesque induxerunt laesiones, devastationes: febricitanti periculum paratur. Si fontem febris auferre non contingit v. gr. suppurationes internas non paucas, febris symptomatica insanabilis manet. Alias et constitutio epidemica plane regnans, aut anni tempus, tempestas, aut clima,

aut res aliae aegrum infestare continuantes v. gr. tristitia, moeror etc., periculum ferunt.

Quo graviores aut plures complicationes febre inchoante adsunt, aut decurrenti superaccedunt, quo vehementius nempe illis adficiuntur organa nobilia, viresque adstringuntur, exhauriuntur, supprimuntur, quo largiora humorum dispendia etc., eo anceps magis prognosis statuenda. Idem circa febris compositiones valet praesagium.

§. 81. *Therapia* congrua febrium, dum auferendae sunt, ad indicationes generales quatuor instituitur, scilicet 1) Causae occasionales aut morbi, febrium symptomaticarum fontes, amovendi, enervandi, quidquid febrim alere, intendere valeret, arcendum, et si quae sunt complicationes attendendae; 2) tollenda febris ipsa suis cum symptomatibus et effectibus, nisi fors salutares essent; 3) conamina critica naturae, crisesque excretoriae prudenter dirigendae, et 4) convalescentia rite promovenda.

§. 82. Quoad *primam indicationem* implendam, tractamen contra causas adhuc praesentes requisitum duplex est, prout nimirum istae amoveri aut possunt aut non possunt. Primo in casu causae methodo ac remediis auferantur oportet, quibus febris simul infringatur, aut saltem non intendatur magis quam illis amotis mitigari possit. Sic si sordes gastricae adsunt, eaeque per alvum subducendae, de regula i. e. vigente primario charactere activo febris, solventia et evacuantia, conveniunt non stimulantia, non calefacientia, sed antiphlogistica. Quae quidem in expositione febrium cum speciali charactere accuratius determinari poterunt. — In casu altero si v. gr. saburrae gastricae ob primarum viarum phlogosim vel characterem febris passivum notabili cum virium debilitate evolutum directe evacuari nequeunt, adlaborandum, ut vis illarum nocens pro possibili infringatur, simulque caeterae indicationes generales implean-

tur, nempe omnis alius nocivus arceatur influxus, deprimatur irritatio systematis sanguiferi, symptomata urgentia mitigentur, tollantur, ac debite dirigantur vires vitales. Potest autem vis noxia quandoque infringi, enervari partim ejusmodi potentias permutando, partim organo, in quod immediate agunt, vel toti organismo aliam dispositionem conciliando. — Ut potentiae nocivae quaelibet, febrim alendo aut exasperando pares abigantur, character febris activus vel passivus probe considerandus est, quum nocere possint huic, quae illi proficiunt; sic vinum in febribus consuetis notae inflammatoriae summopere noxium, sub certis vero febrium putridarum et nervosarum conditionibus salutare. Utut proinde momenta, quae in omni febris specie nociva, ideoque arcenda et amovenda forent, in genere determinari nequeant, pro plerisque tamen casibus et speciatim, in quibus character febris primarius praedominatur activus, norma valet: aërem purum esse debere, moderate calidum, quietum, non perflantem; victum, nisi nullum, certe parcissimum, blandum, facilem, fluidum prae solido, vegetabilem prae animali; potulentorum convenientium aquosorum (utplurimum acidulorum) copiam sufficientem; omnesque intensiones corporis, sensuum ac animae, omnes adfectus et pathemata, motus corporis non absolute necessarios etc. debere sedulo evitari. — Momentis febris occasionalibus autem non amplius praesentibus indicatio prima pro parte solum obtinet, in quantum nempe potentias huic febris speciei nocentes avertere omnes et auferre oportet, et statim cum altera, febrim ejusque symptomata et effectus spectante, copulanda est.

Si febris a morbo alio principali profecta, adeoque symptomatica est, cura vel *a)* in morbum principem aut unice aut praecipue, vel *b)* in hunc et febrim simul, vel *c)* in istam exclusive, aut saltem prius aut praecipue dirigenda. Primum obtinet, si morbus princeps febrim

mitem multum exsuperat; secundum, si ista et ille majoris sunt gradus, et febris in morbum principalem sustinendum et intendendum omnino confert; tertium, si febris prae morbo principali eminet, si magnae dignitatis est, nullatenus salutifera, ab illo non nisi mediate pendens, isque probabiliter insanabilis. Juxta has normas tractamen febrium symptomaticarum v. gr. inflammatoriarum, gastricarum, catarrhalium, rheumaticarum, traumaticarum, suppuratoriarum, hecticarum etc. determinetur ac dirigatur. Eadem pro inflammationum symptomaticarum curatione valent.

Si febris est complicata, ratio morborum coëxistentium ad illam primo examinari, postea decidi debet, num prius istos, num febrim, vel vero omnes simul curare, — num methodis atque remediis iisdem vel differentibus oppugnare, — et in casu priore dosim remediorum indicatorum, formam, applicationis locum etc. modo, citra praesentem complicationem non necessario, mutare oporteat? —

§. 83. In implenda *indicatione secunda* generali prae omnibus eruendum, an febris aliquo respectu salutaris, ideoque vel sibi committenda, vel saltem non energice impugnanda, sed prudenter solum dirigenda sit? aut an adeo mite et regulariter decurrat, ut naturae aegri viribus tuto committi possit? aut an gravis fortiter debellari debeat? — an itaque medicus naturae ministrum vel dominum agat sit necesse?

Ubi rite pensitatis tota individui febre detenti constitutione, complicatione praesente, charactere, magnitudine, decursu, praesentibus et cum probabilitate secuturis effectibus febris nullum aegri emolumentum praevidetur, febris proinde omni intuitu noxia habenda est, medicum non cunctari otiosum et observare solum oportet, sed agendo auxiliari. Id quod semper necessarium, ubi irritatio systematis circulatorii *magna* obtinet; ubi insuper virium in reliquo organismo partim nimia exorbi-

tat reactio, vel manifestationis earum in visceribus nobilibus adest impedimentum, suppressio (larva debilitatis), vel vera debilitas (inertia aut exhaustio); ubi systematis nervosi adfectio supra memorata, aut nisus in humorum dissolutionem praedominari prae irritatione febrili minatur, aut re ipsa jam praedominatur; ubi complicationes vigent, moderandae et sanandae febri non faventes, aut plane contrariae. Tum pro *indole*, *forma*, *gradu*, *stadio* etc. febris curanda est. — Juxta hanc indicationem 1) *irritatio* viriumque cordis ac arteriarum intensio cum simultanea *sanguinis expansione*, aestus mitigari, humorum vitia debite corrigi, et sic *disharmonia* inter systema sanguiferum et nervosum tolli, *vires* in toto organismo congrue dirigi i. e. nimiae deprimi, debiles excitari et augeri, suppressae liberari earumque aequilibrium restitui, et 2) *symptomata urgentia* specialius mitigari, auferri debent.

Irritationi memoratae systematis sanguiferi cum sanguinis in coagulationem nisu, ac symptomaticae nimiae, saepe simul valde inordinatae activitati majoris systematis nervosi partis methodus antiphlogistica opponitur, refrigerans nimirum, attenuans, relaxans et debilitans. Includit tractamen partim positivum, partim negativum, quemadmodum in expositione febris inflammatoriae simplicis et inflammationibus junctae fusius indicabitur. Quum longe maxima pars febrium, saltem initio, quoad essentiam characteris est activi, plus minus inflammatorii, et ideo *Stollio* docente (aphor. 847.) vix non in omni febri (maligna excepta) aut prodest, aut saltem non nocet, curam a methodo plus minusve antiphlogistica auspicari; et quum febres inflammatorii characteris frequentissimae methodum hanc non raro per totum decursum ad crisim usque, imo et sub hac ipsa adhuc exigunt intensitate varia: administratio ejusdem, et remediorum refrigerantium, diluentium, emollientium et debilitantium adplicatio in febribus usitatissima est. — Hac methodo pariter ab-

solvitur cura radicalis larvae debilitatis universalis, quae in febribus activis ex functionum systematis nervosi altioris languore proficiscitur, per exaltatam ultra modum, et acceleratam systematis sanguiferi activitatem antagonistice nato.

Irritatio systematis sanguiferi cum debilitate caeterum universali, vera, prout haec illam vel illa hanc superat, tractamen exigit, mox negative antiphlogisticum; mox ex moderate antiphlogistico in systematis sanguiferi reactionem relate ad universalem vitae debilitatem nimis intensam et velocem restringendam, et ex stimulante antagonistice adplicato, in debilitatem corrigendam necessario, compositum; mox vero universim excitans et roborans, in therapia febris putridae et nervosae accuratius exponendum.

Junctus simul in humorum decompositionem nisus remedia excitantia et tonica cum specificis, antisepticis nupta exposcit; quae in febris putridae cura lustrabuntur.

Viribus in systemate circulatorio, aliisve visceribus nobilibus per plethoram, sanguinis expansionem, accumulationes partiales etc. suppressis medela fiat causam impedientem, supprimentem, ratione tum indoli tum sedi illius adaequata, confestim tollendo; hinc plethoram universalem aut localem universalibus aut localibus sanguinis depletionibus vel humorum derivationibus solum auferendo, — nimiam sanguinis expansionem quiete, aëre frigidiusculo, potibus refrigerantibus, temperantibus, in specie acidulis cohibendo, — sordes primarum viarum solventibus, emeticis, catharticis, clismatibus etc. eliminando.

§. 84. Indicationis *secundae pars altera, symptomatum* valde molestorum lenimen, periculum minantium et vere periculosorum moderamen et ablationem concernit. Vel a febre pendent, vel ad criseos pertinent phaenomena. Etiamsi therapia febris in genere simul sit thera-

pia firmissima et tutissima symptomatum ejus omnium, non tamen adeo cito semper juvare valet, quam ob aegri cruciatus optatur, aut ob symptomata periculi plena requiritur. Hac ex ratione cum tractamine radicali in similibus casibus copulandum est palliativum, illi tamen exacte consentaneum, symptomatum causas ac originem respiciens, atque vitae viribus, nisi exorbitantes subsint, pro possibili parcens. Necessarium insuper istud praesente *febre indeterminata*, ingrediente *nova* cum sporadica tum populari, aut febre cognita sed *medicatrice*, et quotiescunque *justum febris moderamen adest*, medico spectatorem agente. (*Stoll* aphor. 595.)

§. 85. Symptomata, palliativam quandoque therapiam exigentia sunt: *frigus* validum, *aestus* intensus, *sitis*, *delassatio*, *cephalea* vehementes, *agrypnia*, *delirium*, *anxietas*, *tremor*, *convulsio*, *spasmus*, *vomitus*, *diarrhoea*, *haemorrhagia*, *sudor* etc. alia.

Frigus validum, quale in febribus intermittentibus non raro invadit, mitigatur temperatura loci moderate ad + 15—16° therm. Réaum. calida, quiete in lecto fotuque densiora per integumenta, linteamina calefacta, frictione leni extremitatum, potulentis modice calidis, subsalsis, diapnoicis, uti: infusis fol. althaeae, malvae, flor. verbasci, sambuci etc. cum oxymelle, oxysaccharo, acetate ammoniae etc., protractum lotione insuper calida, fomentatione extremitatum, epigastrii, balneo tepido. Infusa aromatica v. gr. chamomillae, melissae fortiora vel et parum spirituosa nonnisi vera debilitate praesente conveniunt. (*Stoll* aphor. 617—623.)

Aestus moderamen conciliatur regimine quieto, frigidulo, temperatura + 13—12° th. R., abactis, quaecunque corpus gravare, animamque turbare valent, objectis, et in febri inflammatoria potu affatim hausto aquoso, gelido, refrigerante, praecipue acidulo, aquae acidis vegetabilibus mixtae etc.; enemate emolliente, leniter evacuante, et nonnisi sub determinata rerum posi-

tione epithematibus frigidulis et lotionibus caute instituendis. (*Stoll* aph. 681—693.)

Siti clamosae occurritur potulentis qualitatum mox memoratarum, non semper tepide sed et egelide saepius et frigidiuscule, parva ad semel copia sed continuo bibendis, taleolis pulpae citri saccharo conspersis sugendo extractis, rotulis berberum etc., humectando saepe oris fauciumque cavum per collutoria, gargarismata, epigastrium et hypochondria per fomenta et cataplasmata; enematibus parvis, et casu speciali necessario balneis. (*Stoll* aph. 635—641.)

Ut *lassitudini* ac *dedolationi* debita fiat therapia, summopere interest attendere statum virium, atque in eo probe discernere debilitatis larvam a debilitate vera, sive debilitatem animalem i. e. functionum animalium languorem a debilitate vitali i. e. vero virium defectu, quemadmodum supra jam monebatur. Curatio unius tractamini alterius saepe e diametro opposita, ubique causalis sit. (*Stoll* aphor. 663—669.)

Cephalea febri mulctatos non raro graviter adfligens, uti quodvis symptoma molestum, prae omnibus exposcit, ut eruatur causa ejus et tollatur, utque febris character et virium conditio respiciantur. Quapropter v. gr. sordes eliminandae erunt, congestiones auferendae, solvendi spasmi etc. Hoc facto continuanti tamen cephaleae adhibere scopo palliativo convenit caput nudum aut levissime tectum, regimen frigidulum, frontale frigidum, manuluvia ac pediluvia tepida, clysteres leniter aperientes, omnemque simul strepitum, omnes ingratas aut fortes impressiones in sensus ac animum, omnemque mentis facultatum intensionem sedulo arcere. Non nisi nervosus febris character usum opii concedit.

Simili modo curatur *pervigilium*, in febribus tamen acutis et continuis ante harum decrementum crisimque bonam vix cedens. Consistunt efficacia palliativa in objectorum sensuum absentia, pace mentis, quiete muscu-

lari, corporis, susurru leni, assiduo, grato, unisono, blande tinnulo, frigidula temperatura, aëre humido, potu leni, emolliente, medicamentis humectantibus, demulcentibus, — in statu nervoso et paregoricis. (*Stoll* aph. 706 et 707.)

Idem valet de *delirio febrili*. Primo requiritur, febrim pro indole, magnitudine, stadio rite tractare, dein simul evitare, quaecunque inordinatos phantasiae lusus alunt, augent, et administrare potius, moderando circulo, pacando systemati nervoso, clarae conscientiae reducendae idonea, hinc, pro re nata, phlebotomias, sanguisugas, cucurbitas scarificatas, emetica, cathartica, vesicantia, pediluvia etc. (*Stoll* aph. 694—700.)

Anxietati febrili communiter impedimentum circuli subest, et quidem *vel* egressus sanguinis ex corde per arteriam pulmonalem aut aortam impeditus ob vasculorum contractorum spasmum, aut materiam transire ineptam, aut pulmones ab inflammatione, induratione, vomicis impervios, ambiente sero, pure, lympha coagulabili extravasata compressos, aut vitio pleurae, musculorum intercostalium inflammatorio, rheumatico, alioque, hinc thorace immobili, non dilatandos (*Stoll* aph. 629), *vel* inhibitus per venam portarum trajectus, ex iisdem pene causis. Cognoscitur prior oppressione pectoris, orthopnoea, pulsu debili, inordinato; altera repletione praecordiorum, eorundem constrictione potissimum ad scrobiculum, pulsu forti, pleno, duro, vibrante. Cognitis indoli, causis accommodanda therapia est; ob mali atrocitatem cito tutoque facienda.

Alia adhuc symptomata febri generatim *non essentialia*, quemadmodum *tremor*, *convulsio*, *spasmus*, *nausea*, *vomitus*, *diarrhoea*, *sudor* etc. juxta eandem normam leniuntur, tolluntur, febris eorumque ipsorum causas, indolem, intensitatem, nexum attentissime respiciendo. (*Stoll* aph. 595—736.)

§. 86. Ut *tertiae indicationi* generali in febribus, naturae conatus et excretiones criticas juvare, expedire, rite satisfiat, nosse prae omnibus oportet conatus illos in febrim judicandam tendentes, et a morbi symptomatibus probe dignoscere (§. 51), ne praeposlere ac subito cohibeantur vel supprimantur, sed ut debiles nimis et insufficientes adjuventur, intendantur, ardui facilitentur, corrigantur inordinati, et impetuosi atque exorbitantes refraenentur, temperentur. Omni in casu *vires*, earumque in systemate sanguifero et in organis se- et excretoriis reactio vel libera vel impedita praeprimis indicant. Ad illas debite regendas modo supra exposito se accingens medicus, serio teneat, reactionem in systemate sanguifero exorbitantem non nimium deprimi debere, cum aliqua virium exsuperantia non securius modo, ac earundem defectus, ad crisim faustam perducat, verum absolute requiratur. — Secundo indicant *viae*, per quas natura molitur excretiones criticas. In illas immediate vel mediate agat ratione conveniente medicus, et, quae fors ibi obstant, impedimenta amoveat.

Hoc intuitu sciendum, naturam in variis febris speciebus ac modificationibus crisim quoad partem evacuatoriam per determinata frequentius quam per caetera praestare *colatoria*, et excretiones criticas propriis nonnunquam *signis annunciari*. Inter phaenomena critica febris cujuscunque *sudor* rarissime desideratur; sudore tamen vel maxime judicantur febres catarrhales, rheumaticae ac intermittentes. Indicare solent instantem cutis mollior, in collo, interna membrorum facie, cavis axillaribus madescens, undique pruriens, pulsus moderate frequens, mollis, undosus, siti imminuta. — *Urinas* quantitate et qualitate criticas permultis in febribus, praecipue activis inflammatoriis, videre licet. Praecedunt aliquando ardor, pruritus genitalium, lumborum gravitas, pressio imo et dolor, tensio ad vesicam, fre-

quentior mingendi nisus. — *Haemorrhagiae* criticae v. gr. narium, haemorrhoidales, uterinae etc. in febribus inflammatoriis sine et cum inflammationibus praesertim in illis intrare consueverunt, quibuscum normalis vel habitualis jacturae sanguinis, aut menstruorum restrictio aut suppressio nexum quemdam fovet, nec non in typho contagioso. Annunciantur quandoque signis congesti in partibus concernentibus sanguinis, celeri eorum, si antea jam aderant, incremento, et pulsu dicroto. — *Alvus* critica febribus gastricis aliisque morbo gastrico complicatis admodum familiaris est, et in typho nominato non infrequens. Significatur futura torminibus, borborygmis, plenitudine ac tensione hypochondriorum, dolore lumborum, inexpectata linguae siccae humiditate, pulsu nonnunquam intermittente. — *Vomitus* criticus praesertim in febribus earumque complicationibus gastricis occurrit, prodromis utplurimum inquietudine et anxietate abdominali, ventriculi pressione, ructibus, labii inferioris tremore, nausea, horripilatione, sudore frigido praesertim in fronte, capitis gravitate, vertigine, oculorum caligine, sputatione frequente, pulsu inordinato, subinde et intermittente. — *Ptialismum* criticum, in oris fauciumque inflammationibus, variolis, febre putrida obvium glandularum salivalium tumor, dolor retro aures et ad nucham, et faciei turgor haud constanter annunciant. — *Expectoratio* critica, morbis inflammatoriis membranae muciparae in canalibus respiratoriis, ipsorumque pulmonum speciatim conveniens non alia habet prognostica signa, quam ex morbi totius decursu depromenda. — *Exanthemata* critica, nulli febrium speciei constanter adstricta, praecursores saepe agnoscunt stuporem digitorum manus ac pedis, membrorum formicationem, torporem, aut dolores, horripilationes leves, sudores parvos, pectoris oppressionem. —

Quaecunque vero evacuatio critica aut prodromis memoratis annunciata instet aut jam procedat, norma va-

let generalis, *naturam in hoc opere non turbandam*, et *necessaria* pro isto praestando *non subtrahenda illi esse aut deneganda.* Priore intuitu v. gr. vigentibus sudoribus criticis nec purgantia nec sanguinis depletiones, alvo critica nec emetica nec sudorifera etc. adhiberi debent; altero primariis requisitis regimen tum corporis tum animae conveniens, et potuum in casu singulari indicatorum sufficiens quantitas adnumerantur.

§. 87. Stante jam mera indicatione, molimen quodquod criticum facilitandi et excretionem quandam criticam juvandi, sustinendi, ratio tractaminis in casibus singularibus sequens erit:

Juvant et promovent *sudorem criticum* regimen quietum moderate calidum, mora in lecto, haustus frequens infusorum tepidorum herbae althaeae, flor. alth., malv., papav. rhoead., verbasci, pro re nata et fl. sambuci, tiliae, herbae melissae etc., hinc inde et jusculi carnosi tenuis non pinguis; — *urinas* criticas nonnisi potus sufficiens qualitatis circumstantiis individualibus congruae, jam aceto, acido tartrico, cremore tartari, jam utut rarius vino levi, acidulo v. gr. austriaco albo, remiscendus; — *haemorrhagiam* criticam vapores, fomenta, cataplasmata, et pro loci ratione clysteres et pediluvia emollientia; supplere illam casu necessitatis debent hirudines aut et venaesectiones accommodatae; — *alvus* critica facilitatur et expeditur potulentis copiosis, et eccoproticis per epicrasim datis; — *vomitus* criticus aqua tepida, infuso flor. chamomillae aut alio potu levi tepido, melle admixto; — *expectoratio* critica potulentis emollientibus subcalidis cum oxymelle simplici, scilliticо; vaporibus aquae aut aceti multum diluti blande inspiratis; antimonialibus; aliquando, speciatim in morbis pectoris inflammatoriis, quam optime phlebotomia nunc adhuc instituta; — *salivatio* critica collutoriis, cataplasmatibus emollientibus; — *exanthemata* critica potu, medicamine quidquam diaphoreticis, balneis emollientibus,

nonnunquam optime camphorae aura, aut aliquot vini laudabilis cochlearibus.

Qua ratione iisdem excretionibus, dum nimiae sunt aut aequo diutius continuant, medendum sit, ex consideratione disponentis virium aegri conditionis, causarum excitantium ac sustinentium etc. pensiculosa facile intelligitur.

§. 88. Pro *indicatione* generali *quarta*, cura convalescentiae ex febri, rite implenda notandum: 1) in hac epocha proclivitatem magnam in morbos generatim, et praecipue in recidivam adesse, et 2) convalescentiae tempus ex morbis febrilibus utplurimum debilitate varii gradus, exaltata irritabilitate, et quantitatis humorum restituendae, qualitatis corrigendae, ac nutritionis universalis promovendae necessitate insigniri.

Primo respectu arceri debent omnes potentiae nocentes, praecipue tales, quae recidivae inducendae, aut febri alius characteris, quam qui superatam notaverat, excitandae indole sua et agendi ratione sunt pares. Quare in convalescentia ex febribus inflammatoriis cum methodo stimulante, siquidem in casibus singulis necessaria foret, in specie cum usu excitantium diffusibilium, vini etc. semper cautissime mercandum. Aliter circa eadem in convalescentia ex febribus nervosis, putridis, pituitosis agendum. Saepe convalescentium instinctus speciem excitantium adhibendorum indigitat, quorum dosis caeterum quovis in casu gradui necessitatis prudenter accommodanda est.

Insuper ut et alteri scopo satisfiat, regimen diaeteticum atque diaeta ordinanda. Sint cibi digestu faciles, sapidi, condimentis tamen calefacientibus minime obruti, consistentiae fluidae magis et mollis quam solidae, vegetabiles potius quam animales, et nonnisi parvis ast pluries de die repetitis portionibus sumantur; potulenta blanda sint, reficientia, animum leniter erigant, excitent mentem, et digestionem modice promo-

veant, quibus virtutibus vix aliud adeo perfecte gaudet, ac vinum blandum, annosum, alcohole non admodum dives, convenientibus dosibus caute haustum; fruatur convalescens aëre puro, modice calido, quiete necessaria pro capiendo per diem quoque, in quem trahitur, somno necessario et reficiente, animante, interpolatim consortio distrahente hominum ipsi charorum; ubi permiserint vires, in lecto et extra illum sedeat, omnem tamen praematuram virium corporis et animae, organorum digerentium, sensuum etc. intensionem sedulo evitet.

Sect. II. Ordinatio febrium.

§. 89. In febribus secundum *formam* ordinandis non omnes idem secuti sunt Nosologi principium. Plerique in eo conveniunt, quod *ordines* a febrium *typo* statuant. Hoc divisionis principium adoptantes *Sauvages* et *Sagar ordinibus tribus* febres continuas, remittentes ac intermittentes exposuerunt, quos tamen *R. Vogel*, postea *Cullen*, *Burserius*, *P. Frank*, *S. G. Vogel*, *Sprengel*, *Richter*, *ab Hildenbrand* (opp. citat.) in *duos*, continuarum nempe ac intermittentium, ordines contraxere.

Fr. B. de Sauvages, nosologia methodica sistens morborum classes, genera et species. Amstel. 1768. T. II. 4.
Rud. Aug. Vogel, definitiones generum morbor. Goett. 1764. 8.
J. B. Sagar, systema morbor. symptomaticum. Lips. 1771. T. II.
W. Cullen, synopsis Nosologiae methodicae. Edimb. 1771. Deutsch. Leipzig 1781.

§. 90. Pro febrium *continuarum generibus* disponendis principium partim a *duratione* partim a *symptomatibus* *Sauvages*, *Linnée*, *Sagar*, *S. G. Vogel* et *Swediaur*, ab ultimis solis *Cullen* et *Reil*, ab iisdem simul ac *sede principali P. Frank* et *J. R. Bischoff* petierunt, variaque numero genera febrium formarunt. Sunt autem *Sauvagesio* genera quinque: ephemera, synocha, synochus *Galeni*, typhus *Hippocratis*, et hectica *Gale-*

ni; — *Linnaeo* quatuor: febris diaria, synocha, synochus, et lenta; — *Sagaro* quinque: febr. judicatoria, humoraria, frigeraria (putrida), typhus et hectica; — *S. G. Vogelio* octo: f. diaria, inflammatoria simplex, biliosa, putrida, pituitosa, nervosa, hectica et exanthematica; — *Swediaurio* septem: diaria, sthenopyra, asthenopyra, phlegmapyra, septorrhepyra, loimopyra, et ochropyra; — *Cullenio* tria: synocha, typhus et synochus; — *Reilio* tria: synocha, typhus et paralysis; — *P. Frankio* aeque tria: f. inflammatoria, nervosa, et gastrica; — *Richtero* denique et *Bischoffio* quatuor: f. inflammatoria, gastrica, nervosa, et putrida, quibus qua genus quintum *Fr. ab Hildenbrand* febrim hecticam, *J. J. Knolz* f. cachecticam addiderunt.

Car. a Linnée, genera morborum. Upsalae 1763.

F. Swediaur, novum medicinae rationalis systema. T. II. Hal. 1812.

J. R. Bischoff, die Fieber in einer Tabelle dargestellt. Prag 1816.

Fr. ab Hildenbrand, Classis prima morborum in systematicum schema redacta. Ticin. 1820.

Jos. Joh. Knolz, Med. Dr. etc., Systematische Eintheilung der Fieber u. s. w. tabellarisch zusammengestellt. Salzburg. 1827.

§. 91. Pro *speciebus* statuendis Nosologi plerique basim a *symptomatum indole*, *sede*, et *extensione*, a febrium *simplicitate* aut *compositione* desumserunt; — pro *varietatibus* seu *modificationibus* definiendis a *momentis excitantibus* insuper petierunt. Quarum tamen ex systematibus nosologicis praecipuis enumeratio ampli foret laboris ast minime proficui.

§. 92. Divisionum istarum examen criticum, quo bases et consequentia earum lustrentur, in specialiora descendens, proprium in tractatum voluminis non minimi invalesceret. Quare illi supersedens sequentia solum adnotanda esse censeo, tum rationi tum praxi consenta-

nea. *Principium divisionis* classis febrium in *ordines typum* continuum et intermittentem cum *R. Vogel, Cullenio, Burserio, P. Frankio* aliisque adoptans, *duos* febrium *ordines, continuarum* et *intermittentium*, constituo.

Primo in ordine *genera* juxta triplicem *characterem* principalem *tria* expono, febris continuae *inflammatoriae, putridae* ac *nervosae* sub titulo.

Pro *speciebus* hujus ordinis statuendis *eminentem* febri junctam *systematum subordinatorum* vel *organorum* conspirantium *adfectionem*, ut: systematis gastrici, cutis, membranarum mucipararum, seriferarum; — pro *varietatibus* sive *modificationibus* partim *phaenomena* in organis singulis eminenter laborantibus sola, partim earum simul, quae febrim fecerunt, *causarum indolem* assumere non absonum foret. Sufficiente igitur cum consequentia hoc eodem in ordine febris inflammatorio-catarrhalis, rheumatica, exanthematica, speciatim inflammatoria variolosa, scarlatinosa, morbillosa, typhosa et s. p.; febris inflammatorio-gastrica, speciatim saburralis, biliosa, pituitosa, verminosa, — deinde febris putrido-catarrhalis, rheumatica, exanthematica, gastrica etc., — tandem febr. nervoso-catarrhalis, rheumatica, exanthematica etc. qua species considerari possent.

Febres *ordinis alterius* aeque pro *typo* in *tria* dispescuntur *genera*, febrem *intermittentem quotidianam, tertianam*, et *quartanam* complectentia. *Species* singula horum generum pro *cardinali* febrium *charactere* agnoscerent tres: quotidianam inflammatoriam, putridam et nervosam, tertianam inflammatoriam etc., easque ultro pro earum *simplicitate* et *compositione*, pro eminente *organorum* singulorum *adfectione symptomatibusque* inde manantibus, pro *forma* denique evoluta aut imperfecta, aperta, latente aut larvata, multifariam *modificatas*. Hinc febr. interm. quotidiana inflammatorio-catarrhalis, rheumatica, saburralis, biliosa etc., quotidia-

na putrido-catarrhalis, rheumatica, gastrico-saburralis etc. statui omnino possent. — Ast talem, utut logicam et consequentem, ordinationem febrium *artificialem* secuturus, in earum expositione multifarias nullo modo evitare possem repetitiones, febris speciem eandem pro triplici charactere mutabili tribus exponere locis, febres continuas primarias cum secundariis copulare, compositas vero nonnullas a naturali cum systematum subordinatorum adfectionibus nexu divellere forem obligatus. Quare consultum duxi, ordinem hucusque praefixum ultro amplecti simpliciorem, magisque naturalem. Hujus vigore ex febribus continuis hic nonnisi inflammatoria simplex, putrida, et nervosa simplex qua totidem *purae* statutorum febris continuae *generum formae*, postea ex compositis gastricae solum pertractantur; — febribus caeteris aliorsum, catarrhali nempe ad catarrhum inflammationesque catarrhales, rheumatica ad rheumatismum et phlogoses rheumaticas, exanthematica ad exanthemata, hectica denique ad cachexias exponendas aptius translatis.

Cap. II. De febribus speciatim.

Ordo I. Febres continuae.

Sect. I. Febres continuae simplices.

Genus I. Febres continuae inflammatoriae.

§. 93. *Febres inflammatoriae*, f. indolis s. characteris inflammatorii, jam supra (§. 73.) definitae, nunc simplices nunc compositae occurrunt. Notae, quibus cognoscuntur et ab aliis febrium generibus dignoscuntur, sunt: adfectio praevalens systematis sanguiferi, et quidem cordis arteriarumque actio exorbitans; intensior sanguificatio ideo et aucta sanguinis copia, qualitas mutata, phlogistica, in majore ad coagulandum et organi-

sandum pronitate illius consistens, e vena missi densi et brevi coeuntis serum paucum, placenta densa, ponderosa, compacta, saepe cum crusta inflammatoria dicta; major sanguinis orgasmus et motus accelleratus cum pulsu frequente, forti, duro, pleno, nonnunquam suppresso et inde debili; turgor vitalis adauctus; alacrior et aequabilis thermogenesis, inde calor auctus; humorum congestiones ad varia organa activae, vel imo verae in illis inflammationes.

Ex rationibus praecedente §. allatis aliae hujus febrium generis species alibi pertractantur; hic sola exponitur:

Febris continua inflammatoria simplex.

§. 94. *Febris continua inflammatoria simplex* (febr. inflamm. simplex *auctor;* f. contin. inflammatoria *P. Frank;* f. inflammatoria *Stollii;* synocha *Stahlii, Sauvagesii, Cullenii, Reilii;* synochus imputris *Galeni;* synochus simplex *Riverii*) *ea est febris inflammatoriae species, quae absque perceptibili visceris cujusdam aut organi externi adfectione, nexu causali sibi juncta, adest.*

Ab irritatione praevalente febrim irritativam *Hufeland, Conradi,* aliique appellarunt; nomine ad febris inflammatoriae simplicis levem gradum designandum utcunque concedendo, haud praetervidendum tamen est, illo non nisi dynamicam hujus febris partem significari, ideoque denominationem pleniorem et usitatissimam „febris inflammatoriae" praeferendam esse.

Febrim vasorum nuncupant, qui eam hoc titulo a febri nervosa distinguere intendunt.

J. P. Frank, S. G. Vogel, J. Ch. Reil, J. W. Conradi, A. G. Richter, V. ab Hildenbrand opp. cit.

Nota: Utut haec febris pura et simplex rarissime occurrat,

probe tamen exponenda est, ut in compositionibus et complicationibus suis admodum variis cognoscatur.

§. 95. Incipit plerumque sine magnis diuque praegressis prodromis cum *lassitudine* et *frigore* modico, interdum tamen valido, post durationem brevem cum *aestu* alternante; postea in hunc continuum abeunte. Hic intensus est, aequabilis universalis, non mordax; et symptomata cum illo increscentia ac decrescentia sunt: rubor ac turgor faciei; color laetior ac turgor cutis totius; siccitas hujus atque labiorum, cavi oris, linguae vel purae vel albidae vel flavicantis, faucium, narium, cum alienato sapore et odore, anorexia, siti et urgenti potuum frigidorum aquosorum et acidulorum desiderio; cephalea cum oculorum sensilitate atque splendore, interdum et dolor ad spinam dorsi; arteriarum temporalium pulsatio; pervigilium, aut somnus inquietus, insomniis terreficis crebro interruptus, non reficiens (in infantibus continuus potius, et pavoribus frequenter turbatus); pulsus fortis, durus, plenus, liber, aequalis, nisi plethora, sanguinis congestionibus, doloribus aut spasmis supprimatur et inaequalis fiat, minus frequens ac in febribus alius characteris; respiratio citata plus minus laboriosa cum halitu calente; urinae parcae, multum tinctae, rubro-flavae, limpidae, flammeae dictae; alvi retentio aut rara et segnis faecum siccarum excretio. Sanguis e vena missus qualitates offert §. 93. descriptas. Febri gradus altioris, ad quem increscens et tempore exacerbationum vespertinarum in infantibus et adultis sensilioribus, irritabilibus, teneris facile intenditur, deliria vivida et vehementia adsociantur; alias tussicula sicca, non dolens, spasmi leves, vomituritio, vomitus symptomatice illam interdum concomitantur.

§. 96. Symptomata recensita jam celerius jam segnius per horas aut dies ad stadium usque acmes increscunt, unde rursus imminuuntur, et fausta crisi intra unum, duos aut septem dies terminantur, raro ad qua-

tuordecim dies excurrunt. Ad hoc usque tempus sine interstitiis continuant, febrisque simplex cursu regulari non alias quam omni febri communes agnoscit exacerbationes vespertinas. Manifestantur istae auctis delassatione, aestu, cephalea, siti, turgore vitali, dispnoea, inquietudine, nec non circuli acceleratione et intensitate, alias et symptomatum novorum, ut supra dictum, delirii nempe, tussiculae etc. accessu; — ad mediam noctem et paullum ultra excurrere solent, subsequasque habere remissiones, quae febri ad diem quartum, quintum, vel raro nonum, undecimum usque adhuc increscente vix laudabiles, decrescente vero conspicuae sunt, et evacuationibus criticis consociatae.

Nota: Febris *ephemera* et *ephemera protracta* seu plurimum dierum, communiter inflammatoriae sunt indolis, raro tamen purae ac substantivae, hinc ab inflammatoria simplici, de qua hic sermo, facile dignoscendae.

§. 97. *Judicatur* utplurimum sub universali symptomatum essentialium decremento per *sudores*, et *urinas* largas cum hypostasi albida aut rubicunda, levi, facile agitanda, interdum per *epistaxim*, rarius per *vomitum* aut *diarrhoeam*, febribus tamen ephemeris non infrequentes. Excretiones dictae exacerbationem febris vespertinam insequi consueverunt, quam horror levis nonnunquam aperit.

Fracta virium in systemate circulatorio exorbitantia, sanguinis orgasmo, turgore vitali mitescentibus, decrescente cordis et arteriarum irritabilitate, et tum meliore reactionis ad vasa secernentia et exhalantia proportione, tum necessario inter vasorum et nervorum systema aequilibrio redeunte, atque inde comparentibus *evacuationibus criticis*, adeoque partim cum istis partim per istas, stadium *convalescentiae* inducitur, sat cito plerumque in sanitatem transiturae.

Conditionibus vero aut aegri aut rerum externarum minus faventibus, praesertim therapia non adaequata in-

doles inflammatoria intendi, simulque *inflammationes* v. gr. pulmonum, aut aliae febris compositiones evolvi conspiciuntur, vel *character* inflammatorius in nervosum aut putridum, typus continuus in intermittentem *mutari*, vel variae oriri *metastases*.

Mortem febris inflammatoria simplex per se nunquam infert, mediantibus vero morbis vix nominatis nec non subsequis variis eam inducere omnino valet. Ex opposito potius morbos ante jam praesentes mitigando, limitando, evellendo saepe *salutaris* evadit.

§. 98. Rarissime febris inflammatoria tam simplex et pura, quemadmodum §. 95. descripta, i. e. cum tam aequabili totius organismi adfectione, absque eminente singularum partium malo activo aut inflammatorio occurrit. Saepissime *vel* inflammationes, nisi minimae sunt, comitatur symptomatica, *vel* tales aut simul ortas aut ex ea sub decursu evolutas, *coëxistentes* aut *symptomaticas*, comites habet; — praeterea febri nervosae versatili consociata nonnunquam observatur, saepe febribus gastricis, nec pituitosa excepta, catarrho ac rheumatismo, exanthematibus acutis, variolis, vaccinae (qua ephemera symptomatica), scarlatinae, morbillis, typho contagioso, imo ipsi pesti per aliquod saltem stadium, doloribus ac spasmis vehementibus, laesionibus variis, et quandoque organorum indurationibus, suppurationibus etc. Unde distinctio febris inflammatoriae generatim desumitur in *simplicem* et *compositam*; *substantivam* et *symptomaticam*; *primariam* et *secundariam*; hinc et denominationes: febris inflammatorio-nervosa, gastrica, saburralis, biliosa, pituitosa; inflammatorio-catarrhalis, rheumatica, exanthematica varia, typhus inflammatorius etc.

§. 99. *Disponunt* in hanc febrim processus vitalis vividus et fortis, digestio, sanguificatio, nutritio optime vigentes; sanguis copiosus, laudabilis, parte fibrosa et cruore dives; solidior cutis textura, musculorum robur,

torositas, elasticitas, cum universali et cordis speciatim ac systematis arteriosi irritabilitate debita, vel imo majore. Quare in febres inflammatorias, nec non in variorum morborum indolem inflammatoriam, vel maxime prona sunt individua juniora, robusta, vivida, plethorica intra 15-tum et 40-mum aetatis annum, victu simplici utentia et cupepto, vitae genus activum et laboriosum ducentia; foeminae ante mensium fluxum; subjecta, quibus humorum speciatim sanguinis evacuationes aut normales aut habituales desunt v. gr. gravidae, puerperae juvenes absoluto cum exigua sanguinis jactura partu; etc., homines sanguinei et cholerici temperamenti.

Momenta causae occasionalia sunt, quaecunque dispositioni memoratae aut inducendae aut ultra modum augendae favent, et quae cor ac arterias ad motus exorbitantes immediate vel mediate (idiopathice vel sympathice) valent irritare, hinc: profluviorum antea dicta suppressio, subitanea a phlebotomiis consuetis abstinentia; cibi cupepti, bene nutrientes, multum conditi, largi; potus spirituosi, aromatici nimium hausti; pharmacorum stimulantium, calefacientium abusus; atmosphaera diu frigida et sicca (inde febres inflammatoriae et generatim indoles morborum acutorum inflammatoria epidemicae tempore hiemali constanter frigido et sicco, praecipue Borea, Austro, aut ventis intermediis flantibus, — inde locis arenosis, siccis, elatis, montosis endemicae); caloris frigorisque alternationes subitaneae, magnae, sed et temperatura cubiculorum nimia, ardor solis, balneorum aestus; motus corporis validi, vehementes animi adfectus, pathematum explosiones excitantes, concutientes; meditatio severa protracta; potentiae variae modo mechanico aut chemico irritantes vel laedentes, sic et morbi varii ac producti ex his et illis dolores, contusiones, diaereses, vulnera, erosiones, ambustiones, phlogoses; imo contagia permulta, uti variolarum, morbillorum, scarlatinae, typhi etc.

Febris inflammatoria eo facilius excitatur, et totus simul organismus, licet causa primario topica agente, eo magis trahitur in compassionem, quo irritabilior sub dispositionis memoratae vigore totus organismus, aut praeprimis organa immediatae aut mediatae actioni nocivae exposita i. e. quo ditiora nervis ac vasis, quo intimior eorum cum systemate sanguifero consensus, et quo fortior et protractior unius alteriusve noxarum supra recensitarum actio.

§. 100. Pensitatis hucusque expositis *essentia, natura, febris inflammatoriae* non alia, quam febris simplicis ac purae in genere, omnium febrium prototypi, esse videtur; probabile proinde est, illam consistere partim in systematis sanguiferi intensione per irritamentum aliquod excitata, et pro parte versus id ipsum directa, partim in vita illius et ipsius sanguinis ultra normam exaltata, celeriore inde ac uberiore sanguificatione, pronitateque sanguinis in coagulationem sana majorem, cum antagonistico functionum systematis nervosi altioris sicut digestionis et nutritionis languore, atque scoporum vitae aegri limitatione inde fluentibus.

Quemadmodum autem febris initio irritatio praevalet, ita ulteriore sub decursu signa mutatae humorum massae magis explicari, ac stadio criseos praedominari observantur. Singulorum effectus conspicui convalescentiam circumdant.

§. 101. *Prognosis* in omni febris inflammatoriae simplicis casu non per indolem modo, per intensitatis gradum, decursus soliti notionem, durationem et consuetas terminationes febris, sed per constitutionem etiam et totum aegrotantis statum, per praeteritam vel adhuc activam causam occasionalem, per vires naturae individui medicatrices, atque artis in illa tollenda potestatem determinatur.

Est haec febris non raro salutaris, quatenus ad morbos alios modo essentiali vel accidentali sibi junctos nunc

mitigandos, coërcendos, nunc solvendos revera confert, quibus adnumerantur: vulnera cum substantiae organicae jactura, humorum congestiones, stases, viscerum abdominalium infarctus, hydropum, oedematum varietates nonnullae, paralyses, scrophulae, chlorosis, etc. Conf. §§. 41. et 79.

Aegris tum tenerrimis tum senibus exceptis, febris haec sub adaequata therapia morbum exhibet periculi expertem, nec larva nec benignitatis fuco unquam fallentem; per compositiones tamen, complicationes et mala posthuma fieri periculosa potest, et lethalis.

Praesagium faustum limitetur omnino et modificetur oportet, si morbo currente ac ingravescente inflammationes viscerum nobilium v. gr. pulmonum, pleurae, ventriculi, intestinorum, cerebri etc. evolvuntur. — Malum pariter, si ad decimum quartum usque diem nulla adhuc solutionis faustae comparuerint signa; transitus enim in characterem putridum aut nervosum, vel metastases etc. metuendae.

Morbus non raro jam sub initium epistaxi spontanea sat larga frangitur, aptoque nunc solum regimine, potu largo, congruo, aquoso adjuvantibus mox tollitur, et sic ad inflammatoriam limitatur ephemeram. Serius praeter epistaxim, vel et sine hac, sudor largus et urinae cum sedimento levi, facile agitando constantissimas sistunt excretiones criticas.

Organorum singulorum aut viscerum aegri singularis in phlogoses pronitas, febris vehementia, curatio neglecta, incongrua, vel plane perversa, regnans morborum genius inflammatorius justum de accessura phlogosi incutiunt metum.

Therapia antiphlogistica, emolliens, diluens tempestive et debita mensura instituta illico infringere vim febris, et celerem faustamque valet parare crisim.

§. 102. *Therapia* febris inflammatoriae simplicis implendo generales quatuor sequentes absolvitur indicatio-

nes, singulis casibus rite adcommodandas: 1) causa excitans, si agere continuat, quantocyus amoveatur, omnesque potentiae consimiliter noxiae arceantur; 2) tollatur febris una cum effectibus ejus; 3) conamina naturae in crisim faustam determinentur, ipsaeque evacuationes criticae rite dirigantur; et 4) convalescentia promoveatur.

Ut *indicationi primae* satisfiat, non solum *a)* causae excitantes aliaeque noxae amoveri, enervari debent, ideoque omnes stimuli positivi mechanici, organico-dynamici aut psychici, v. gr. potus spirituosi, aromatici, pharmaca calefacientia etc. illico arceri, humorum depletiones omissae aut suppressae institui, revocari aut artificialibus subpleri, animi adfectus et pathemata excitantia, concutientia sedari, mentis lucubrationes suspendi etc., sed *b) regimen* etiam ordinari *antiphlogisticum*. Quod in eo consistit, ut motus corporis, animi adfectus, intensiones facultatum mentis, sermocinationes denegentur, vitentur, stimulorum lucis et caloris fiat moderamen, vestitus, integumenta, stragula calefacientia, substantiae odoriferae, strepitus arceantur, nutrimenta demum vel nulla vel paucissima, eaque parcissime nutrientia, blandissima, facilia digestu, forma potissimum fluida (tenuissima juscula et fructus horaei aciduli cocti) concedantur, potus vero largiter propinentur aquosi, blandi, refrigerantes. Quodsi nec causa occasionalis amoveri queat nec nociva ejus potentia enervari, febris augmentum, inflammationum accessus, protracta duratio, mutationes ac terminationes malae, quales supra memorabantur, metuendae sunt. Limitata tunc manet therapia ad regimen mox expositum, et ad *indicationem* generalem *secundam* quam exactissime implendam.

§. 103. Huic indicationi satisfacturus eo adlaboret, ut in febri non salutari irritatio systematis sanguiferi imminuatur, componatur, essentialesque huic sanguinis orgasmus, turgor vitalis calorque animalis universim aucti restringantur, et praevalens principii fibrosi in san-

guine productio coërceatur. Inserviunt huic scopo methodi partim refrigerans et debilitans (antiphlogistica), partim diluens et emolliens, relaxans. Ambae rite nuptae gradui febris, stadiis, eorumque cursui, conditioni individuali aegri adcommodentur, et attentissimo sub respectu *genii morborum* epidemici tum *stationarii* tum *annui* ac *epidemice intercurrentis* adplicentur oportet. Remedia huc facientia sunt: potulenta refrigerantia, diluentia, temperantia; sales antiphlogistici; depletiones sanguinis; et enemata solventia, eccoprotica.

Potus qualitatis dictae affatim et pro sitis ratione hauriendi habentur: aqua pura, recens, egelida, vel mera vel cum acido vegetabili, ut: aceto genuino, succo citri, acido tartrico, cremore tartari, succo expresso berberum, ribesiorum, cerasorum, pomorum, syrupo, aceto rubi idaei, ad grate acidulum usque saporem mixta, et saccharo aut melle edulcorata; fluida aquoso-mucilaginosa, ut decocta graminis, hordei, avenae, rad. althaeae, salep, infusa althaeae, verbasci, malvae etc. ingredientibus mox nominatis acidula reddita; emulsa tenuia seminum melonum, amygdalarum. Aquoso-acidula praeferri merentur ore ac faucibus admodum siccis, siti plurimum urgente; eadem vero vel summe temperata et parum mucilaginosa, vel absque omni acido magis conveniunt irritatis manifeste viis respiratoriis, aut tractu primarum viarum, tussique sicca, cruda, aut cardialgia, torminibus intestinorum, diarrhoea etc. vexantibus. — Enemata emollientia, eccoprotica, praesertim versus vesperam adplicata, in leniendam consuetam febris exacerbationem vespertinam multum valent. Sumuntur unciae decem aut libra aquae tepidae aut decocti furfurum, avenae, hordei, malvae, seminum lini etc., quibus uncia olei olivarum aut lini, aut mellis admiscetur, vel effectu non obtento uncia semis salis culinaris solvitur.

Usus potuum, et clysterum nunc memoratorum applicatio cum regimine supra exposito — summi alioquin

momenti in omni therapia antiphlogistica — in febribus inflammatoriis simplicibus levis gradus indicationi sanatoriae exacte conveniunt, et scopo hujus obtinendo plenarie sufficiunt; altiores vero febris gradus, minantibus aut jam factis inflammationibus, methodum antiphlogisticam, intensitate et extensione majorem exposcunt. His in casibus conveniunt insuper pro re nata *sales antiphlogistici*, et *depletiones sanguinis*.

§. 104. *Sales antiphlogistici* neutri ac medii, qui dosi refracta interne sumti utut organa primarum viarum idiopathice aliquantum irritent, mediate tamen circuli impetum infringunt, orgasmum ac aestum temperant (refrigerant), hoc ipso et in massam humorum recepti, eorundem in coagulum nisum minuunt, eosque solvunt, sanguificationem ipsam cohibent, et sine et cum humorum evacuationibus, quas dosibus magnis per alvum sollicitant, vere debilitant. Inter sales sine evacuatione refrigerantes et debilitantes locum principem tenet *nitrum* purum; sequuntur: cremor tartari, tartarus tartarisatus; pruna siccata et prunorum pulpa, fructus et pulpa tamarindorum; sal amarus, sal mirabilis Gl., arcanum duplicatum; nec non mercurius dulcis s. calomel. Nitro excepto omnes dosibus largioribus qua purgantia antiphlogistica agunt, qua talia autem vix nisi in febribus inflammatorio-gastricis et aliis cum praevalente complicatione gastrica quadrant; dosibus parvis, qualibus nitrum porrigi solet, cum et sine isto qua refrigerantia, solventia et debilitantia usitari possunt. — *Nitrum* in pulvere cum saccharo solum dosi gr. quinque, octo, decem et ultra omni hora, aut cum anatica parte cremoris tartari, salis Gl., vel arcani duplicati praescribitur cum pauco aquae sumendum, methodo caeteris quidem efficaciore, facile tamen ventriculum gravante; aut dr. semis, integra in libra aquae, vel decocti graminis, avenae, hordei, rad. althaeae, salep, infusi althaeae, malvae, flor. verbasci, addito syrupo simplici, aut oxymelle simpl., syrupo

aceti, syr. rub. idaei etc., vel in eadem quantitate tenuis emulsi seminum melonum aut amygdalarum soluta ordinatur, omni hora vasculo dimidio coffeano (circiter unc. un.) sumenda. — *Cremor tartari* dosi gran. quinque cum totidem granis nitri puri, caeterum iisdem formis ac sumendi rationibus, vel drachmatim cum saccharo in pulvere, dosibus refractis potui admiscendo, praescribitur. Scopo eccoprotico dosis multo major drachmarum trium-quinque requiritur, et quidem, dum nonnisi gr. quadraginta et octo in libra aquae destillatae temperatura media grad. + 15 therm. *Réaum.* solvuntur, aptius forma electuarii v. gr. cum pulpa prunorum, tamarindorum, roob sambuci, melle etc. praescribitur, cochlearibus coffeanis omni media, integra hora sumendi. — *Tartari tartarisati*, *salis amari* drachma una et semis scopo antiphlogistico-solvente, salis Gl. drachma, *arc. duplicati* dr. semis, integra in libra aquae aut decocti vel infusi cujusdam ex supra nominatis solvitur et colaturae addita uncia oxymellis simplicis aut duabus sacchari drachmis vasculum dimidium omni ½—1 hora exhibetur. Usus ulterior quemadmodum omnis alius medicaminis dirigitur effectu jam obtento et probabiliter exspectando toto. In scopum antiphlogisticum eccoproticum, si mera mannae solutio indicata non esset, triplum dosis memoratae salium eorundem in paucis fluidorum nominatorum unciis solvendum requireretur cum syrupo, saccharo, oxymelle etc., colatura brevibus intervallis haurienda. — *Calomel* sicut *digitalis* in febri inflammatoria simplici rarissime, saepius vero adjunctis simul inflammationibus speciatim organorum membranosorum et glandulosorum, uti laryngis et tracheae, ligamentorum articularium, peritonei, hepatis etc. adhibetur. Convenire alterutrum aut utrumque pharmacon observatur, ubi inflammationes ejusmodi exigua cum febri junctae, vel ubi haec et illae per methodum antiphlogisticam generosiorem et in specie

per sanguinis subtractiones jam sunt fractae. De utroque fusius in phlogosium indigitatarum tractamine.

§. 105. *Depletiones sanguinis* ex apparatu antiphlogistico potentissima et citissima sistunt remedia. Distingui solent quoad effectuum intensitatem, extensionem atque tempus, in universales et locales; illis venaesectio, his hirudinum adplicatio et scarificationes sine et cum cucurbitulis imponendis accensentur. —

Venaesectione moles sanguinis corde vasisque movenda cito imminuitur, cum hac et expansio ejus, indoles plastica, vis stimulans, cordis porro vasorumque repletio, pressio, nimiaque irritatio restringuntur; inde sanguinis impetuosa propulsio moderatior redditur, aestus ac turgor vitalis mitigantur, obruta sublevantur viscera, spasmi solvuntur, circulatio liberior fit et aequabilis; facilitantur se- et excretiones, resorptio sanguinis, lymphae, seri congesti, in parenchyma effusi adjuvatur, sicque stases et extravasata tolluntur. Hi effectus denuo in vires suppressas liberandas cedunt, et aequilibrium inter systematis circulatorii partes atque hoc inter et systema nervosum altius restituendum. — Sanguinis per phlebotomiam evacuatio e vulnere amplo et pleno rivo contingens irritationem cordis ac vasorum citius ac potentius infringit, quam depletio ejusdem quantitatis, sed vel pluribus ictibus divisa, vel lento stillicidio obtenta.

Ab *hirudinum* morsu et suctu cutem nonnihil irritante ac laedente sanguis immediate vasis partium minoribus capillaribus, mediate et sensim vicinis anastomosi junctis subtrahitur, massae toti utique demendus; quare evacuationis effectus nominati, semper exigui, citius et manifestius in locis propinquis prodeunt, tardius ac minus luculenter in remotis atque speciatim in corde vasisque majoribus sequuntur.

Scarificatione absque vel cum cucurbitarum adpositione partes immediate magis laeduntur ac irritantur,

caeterum nunc dictis aequales tum topici tum universales inducuntur effectus.

Venaesectio in febre inflammatoria, quousque simplex ac pura est, non indicatur, et requiritur solum, ubi vehementior redditur atque cum inflammationibus componi minatur aut incipit. Eo frequentior illi locus est in febri indolis inflammatoriae *cum phlogosi non minima* i. e. in *synocha formata.*

Momenta venaesectionem in his febribus *indicantia* petenda sunt praecipue: *a)* ex *morbi* indole, forma, magnitudine, modificatione, stadio; accedunt alia *b)* ex *individui dispositione* quoad aetatem, sexum, constitutionem corporis ac animae tum sanam tum morbosam, consuetudines etc.; *c)* ex *causis occasionalibus* et circumstantiis in morbum influentibus sporadicis, domesticis, localibus, epidemicis, stationariis etc. nec non *d)* ex observatis atque notis *juvantibus* ac *nocentibus.*

Quoad morbum primo indicat indolis phlogisticae gradus altior. Hunc palam faciunt: pulsus frequens, fortis, durus, plenus, vibrans et in his constans; cordis palpitatio; respiratio difficilis cum pectoris oppressione; aestus et sensu et reipsa intensus non inamoenus, turgor universim adauctus, color laetior, imprimis faciei, oculorum splendentium, labiorum et linguae rubor; cutis, ejusque in cava oris et narium propagines siccae; sitis intensa cum desiderio summo potus frigidi, aquosi, aciduli; urinae parcae coloris flammei; alvus segnis, dura; cephalea gravis, artuum dedolatio etc. — Indicatio phlebotomiae ex his praevie statuta firmior evadit ac certior, si plura eorum et praecipue circulum, respirationem, calorem, turgorem sitimque spectantia adsunt, si constant imo intensitate ac numero augentur; si subjectum aegrum est juvenile, virile, robustum, bene nutritum, plethoricum, temperamenti sanguinei aut cholerici, in morbos inflammatorios dispositum, venaesectionibus adsuetum etc.; si causae excitantes febris fuerint e stimulorum poten-

tium serie ut: suppressio mensium, haemorrhagiarum habitualium etc., abusus spirituosorum, animi adfectus validi, refrigerium, violentia mechanica etc.; si genius denique morborum viget inflammatorius uti hieme frigida et sicca, primoque vere; si a tractamine et regimine praegresso incitante, calefaciente incrementum, ab antiphlogistico aut mitiore aut generoso levamen morbi ast transitorium et insufficiens inductum, si sanguis fors missus compactus fuit, densus, corio phlogistico tectus.

Circulationem et respirationem dum plethora major, topicae sanguinis congestiones, aut spasmi etc. impediunt, pulsus arteriarum tangitur suppressus i. e. parvus, debilis, inaequalis imo et intermittens, aut mollis aut durus, contractus. Talem pulsum venaesectio (caeteris jubentibus celebrata) magnum reddit, fortem, durum liberum, et sic non raro indicationem phlebotomiae iterandae explicat luculentissimam.

Quaeritur, *quando* instituenda sit *venaesectio, quanta, ubi, an* et *quousque repetenda?*

Diagnosi firma et statuta indicatione venaesectionem *absque mora* instituere oportet; atque jam *Celso* monente (de Med. L. I. c. 10.) nec provectum morbi stadium, nec aetas aegri infantilis, puerilis ac senilis, constitutio tenera, sensilis, diathesis scrophulosa, rhachitica, arthritica aut alia, obesitas, cachexia, nec menstrua, aut et haemorrhagiae non sufficientes, nec uterus gravidus etc. absolutas sistunt contraindicationes, sed majori adhuc quam secus cum prudentia et circumspectione in venaesectionibus incedendum esse monent. Licet enim venaesectio morbo adhuc recente et increscente plus emolumenti, idque certius adferat, quam illo diutius jam durante et altius in stadium evecto, nec tamen quintus aut posterior quicunque morbi dies contra veterum (*Cels.* l. c.), imo *Boerhaavii* adhuc sententiam, nec stadia acmes, decrementi et criseos, neque exacerbationis tempus necessitatem phlebotomiarum excludunt, dubiamque

reddunt rite administratarum utilitatem. Sic et pueritia, senectus et caeterae circumstantiae attentionem merentes hujus auxilii usum a morbo, causa, epidemia regnante imperatum restringere omnino valent, id vero ipsum absque noxa nec procrastinare, aut interdicere valent, nec supplere.

Quantitatem sanguinis mittendi determinant: morbi magnitudo, cum debita attentione in aegri aetatem, sexum, constitutionem etc.; stadium, duratio, compositio imprimis organorum inflammatorum dignitas, complicatio, dein modificatio per morbi causam, climatis, temporis anni, genii morborum regnantis potestatem, naturam organi inflammati inducta, tandem effectus tractaminis praegressi etc. Generatim infantibus ac pueris paucissimae, duae, tres, quatuorve unciae, adultis decem ad quatuordecim usque, rarissime plures, frequentius pauciores subtrahuntur. Sanguinem mittere ad animi deliquium, rarissime necessarium est, ubique incertum, et non vacuum periculo aut asphyxiae gravissimae oriturae, aut impedimentorum circuli et respirationis, jam subito jam lente vitae insidiantium. Missio sanguinis *e vulnere venae sat amplo*, sanguisque pleno rivo et non interrupto prosiliens solenniores inducit effectus, ac eadem quantitate partitis vicibus, vel uno quidem ast tenui rivulo lente prodiens, vel emulgendo stillatim obtentus. Convenit sanguinem excipere vasis non nimis amplis, unciarum mensura signatis, ut quantitas ejus certe cognosci, et qualitas rite observanda possit pro scopo dijudicari. — Bonum est, quandoque necessarium, adstare medicum ut venaesectionem dirigat; nam copia sanguinis requisita a circumstantiis non raro determinatur, nequaquam praevidendis, et copia debito major aeque obest ac minor.

Ut *locus* phlebotomiae celebrandae statuatur, interest videre, num febris inflammatoria adhuc sine vel jam cum eminenti phlogosi adsit. Ibi de celeri ac sufficiente

solum massae sanguinis imminutione, hic vero insuper de majori organorum adfectorum levamine *per derivationem* impetrando agitur; — ibi proinde e re foret, venam incidere amplo vulnere quamcunque, cordi vicinam, et sat magnam, praestat tamen aperire loco securo, deligationi apto sitam, quales sunt in antibrachio et manu cephalica, basilica et mediana, in pede et crure saphena magna et parva; hic vero consilio medicorum theoria et praxi clarissimorum a *Celso* et *Oribasio* ad nostros usque depletio fit in vicinia organi adfecti adeoque in eodem latere et, quousque conceditur, e venis anastomosim cum illo habentibus.

Num venaesectio, et quousque *iteranda* sit, ex signorum eam indicantium, supra enumeratorum, continuatione, cessatione, reditu, nec non ex sanguinis missi qualitatibus desumitur. Quemadmodum autem venaesectionis effectus desiderati non semper illico patent, sed saepe post sex, octo horas demum explicantur, ita etiam statim insecuti non semper constant, ut levamen ante sex octove horas fidum haberi nequeat. Quodsi symptomata indicantia post phlebotomiam eodem tenore aut nimis parum mitigata continuant, vel intra tempus dictum revertuntur, ad alteram, et hac ratione ad plures venaesectiones successive procedendum erit, donec vis morbi fuerit infracta. Quo citius post depletionem ingruit morbi recrudescentia, eo magis ad alteram properandum. Caveat autem medicus, ne signis singulis, iisque minus essentialibus minusque constantibus, et speciatim ne crustae phlogisticae sanguinis debito majorem tribuat valorem, eaque sola ad reiterandas phlebotomias determinetur; nec obliviscatur unquam, organismum etiam in morbis inflammatoriis ad finem vergentibus certo virium vigore opus habere, ut crisim perficiat salutiferam. Caeterum necessitas venaesectionum in morbo eodem repetendarum eo rarius recurret, quo plenius concessum fuerit, insurgente indicatione statim instituere primam, et quo ma-

gis eidem convenerint medicamina, potus, totumque regimen.

§. 106. Evacuatio sanguinis *per hirudines* in infantibus tenerrimis ob nimiam venarum parvitatem phlebotomiae vices agere debet; in aliis autem et in adultis solummodo indicatur *a)* si febris exigua venaesectionem non exposcit, phlogosis tamen incipiens aut formata, praesertim phlegmonosa, primaria et substantiva localem exigit depletionem; *b)* si febris inflammatoria intensior praemissis venaesectionibus et pleno earum effectu post moram necessariam conspecto plurimum et jam ita est fracta, ut repetitionem illarum quidem non desideret ipsa, inflammatio tamen symptomatibus proportionatim necdum imminuta perstat, ideoque haec localem adhuc sanguinis subtractionem fieri jubet; *c)* si virium vitalium debilitas per venaesectionem timenda vel consulto magis adaugenda non nisi exiguam, eamque lentam modo et successivam concedit sanguinis evacuationem; et *d)* si de revocando aut supplendo sanguinis fluxu agitur, cujus defectus in febrim praesentem generandam, aut intendendam et alendam facit.

Depletio per hirudines desideratis eo perfectius satisfacit, quo arctius organa inflammata mediantibus vasis nervisque consentiunt cum locis, quibus hirudines adplicantur.

Scarificationes cucurbitulis impositis, dum non solum magis irritant sed plura etiam vulnuscula infligunt, sub iisdem rerum positionibus rarioris sunt usus, et de regula, paucissimas exceptiones admittente, non in ipsis organis inflammatis, aut proximis, sed paulum remotis instituendae.

§. 107. Remedia antiphlogistica hucusque considerata in quolibet febris stadio gradui status phlogistici probe adaptentur oportet. Summam prae caeteris attentionem venaesectio et eccoprotica sibi vindicant; eorum enim abusus decursum febris turbat, crises beneficas

praepedit, vires vitales dejiciendo facile characterem nervosum vel certius putridum inducit, sicque morbum irregularem facit, compositum, protractum et periculosiorem.

Methodum antiphlogisticam debito citius derelinquere aeque malum est, ac justo diutius, et majore cum energia continuare. Ea potius, qua febris symptomata essentialia decrescunt, ratione quoad intensitatem et extensionem restringenda est. *Quamdiu vero sit continuanda*, ad diem certum et generatim accuratius determinari nequit, nisi donec vis morbi adeo infracta, et nimia reactio adeo prope ad gradum normalem sit reducta, ut ad crisim faustam brevi expectandam potentiarum irritantium, calefacientium quarumvis fuga, profligatio probabiliter nunc sufficiant.

§. 108. Crisim ipsam vario, ut supra dictum, tempore obtinentem, suisque phaenomenis et inter haec speciatim excretionibus certis manifestam, una cum hisce evacuationibus ritè dirigere, *tertia est indicatio* therapeutica. Tractamine congruo et circumstantiis utcunque saltem faventibus crisis plerumque per solam liberamque naturae activitatem contingit. Officium medentis tunc in eo solum versatur, ut partim omnem praecaveat turbationem, omneque impedimentum auferat, partim vias, quibus intrant evacuationes criticae, probe attentat, ut has pro necessitate adjuvare, promovere, vel et moderari, limitare conetur.

Si *sudor* criticus instat, vel jam accessit, viresque vigent, methodo antiphlogistica nunc seposita solam emollientem, diluentem sequi oportet, aegroque commendare, ut lectum servet quietus et moderate tectus calorem foveat, a refrigerii occasione quacunque cavens, ut infusis decoctisve tepidis fl. althaeae, verbasci, malvae, sambuci, herb. alth., etc. diligenter utatur. Si sudor criticus, utut prodromis quibusdam annunciatus, circulo nimium adhuc irritato praepeditur, antiphlogistica

remedia, minime tamen qua alvum ducentia, adhuc continuentur. Si virium activitatem moderatam nec infringere nec exaltare, sed versus cutem solum dirigere necesse est, potulentis memoratis jungatur usus aceti ammoniacalis, aut salis ammoniaci cum roob sambuci, aut tartari emetici dosi refracta, et his insufficientibus balneorum emollientium adplicatio cum partialium tum universalium, cataplasmatum pectori et abdomini imponendorum. Tractamen simile pro sudoris intensitate, duratione et effectibus jam continuare oportet, jam moderari, jam intendere aut plane omittere. Cavendum summopere, ne dicta sub rerum positione fiat tentamen, segniter comparentem sudorem medicamine forti, irritante, stimulante, calefaciente v. gr. infuso fl. chamomillae, camphora, vino, jusculo vinoso etc. violenter proliciendi. — Si vero sudor aequo largius ac diutius procedit, si levamen febris vix obtentum ideo evanescit signisque intrantis debilitatis verae cedit locum, prudenter moderandus est, et ad transpirationem convenientem restringendus. Regimen moderatius, egelida temperatura, integumenta levia, frequentior extra lectum mora, potus non adeo largus aquae egelidae aut merae aut cum acido sulphurico, elixirio acido H., infusi egelidi folior. salviae etc. huic indicationi convenient.

Ut *urinae criticae*, sudoribus criticis plerumque sociatae, rite moveantur, aegro, ut affatim bibat, injungendum, potus vero et medicaminum indoles pro ratione febris, conditione virium et aliarum excretionum criticarum simul praesentium quantitate, qualitate et ad illas relatione praescribendae sunt.

Ad *haemorragiam criticam*, ubi opus, expediendam potus faciunt emollientes tepidi, et pro partis sanguinem fundentis conditione ac situ vapores, fomenta, cataplasmata, balnea emollientia. Nimiae autem, pro re nata, opponuntur regimen quietum, subfrigidum, externe lotiones, epithemata, injectiones ex aqua frigida, aqua cum

aceto, nitro, sale ammoniaco, glacie, solutionibus aluminis cum aut sine gummi kino, vitrioli zinci, interne potus frigidiusculi, acida mineralia, alumen, elixirium acidum *Halleri* etc.

§. 109. Crisi feliciter absoluta indicationi *quartae*, promovendi *convalescentiam*, satisfaciendum. Ut febris recidiva praecaveatur, causas illius supra enumeratas sedulo vitare oportet. — Ex febri non valida et debito tempore ac modo tractata antehac semper sani exiguos experiuntur effectus, ideoque facile et cito convalescunt. Quies, somnus, diaeta eupepta, partim (initio praecipue) vegetabilis partim animalis, aër purus, animus serenus in individuis junioribus et robustis naturae in perficienda sanatione convenienter adjuvandae sufficiunt. In hujusmodi casibus frequentissimis diaeta multum nutriens et larga, medicamina roborantia, vinum, non solum non requiruntur, sed praemature adhibita inducendae potius recidivae sunt idonea. Signa vero debilitatis gravis, sudores debilitantes continui, dysorexia, dyspepsia etc. diaetam probe nutrientem modico aromate conditam, vini generosi blandi doses parvas, nec non remedia amaro-aromatica v. gr. absinthium, chamomillam, calamum aromaticum etc. sicut tincturam amaram, visceralem etc. sibi exposcunt.

Nota: Quibus methodis variae compositiones, complicationes, et morbi posthumi febris inflammatoriae sint curandi, in ulteriore hujus Therapiae expositione suis indicabitur locis.

Gen. II. Febres continuae putridae.

§. 110. *Febres putridae* (f. characteris putridi s. colliquativi) jam supra §. 73. definitae, et in simplices et compositas distinctae, uti omnis febris, systematis sanguiferi adfectione et celeriore cordis arteriarumque actione, manifestantur, ast, in directam febrium inflam-

matoriarum oppositionem, debilitate hujus actionis, nonnisi relate ad caeteras omnes functiones adhuc debiliores exaltatae dicendae; debili, imperfecta sanguificatione, ideo massae sanguinis imminutione, ejusque sicut humorum secretorum prava (venosa, antiphlogistica) qualitate, nisum in dissolutionem ostendente; celeri excrementorum omnium decompositione, putredine; accelerato sanguinis tenuioris motu cum pulsu frequente, molli, debili, parvo, inaequali et inconstante; se- et excretionibus auctis; imminuto turgore vitali; facili calorici uberius evoluti dissipatione; facili partium solido-mollium destructione, putrescentia; debilitate vitali vera universali, aegri sensui respondente.

Ex ratione §. 92. prolata hic agitur solum

De febri continua putrida simplici.

§. 111. *Febris putrida simplex* (f. characteris putridi s. colliquativi, synochus putris *veterum*, f. contin. putrida *Boerhaavii*) *ea est febris continuae species, quae systematis sanguiferi irritationem cum debilitate vitae universali, et humorum, ipsius speciatim sanguinis in dissolutionem* (putredinem) *nisu conjunctam exhibet, ab eminente essentiali adfectione topica immunis.*

H. Boerhaave, M. Stoll, Burserius, W. Cullen, S. G. Vogel, A. G. Richter, opp. cit.

C. de Mertens, obs. de febrib. putridis, de peste etc. Vindob. 1778. 8.

A. Fr. Hecker, üb. d. Natur und Heilart der Faulfieber. Berl. 1809. 8.

L. Bar. de Quarin, animadvers. practicae in diversos morbos. Edit. aucta. Vienn. 1814. 8. T. I. p. 47.

§. 112. Febris putrida rarissime *simplex* et *pura*, plerumque vero cum statu nervoso altioris gradus occurrit, ut iste in ejus nosographia a statu putrido arcte sejungatur; nomine febris *putrido-nervosae* vel *ner-*

voso-putridae tunc salutata. Alias cum inflammationibus quoque, cum statu gastrico-saburrali, bilioso, pituitoso, cum exanthematibus acutis etc. copulata, moxque sporadica, mox endemica, epidemica observatur.

Rarissime *primaria* est, per noxas inferius recensendas producta, communiter *secundaria* i. e. effectus et sequela morborum aliorum tam febrilium quam afebrilium, et quidem omnis cachexiae et cacochymiae gradus altioris, speciatim scorbuticae, a qua essentiam spectando non differt (ideoque scorbutus acutus febrilis habenda), porro febrium simplicium et compositarum, purarum et complicatarum e genere inflammatoriarum aut nervosarum nominis cujuscunque, si evolutio illius per earundem vehementiam magnam, longam durationem, neglectum, therapiam perversam, cachexiam aegri, tempestatem, genium regnantem, aliasque potentias infra nominandas inducitur, promovetur. Prodromis exceptis primariae consuetis, secundaria nec quoad symptomata essentialia, nec quoad decursus rationem ab illa distinguitur.

§. 113. *Febrim putridam* non subito exortam, *nec alio morbo productam (primariam)* pro momentorum causae occasionalium intensitate ac duratione brevius aut diutius antecedunt: sensus defatigationis et gravitatis universalis; animus indifferens, male dispositus, caput tentatum, obnubilatum, obtuse dolens; somnus inquietus, haud reficiens; dolores membrorum obtusi, vagantes, ventriculi et lumborum gravativi, pressivi; sapor fatuus, amaricans imo putridus imprimis mane; anorexia cum continuo plenitudinis et saturationis sensu; horripilatio fere perstans intercurrente hinc inde calore; pronitas in sudores; alvus et urinae multum foetentes. — Accedit dein *frigus* utplurimum validum, quod excipit *aestus* jam moderatus jam intensus, advertente jam *Galeno* manum tangentis modo singulari ingrato feriens, *mordax* dictus; concomitantur magna virium prostratio, desponsio animi aut indifferentia, stupor, facilitas in ly-

pothymiam levi sub intensione, sapor putridus, ciborum fastidium; pulsus communiter frequens, mollis, parvus, debilis, inordinatus, variabilis, aliquando functionibus omnibus summopere laesis sano vix frequentior, vel imo rarior, alias praecipue initio morbi inflammatorio similis plenus, sat fortis, defectu autem duritiei ac tensionis, inaequalitate, inconstantia, et deficiente cum caeteris symptomatibus essentialibus concordantia ab illo distinguendus; sitis vel exigua aestui et linguae siccitati minime respondens, vel inexplebilis; urinae variae, jam turbidae et crassae, coloris succolatae, jam obscure rubrae, bruneae, cum sedimento lateritio nequaquam bono, jam caerulescentes cum sedimento plumbei coloris, jam nigricantes, foetidae; alvus nunc obstipa abdomine serius tenso et inflato, nunc valde mollis diarrhoica cum excrementis bruneis, discoloribus, nigrescentibus, sanguinolentis intense olidis, morbo majore involuntarie secedentibus; cutis coloris proprii quasi spurci, luridi, utut initio sicca, postmodum mollis, madida, sudoribus viscidis, oleosis tecta, penes halitum, omnesque materies excrementitias male olentibus, quandoque cadaverosi foetoris. Circa diem quartum, quintum, septimum, sed et citius ac serius, *petechiae* comparent i. e. maculae parvae, a puncti crassioris ad lentis minoris magnitudinem, supra cutem non elevatae, nunc pallide aut laete rubrae, nunc purpureae, nunc lividae, nigrescentes, jam discretae, jam ampliatae confluentes, et *vibicum* referentes formam, minoribus per interstitia dispersis. Communissime in collo, pectore, interna extremitatum, praecipue antibrachiorum facie, in dorso, et si numerosissimae sunt, insuper infra mentum, retro aures, nec non in vultu praesertim in palpebris superioribus prodeunt; non nunquam cutis innumeris peticulis coacervatis quasi marmorea prospicit. Rarius in cutem profundius pertingunt, plagasque gangraenescentes aemulantur. Non essentiales sunt huic febri, nec febris ge-

neratim illis. Cum vel sine petechiis quandoque miliaria febrim putridam, modo non essentiali, comitantur; pariter aphthae, furunculi, bubones. Oritur facile decubitus, ejusque et plagarum a vesicantibus, synapismis aut aliunde laesarum gangraena vel suppuratio diuturna. Sequuntur haemorrhagiae narium, intestinorum, organorum uropoëticorum, in foeminis uteri; rariori casu aurium et oculorum, sanguisque ita vel per venaesectionem forsan evacuatus est tenuis, fluidus persistit cum copioso sero turbido, cruento; crusta lardacea nonnunquam sed tardius ad cruoris superficiem formata jam tenuior jam crassior mollis est, quasi gelatinosa, digito facile perfodienda; non aequabiliter albida, brevi diversicolor; subtus cruor non solidus, sed saepe pultaceae mollitiei, coloris bruneo-nigri, livido-virentis, quandoque membranula albicante, muciformi sacculi ambientis instar circumvolutus. Dolor capitis minus vehemens ac in febre biliosa, potissimum pressivus, ad basim cranii residere videtur, junctus plerumque stupori, sopori, quos deliria vesperi praecipue et noctu placida, murmurantia, quandoque tamen et impetuosa, ferocia comitari solent. Mentis haec perturbatio et manuum tremores, advertente *Vogel*, ea ratione increscunt, qua pulsus debilior evadit. Oculi rubent, tument, hinc inde dolent, turbidi, quasi pulvere conspersi, vitrei, obtutu languido, alienato, palpebra superiore oblique versus angulum externum prolabente; anguli muco lurido impleti; susurrus aurium, baryecoia imo acoia auditu tarde sub reconvalescentia vel nunquam redeunte; nares siccae, fuliginosae; lingua initio albida brevi sicca evadit, rubra, calida, aut brunea, nigra, contracta, fissa, tremula, ab aegro haud porrigenda, vel viribus exhaustis, sudoribusque ac diarrhoea colliquativis iterum humescens; labia, dentes, totum oris cavum muco bruneo, griseo aut nigrescente lurido, iterum iterumque restituendo conspurcata; dysphagia nonnunquam cum dolore; dolo-

res vagi initio morbi pro rheumaticae febris phaenomene incautis imponentes.

Altiores febris putridae gradus tremoribus membrorum insigniuntur, subsultu tendinum, carphologia, meteorismo, emphysematibus vario loco, lipothymiis, sudore frigido, profluviis colliquativis, sub quibus sicut aliis virium exhaustarum et summae humorum dissolutionis signis evolutis, casu infausto paralysis universalis, tandem mors superveniunt.

§. 114. Symptomata non essentialia multum variant; et vix non omnis febris hujus epidemia proprii quidquam offert. Nec ipse character putridus nunc descriptus semper liquet; quandoque enim initio vires utcunque vigent, pulsus plenus, non debilis tangitur, qui cum doloribus fugacibus pectoris et vagis membrorum, et cum lardacea forsan in sanguine evacuato crusta diagnosim initio reddere valet ambiguam. Unde omnium diagnosticorum momentorum collectione sedula, speciatim prudenti epidemiae regnantis observatione, aestimatione, magnaque in medendo cautela opus. Circa quartum, quintum diem, aut et serius indoles febris clarissime evoluta spectatur.

§. 115. Febris putrida *secundaria* prodromis primariae (§. 113.) destituitur; vigentibus potius adhuc morbi primarii symptomatibus numero ac magnitudine variis essentialia febris putridae phaenomena jam segnius jam rapidius evoluta admiscentur. Illa vero, febris putridae exordio et exacerbationum tempore manifestiora, febre increscente obfuscantur, subjugantur, decrescente autem et crisi fausta procedente rursus utut minora comparent, sensim mitescunt, donec febris crisi, criseos morbi primarii formam simul referente, perfecta cessent.

§. 116. *Magnitudo* aeque ac *duratio* febris putridae tam primariae quam secundariae plurimum variant. Nonnullis in casibus symptomata recensita inveniuntur omnia consociata, et cito evoluta, morbusque cito, intra septem dies, jam fauste jam infauste judicatur. Rarius de

sporadicis quam de epidemicis febribus putridis haec valent, quae altissima gradu ferocia pestem assequuntur. A nonnullis pro *vero typho putrido* declarantur. Alio tempore multa expositorum eaque vehementissima et periculosissima desunt symptomata; lentius tunc malum decurrit, ad diem decimum quartum, imo vigesimum et primum protrahitur, et decursus rationem non raro exhibet decursui typhi contagiosi similem, a *Val. ab Hildenbrand* exacte ad naturam delineati.

Epidemicae *sudor Anglicus* dictus accensendus, *febris sudatoriae* nomine primum in Anglia 1485 observatus. Aestu interno summo, siti clamosa, cephalalgia et gasteralgia citra vomitum et exanthema, praecipue autem sudore largissimo foetidissimo insigniebatur. Brevi multumque lethalis esse solebat. Rarius in posterum comparuit; summe contagiosus; adfinis pesti habitus.

§. 117. Febris putrida ut quivis morbus vel in *sanitatem*, vel in *morbos alios* abit, vel *lethalis* evadit. — Crisis fausta sequentibus sub phaenomenis intrat: pro vehementiore aut mitiore decursu symptomata febrilia die septimo, nono, decimo quarto aut vigesimo primo insigniter decrescunt, activitas systematis circulatorii fortior fit et liberior, circulatio ipsa regulae magis appropinquat, cessant evacuationes morbosae, symptomaticae, eriguntur functiones systematis nervosi, redit genuinus aegri sensus de statu suo, qui de delassatione ac debilitate conqueritur, somno per vices reficitur et recurrente gaudet appetentia; accedit plerumque *sudor criticus* a priore symptomatico probe dignoscendus, nec non *urinae*, si hucdum eminentes corruptionis notas et speciatim sanguinem non continuerant, nunc primum turbidae et sedimentum flavo - bruneum vel rubrum, leve ac largum deponentes, ni alia contradicunt, criticae habendae. Vomitus, diarrhoea, nisi febris statui gastrico nupta, raro eandem significationem praeseferunt; ptialismus in variolis, scarlatina, cynanche, pneumonia cum febre putrida ingressis

salutaris criticus visus; sic nonnunquam et furunculi, parotides, baryecoia, ipsa surditas, hydroa ad labia et nares.

§. 118. *Morbi*, in quos febris putrida imperfecte aut, quoad excretiones, non judicata *transire* observatur, sunt: glandularum salivalium, inguinalium, axillarium intumescentiae, inflammationes; furunculi; carbunculi, anthraces quandoque ut illi metastasim criticam constituentes; baryecoia, acoia perstans; metastases variae ad cerebrum, medullam spinalem, intestina, pulmones etc.; inflammatoriae, serosae, puriformes, facile in gangraenam abeuntes, plerumque cito exortae, summe periculosae, imo lethales; febris lenta; digestionis, sanguificationis, nutritionis languor chronicus; cachexiae uti hydrops, phthisis pulmonalis; partium paralyses, atrophiae, amaurosis etc.

§. 119. In *mortem* febris putrida terminatur *a)* universali virium vitalium exhaustione, per symptomata paralytica et soporosa et per signa universalis humorum dissolutionis sese manifestante. Paralysis jam a sphincteribus vesicae et ani, a musculis intestinorum, ventriculi, aesophagi, pharyngis, jam ab extremitatibus, jam a cerebro et sensuum organis, jam a pulmonibus aut corde et arteriis conspicue orditur, inde nunc cito nunc lente per totum diffunditur organismum; vel *b)* partium singularum externarum gangraena et sphacelo cum foetore intolerabili rapide progrediente ac intra paucos dies lethali; vel *c)* inflammationibus metastaticis internis v. gr. intestinorum, ventriculi etc. vehementibus, in gangraenam lethiferam cito terminandis; vel demum *d)* extravasatis serosis, cruentis intra cava cranii, thecae vertebralis, thoracis; quorum ortum et praesentiam declarant respiratio brevis, valde laboriosa; pulsus admodum frequens, duriusculus; obtutus fixus, strabismus; alvi et urinarum retentio; cutis sicca; — convulsiones cum morte apoplectica vel suffocativa.

Cadavera febre putrida defunctorum diu manent calida, flexilia, rigiditatem cadaveribus caeterum communem nunquam offerunt, et citissime putrefiunt. Secta notas effectuum hujus febris lethalium, nunc *a—d* enumeratorum, nec non eminentia saepe corruptelae in internis signa, ut maculas et plagas obscure rubras, lividas, nigras, ecchymoses in pulmonibus, ventriculo, intestinis aliisque visceribus, haec eadem valde mollia, marcida, facile laceranda, sanguinem tenuem, dissolutum, discolorem, atrum, etc. exhibent.

§. 120. *Dispositionem* in febres putridas momenta gerunt illi in febres inflammatorias directe opposita, videlicet: constitutio corporis debilis, laxa; temperies phlegmatica; humorum laudabilium, imprimis sanguinis boni penuria; debilitas vitae generatim et sanguificationis speciatim ac nutritionis imperfectae. Hinc subjecta utriusque sexus senilia, decrepita, enervata, cachectica, quemadmodum scorbuto, hydrope, phthisi, syphilide, rhachitide etc. laborantia in putridas magis ac in inflammatorias febres aut nervosas disponuntur.

Ad *momenta causae excitantia* spectant, quaecunque organismi totius vires multum labefactare, irritabilitatem infringere, sanguificationem insigniter laedere, ipsiusque sanguinis coagulabilitatem imminuere valent, speciatim: *a)* febres inflammatoriae haud secus ac gastrico-saburrales, biliosae, pituitosae, nervosae, aliae, perquam vehementes, neglectae, perverse tractatae; *b)* sanguinis, salivae, seminis, humorum intestinalium aliorumve dispendia immodica; intensiones virium corporis ac mentis facultatum protractae, nimiae, praecipue cum humorum jactura, aut nutritionis defectu junctae; affectus animi et pathemata deprimentia, tristitia, moeror, curae, metus, anxietas; putredo ulcerum majorum vel plurium, sphaceli; sordes primarum viarum, secundinae, urinae retentae putrescentes; — *c)* atmosphaera humida et aestuans; inde praegressa et praesente tempestate

continuo humida et calida, inde in regionibus maritimis, in insulis, climatibus fervidis numerosae febres putridae; — aër impurus, substantiarum vegetabilium et animalium putrescentium effluviis, hominum multorum in locis angustis degentium respiratione, sudoribus aliisque excrementis corruptus, inde magnus febrium nominatarum numerus locis depressis, ad latas paludes sitis, inundatis, in proeliorum viciniis, praesertim tempore aestivo, in castris, contabernis militum, nosodochiis, ergastulis, navibus, pauperum tuguriis angustis aut oppletis, humidis, tenebrosis, squalidis; — *d)* nutrimenti penuria, cibi ac potus aequo minus nutrientes, corrupti, putridi, quemadmodum usus carnium ejusmodi, ovorum, piscium, farinae, panis, aquae; inde frequens putrida febris frugibus depravatis, insufficientibus, premente annonae caritate, saeviente fame, obsidione urbes diu adfligente; — *e)* abusus medicaminum solventium, praecipue salinorum, uti alcalinorum, antiphlogisticorum salium, mercurialium, saponum etc., abusus substantiarum narcoticarum; — *f)* venenum serpentum nonnullorum (potissimum exoticorum); contagium typhi pecorum et hominum, utut hoc febrim suae speciei generet, cui character putridus essentialis non est, quemadmodum in tractatu de typho ostendetur.

§. 121. Patet ex hucusque dictis, febrim putridam morbum esse acutum, ex febri et debilitate universali vera cum humorum in dissolutionem nisu compositum. *Essentiam* ejus proinde in systematis circulatorii intensione per irritamentum quidem provocata et partim adversus illud directa, ast infirma, vitae sanguinis ipsius imminutae, celeri miscelae mutationi, speciatim ejusdem ac humorum secretorum omnium in dissolutionem nisui conjuncta, atque in vera functionum voluntariarum et involuntariarum omnium imbecillitate consistere videtur.

§. 122. In *prognosi* natura, magnitudo, aetas, decurrendi ratio, stadium, nec non symptomata singula

febris putridae, tota aegri constitutio, causa excitans, et auxilium a natura et arte expectandum consideranda veniunt. Juxta hac generatim statuenda sunt sequentia:

Febris putrida semper periculosior ac inflammatoria; debilitati enim jam nupta vires vitales in decursu magis pessumdat, cum prava humorum miscela et organisatione vitiata mutationes humorum et partium solidarum aeque ac virium comites secumfert, ad organismum dissolvendum adeoque vitam pariter extinguendam directe ducentes, ob virium vitalium defectum difficilius ac in febre inflammatoria per artem corrigendas.

Nonnisi leviori gradu, circumstantiis faventibus, quandoque et sine artis auxilio, sanatur; rarissima vehementis feliciter abactae prostant exempla.

Augent periculum intensus febris gradus, jam antea praegressa debilitas magna, aut cachexia cujuscunque indolis ac formae altior, causa excitans valida, adfectio plurium organorum nobilissimorum vehemens, paralyseos et dissolutionis signa cito irruentia, tractamen diagnosi erronnea nullum, nimis sero inchoatum, vel perversum, decursus admodum acutus, complicationes gravissimae.

Pessima habentur signa: virium lapsus, praesertim jam morbi initio repentinus, ex causis cognitis minime explicabilis; defiguratio faciei magna, subitanea, totiusque physiognomiae alienatio; emphysemata hinc inde; meteorismus cum diarrhoea et debilitatis ac soporis incremento; petechiarum livor; plagarum vesicantibus etc. laesarum gangraena; lingua siccissima, nigrescens, fissa, tremula; delirium continuum cum tendinum subsultu, carphologia, singultu; situs neglectus, dorsalis cum trunci versus pedes delapsu; conatus surgendi et fugam petendi inanes, defatigantes; anxietas; respirium summe laboriosum, stertorosum; pulsus frequentissimi, debilissimi, parvi, vacui, vacillantes, intermittentes; profluvia colliquativa omnis generis praecipue haemorragiae; atmosphaera aegri foetens; alvi ac urinarum excretiones

involuntariae et aegro inscio contingentes; haemiplegia amaurosis, convulsiones. — Reliqua prognostica ex descriptis supra febris putridae terminis desumenda.

Periculum maximum ex febri hac subeunt subjecta intensionibus corporis ac mentis, pathematibus animi deprimentibus, inedia, humorum dispendiis, dissoluta vivendi ratione, syphilide, scorbuto etc. confecta, visceris alicujus destructione laborantia, senectute decrepita. Individua juniora, tenera, sensibilia in nervosam potius disponuntur febrim, in putridam vero delapsa admodum periculose habent; attamen in epidemiis hujus generis homines facilius nonnunquam evadunt, validi contra, robusti, bene nutriti graviter mulctantur, saepiusque pereunt. Gravidae atque puerperae communiter in statum summe ancipitem conjiciuntur.

Exitio plerumque est febris putrida aegris, jam antea gravi cerebri aut cordis, aut pulmonum, ventriculi, hepatis, lienis, intestinorum etc. morbo detentis.

Dum fiunt metastases, prognosis cum gradum decrementi essentialium febris putridae symptomatum, tum partis correptae dignitatem respicit. Glandularum supra memoratarum tumores cito in inflammationem ac suppurationem abeuntes tempore criseos fausto favent praesagio. De abscessibus in cute exteriora versus cito natis idem fere sentiendum. Anceps autem est, tumorem ac inflammationem, quin ad suppurationem perveniat, brevi disparere. — Extremitatum, auris externae gangraenam saepe earundem jactura insequitur haud lethalis.

§. 123. *Curatio* febris putridae ad *indicationes* circa febrium tractamen in genere statutas *cardinales quatuor* dirigatur, est necesse.

Indicationi *primae* ut satisfiat, pro momentorum excitantium, nec non febrim putridam alentium diversitate varium requiritur tractamen. Convenient itaque hunc in finem nunc debita febris inflammatoriae, aut gastricae, rheumaticae, catarrhalis, exanthematicae in putridam

nitentis cura; nunc nimiae humorum jacturae restrictio, sedatio; nunc animi exhilaratio, corporis ac animae quies; nunc saburrarum in primis viis, secundinarum putrescentium, partis sphacelosae amotio; nunc renovatio, depuratio et correctio aëris, habitaculi mutatio; nunc nutrimenti copia largior, qualitas melior etc. Si causae excitantes tempestive auferri queunt aut enervari, morbusve primarius ad faustum perduci finem, nascenti nonnunquam frena injiciuntur malo, ipsumque in germine suffocatur. Remedia requisita pro noxarum indole, aegri, aut aegrotandi periculo expositi constitutione, pro actionis morbificae loco variant, prudentique cum naturae morborum imminentium aut jam vigentium respectu seligantur et adplicentur.

Quae febrim putridam sustinere, intendere valent, ex numero §. 120. recensitorum momentorum occasionalium esse possunt, uti: aër corruptus, effluvia putrida, cibi potusve depravati, animi pathema torquens etc.; speciatim vero aër cubiculi multum calens huc referendus. Necessarium est, hujus temperaturam ad + 10° — 12° therm. R. imminutam aequabiliter sustinere, eandemque tempore aestivo calido per ventilationem circumspectam, praepeditum radiorum solis accessum, frondes virescentes aquae recenti immissas in cubiculo servatas, iteratas pavimenti cum aqua frigidiuscula conspersiones etc. arte parare et conservare. Lectus simul sit refrigerans saltem non calefaciens, integumenta levissima.

§. 124. Pro *indicatione altera* implenda *essentiam* febris putridae attendere, morbosum igitur organorum circulo et multifariis secretionibus dicatorum, nec non assimilationis et qualitatum sanguinis statum considerare, ejusque rationem ad vitae in toto organismo conditionem, in febribus secundariis insuper ad morbos primarios, prudenter pensitare oportet, singulisque si opus *symptomatibus* congrue occurrere. Quare indicatio ista in duplicem tendit scopum, *a)* in essentiam videlicet febris no-

minatae oppugnandam et tollendam, simul *b)* in symptomata ejus et effectus periculosos amovendos.

a) Juxta determinationem characteris essentialis §. 121. factam indicatio eo tendit, ut systematis circulatorii irritatio tollatur, vires vitales in toto exaltentur organismo, humorum dyscrasia et dissolutio sistantur, in miscelam et formationem convertantur sanam, solidaque laxa firmentur. Quemadmodum irritatio febrilis respici potissimum debet initio febris ex inflammatoria natae, gradu morbi mitiore, hujusque exacerbationum tempore, ita potior debilitatis et humorum degenerationis ratio habenda malo jam puro, progresso, graviore, viribus multum lapsis, colliquatione manifesta, statu nervoso simul adjuncto. Eminente debilitate vitali indicatio vitalis caeteris omnibus superior urget. — Complicationi gastricae etiam initio morbi methodus saburras solvens, sursum vel deorsum evacuans opponenda haud debilitans, potius erigens.

Quare vigore symptomatum febrilium adhuc praevalente irritamenta quaecunque febrim intendere valentia arceantur, et moderamen lucis ac praesertim temperaturae, corporis animique quies, abstinentia ab irritantibus cibo, potu, medicamine, potulenta refrigerantia acidula, integumenta levia adhibeantur oportet. Conveniunt autem *acida mineralia*, sulphuricum, muriaticum dilutum prae vegetabilibus, vehiculo aquoso parum mucilaginoso temperata seu potus seu medicinae titulo sumenda, sic et balnea simplicia egelida; nocet tractamen antiphlogisticum simul debilitans omne, speciatim sanguinis depletiones summum morbi periculosissimi gradum rapidissime accersunt. — Indole putrida febris ex calore mordace, se- et excretionibus colliquativis, petechiis etc. manifesta, non memorata solum acida sed alia quoque incitantia tonica ac plus minusve diffusibilia in usum vocanda; ad quae referuntur: cortex peruvianus, lichen islandicus, cortices salicum, hyppocastani, quercus,

cascarillae; valeriana, angelica, serpentaria, chamomilla, mentha, salvia, ruta etc. Indicantur *acida mineralia* praecipue in febre putrida, bilioso-putrida, aestiva magnis dosibus — dr. duarum, unciae dimidiae etc. intra nycthaemeron — pulsu pleno, accelerato, non duro; facie rubra; vultu truce; delirio furioso, absente inflammatione. Ubi dentium stuporem, tussim, cardialgiam aut tormina et diarrhoeam faciunt, elixirio acido Halleri supplentur, dosi minore porrigendo. — *Corticis peruviani* usum indicant in febre putrida longa foeminarum, virorum debilium, laxa solidorum compage, humorumque tenuitate, aestate humidiore simulque calidiore, virium defectus crises tardans post evacuationes quascunque nimias; pulsus debilis, mollis, parvus; aestus non intensus; typus remittens aut ex remittente, intermittente continuus factus; constitutio febrium intermittentium corregens; instans gangraena. (*Stoll* aphor. 496.) Linguae ac cutis siccitas, levis respirii difficultas, tussicula tum non contradicunt. Vetant autem plethora, inflammatio, saburra praesens, meteorismus, calor urens, dyspnoea. Dandus est cortex peruvianus forma pulveris, aut si ista non fertur, decocti, infusi, extracti, dosi magna, solus aut cum coindicatis passim adjuvantibus passim corrigentibus acidis, aromaticis, spirituosis etc. Sic et cortices supra nominati.

Magnae simul virium debilitati pro adjuncta *irritabilitate* vel *adaucta* vel, uti plerumque, *imminuta* et statu tum quandoque paralysi proximo, occurrendum methodo stimulante, nervina, ibi blandiore, hic fortiore ac potenter irritante. Cum tamen vires deficientes per alterutram non directe sed mediante solum processus vitalis vigore restitui possint, sors aegrorum a studioso remediorum selectu et administrationis modo congruo plurimum pendet. Quadrant *in casu priore*, per notabilem systematis circulatorii concitationem hinc inde et speciatim exacerbationum vespertinarum tempore recurren-

tem, per sensibilitatem universim et in organis sensuum speciatim nimiam etc. cognoscendo, remedia non adeo systema vasorum exstimulando quam nervosum erigendo ac reficiendo paria, ut: *chamomilla*, *valeriana*, *castoreum*, *moschus*, *asa foetida*. Haec et in febri nervoso-putrida aptum inveniunt locum. *Altero in casu*, per pulsum parvum, mollem, debilem utcunque aequalem, sudores viscidos, artus frigidos, faciem pallidam, collapsam, soporem cum delirio miti, vocem debilem, indifferentiam, continuum trunci ad crura delapsum manifesto, conveniunt potius: *arnica*, *camphora*, *angelica*, *imperatoria*, *calamus arom.*, *serpentaria*, *vinum* eique analogi *spiritus aetherei* ac *aetheres* ipsi, *liquor cornu cervi*, et casu necessitatis *phosphorus*; externe: *vesicantia*, *synapismi*; *enemata*, *lotiones*, *fomenta*, *balnea aromaticis*, *spirituosis* principiis imbuta.

Florum *chamomillae* vulg. et rad. *valerianae* seorsim aut junctim ex dr. duabus — tribus ad colaturam librae paranda infusa sola vel cum decoctis cort. peruviani etc. interne, sic et fortiora enematis forma adplicantur, extracta decoctis tonicorum supra recensitorum adduntur. — *Moschus* et *castoreum* laudanda in statu spastico, tremoribus, contractionibus hinc inde praesertim musculorum faciei, tendinum lusu, cute sicca, partium solidarum tensione, pulsu parvo, duriusculo, urinis pallidis, aquosis se prodente. Illius gran. sem. — un. — duo, hujus duo, tria—quinque cum saccharo in pulvere, vel subacta mucilagine in aqua aromatica, forma julepii, cochleatim omni hora aut bihorio exhibentur. — *Asa foetida* ob odorem ac saporem nauseosum interne multo rarius, quam in clysteribus, a scrupulo semis ad drachmam semis subacta, adplicatur. — *Flores arnicae* in decocto, infuso ex drachma una ad duas pro libra, in extracto, irritantes, subemetici, alterantes, summe proficui in irritabilitatis defectu, hinc in sensuum internorum externorumque torpore, tarditate, anaesthesia cum delirio

murmurante, urinis, calore, pulsu naturalibus aut ad naturales prope accedentibus, lingua sicca aut muco largo tecta. (*Stoll* rat. med. P. III. p. 159 etc. — Aphor. 498.) — *Camphora*, *infusa* ex radicum angelicae, calami aromatici, imperatoriae etc. dr. duabus-tribus paranda, prioribus juncta tam interno quam externo inserviunt usui.

Vinum ob vires analepticas, systema nervosum modo specifico refocillantes, erigentes animum, systema circulatorium excitantes, hacque ratione materiae organicae decompositionem inhibentes ac auferentes, praecipuum hic tenet locum. Eminent in scopum praesentem austriacum annosum, rhenanum, nessmülense et schomlaviense, his deficientibus nobiliora quoque, dulcia cum acidis supra nominatis alternata. Porrigitur cochleatim merum aut aqua dilutum. Aegri desiderio nonnunquam vehemente ducti largiore quidem quantitate, non absque noxa solum, sed cum emolumento etiam ferre solent vinum, hujus tamen usus prudente semper circumstantiarum omnium et vini effectuum pensitatione dirigendus est. — Virtute analoga, stimulo autem magis diffusibili ac penetrante gaudent: *spiritus aetheris* muriatici, nitrici, sulphurici, aether aceticus, sulphuricus etc.; decoctis, infusis supra memoratis adduntur. Debilitate maxima, pulsu mollissimo, tremulo, imo intermittente *Quarin* et *P. Frank* miscelam ex partibus anaticis aetheris sulphurici et tinct. castorei, vel simul liquoris corn. cerv., dosi guttarum duodecim ad viginti omni ½—1 hora, laudabili hinc inde cum effectu praescripserunt. Conveniunt insuper eadem sub rerum positione: liq. c. c. solus, ol. animale Dippeli, sal volatile corn. cervi, alcali volatile siccum variis in formis ac combinationibus, olea aetherea saccharo excepta in infuso vel aqua aromatica, cum dosi majore liq. anod. m. Hoffm. aut sp. aetheris sulphurici; et sensibilitate vitali penitus obtusa vitaque exstingui minante, ipse *phosphorus*. Hujus aethere sulphurico vel oleo amygdalarum soluti, usus ab $\frac{1}{8}$ ad $\frac{1}{6}$ grani partem

pro rerum statu omni ½—1 vel secunda hora magnam cautelam, speciatim abstinentiam a potibus aliisve fluidis aquosis, sibi exposcit, ne sua excutiatur e solutione, indeque purus cardialgiam, inflammationem cum gangraena inferat.

Vesicantia irritamento dolorifico virium vitalium inertiam exstimulant, circulum humorum concitant pulsusque efficiunt contractos, parvos; diaphoresim promovent; urinas primo augent dein imminuunt cum tenesmo; alvum fluidam cohibent; largius adplicata systema uropoëticum inflammant. (*Stoll* aph. 499.) *Synapismi, epispastica alia* communes irritamentorum cuti admotorum effectus, dolores, adauctum humorum adfluxum, inflammationem superficialem producunt, quare vesicantibus praeferendi, surisque, femoribus, brachiis imponendi, si congestio ad encephalum, hujusque irritatio praevalens aucto faciei turgore, obtutu vivaci, inconstante, delirio vehemente proditur, et si major sanguinis in resolutionem nisus, ne gangraenosa a vesicantibus ulcera inferantur, justum incutit metum. Pro re nata vesicantia nuchae, dorso, brachiis, suris aut femoribus adplicantur, nec aequo diutius reliquenda, nec eodem loco repetenda. Gangraena fors orta quemadmodum decubitus gangraenosus §. 125. curanda.

Balnea tepida tam simplicia (*Gilchrist* Samml. ausserl. Abh. B. V. S. 182. et *Lentin:* Memorabilia circa aërem etc. p. 24. et seq.), quam aromatica et adstringentia (*Bilguer* Versuche u. Erfahr. üb. die Faulfieber und Ruhren etc. Berl. 1782.) cum infuso fortiore flor. chamom., vel specierum aromaticarum, aut decocto corticum quercus etc. addito nitro aut potius aceto parata multum proficiunt. *Vogel* (Handb. d. pr. Arzneyw. 2. Th. S. 58.) balnea tepida, cutisque simul cum sapone depurationem sudore viscido, frigido hinc inde prorumpente, artubus frigidis, anxietate recurrente, tumentibus praecordiis, rigore cum inordinatis nervorum motibus (ex impedimen-

tis, quae natura in crisim praestandam devincere conatur), vel maxime convenire existimat. Balneorum defectu *lotiones* totius corporis cum aqua tepida saponata, infuso fortiore aromatico aquoso aut et vinoso, vino tepido, aut spiritu saponis, camphorato, aromatico, aut aceto aromatico commendari merentur.

§. 125. Ad *symptomata*, quae jam essentialia jam lateralia, imo et critica, dum excedunt, penes therapiam febris naturae, magnitudini, stadio etc. adcommodatam non raro peculiarem sibi exposcunt medelam, referenda sunt: *a) Haemorrhagiae* narium, intestinorum, uteri, viarum urinalium, ulcerum etc. His interne, stimulos diffusibiles evitando, decocta corticis Peruviani, quercus radicis tormentillae, ratanhiae etc. cum acido sulphurico diluto, alumen, viribus multum lapsis vinum Budense parca dosi, externe-citra temperaturam superius commendatam moderatissimam, regimen quietum ac situm convenientem, habita semper fontis ratione epithemata, injectiones frigidae, aluminosae, kinosatae, turundae simplices, aut aceto, aut adstringente liquido impraegnatae opponuntur. — *b)* In *diarrhoeam* putridam, symptomaticam, vere colliquativam, exhaurientem *Stoll* (aph. 501.) radicem arnicae forma pulveris vel infusi, *Vogel* solutionem aluminis in infuso vel aqua aromatica cum mucilagine, alii corticem radicis simarubae, radicem tormentillae, columbo etc. in decocto cum opio et speciatim theriaca merito commendant. Externe simul enemata mucilaginoso-aromatica parca cum opio, fomentationes abdominis siccae aut humidae aromaticae, aromatico-vinosae, unguentum volatile aut aromaticum aliquod cum camphora, lotiones aromatico-spirituosae, synapismi adhibentur. Ubi statu gastrico-saburrali, bilioso, catarrhoso etc. praegresso neglecto, perperam tractato, emeticis vel purgantibus incongrue aut nimium adhibitis meteorismus insignis, abdominis aestus, dolor sub pressione profunda infra umbilicum et versus regionem iliacam

dextram perceptus, sopor, lingua brunea, arida, rigida, febris fortis pro intestini ilei et coeci adfectione inflammatorio - ulcerosa, qualis in febre nervosa frequens, pugnant, tractamini mox exposito emolliens, topice saltem antiphlogisticum praemittendum est, dein potenter, derivans epispasticorum ope subjungendum. Conf. infra §. 146. — *c) Meteorismus* initio frictionibus iteratis abdominis, fomentis ac lotionibus aromaticis etc. mox nominatis, clysteribus aromaticis cum camphora, in casu pertinaci fomentis frigidis abdomini per momenta adpositis, nec non enematibus frigidis cum aceto tractatur. — *d)* Moderamen *sudorum* colliquativorum iisdem, quae contra haemorrhagias ante memorata sunt, remediis internis, potulentis, temperatura, regimine egelidis impetrandum, nec non iterata, si vires ferunt, aegri mora extra lectum. — *e) Decubitus*, inflammatio cutis variis plagis favente debilitate per pressionem sub situ potissimum inducta, phaenomen sistit valde dolorificum, facile in ulcera et gangraenam abiens, saepe convalescentibus adhuc summe molestum, damnosum. Praecavetur facilius ac sanatur. Prophylaxis consistit in congrua febris putridae therapia, in munditie continua summa, stragulis aequalibus, solido - mollibus elasticis et non calefacientibus, supposita speciatim pelle cervina aut linteo vel serico cerato, situ saepe mutato, diligente locorum suspectorum lotione cum aqua frigidula, aqua et aceto, vino aut spiritu vini. Cura incipientis rubore ac dolore manifesti decubitus aquam saturninam *Goulardi* cum camphora, aq. vulnerariam *Thedeni*, unguentum ex butyro recente non salito cum camphora, vel a *de Haenio* commendatum linimentum ex albumine ovorum et sp. vin. simplici vel camphorato exposcit. Gangraenae siccae fomentationes calidae aromaticae humidae cum pauxillo spiritus vin. camphorati aut aceti aromatici, gangraenae humidae fomenta calida sicca aromatica, nec non pulveres aromatici, carbonum, camphorati opponuntur, partiumque

sphacelo destructarum, ni facile secedant, saperatio a natura expectatur. — *f) Aphthae* collutoriis, gargarismatibus, injectionibus mulcilaginoso-aromaticis cum borace et melle rosarum aut roob mororum, linimentis ex melle rosarum et borace vel, si gangraenescunt, hujus loco adaequata acidi sulphurici aut muriatici diluti, aluminis, aut vitrioli zinci dosi sedulo adhibendis tractantur. — *g) Difficultates mingendi* fomenta emollientia aut aromatica vel et balnea, casu urgente enemata cum opio exposcunt. Urinae retentae, aut pro parte solum evacuatae, et involuntarie stillantes ope catheteris educantur. — *h) Tumoribus* ad parotidem alterutram, ad caeteras glandulas salivales, subaxillares, raro ad inguinales aut testiculos sub febris putridae finem ortis, *metastaticis*, si levant, fomenta et cataplasmata emollientia solerter opponenda, ut figantur et suppurentur, praesente pure quantocyus lanceola admovenda, simulque evacuationum criticarum per urinas, sudorem, alvum, ptyalismum etc. ratio habenda; — si mere *symptomatici* adparent, sub eodem ad crisim evacuatoriam invitandam, promovendam respectu, tentanda est resolutio.

§. 126. Summi momenti in febris putridae cura sunt *diaeta* et *regimen*. Adpetentiae aegrorum utplurimum prostratae satisfit per cibos fluidos aut succulentos mollissimos, mucilaginosos, saccharinos, acidulos, uti: juscula carnium cum hordeo, oriza et radicibus petroselini, dauci sativi etc., aceto vel succo citri acidula facta; panatellas ex pane aut pane bis cocto, acido quodam aut, pro ratione morbi, vino acidulo conditas; juscula ex fructuum horaeorum decocto; ipsos hos fructus coctos deficiente tamen in diarrhoeam symptomaticam pronitate poma nempe, cerasa, pruna etc. In potum, ex momentis morbi et nonnunquam instinctu aegri satis tuto indicatum, aqua aut fluida quidquam mucilaginosa cedunt, jam acido vegetabili vel saepius minerali, plerumque sulphurico diluto, vel elixirio acido *Halleri* acuenda,

jam pauxillo vini levis provisa, nunc egelida nunc tepidula.

Praeter haec mundities summa linteaminum, stragulorum saepius, praesentibus tamen sudore aut efflorescentiis cutaneis caute renovandorum, aër continuo purus, frigidulus, uti supra dictum, et si opus vaporibus aceti, nitrosis aut halogenicis depurandus, et arte refrigerandus requiruntur, ideoque conspurcata linteamina, integumenta, materiae excrementitiae quam citissime e conclavi removeri debent, omniaque vasa probe depurari. Aegri tandem, nisi soporosi, animus moderatis sensuum blandimentis, sermocinatione grata, solatio, spe salutis exhilarandus, erigendus est.

§. 127. *Indicatio tertia* generalis, conatus naturae criticos ipsasque criticas evacuationes juvandi, et ad scopum dirigendi, sequenti ratione impletur: Curatione hucusque exposita si infringere febrim, vires erigere ac conditionem massae humorum emendare contingit, quam maxime jam crisis praeparatur benefica, quae sub aequabili dein utut consuetim lento totius morbi decremento per sudores vel urinas vel utrasque salutares, raro per evacuationes alvinas, manifestatur. Nullam harum vi urgere aut promovere licet, quin colliquatio viriumque vitalium exhaustio facile inferantur. Quare pro indicatione commemorata rite adimplenda princeps ac fere omnis in eo versatur cardo, ut amotis ac praepeditis omnibus noxis et criseos turbis vitales sustineantur, adaugeantur vires, humores emendentur, digestio omnisque assimilatio et sanguificatio extollantur; ut penes diaetam congruam digestu facilem corpori quies, animo tranquillitas et hilaritas, menti serenitas concilientur.

§. 128. In implenda *indicatione quarta*, *convalescentiae* nimirum cura, momenta mox nominata et observatio, aegros praesertim debiliores et senes ex febre putrida admodum lente convalescere, et ob debilitatem ac irritabilitatem magnam in recidivas periculo plenas

valde pronos esse, medentem ducunt. Quare, ut praevertantur recidivae, potentiae quaevis modo directo vel indirecto debilitantes, humorum dispendia, praeposterae sensuum ac mentis facultatum intensiones, animi adfectus validi omnis generis, motus corporis defatigantes, errores in diaeta atque regimine etc. studiosissime evitentur est necesse. Ut vero et morbi effectus dynamici et materiales tollantur residui, conveniunt praeter aërem purum, moderate calidum, munditiem, quietem cum levi motu alternantem animique distractiones et exhilarationes, speciatim cibi partim vegetabiles partim animales succulenti, blandi, eupepti, digestu faciles, parcis quantitatibus post paucas tamen horas repetendis porrecti, vinum blandum, analepticum potius quam calefaciens, usus accommodatus tonicorum aromaticis ac spirituosis prudenter nuptorum, qualia sunt: decocta corticis peruviani, trifolii fibrini, centaurii min., lichenis Islandici etc., infusa chamomillae, absinthii, calami arom., millefolii etc. tincturae absinthii, amara s. stomachica D. nov., aromatico-acida s. elix. vitr. Mynsichti etc.

§. 129. Singulares febris *sequelae*, uti: pulsuum frequentia absque febre, sudores nocturni, colliquantes in dormiente, delirium placidum, sensuum hebetudo, baryecoia, visus debilis, fatuitas, hypochondriasis nervosa, oedema crurum, catameniorum anomaliae, in junioribus corporis incrementum velox, nimium, inaequale, in longum cum extenuatione, rhachitis, pariter curantur victu eupepto, nutriente, analeptico, medicamento roborante, stomachico, nervino; exercitio corporis grato, reficiente; rusticatione (*Stoll* aphor. 509.), tempore; vel juncta simul therapia locali, jam conformi, prout casus exposcit, jam alia, epispasticis nempe, vesicantibus, exanthemate artificiali pustuloso, fonticulo. Adfectionibus aliis deuteropathicis ratio medendi earum indoli, magnitudini, sedi etc. accommodata opponatur, aliis hujus opusculi locis explicanda.

Genus III. Febres continuae nervosae.

§. 130. Quid nomine *febris nervosae* (f. indolis s. characteris nervosi) intelligatur, supra §. 73. statutum est. *Characteres* ejus *diagnostici* sunt: eminens ac praedominans systematis nervosi totius, praesertim altioris i. e. functionibus voluntariis dicati adfectio; functionum istarum anima proprie peragendarum manifestationes citra imo et contra aegri voluntatem in toto systemate nervoso vel in partibus ejusdem obviae debito fortiores, aut debiliores et inordinatae; vera vitae debilitas, speciatim cordis arteriarumque, organorum respirationi, assimilationi, se- et excretionibus dicatorum languor; inde animi indifferentia, dedolatio, circulus humorum velox, sed inaequalis et inconstans cum pulsu debili, quoad energiam et tempus inaequali, inconstante, consuetim admodum frequente, rarius lento; sanguificatio imminuta vel saltem praepedita sine conspicuis dissolutionis humorum signis; thermogenesis aucta, inaequalis et varians cum calore utplurimum mordace; humorum congestiones et evacuationes passivae.

§. 131. *Denominatio febris nervosae* haud perfecte conveniens, ab Anglis et quidem *Willisio*, *Whytio* et *Huxhamo* adhibita primum, non infrequenter morbis tribuitur, quibus minime competit. Qui febrim nervosam aut characteris nervosi praesto esse defendunt, quoties symptomata quaedam animadvertuntur gravem systematis nervosi adfectionem designantia, quin vera debilitas, functionum vitalium languor ex virium defectu pendens (*v. Hildenbrand* rat. med. etc. P. I. p. 237.), ac generatim notae omnes mox (§. 130) expositae simul adsint, arbitrio indulgent noxio, praxin deleteriam paranti. Meretur enim *nervosa* nuncupari *illa* solum *febris* (§. 73.) *continua*, quae *affectionem memoratam systematis nervosi praevalentem, cum vera et universali vitae debilitate nexu essentiali conjunctam* exhibet.

§. 132. Debilitas vitalis vera ipsi cum febre putrida communis est; purae tamen ac simplici symptomatum nervosorum praesentia, et signorum decompositionis materiae organicae absentia propriae sunt et distinctivae. Haec ultima autem in febribus nervosis gravissimis aeque evolvi, ac phaenomena nervosa putridis intensis adsociari consueverunt, ibi *febrim nervoso-putridam*, hic *putrido-nervosam* constituentia.

John Huxham, Abhandl. von den Fiebern. A. d. E. Frankfurt 1756. 8.

C. G. Demiani diss. de febre lenta nervosa. Lips. 1777.

J. B. Burserius, *J. P. Frank*, *A. G. Richter*, *J. R. Bischoff* opp. citat.

V. ab Hildenbrand, Rat. medendi in schol. pract. Vindob. P. I. p 233—257. P. II. p. 205—218; — et Instit. med. pract. etc.

§. 133. Distinguitur febris nervosa in *substantivam* et *symptomaticam*, in *primariam* et *secundariam*; *acutam* et *lentam*; *puram* et *complicatam*; *simplicem* et *compositam seu comitatam*; *vulgarem* et *typhosam*; in *contagiosam* et *contagii expertem*; *versatilem* et *stupidam Frankii* s. *cum erethismo* et *torpore* aliorum; — *composita* ulterius in *inflammatoriam* et *putridam*, *exanthematicam*, *catarrhalem*, *rheumaticam*, *gastrico-saburralem*, *biliosam etc.*

Quae differentiae, hic solum denominationum ac conceptuum ergo indicatae, non qua totidem species statuuntur, uti jam supra §. 92. monui; et hic non nisi de febri nervosa simplici ac pura tractatur.

De febri continua nervosa simplici.

§. 134. Nomine *simplicis* illa febris nervosae *species* intelligitur, quae citra notas characteristicas superius recensitas *nec alius characteris febrilis*, *nec eminentis in systemate subordinato vel organo quodam adfectionis symptomatibus conjuncta* incedit.

§. 135. *Simplex* hoc sensu et *pura* aeque raro febris nervosa, ac inflammatoria, et putrida observatur; tanto frequentius autem cum inflammationibus, cum catarrhis, rheumatismis, exanthematibus, cum statu gastrico, pituitoso febrilibus connubium init. — *Complicationes* ejus possibiles vix enumerari queunt.

Simplicem seu *vulgarem*, in oppositionem *typhosae*, omnem dico febrem, cui character nervosus (debilitas cum adfectione systematis nervosi) vel jam primario inhaeret vel in decursu adjungitur, quae ipsa omni caret contagio, fomite proprio nec generatur nec propagatur; decursum facit mox velocem mox lentum, cum exacerbationibus ac remissionibus luculentis; molimina critica offert generatim tarda, minus sufficientia, crises nunquam solennes ac decisivas celebrat, sed pluribus ac intercisis solum lente decrescit, et si salubres sunt, pedetentim solvitur. — *Nervosa* autem febris *typhosa* (*typhus Hildenbrandii*) est exanthematica, petechialis aut potius specifica exanthemate proprio adhuc innominato; contagiosa; vel contagio proprio vel aliis quoque potentiis speciatim aëre corrupto, nutrimentorum defectu generata; characterem nervosum gerit morbo essentialem, lateralibus potentiis quibusvis non praevertendum; constantibus stipata symptomatibus, sopore praesertim cum deliriis, typo fere continente velociter decurrit, post durationem sat definitam efficacioribus cum moliminibus crises praestat solemnes plerumque et decisivas, morbi decrementum promte inducentes. Inter exanthemata exponitur.

§. 136. Febris nervosa *primaria*, cum charactere nervoso originario et essentiali, rarissima quidem est, nequaquam tamen neganda. Animadvertere enim oportet, non modo febres symptomaticas ex vera vitae debilitate profectas occurrere, sed *a)* debilitatem etiam, eminentem nervorum adfectionem et febrim junctim simultanee ex eodem fonte origines trahere posse v. gr. ex moe-

rore, curis, tristitia, anxietate, nostalgia, invidia, odio, zelotypia, atmosphaera constanter humida et frigida, praesertim ubi nutrimenti penuria, victus vilis, intensiones corporis et facultatum mentis exhaurientes, genius morborum nervosus stationarius etc. cum illis conspirant; *b)* in febri nervosa vitam systematis sanguiferi non in se spectatam, sed relate solum ad caeterarum functionum intensitatem, atque nonnisi exacerbationum tempore exaltatam inveniri; et *c)* non omnes potentias debilitantes easque non omni in subjecto, nec quavis sub dispositione, sed producendis febribus nervosis tunc solum esse pares, si ejus sunt indolis, ut vel irritabilitatem nimium extollant, vel nimiam aequo magis adficiant, simulque certas in systemate nervoso et in humorum massa mutationes materiales inducant, febribus oriundis generatim faventes, utut necdum perspectas. — *Secundaria* multo frequentior, est sequela morbi alterius febrilis aut non febrilis, cui character nervosus sub decursu et ratione mere accidentali, ex aegri nimirum individui conditione, vel ex morbi magnitudine, duratione, incongrua therapia, aliisve momentis nocivis inductus superaccedit. Ita febris inflammatoria, biliosa, rheumatica in decursu in nervosam potest permutari; ita febris catarrhalis, exanthematica characterem primarium inflammatorium amittere in decursu, et servata speciali morbi forma nunc nervosum habere comitem. Unde febris inflammatorio-, gastrico-, bilioso-, rheumatico-, catarrhoso-, varioloso-, scarlatinoso - nervosa, aut febris inflammatoria, gastrica etc., catarrhalis, variolae, scarlatina etc. cum charactere nervoso salutantur.

Febris nervosa *substantiva*, a *Stollio* (aphor. 708 etc.) negata, jam primaria jam secundaria, multo rarius autem, ac *symptomatica* obvenit. — *Acuta* communiter deuteropathica, saepissimeque symptomatica est, *lenta* vero fere sola protopathica, et frequentius substantiva. — *Vulgaris*, non contagiosa, longe frequen-

tius *cum erethismo* (f. n. versatilis), quam cum torpore (f. n. torpida s. stupida) incedit; sincerae tamen observationi contrarium foret, omnem febrim nervosam stupore ac inertia stipatam pro typhosa, adeoque contagiosa, habere.

In diagnosis ac therapiae commodum febrim nervosam *primariam* et *secundariam* seorsim describere juvabit.

§. 137. *Primaria* prodromis, et quidem brevibus *acuta*, in septimanas imo protensis *lenta* annunciari solet, solis tamen, quum partim virium languorum partim systema nervosum generatim aegre dispositum indigitent, haud pathognomonicis. Spectant huc: lassitudo; membrorum gravitas; propria morbi sensatio; indispositio, indifferentia, dejectio animi; quandoque inexpectati et absque ansa cognita erumpentes adfectus gaudii, tristitiae, hilaritatis, metus et anxietatis, risus et fletus; caput tentatum praecipue sub situ erecto admodum grave; somnolentia, vertigo; sensus pressionis in oculis, susurrus aurium; anorexia, dyspepsia, alvi irregularitas. Mox aut tardius post aut sine nova occasione his accedunt horripilatio, horror, qui moderato et partiali cum aestu alternans praecipue horis matutinis febrim nervosam lentam plures imo per dies antecedit; aestus deinde continuus praecipue in capite et facie mox rubente, mox pallente, in volis manuum plantisque pedum, frigentibus interim sub attactu membris; obtutus languidus, peculiaris, physiognomiae mutatio; imminutio turgoris in facie vitalis, oculorumque splendoris; cephalea obtusa cum levi frigoris in occipite sensu, levique delirio praesertim in nervosa lenta; somnus inquietus, non reficiens, molestis turbatus insomniis; agrypnia; animi praesentia fatiscens, imperfecta, interrupta; deliria nocturna, morbo ingravescente etiam diurna, vel sopor periodica cum musitatione; tendinum hinc inde lusus; pulsus valde acceleratus, debilis, parvus, quoad forti-

tudinem, frequentiam, aequalitatem et rhytmum singulorum ictuum inconstans; respiratio quidquam difficilis, brevis pectore oppresso; sitis modica, potuum excitantium speciatim vini insigne desiderium; cutis sicca quandoque spastice contracta, calor sub contrectatione longiore increscens, sudores topici in capite, pectore etc., tempore et successione inconstantes, nullatenus levantes; lingua rubicundior sana, sicca, non raro pura sed et muco albido aut flavente obducta; loquela difficilis, vacillans cum voce nasali; epigastrium imo et abdomen valde sensile ac tensum, vomituritiones aliquando vomitus spasmodici; pronitas in diarrhoeam, meteorismus; urinae pallidae non penitus limpidae, non parcae. — Praesente *erethismo* symptomata cuncta admodum variant, sine ordine fixo mox augentur intensitate atque numero, mox imminuuntur et, ut ajunt, contradictoria sunt; accusantur enim v. gr. nunc aestus aut frigus, quin cutis temperatura correspondeat; nunc sitis clamosa sine aestu et siccitate, aut hisce vigentibus adypsia; nunc cephalea intensa, vertigo diliriumque adest vehemens, moderatissima sub febre pulsuque fere normali; nunc de euphoria loquuntur periculosissime decumbentes. — Ingravescente morbo graviora symptomata nervosa: deliria continua, tremores, subsultus tendinum, carphologia, convulsivi musculorum faciei et oculorum motus, singultus, constrictio faucium, trismus maxillae, tetanus, convulsio, hydrophobia, obfuscatio, debilitas visus, aurium susurrus, baryecoia, surditas, evolvuntur.

Symptomata enumerata sub morbi tam incremento quam decremento vesperi luculenter exacerbantur ac mane remittunt, unde febris *nervosa remittentibus* omni jure *accensetur*. Praeter vespertinas aliae adhuc exacerbationes intensitate, duratione, frequentia variantes indeterminatis ingruunt horis. Remissiones lentarum initio ad intermissiones non raro adeo accedunt, ut haud probe attentum facile seducant.

§. 138. *Febrim nervosam secundariam* non alia quam nunc recensita designant phaenomena, quae morbi primarii symptomatibus accedunt, vario ejusdem, maxime autem criseos stadio prodeuntia. *Introitus* autem et *evolutio characteris nervosi* durante alia cujuscunque generis febre, ut *evolutio febris nervosae ex morbo non febrili* non tuto satis ex dispositione aegri et causa excitante praenoscitur; magna vero cum probabilitate metuitur, ubi febris primaria cujuscunque generis symptomatum essentialium decrementum exhibet, quin tamen criseos faustae congruae et sufficientis compareant signa; ubi horum loco viribus aperte labentibus plura symptomatum supra descriptorum explicantur; de evoluto jam charactere nervoso testantur: continuus verus virium vitalium lapsus (*ab Hildenbrand* rat. med. T. II. p. 207 etc.), pulsus frequentior ast debilis, siccitas cutis universae praesertim autem tenuioris narium, linguae et faucium, peculiaris calor mordax, qui sub manu tangentis increscit, alvinae evacuationes frequentes et fluidae; et juxta meas observationes primis statim adnumeranda: cephalea continua, pervigilium aut insomnia continua vivida, quae in ratione inversa ad decrementum symptomatum febrilium (aestu excepto), et turgoris vitalis prodeunt et augentur; meteorismus, eminens abdominis aestus, dolores interni profunda hypogastrii pressione provocandi. Nunc nervi tum in sensu tum in motu, iisque vel exaltatis sub maximo erethismo cum tremoribus, tendinam lusu, aut convulsionibus, vel sub summo stupore torpidis, languore autem musculari ubique insigni manifestius adfici solent; adsociantur deliria ibi potissimum vivida, hic placida temulentiae juncta, aut cum sopore alternantia, coma vigil; urinae pallidae, crudae mittuntur, utcunque copiosae.

Et secundaria febris nervosa, uti primaria, exacerbationes offert vespertinas cum remissionibus matutinis alternantes. Character nervosus in decursu nonnunquam

ante explicationem completam recedit; alias autem illo progrediente, et quousque summum non attigerit gradum, *symptomata mali primarii* v. gr. febris activae aut inflammatoriae, inflammationis, adfectionis gastricae, catarrhosae, rheumaticae etc. essentialia, pathognomonica, exacerbationum praesertim temporibus, *conspicua adhuc persistunt*, postea vero malo nervoso febrili superantur ac potius *reprimuntur* adeo, ut febre acmen consecuta exacerbationum etiam tempore vix ullum eorum detegatur vestigium. Decrescente nota nervosa sensim *in conspectum illa redeunt*, et mitigata plerumque *cursum* ante interceptum, saltem inhibitum ratione morbo primario propria *continuant*. Hinc characteris nervosi tum increscentis tum decrescentis stadiis exacerbationes vespertinae non symptomatibus febris modo et status nervosi auctis, sed morbi quoque primarii phaenomenis stipantur. Remissiones succedentes earum effectu, quamdiu febris invalescere pergit, praeponderantia debilitatis ulterius increscentis signa exhibent, quae rebus secundis in decrementi stadio tam virium resurgentium quam criseos, per cutem in specie et per renes, instantis ac incipientis signis successive emendantur, donec penitus dispareant.

§. 139. Febris nervosa tam primaria quam secundaria sub acuto decursu a novem diebus ad 14 — 21, sub segni a tribus septimanis ad quinque et ultra *durat*. Idem valet de duratione status nervosi, ubi hunc febris alius characteris secundario induit.

§. 140. Transit febris nervosa in *sanitatem* decrescentibus pedetentim symptomatibus, accedentibus per vices madore cutis et linguae humectatione, sudoribus modicis, levantibus, iteratis, urinis copiosis cum sedimento pallide aut flavido-rubro, levi, capite libero, mente serena, somno tranquillo et reficiente. Quo purior febris nervosa, eo minus solemnes fiunt evacuationes criticae. Antecedunt nonnunquam crisim exacerbatio haud

exigua symptomatum nervosorum, inquietudo magna, delirium vehemens, subsultus tendinum, imo convulsiones somno exceptae, ex quo aegri expergefiunt sibi conscii et summe recreati. Pedetentim et membranae muciparae criticas inchoant se- et excretiones; et nervosis in febribus deuteropathicis *aliae* insuper crises, morbo primario convenientes, v. g. per epistaxin, vomitum, alvum etc. adsociari consueverunt.

Morbis, in quos febris nervosa terminari potest, adnumerandae sunt: febris putrida, apoplexia, memoriae imbecillitas ac fatuitas mentis, melancholia, mania, visus hebetudo, amaurosis, baryecoia, surditas, ventriculi aliorumve organorum spasmi, nevroses variae chronicae; tabes.

Casu infelici *mors* sequitur vel sub convulsionibus aut apoplexiae symptomatibus, vel praeviis adhuc virium exhaustarum, paralysis et humorum dissolutorum signis, in descriptione febris putridae commemoratis, qualia sunt: mentis absentia, alvi urinarumque olidarum excretiones involuntariae, pulsus admodum debilis, mollis, tremulus, intermittens, diarrhoea, haemorrhagiae colliquativae, sudores frigidi, viscidi etc.

Cadavera incisa mutationes, ex quibus morbi natura et speciatim proxima symptomatum nervosorum causa dilucidaretur, vix offerunt ullas; febres enim nervosae primariae, simplices ac purae raro occurrunt, rarius adhuc lethiferae; inventae proinde mutationes propiore ad morbos primarios et laterales quam ad statum nervosum in relatione haerere assolent. Sic v. gr. sanguinis in sinubus ac vasis meningum, cerebri, pulmonum etc. congestiones a morbo protopathico inflammatorio non resoluto restantes, nonnisi *remotas* sistunt nervosi characteris *causas*. Caeterum autem ejusmodi accumulationes sanguinis sicut et hujus ac humorum serosorum intra cranium in theca vertebrarum etc. extravasata, porro ulcuscula in intestinis, praecipue ileo et

coeco, utplurimum rotunda, marginibus elevatis callosis, a tunica villosa ejusque glandulis ad muscularem penetrantia, imo velamen a peritoneo accedens aliquando exedentia, saepius numerosa, pro *effectibus* ac *sequelis* et quidem non tam febris nervosae qua talis, quam febris potius primariae, notaeque huic inhaerentis inflammatoriae, gastricae, rheumaticae, catarrhosae, vel metastaseos, vel curationis perversae drasticae, aut irritantis, calefacientis etc. habenda sunt. Ulcuscula speciatim memorata intestinorum quod attinet, adnotare juvat, non nisi in exiguis eorundem gregatorum interstitiis rubedinem instestini, in largioribus autem ulcusculorum discretorum intervallis ultra illorum margines elatos nec rubedinem, nec aliud quoddam phlogoseos signum, a me unquam fuisse detecta.

§. 141. *Disponunt* ad febrim nervosam compages corporis gracilis, constitutio imbecillis, systema nervosum valde sensile et mobile, animus irritabilis et in adfectus deprimentes proclivis, imaginatio irrequieta. Quae quidem partim connata saepeque haereditaria occurrunt, partim educatione delicatula, vitae genere molli, specialius protracta facultatum mentis intensione, sedula imaginationis et phantasiae occupatione, partim morbis producta eosque comitantia. Quare subjecta omnis fere aetatis et utriusque sexus graciliora, tenera, valde sensilia et irritabilia, habitu phthisico donata, ita et hystericae, hypochondriaci, homines studiis severis praecipue in noctem protractis dediti, adfectibus et pathematibus animi deprimentibus fracti, venere immodica enervati, prae caeteris febre nervosa facile corripiuntur.

Inducunt hanc febrim *a)* atmosphaerae constitutio peculiaris fere nonnisi ex effectibus cognita, quae haud raro fontem febris illius epidemicae, et characteris nervosi in febribus variis sese evolventis suggerit. Observantur et febris et character nervosus quandoque *stationarius*. caeterum frequenter hieme moderate frigida

et potius humida, atque frigido humidoque vere; nec non endemice in regionibus humido-frigidis. *b)* Adfectus et pathemata animi deprimentia, uti tristitia, spes frustrata, amor infelix, desiderium inane, nostalgia, moeror, curae, metus, anxietas, pudor, poenitentia, invidia, odium, zelotypia. *c)* Jacturae humorum continuae potius aut repetitae quam subitaneae et largae, quemadmodum haemorrhagiis saepe recurrentibus, chronicis, fluxu haemorrhoidali, diarrhoeis protractis, seminis dispendiis universim et specialius per onaniam. Hinc varius remediorum evacuantium abusus tam inferendo febres nervosas, quam alios morbos ipsasque febres inflammatorias in nervosas transmutando, aut characterem nervosum ipsis adjungendo par est. *d)* Intensiones virium corporis et animae facultatum nimiae, stimulantium abusus, quatenus exhauriunt; sic et functionum praeprimis vitalium in morbis febrilibus suppressiones nimis diuturnae, quatenus illae in cruditatis stadio detinentur, imo intenduntur, in magnam systema nervosum trahitur compassionem, impediuntur crises, et inde modo inevitabili vires vitales deprimuntur, revera debilitantur. Ideo studia immodica, vel invita Minerva tamen continuata, vigiliae multae etc. febrim nervosam generant, ideo febres inflammatoriae vehementes, vel stimulis perverse tractatae facile transeunt in nervosas, ideo incitamentorum abusus in morbo quolibet, sic et conveniens plethorae magnae, congestionum sanguinis notabilium in capite, pulmonibus etc. perstantium, oppletionis ventriculi et intestinorum etc. therapia neglecta, omissa characteris nervosi irruentis culpam gerere potest; tandem *e)* remedia narcotica perperam usitata.

Nota: Causarum occasionalium aliquae inter potentias febrim putridam generantes jam nominatae jure hic repetuntur, quia utrique febrium generi vera subest debilitas universalis, et ab individuali dispositione actionis morbificae tempore, hujusque a vehementia relativa atque duratione po-

tissimum dependet, num putrida, num nervosa proditura sit febris.

§. 142. De febris nervosae *essentia* non nisi hypotheses prostant. Forma ejus per stadia singula, terminationes et sequelae, comparata cum his momenta causalia, nec non ratio medendi proficua, ad opinionem ducunt, febrim nervosam generatim morbum esse, ex febri et propria systematis nervosi animalis adfectione cum vera vitae debilitate compositum; et quum haec adfectio praeterquam quod jam erethysmi jam torporis sub specie manifestetur, eaque gradibus extremis jam statui phlogistico jam paralytico adproximetur, parum sit cognita, naturam illius verosimiliter haerere partim (ob virium penuriam) in nimis debili, partim (ob memoratam systematis nervosi adfectionem) in praepedita et inordinata organismi reactione in irritamentum quoddam, cum dibili nimis, et quoad modum morbosa systematis sanguiferi et nervosi totius activitate pro sanguificatione, nutritione, caeterisque scopis vitae individualis adimplendis.

Num in febribus nervosis secundariis adeo numerosis character nervosus *semper* ex febris alius primariae crisi vel non justo tempore, vel non requisita copia, vel non per organa secretoria destinata obtinente, suam trahat originem, ipseque qua crisis infausta continuans considerari debeat, quemadmodum Prof. *Bischoff* (Grundsätze etc. 2. Aufl. p. 204—211) evincere conatur, dubitare fas est. Hanc sententiam certis modo febris nervosae secundariae convenire casibus, inferius (§. 144) ostendam.

Quantum fallantur, qui encephali, meningum, vel nervorum, nevrilematis phlogosim pro causa febris nervosae proxima habent, ex supra memoratis circa cadaverum sectiones (§. 140) illucescit.

§. 143. *Prognosis* generatim anceps et circumspecta feratur necesse est, cum morbus semper periculo plenus

sit, et deficiente firma et completa indolis ejus essentialis, speciatim affectionis nervosae diagnosi therapia quoque deficiat directa et radicalis, eaque per indirectam suppleri debeat, symptomaticam.

Durante nervosi characteris secundarii evolutione oscillatio hunc inter et febris primariae activum aut inflammatorium non raro per dies aliquot observatur. Faventibus rerum adjunctis, adaequata imprimis curatione, nervosus quandoque exstinguitur adhuc character, suumque febris primaria sola prosequitur cursum.

Debilitas magna, et eminens systematis nervosi adfectio febrim nervosam omnem, primaria fuerit illa aut secundaria, acuta aut lenta, periculosam reddunt.

Deliria continua, vehementia, tremores, subsultus tendinum insignes, convulsiones, trismus, singultus, continuus, vomitus frequentior, vehemens, diarrhoea crebra, magna inquietudo, pusillanimitas, de futura salute desperatio, lingua valde sicca, rubra, tremula, rigida absque siti, pulsuum frequentia, irregularitas, inconstantia magna, faciei collapsae defiguratio, summum vitae periculum significant.

Sopor, lingua praerubra aut brunea, sicca, meteorismus insignis, abdomen admodum calens, dum profunde premitur infra umbilicum et in regione iliaca dextra dolens, alvus fluida, frequens, brunea vel nigrescens, qua inflammationis intestinorum partialis et ulcusculorum §. 140 commemoratorum signa mali sunt ominis. Salvatos tamen quandoque vidi aegros, iisdem cum phaenomenis nec non largo simul cruoris per alvum profluvio periculosissime decumbentes; — et Prof. *Bischoff* methodo antiphlogistica et derivante non paucos vitae discrimini se eripuisse adseverat.

Notae characteris putridi accedentis, signa paralysium et dissolutionis lethalem in genere prognosim faciendam esse monent, quae eo certior, quo pejor jam constitutio aegri ante morbum hunc fuerat.

Individua antehac debilia, morbis, vitae genere lurido, praesertim venere immodica, turpi, impura, vel et curis, moerore etc. exhausta, senectute confecta, longam febris, utut non admodum intensae, durationem, nevroses diuturnas, imo lethalem virium exhaustionem metuendas habent.

In febri nervosa epidemica prognosis, quousque noxa epidemiam generans perseverat, ambigua est, nisi cursus epidemiae ipse meliora sperare sinat.

A conaminibus naturae criticis valde parum sperandum; evacuationes vere criticae facile excedunt; dies critici certi desunt. Boni tamen praesagii est, si circa diem nonum, decimum aut duodecimum lingua humescit, madere incipit cutis, diarrhoea silet, baryecoia accedit, aut alterutra auris profluvium patitur, aut pustulae latae labia aut nares occupant; si nervosa symptomata graviora, aestus, dyspnoea minuntur; si abscessus, furunculi, vel gangraena exteriorum partium fiunt, dum ea adparente caput, pectusve levantur et febris minuitur (*Burserius* l. c. T. I. §. 282). In nervosis secundariis in specie syptomata, quae suppressa aut obfuscata delituerant, febris primariae redeuntia, recrudescentia spem suppeditant, ubi moderata adsunt, vires insurgunt, nervosus eadem ratione decrescit status, et quaedam saltem adparent criseos indicia.

Symptomata apparenter levia ad prognosim absolute faustam minime sufficiunt; et sub pessimis nonnunquam aegri praeter expectationem sublevantur et convalescunt.

Rarissimum, ast attentione dignissimum, in febre nervosa accedere asphyxiam.

Convalescentia, sicut e febre putrida, multum protenditur, magnamque secumducit in recidivas pronitatem.

Ex nervosa febri typhosa seu typho contagioso salvati non facile in eandem *ex contagio* labuntur; ex nervosa vero non contagiosa sanati morbo eodem pluries,

potentiis variis agentibus, minoribus majoribusque post temporis intervallis mulctari possunt.

§. 144. Ut in adaequato hujus *tractamine* febris *indicationi primae generali* satisfiat, in febre primaria ad momenta causae excitantia superius enumerata, in secundaria vero ad totam morbi primarii conditionem et decursum, nec non ad evoluti characteris nervosi causam convertere attentionem oportet. Etsi illa in febre nervosa *primaria* effectus in organismo adeo profundos communiter jam produxerint, ut illis etiam ablatis febris nequaquam simul tollatur, amotio tamen aut enervatio eorum omniumque potentiarum illis analogarum vel ideo requiritur, ut morbum non sanare solum, sed et breviorem reddere, mitigare, cursumque illius ad normam egere concedatur. — In nervosa febre *secundaria* tractamen vario *characteris nervosi fonti* respondeat necesse est. Invenitur autem hicce *vel* 1) in viribus ob aegri debilitatem, aut febris durationem longam, magnitudinem, curam nimium debilitantem languentibus, aut ob neglectam sanguinis depletionem, eliminationem sordium gastricarum etc. multum suppressis et agere impeditis, aut ob incitationem nimiam relaxatis, ideoque ad speciem febris primariam superandam fausteque judicandam non sufficientibus; *vel* 2) in faventibus multum characteri nervoso circumstantiis, eoque jam ante febris primariae crisim inducto per eminentem in nevroses dispositionem, nevroses ipsas jam ante prostantes, constitutionis epidemicae imperium, insignem sub febris primariae v. gr. inflammatoriae, catarrhalis, gastricae etc. decursu systematis nervosi compassionem, quae gravibus capitis, ventriculi, intestinorum, aliorumve nobilium organorum doloribus, anxietate, convulsionibus, vomitu spasmodico etc. significatur, aut per peculiarem febris primariae malignitatem; *vel* tandem 3) in crisi febris primariae insufficiente, imperfecta, quoad directionem erronea, speciatim profusis humorum excretionibus stipata, aut per debilitantes sy-

stematique nervoso praeprimis inimicos influxus turbata, intercepta, subpressa. Tempestivo causalium istarum conditionum sub respectu character nervosus, si non praepeditus nec praepediendus fuerat, per therapiam adcommodatam in evolutione saltem non raro cohiberi et adhuc abstergi, semper tamen coërceri, mitigari, citius finiri poterit.

§. 145. Altera indicatio non sine difficultatibus impleri potest; deficiente enim completa cognitione essentiae hujus febris, speciem adfectionis nervosae sensibus patentem arripere oportet, modum medendi statuere, ex observatis numerosissimis meliorem inventum, eumque casui cuivis speciali quam optime adaptare. Hinc respiciantur: 1) vires vitales generatim, et systematis speciatim nervosi altioris prae caeteris adfecti hujusque temperies, signa videlicet majoris minorisve erethismi vel torporis; 2) gradus irritationis systematis sanguiferi, in febribus secundariis morbi simul primarii nondum fors extincti magnitudo, omnigena conditio, earumque ad nervosam adfectionem relatio; et 3) singula symptomata urgentia. Indicatur itaque, debilitatem universalem cum systematis nervosi turbis, irritationem systematis sanguiferi cum prava sanguinis ipsius miscela, nec non quod a morbo primario fortasse restat, tollere, atque singulis specialius occurrere symptomatibus. In implenda hujus indicationis parte priore attendendum, num *a)* reactio febrilis systematis circulatorii saltem periodice, sub exacerbationibus vespertinis vel alio tempore, fortis adhuc, et ultra gradum normalem intensa vigeat, quemadmodum lente transeunte in nervosam febre inflammatoria simplici, composita, catarrhosa, rheumatica, gastrica etc. sub characteris nervosi initium haud infrequenter adhuc observatur; vel vero *b)* non obstante magna circuli et mixtionis sanguinis celeritate, constanter infra normalem depressa maneat gradum, adeoque debilitas universalis una cum adfectione nervosa praeva-

lens deprehendatur. — In casibus primi generis a) methodus requiritur temperans, emolliens, diluens, et blande solum excitans. Conveniunt potus emollientes saepissime propinandi, quandoque antiphlogistica adhuc remedia, ne depletionibus quidem sanguinis, praecipue topicis, exceptis, exacerbationum tempore, durantibus autem remissionibus decocta pacantia, moderantia mucilaginosa aut solventia cum tenuioribus florum chamomillae, rad. valerianae, herbae melissae, menthae crispae aut rubrae infusis, camphora dosibus refractis sola aut primum cum nitro adhuc, sale ammoniaco etc., liq. c. cerv. succin.; balneum simplex tepidum; sinapismi dein aut vesicantia. Adfectionem ilei ac coeci inflammatorio-ulcerosam non infrequentem (§. 140.) ope emollientium in- et externorum, cataplasmatum imprimis et balneorum, postea sinapismorum, ubi omnibus praemittere hirudines non oportuerat, feliciter nonnunquam infringere et profligare et mihi contigit. Conf. *Bischoff* l. c. —

In casibus generis alterius *b)* methodum adhibere oportet diluentem et majore minoreve cum energia incitantem. Prosunt remedia specialius systema nervosum excitantia pro praesente *erethismo* vel *torpore* mitiora et debiliora, vel fortiora et penetrantia. Febris nervosae cum erethismo gradui leviori conveniunt infusa aromatica mox nominata jam cum aqua jam cum decocto emolliente v. gr. rad. althaeae parata; — gradibus altioribus eadem cum dosibus minoribus camphorae, cum liq. corn. cerv. succin., moscho, castoreo, et balnea tepida simplicia et aromatica, horum defectu et cum his fomentationes ac lotiones aromaticae vino, spiritu vini, sp. camphorato etc. additis; vesicantia, sinapismi; enemata excitantia cum camphora aut assa foetida, vel pacantia cum opio etc. Quorum ratio administrandi quum in tractatu de febri putrido-nervosa jam exposita sit, non nisi de opii usu sermo subjungendus. Indicatur autem *opium*, a *Brunone* ejusque asseclis toties in abusum tra-

ctum, sequentibus: vomitu vehemente *symptomatico:* diarrhoea *symptomatica* exhauriente; magna animi inquietudine et delirio angente continuo *sine humorum ad caput congestione:* excedente organorum sensuum sensilitate, photophobia, agrypnia perstante, inquietudine, spasmis, convulsionibus, doloribus acerrimis *sine causa materiali*, et sine pulsu forti, pleno, duro. Datur in substantia forma pulveris a $\frac{1}{6}$ ad $\frac{1}{4}$ grani, vel in tinctura anod. simpl. vel composita, quae guttatim cum cochleari infusi theati seorsim, aut infusis ante memoratis admixta per epicrasim porrigitur, externe enematibus, unguentis, linimentis, lotionibus additur; imo et in theriaca et pulvere *Doweri* non raro aptissime adhibetur.

In *febre nervosa cum torpore* signis memoratae pluries adfectionis ilei et coeci inflammatorio - ulcerosae deficientibus, aut per therapiam ante laudatam antiphlogistico - emollientem ac derivantem dispulsis, et aliis, quae vere contraindicent, absentibus momentis, maxime prosunt: emetica, et quidem ipecacuanha vel sola vel cum exigua tartari emetici dosi, nunquam hic solus; alterantia speciatim ipecacuanha dosibus refractis $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ gr. in pulvere, aut in infuso ex gr. decem, quindecim ad colaturam unciarum quatuor — sex parato, cochleatim omni hora vel bihorio porrigendo; flores arnicae in decocto; stimulantia diffusibilia et fortiora, ut camphora, angelica, calam. aromaticus, imperatoria, serpentaria, vinum, liquores vino analogi s. acida mineralia dulcificata, et aetheres; ammonium forma salis volat. corn. cerv., spirit. corn. cerv., ol. corn. cerv. rectificatiss. s. Dippelii; olea aetherea, tincturae aromatico - spirituosae; casu necessitatis ipse phosphorus; — exterius vesicantia, sinapismi, stimulantia enemata, lotiones, inunctiones, balnea. — Cortex peruvianus in decocto laudari omnino meretur sub decursu moderato febris nervosae tam acutae quam chronicae, luculentas remissiones celebrantis; harum spatio propinandus. —

Quibus formis, quando, et qua ratione remedia nunc nominata sint adplicanda, ex iis, quae de plerisque in therapia febris putridae jam prolata sunt, patet; hic de reliquis necessaria subjunguntur. — *Emetica* quo citius in febri nervosa cum torpore, ast *sine idiopathicis et activis sanguinis ad caput vel pectus congestionibus*, administrantur, eo decisivum magis et salutarem inducunt effectum, incitando et extollendo vires, vertiginem, temulentiam, soporem, totumque statum nervosum infringendo, imo auferendo, cutis expediendo functionem, febrim mitigando ac breviorem reddendo. Curandum vero, ne evacuationes alvinae alioquin profusae augeantur, et ut vomitu peracto, praesertim magno virium lapsu praesente, aeger confestim refocilletur pharmaco analeptico aut vino etc. conveniente dosi porrecto. Significantur autem dictae ad caput congestiones conspicua carotidum ac temporalium arteriarum pulsatione, rubore atque turgore faciei adaucto, cephalaea intensa et continua, pervigilio protenso; congestiones ad pectus anxietatis sensu in praecordiis, respiratione parva, laboriosa, situ horizontali arduo cum vel absque pectoris doloribus internis, facie turgida, profunde rubra aut imo livescente. *Balnea* quoque *tepida* tempestive, id est, patentibus modo status nervosi prodromis in usum vocata, dein vesicantia et sinapismos faustis ductus observatis magnopere commendo. In febri nervosa lenta nonnunquam iteratus cum istorum tum ipecacuanhae usus requiritur. — Cautelam summam et firmissimum sane judicium emeticorum adplicatio in febribus nervosis secundariis, ex inflammatoria ortis, in febre inflammationem comitante nunc charactere induta nervoso, nec non in sanguinis ad encephalum, pulmones congestionibus diuturnis vel brevioribus quidem sed magnis, fontem status nervosi suppeditantibus, sibi exposcit. Ultimo in casu quandoque ab initio statim evacuatio sanguinis per phlebotomiam exiguam ad aliquot uncias, vel, hac non amplius concessa,

per hirudines aut cucurbitulas scarificatas in organorum sanguine oppletorum viciniis instituenda; alias sine hac antagonistice irritando in cutem per remedia saepius nominata, derivando et excitando in tubum intestinalem per clysteres stimulantes illico agendum.

§. 146. *Singula symptomata* specialem exigentia therapiam, sunt: delirium clamosum angens, variarum partium spasmi, convulsiones, vomitus assiduus, diarrhoea vires consumens, sudores symptomatici debilitantes etc. Cura ejusmodi symptomatibus opponenda, morbi principis medelae exactissime ubique correspondens ex illis facile desumitur, quae mox de opii usu et supra §. 125. de urgentium febris putridae symptomatum tractamine docebantur. Quae in symptomatico diarrhoeae memoratae tractamine attentio in praesentem forsan intestinorum phlogosin ac ulcerationem sit convertenda, paragrapho praecedente exposui.

§. 147. Adsociato febri nervosae statu colliquativo, evoluta proinde *febri nervoso-putrida*, tractamen sequitur, aeque superius §. 124. etc. jam expositum, essentialiter eo tendens, ut vires erigantur, cohibeatur dissolutio, et sanguificatio normalis denuo invitetur.

§. 148. *Diaeta* febri nervosae conveniat, et cum remediis ordinatis concordet. Aliam erethismus, aliam torpor exigit. Indicantur ibi potus blandi ex decocto mucilaginoso, infuso mucilaginoso-aromatico fol. althaeae, flor. verbasci, flor. tiliae cum pauxillo semin. foeniculi, herbae melissae, flor. chamomillae, fol. aurantii etc. cum saccharo; vel ex aqua aut decocto mucilaginoso cum pauco vini levioris; jura carnium haud pinguia per vices porrecta; fructus horaei dulces, uti poma, pyra, cerasa etc. cocta cinnamomo et pauxillo vini condita, non neglecto tamen respectu proclivitatis in diarrhoeam febri nervosae adeo familiaris. Praesente torpore praeter jura commemorata et fructus horaeos modo dicto parandos convenit pro potu aqua cum vino levi, justa proportione

admixto; neo non vinum merum annosum blandum aliquoties per diem exhibendum dosibus, non generatim sed pro aegri cujusvis statu, imprimis adfectionis nervosae conditione, consuetudine ante morbum, pharmacorum juxta adplicatorum quantitate ac indole specialius definiendis, adeoque medentis prudentiae committendis. — Insuper ut aër semper purus sit et temperatus, lux moderata, quies et absentia strepitus, summa mundities, utque animus exhilaretur, pro viribus curandum.

§. 149. Febris *nervosae lentae tractamen* praeter causarum excitantium forsan agere continuantium amotionem aut enervationem iisdem indicationibus ac therapia acutae adquiescit, eorundemque remediorum pharmaceuticorum, diaeteticorum et psychicorum usu absolvitur. Notandum solummodo venit, quod supra dixi, emetica hic non raro iterari debere, et corticem peruvianum atque remedia nervina minus calefacientia utplurimum, et praesertim cutem debite incitantibus ac irritantibus balneis, vesicantibus, sinapismis etc. congrue adjuta, salutiferos praestare effectus.

§. 150. *Tertiae indicationi generali* convenit, methodum medendi hucusque necessariam roborantem, incitantem specialius nervinam, atque remedia nominata continuare, horum tamen doses, crisi fauste progrediente, successive imminuere rariusque exhibere. Si crises febrium nervosarum deuteropathicarum, uti solent, proprietates, iisdem febribus protopathicis citra characterem nervosum inhaerentes offerunt, ad eas plurimum attendatur. Omni in casu valet norma: evacuationem nullam et vel minime alvinam directe ac fortiter promovendam, sed naturae solum vires incitandas ac sustinendas, nullum crisi obstaculum ponendum, et probe attendendum esse, ne qua vere critica et salutifera excedat evacuatio, indeque vires dejiciendo noxia evadat. Id quod ubi timetur aut factum jam est, ad requisitam sine mora confugiendum est methodum et remedia, in tractamine

febris putridae lustrata. Diarrhoeis, quum plurimum metuendae sint, ocyssime occurrendum.

§. 151. *Indicatio quarta generalis*, convalescentiae cura, eadem ac ex febre putrida impletur ratione. Interest enim, recidivam admodum facilem praepedire, augere vires, et digestionem, sanguificationem ac nutritionem adjuvando resarcire materiam organicam et emendare. Huic duplici scopo conveniunt partim evitatio potentiarum omnium directe aut per aequo majorem corporis et animae intensionem debilitantium, partim usus pharmacorum mucilaginoso-amarorum, amarorum simplicium, amaro-aromaticorum aut et spirituosorum; vinum, juscula vinosa; diaeta partim vegetabilis partim animalis eupepta, bene nutriens, aromate grato quidquam condita, paucis sed iteratis per diem portionibus concedenda; motus accommodatus initio passivus dein activus; aër purus et siccus, amoene tepidus; consortia exhilarantia, concentus musicus etc. etc. etc.

Sect. II. Febres continuae compositae.

§. 152. Ex febribus continuis jam memoratis, quae cum systematis subordinati vel organi cujusdam adfectione essentialem i. e. causalem fovent nexum, ob rationes §. 92. expositas hic solum *gastricae* pertractantur.

Istae, proprium nonnullis febrium *genus* constituentes, febres vocantur continuae remittentes, cum eminente adfectione morbosa systematis gastrici causalem, ideoque essentialem habentes nexum.

§. 153. Potest quidem *status gastricus* jam *qua causa*, jam *qua effectus*, jam *qua coëffectus febris* ex communi cum hac simul causa productus, vel vero *ex causa altera* ante febrim, simul cum febri, aut hac jam praesente ortus adesse; cum autem hoc ultimo in casu complicationem febris sistat, nonnisi prioribus sub tribus modificationibus febri cognomen impertitur *gastricae*.

§. 154. Distinguuntur a *Sydenhami* tempore febres gastricae in *legitimas* et *illegitimas*; — illis species f. *gastrica saburralis*, his febris *gastrico-biliosa*, f. *pituitosa*, et qua hujus varietas f. *verminosa* adnumerantur.

Spec. I. Febris gastrica saburralis.

§. 155. Nomine *febris gastricae saburralis* illa insignitur *febris acuta continua remittens, quae ventriculi et tubi intestinalis adfectione generatur ac fovetur, per materias nutritias, se- aut excretorias inductа.*

Sunt enim tales materiae vel *a)* cibi assumti indigestibiles aut quacunque ex ratione non digesti, quibus potus, medicamina et peregrina adjungi varia possunt; vel *b)* quantitate aut qualitate peccantia secretionum morbosarum ventriculi, intestinorum, hepatis, pancreatis producta, adeoque mucus praecipue aut bilis; haec et illae communiter *saburrae, sordes*, primarum viarum audiunt; vel *c)* faeces ipsae retentae. Varios corruptelae et facultatis nocendi gradus subire queunt.

Quum primi generis sordes ventriculum et intestina proxime adficiant, morboque eorum mediante muci aut et bilis secretionem adaugere soleant: saburrae primi generis et secundi frequentissime vel simul vel successive in praxi occurrunt.

Max. Stoll, J. B. Burserii, J. P. Frank, S. G. Vogel, A. G. Richter, J. R. Bischoff opp. citat.

Dr. G. A. Richter, Darstellung des Wesens, der Erkenntniss und Behandlung der gastrischen Fieber. Halle und Berlin 1812. S. 31—59.

§. 156. *Symptomata*, quibus iste primarum viarum proditur morbus, sunt: *a) idiopathica:* anorexia; ciborum omnium praecipue carnium aversatio, ructus frequentes, varii; pondus in ventriculo cum sensu oppres-

sionis pectoris, epigastrii imo et reliqui totius abdominis tumor, tensio, plenitudo; anxietas abdominalis; vomituritio, vomitus saburras variae indolis evacuans, levans; lassitudinis ac doloris obtusi sensatio in lumbis, regione sacrali, et femoribus; borborygmi, tormina in intestinis; flatuum intense foetentium secessus; alvus nunc obstipa, nunc diarrhoica faecibus solutis, non raro intermixtis ciborum indigestorum residuis; — *b) symptomatica:* sapor per cavum oris diffusus ingratus, pro sordium indole nervorumque dispositione fatuus, mucosus, amarescens, acidus, putridus etc.; lingua ad radicem vel altiori in gradu per omnem superficiem tegmine albo, flavicante etc. crasso obducta; cephalaea pressiva, pulsatoria frontalis, per tempora ad occiput protensa; vertigo cum pronitate in vomitum praesertim oculis clausis, situ erecto, sub conamine corpus movendi aut mentem intendendi aucta; pavores sub somno; calores fugaces; dolores artuum obtusi; sitis magna; mictus frequens, urinae parcae, multum coloratae ast turbidae, crassae, limosae, et jam initio sedimentum crassum formantes, inde ab inflammatoriis distinguendae. Accedunt serius ocyus *horripilationes iteratae*, horror, postea *aestus*, sitis, siccitas cutis aut mador mere symptomaticus, olens, haud levans; *pulsus frequens*, jam fortis jam debilis, rarius liber quam suppressus, jam aequalis jam inordinatus; respirium citatum, difficile, tribus verbis, omnia symptomata essentialia febris, quae hic *symptomatica* saepe est (conf. §. 153.), *indolisque* praesertim initio *activae*, plus minus *inflammatoriae* esse solet, certis tamen in casibus et nervosam vel putridam potest nancisci.

Symptomata tam gastrica quam febrilia enumerata vesperi aut alio, plerumque pomeridiano tempore, nonnunquam frigore praevio exacerbantur, imo accedentibus oculorum ardore, aurium susurru, delirio etc. augentur, posthac vero praecipue horis matutinis luculenter remittunt. Sordibus ex irritamento suo vel curatione apta per

vomitus aut dejectiones alvinas omnibus aut pro parte evacuatis, symptomata gastrica et febrilia plus minus decrescunt cuncta, nonnulla penitus cessant, atque sic non raro, praeprimis sub initium, morbus totus cito judicatur. (*Burserius, P. Frank, Richter.*) Quibus vero non factis, et morbo ingravescente, symptomata febrilia simul, haud ita gastrica, increscunt, horum praesertim idiopathicorum plura potius recedunt, febre validiore penitus obfuscantur, unde prior opacatur mali forma; rebus vero fauste cedentibus morbo declinante mitiora, phaenomenisque criticis consociata, reviviscunt, ulteriore sub decremento crisique finita tandem evanitura.

§. 157. Febris saburralis modo ad paucos dies imo ad nycthemerum restringitur (f. gastr. saburralis ephemera), modo ad unam alteramve septimanam producitur. Variat haec *duratio* pro saburrarum copia et indole, pro irritabilitatis universae et virium statu, febris charactere et intensitate, efficacia naturae medicatricis, tempore ac ratione therapiae adhibitae, nec non complicationum forsan praesentium natura.

§. 158. Sibi relicta febris haec moderata in subjectis robustis non raro quidem per vomitum spontaneum, aut alvum primo fluidam frequentem, dein pultaceam, et subsequos sudores largos, acidos, foetentes in sanitatem transit; intensa vero, in debilibus, tractamine congruo neglecto, aut perverse adhibito, emeticis et purgantibus nimirum debito fortioribus, aut saepius repetitis, aut diutius continuatis, vel calefacientibus imo stimulantibus, roborantibus, vel opiatis porrectis, influxibus a latere nocivis, sordibus multum corruptis, favente constitutione epidemica, saepius in febrim putridam, nervosam, intermittentem, in diarrhoeam, dysenteriam, aliquando in gastritidem aut enteritidem convertitur.

§. 159. *Dispositio* ad febrim gastricam, praeter irritabilitatem systematis praecipue circulatorii majorem febribus oriundis in genere faventem (§. 62.), in omni

morbo cum digestione turbata, suspensa habetur, quatenus inde partim nutrimentorum aut medicaminum ingestorum subactio tardatur, praepeditur, partim copiosa pituitae, bilisve generatio sollicitatur. Hoc utroque praesertim ultimo respectu non praetervidenda est diathesis pituitosa et biliosa, proprie in febres pituitosas ac biliosas opportunitas, per influxus epidemicos et endemicos, speciatim per tempestatem frigido-humidam, ac humido-calidam cum frigida alternantem causata, quae in regionibus depressis, paludosis, humido-frigidis, aut humido-calidis, tempestati variabili subjectis fovetur et quodammodo figitur. Hinc autumno febres gastricae frequenter epidemicae, complicationes cum morbis sporadicis gastricae communissime observantur.

Momenta causae *occasionalia* partim *idiopathica* sunt, partim *sympathica*. Illis adnumerantur: *a)* usus *ciborum potuumve* quantitate nimia aut prava qualitate peccantium, ardue vel non digestibilium, quales sunt: panis humidus, non debite fermentatus, non satis coctus, gravis, ex farina vitiosa paratus, mucore corruptus; cibi farinosi crudi, glutinosi, pinguedine obruti; ova cocta dura, putrida; carnes densae fibris crassis, tenaces, siccatae fumo etc.; membranae tendinosae, tendines ipsae; legumina crassa, sicca, non recentia; fructus horaei immaturi, austeri, acidi, putrefacti; pinguia quaelibet, butyrum, caseus recens; lac acescens; cerevisia malae qualitatis etc., potulenta frigida in genere; — *b)* doses debito majores *medicaminum* ardue aut non digerendorum v. gr. oleorum pinguium, mixturarum oleosarum, linctuum, mucilaginum, gelatinarum insipidarum, pulveris corticum quercus, hippocastani, cascarillae, chinae etc., limaturae martis, stanni etc.; — *c)* ipsae faeces in tractu intestinorum accumulatae, ob alvum quibuscunque ex causis restrictam. — Ad momenta occasionalia *sympathica* spectant, quaecunque mentis facultates non accommodate intendendo, certos animi ad-

fectus excitando, et functiones cutis, speciatim transpirationem cohibendo, supprimendo facultates digestrices imminuere valent, atque secretiones in systemate digestorio uberiores ac vitiosas invitare, speciatim: meditationes, studia severa, pervigilia, tristitia, moeror, curae protractae; tempestas subfrigida, humida, pluviosa, omnimode multum variabilis, constitutio consueta atmosphaerae vernalis et autumnalis in climate nostro. Plura de his inter excitantes febris biliosae ac pituitosae causas.

§. 160. Secundum hucusque prolata *morbus ventriculi ac tubi intestinalis* febri gastrico-saburrali essentialiter conjunctus in virium illorum partim irritatione partim suppressione, alternante imo aliquoties intra nycthemeron alterutrius praepondio, cum vitiosis in ventriculo, hepate, pancreate, intestinis secretionibus, et digestione atque chylificatione speciatim vel suspensis vel imperfectis saltem et depravatis, consistit. Morbum hunc et febrim in triplici relatione haerere posse causali, ex §. 153. dictis patet. Leviore gradu et initio saepe sine febre existit, sed altiore etiam gradu et cum febre nexus in tunicae villosae ventriculi et intestinorum inflammationem rarissime omnino transgreditur. Quotidianis itaque observatis, sine praejudicio institutis, sententia *Broussaisii*, gastro-enteritidem febribus cunctis in specie gastricis semper subesse qua causam proximam, solemnissime refutatur.

§. 161. Febris gastrica mitior, activa non raro sine pharmacis, solum nutus naturae sequendo, potu aquoso, acidulo largo, abstinentia ab esculentis, quiete etc., nec non vomitu aut diarrhoea spontaneis in sanitatem terminatur. Haec autem vix aut sero exspectanda, diathesi in morbos gastricos jam diu ante praegressa, aegro debili, saburris copiosis, tenacibus et ardue evacuandis, eliminatione earum debito tempore neglecta, omissa aut solum insufficiente praestita etc. etc. Quo in casu sicut

et purgantibus justo fortioribus vel diu nimis continuatis irritantibus, sub decursu ulteriore nonnunquam diarrhoea accersitur exhauriens, criticas evacuationes alias v. gr. per sudores praepediens, adeoque periculosa, characterem febris adynamicum, nervosum aut putridum cum notis adfectionis ilei et coeci inflammatorio-ulcerosae in febre nervosa (§. 140 et 143.) accuratius descriptis, ipsam imo mortem facile inducens.

Eandem mutationem infaustam metuere jubeat primae viae saburris copiosis onustae, tenacitas istarum magna, aut difficilis in genere solubilitas; morbus non cognitus, diu sibi permissus, nimis negligenter aut impetuose, aut opio plane, vel remediis aromaticis, et spirituosis v. gr. vino, cremato cum pipere, zingibere etc. perverse tractatus. — Hac medendi ratione inflammationes ventriculi, intestinorum, hepatis, pulmonum, encephali etc. periculo plenae induci facile possunt.

Convalescentes ex hac vel alia febrium specie per gastricam supervenientem in periculum agi solent. Sic et puerperae etc.

Tempestas incongrua, humido-frigida sanationem differt, convalescentiae progressus tardat. — Idem aliae in organa digestoria vel specialius in animum aegri actiones inimicae, et absque istis languida jam diu ac imperfecta digestio, qualis in sedentariis praecipue ad mentis intensiones graviores et protractas adstrictis frequens est, nec non vitia organica ventriculi, tubi intestinalis, hepatis, lienis, pancreatis, mesenterii, efficiunt.

Attamen introitus quandoque impetuosus febris gastricae cum vomitu, diarrhoea, capitis doloribus, magna inquietudine, anxietate etc. nequaquam absolute malam poscit prognosim, saburris enim per vomitiones et diarrhoicas evacuationes, spontaneas vel insuper arte sustentatas, cito satis eliminatis omnibus, maximae brevi componuntur turbae, febris die tertio, quinto feliciter abacta esse potest, et convalescentia inchoare.

§. 162. *Indicationes therapeuticae* eo tendunt, ut 1) excitans febris gastricae causa, saburrae videlicet omnesque aliae noxae auferantur, arceantur; 2) morbus systematis gastrici, principalem febris fontem sistens, vel cum hac simul progenitus, ipsaque febris et symptomata concomitantia tollantur; 3) crisis apte dirigatur, et 4) promoveatur convalescentia.

Indicationi *primae* per saburrarum eliminationem ope emeticorum aut purgantium vel celerem, vel praegressa ad evacuationem per attenuantia et solventia praeparatione, nec non quae emesim aut catharsin noxiam, imo periculosam redderent ablatis aut pro possibili infractis institutam. Scopus eo certius attingitur ac plenius, quo citius et liberius illa exhiberi queunt remedia. Statu gastrico-saburrali adhuc afebrili mature ac juxta firmas administrata indicationes febrim certissime praepedire, ipsumque statum dictum cito ad finem perducere valent. Summe tamen interest, contra saburras sine aut cum febri, emetica, cathartica aut diluentia, et solventia, non indiscriminatim, sed prout certa singulorum indicantia momenta jubent, adhibere, cum unum remediorum istorum genus loco alterius administratum noceat, nimis tarde, haud secure, vel plane non ad scopum perducendo. Indicant autem *emetici usum:* anorexia et apepsia, fastidium ciborum praecipue carneorum, ructus copiosi, foetidi, nauseosi, epigastrii tumor, oppressio, nausea, vomituritio iterata, vomitus ipse cum saburrarum varii generis ejectione, et cum levamine plus minus manifesto sed insufficiente. — Saburrae sursum turgescere dicuntur. — Etiamsi emetica febris saburralis initio frequentius quam provectiore cursu suum inveniant locum, quia saburrae in substantiis adsumtis consistentes, primariae, initio ventriculum et supremum tubi intestinalis tractum tenere solent: memorata tamen signa turgescentiae seriore etiam et quacunque morbi periodo, qua sordes illae non raro per pituitam, bilem etc. morbose secretas secunda-

rio augentur, necessitatem illis utendi palam faciunt. Eliminanda antehac alvus per clysterem, obstacula alia, si amoveri queunt, v. gr. plethora, polyhaemia generatim cum vi vitali multum exaltata, inflammatio, vera vitae debilitas magna etc., modo congruo tollenda, contraindicantia momenta, saepe nequaquam absoluta, v. gr. pronitas in haemorrhagias, graviditas, hernia, prolapsus, aetas provecta et serio aestimanda sunt, quum emeticorum usui nonnisi vere fundata obstent contraindicantia, haud ita vero vomitus jam contingens laboriosus, sed insufficiens, aut cardialgia levior, aut dolores ad pectoris latera, cephalaea vehemens, deliria etc. mere symptomatica, cum lingua humida, molli, quae singula potius certissime ac citissime cedunt emetico. — *Tartarus emeticus* solus, aut *ipecacuanhae* nuptus, huic soli praeferri meretur. Pro adultis tart. emetici gr. tria — quatuor in aq. destill. unc. tribus — quatuor solvuntur, dividitur haec solutio in tres quatuorve partes, quarum una omni quadrante horae exhibetur, donec vomitus sufficiens secutus fuerit. Pro vomitu facilitando et efficaciore reddendo aegris post singulas vomitiones aqua tepida affatim porrigitur. Methodus haec convenit praesente magno in vomendum nisu aut vomitu ipso ast insufficiente, et ubi diarrhoeam praepedire oportet vel praesentem non intendere; — ubi vero inertia ventriculi excitanda, secretiones in illo atque tubo intestinali, hepate et pancreate promovendae, sicque sordes tenaces solvendae ac sursum et deorsum evacuandae sunt, dictae partes tertiae aut quartae doseos plenae intervallis longioribus, dimidiam quamlibet aut integram post horam aut bihorium porriguntur. Interstitiis brevissimis quinque, decem minutorum portiones tales solum propinantur, ubi vomitum ciendi necessitas urget, et emeticum plena dosi et unica nimios ederet effectus. (*A. I. Stifft's* pract. Heilmittellehre. Wien, 1791. B. I. S. 3—319.)

Circumstantiae et signa, necessariam *solventium* et *deorsum evacuantium* adplicationem indicantia sunt: *a)* obstacula emeticorum non tollenda v. gr. haemorrhagiae, aut magna in eas proclivitas, menstrua alias larga, et tempus haec proxime antecedens ac subsequens; graviditas primis tribus quatuorve mensibus; pertinax alvi obturatio; idiosyncrasia nota aegri erga emetica; *b)* symptomatum, quae emesim indicarent, ventriculum immediate spectantium defectus; horum loco potius *c)* signa saburrarum deorsum turgescentium, speciatim penes anorexiam, saporem alienatum, linguam obductam et os mucosum aut siccum, intumescentia et plenitudo abdominis, tormina leviora vel et dolores fortiores colici vagantes, borborygmi, flatus valde foetentes, alvus vel obstipa vel diarrhoica plus minus levans, foeculenta, quandoque residuis indigestorum frustis remixta. — Emetici usum morbo initiante sicut febre jam evoluta supplere tunc solum poterunt solventia et purgantia, si sordes in ventriculo paucae, in intestinis vero copiosae adsunt, et si emeticum absolute prohibetur; quibus casibus exceptis illa primo post emeticum, nisi hoc simul deorsum sufficienter egerit, adeoque in decursu conveniunt, et nec per colicam saburralem, nec per diarrhoeam, si plus humorum inquilinorum quam saburrarum evehit, contraindicantur. Dum humorum evacuationes nimias cient, vires magis debilitant ac emeticum; quare et ob sequelas periculosas §. 161 commemoratas, nec dosibus aequo largioribus, aut justo frequentius repetitis, nec diu nimis administrentur. Excretorum quantitatem et qualitatem rescire per autopsiam, necessarium est. — Saburris e tractu intestinorum cito evacuandis series eccoproticorum et purgantium, drasticis exceptis, inservit tam interne quam enematibus adplicandorum; nec arduus erit maxime convenientium selectus, ubi noxae praegressae et adhuc praesentes, morbi duratio, stadium et symptomata praesentia, specialius febris character et intensitas, nec non mor-

borum regnantium genius et aegri constitutio attenta mente pensitantur. In implendam hanc indicationem cederé valent: sal amarus, s. Glauberi, arc. duplicatum etc. in aqua aut decoctis graminis, prunorum etc. soluta; ante febrim vel ea solum mitiore rheum cum aliquo salium dictorum aut cremore tartari; infusum fol. sennae, inf. laxat. D. V. addito sale; atque clysteres, quales in tractamine febris inflammatoriae §. 103 commendabantur. — Saburris vero leniter et pedetentim subducendis per alvum remedia eadem, praecipue antiphlogistice-solventia et evacuantia, dosibus refractis et forma fluida conveniunt.

Necessaria his in casibus *cito agantur;* per longiorem enim in ventriculo ac tubo intestinali moram sordes variam subeunt corruptelam, qua tam idiopathice cardialgias, colicas, ipsas inflammationes, ulcera cum diarrhoea exhauriente (§. 158 et 161), quam sympathice validam, saepe periculosam febrim, insignem lassitudinem, humorum dyscrasiam, spasmos, convulsiones generando pares evadunt, quibus symptomatibus posterioribus nimis frequenter profani ad deleterium irritantium, tonicorum, calefacientium, antispasticorum, ut appellant, usum infauste seducuntur. — Methodus expectativa, largus modo potuum aquosorum acidulorum usus cum abstinentia a cibis, sic et stomachicorum valide stimulantium adplicatio therapiam sistunt admodum incertam; prior enim, nonnisi in casibus levioribus concedenda, tardius omnino ac methodus evacuans ad scopum perducit; altera febrim inflammatoriam (§. 161) cum phlogosibus variis facile provocat.

§. 163. Morbo adhucdum initiante et nondum, vel leviter solum febrili, cum prima plerumque et altera fere impletur indicatio; omnia enim remittunt symptomata, quaedam illico cessant, et brevi post nil nisi convalescentiae et alvi liberae restat cura. — Febri autem ob tardum nimis, aut omissum necessarium causale tractamen

jam provecta, cum primarum viarum statu gradum et characterem febris, viriumque universalem conditionem probe respicere oportet. Vigente *febri inflammatoria validiore* cutis, lingua, primae viae siccae inveniuntur, et saburrae nec sursum nec deorsum turgescunt. Emeticum aut purgans tunc non modo sordes non eliminaret, sed qua novum accedens irritamentum exacerbaret morbum; convenit autem therapia antiphlogistico-diluens et solvens, hinc largus potuum aquosorum, acidulorum, acidulo-mucilaginosorum usus, decocta graminis, prunorum, cum manna, pulpa tamarindorum, vel et mitiore sale antiphlogistico purgante parvis et divisis dosibus juncta, enemata alvum evacuantia. His sub continua successiva saburrarum solutione et evacuatione ac febris decremento *vel* crisis inducitur, *vel* sordes prius, imprimis tempore remissionum febris, mobiles redduntur, ut emetici aut purgantis administrationem, aliis in casibus jam longe citius convenientem, nunc (post dies) primo indicent.

Praesente febris saburralis charactere putrido aut nervoso evacuatio saburrarum reapse turgescentium ex metu, ne nimium debilitetur aeger, omittenda non est, cum cauta earum ope remediorum convenientium, praecipue emetici aut et rhei electi eliminatio, praesertim habita simul interne et imprimis externe necessaria virium alendarum et erigendarum ratione, minoris, ac earundem mora et corruptela, damni esse possit. Caeterum postea, quemadmodum in febre putrida et nervosa, procedendum est.

Durante febri gastrica sit *diaeta* plurimum restricta, digestu facilis, et sordibus immutandis, solvendis, evacuandis non obstet. Quapropter nonnisi potus conveniunt aquosi, aciduli, et aegro multum desiderante fructus horaei cocti, nonnisi putrido aut nervoso vigente charactere, aqua cum pauco vino, quod aegri tunc avide appetere solent. Aër purus quoque, temperatura adcom-

modata, mundities, cita excrementorum a cubili remotio etc. probe curentur.

§. 164. Pro *tertia indicatione* implenda nihil hic amplius in specie praecipiendum, quum necessaria ex iteratim dictis fluant. Teneatur tamen, vomitum ac alvum diarrhoicam hic non raro phaenomena esse critica.

§. 165. In apto *convalescentiae* ex febri saburrali tractamine eo adlaborandum, ut praecaveatur recidiva, ut digestionem, sanguificationem atque nutritionem ad normam reducendo morbi sequelae tollantur. — *Primo* respectu prae omnibus diaeta prudentissime dirigenda. Interdicendi itaque cibi omnes digestioni quidpiam renitentes, concedendi modo faciles, non obstipantes, aromate grato modice conditi, et vinum blandum parca quantitate ordinandum. — Pro *viribus* nunc universim, et in systemate gastrico speciatim plus minus debilitatis erigendis, et, siquidem in hoc pergunt, secretionibus morbosis emendandis valent remedia amara jam sola, jam aromaticis nupta v. gr. extractum amarum in aqua vel infuso aromatico, jam spirituosis v. gr. tinct. absinth., t. amar. s. elix. viscerali, liq. min. *Hoffm.*, jam taraxaco, fumariae, dosibus rhei refractis juncta. Casu speciali coronam therapiae imponere cortice peruviano aut martialibus opus est, praeparatis digestu facilioribus: tinct. mart. p., extr. m. pom. praemittendis. Quae de quiete ac motu, somno ac vigiliis, corporis mentisque occupationibus, adfectibus animi etc. aliis in convalescentiis commendata, quae prohibita fuerunt, etiam hic sub debito organorum digestioni praefixorum respectu dicta sunto

Spec. II. Febris biliosa.

§. 166. Nomine *febris biliosae* (f. characteris biliosi, f. polycholicae, synochi biliosae *Galeni*, f. typhodes, assodes, ardentis s. causos *Veterum*, f. aestivae *Stollii*) communiter quaelibet salutatur febris, cujus vel causam vel symptoma eminens morbose adaucta secretio bilis

constituit. Omnis autem secretio bilis nimia adfectionem hepatis proxime supponit, quae rursus morbum primario aut secundario ortum, nunc substantivum nunc symptomaticum seu morbi universalis partem sistit, cum conditione humorum vitiosa, turbatisque consuetim omnium organorum digerentium functionibus incedentem. Hinc *febrium gastricarum species* statui solet.

Quare febris *biliosa* est illa continua remittens, quae *adfectionis essentialis organorum digerentium, specialius hepatis*, et *nimiae ac vitiosae secretionis et accumulationis bilis symptomatibus* insignitur.

Adnot. Ex quo intelligitur, ad febrim biliosam statuendam non bilis uberioris solam sufficere praesentiam, sed nexum hujus cum febri causalem requiri. Insuper in febri et complicationibus biliosis non meram semper bilem nec hanc unice in censum vocatam fuisse, ex loco *Stollii* (Rat. med. P. I. p. 30) patet sequente: «Nos crudum, plerumque remanescentem apparatum in ventriculo et ejus vicinia collectum *bilem* vocamus, cujus sapor plerumque amarus est, subinde acidus, et austero-acidus, quin et dulcis, sed dulcedine perquam nauseosa. Rarius fors a vera sic dicta bile copiosius collecta originem trahit, et potius cruda undecunque nata colluvies est, quae in convenientem sibi corruptionem ob languentem ventriculi facultatem, vel nimia ipsius humoris in corruptionem proclivitate transmigrat, ut hinc modo acida, modo austera appareat, prout eadem materies sibi relicta modo hanc modo illam mutationem etiam extra ventriculum subiisset. Colorem, et saporem amarum persaepe a bile mutuat.»

M. Stoll Rat. med. P. II. C. 10—12. — Aphor. etc. §. 340—375. *P. Frank, S. G. Vogel, D. G. A. Richter, D. A. G. Richter*, I. *R. Bischoff l. c.*

§. 167. Ipsa *hepatis adfectio* dicta, sanguinis scilicet in eo congestio, activitas ejus exaltata cum uberiore bilis peccantis secretione, *vel* per potentias morbificas infra nominandas idiopathice aut sympathice generatur, et febris ex illa promanat, ubi morbum substantivum sistit cum febri comite symptomatica; *vel* per noxas quales cunque cum febri simul inducitur, ubi symptoma momen-

tosum coëxistens exhibet; *vel* durante alio morbo febrili aut non febrili, per hunc aut penes illum evolvitur, ubi complicationem constituit.

Febris biliosa nunc *epidemica* est, nunc *sporadica*, quibusdam in regionibus *endemica; characteris* nunc *activi*, plus minus *inflammatorii*, nunc *passivi* jam *putridi* jam *nervosi;* unde febris biliosa audit *simplex*, *inflammatoria*, *putrida*, *nervosa*, sive f. bilioso-inflammatoria, bilioso-putrida etc. — Quum pro triplici hoc charactere symptomata febris biliosae varient, in ea describenda primum essentialia morbi, primaria, et constantiora exponentur, dein ad febris comitantis quoad intensitatem et indolem deflexus procedetur.

§. 168. Memorata hepatis adfectio gradu solum mitiori sine febre prostat, ubi nomine *status biliosi*, *polycholiae*, venit; sic et initians febre adhucdum caret, nisi causa excitans et eam et febrim simul generet.

Status biliosus, ubi febri antecedit, deinde cum febri ceu causa cum effectu junctus decurrit, a levissimis ad maximos usque gradus sequentia offert signa: *initio et gradu levi* anorexiam, fastidium carnosorum, saporem amarum, ructus amarescentes, linguam siccam, flavicantem; albugineae, cutis in facie circa oculos, alas nasi et oris labia flavedinem; cephalaeam pressivam, quasi distendentem; — *gradu majori* praeter haec sensationem in regione ventriculi et hepatis ingratam, illamque ipsam tumidam, tensam, resistentem, sub exploratione praesertim in vesicae felleae regione dolentem, magis calentem; dolores subinde sursum ad thoracem, deorsum in abdomen vagantes, punctorios; nauseam, vomituritiones, vomitum vere biliosum, levantem, cum lingua multum obducta flava aut brunescente, dentibus et toto cavo oris squalore jam solubili jam tenace conspurcatis, qui vix elutus mox restituitur; cum anima foetente, sapore amaro ingrato, subinde putrido, siti clamosa maximo cum frigidorum et acidulorum desiderio, et cepha-

laea dira cum cranii dissilientis sensu; — *gradu adhuc altiore*, quicum consuetim jam febris intrat, bilis secernitur non solum largior, sed miscela quoque sua ab indole normali decedens, acris, in duodenum defertur, indeque *vel* in ventriculum sursum agitur, *vel* deorsum in tubum effunditur intestinalem, et symptomata producit sequentia, in casu *primo:* anorexiam et apepsiam, aversationem ciborum praecipue carnosorum; ructus frequentes nidorosos, cardialgiam, nauseam continuam; vomitum levantem, quo saepe copia ingente bilis jam tenuis, jam muco et gelatina remixta, spissa, tenax, jam pallida jam vitellina, porracea, aeruginosa, brunea imo nigricans ejicitur, acredine sua fauces et oris cavum mordens, stuporem dentium causans, odorem admodum penetrantem, acrem edens, calinis remixta effervescens, et animalibus acris instar veneni infensa. — Bilis *turgescere sursum* dicitur. — In casu *altero* bilis tormina intestinorum facit, borborygmos, flatus intense foetentes, dolores colicos, diarrhoeam biliosam cum tenesmo. — Bilis *turgescere deorsum* dicitur. — Non genarum tum modo rubor flavedine cinctus, et cutis plagis alias albis flavescens cernitur, verum etiam urinae initio jam turbidae, crassae et hypostaticae quandoque crocei fiunt coloris, rarius mucus narium et sputa pectoralia flavescunt, tingit sudor, imo serum sanguinis flavet et amarescit; adsunt cephalaea dira vel supra oculos modo vel ad occiput vel per totum caput extensa cum sensu cranii dissilientis, et cum levamine per compressionem accedente; vertigo sub erectione; sensus aestus interni vehementis c. inquietudine magna; agrypnia; delirium vividum impetuosum, pavores sub somno frequentes; oculi splendentes quasi lachrymis innatantes; sitis clamosa; dolores ad lumbos et genua et ad membra generatim jam fixi jam vagi; pruritus in cute nunc sicca nunc sine levamine madida; delassatio ac pro aegri sensu magna virium prostratio; respiratio difficilis, citata, cum

ictibus pectus quandoque percurrentibus; ardor oris et faucium; et pro febris charactere pulsus frequens et vel fortis, plenus, durus, vel debilis, vacuus, mollis atque tunc inaequalis, inordinatus. — *Gradu altissimo* symptomata recensita intensitatis sunt maximae, iisque adsociantur encephali ac totius systematis nervosi graviter adfecti phaenomena, partim nimiam istorum irritationem, partim functionum voluntate regendarum suppressionem significantia, uti: cephalaea dirissima, delirium praeceps ac vehemens, aurium susurrus, subsultus tendinum, convulsiones partiales imo universales, tussis valida, vel sopor, imo et animi deliquium, baryecoia, amblyopia, extremitatum frigus etc. etc.

§. 169. Symptomata morbi gradus cujuscunque mane *remittere* consueverunt et vespere exacerbari; sed aliis quoque diei temporibus exacerbationes accedere, sicut evoluto febris charactere putrido nullae aut minimae solum intrare animadvertuntur. Caeterum *decurrendi ratio*, *duratio*, ipsae *crises* morbi pro totius mali magnitudine, pro febris charactere inflammatorio, putrido vel nervoso, nec non pro complicationibus variant.

§. 170. Febris biliosa non infrequenter initio levis est, aptaque curatione cito *sanatur;* ubi vero subito magna cum ferocia, uti hinc inde, irruit, brevique faciem induit valde periculosam, tractamine instantaneo et adcommodato multum saltem mitigatur. Quemadmodum levior paucos intra dies in sanitatem abire, ita vehemens, aut putrida eodem tempore lethalis fieri potest. Biliosae febres gradus mediocris ad quatuordecim excurrere solent dies. Post exacerbationem vespertinam evacuationes per vomitus biliosos similemve diarrhoeam *criticae* tunc vel maxime observantur, ubi sordes biliosae per artem debite non fuerant evacuatae, vel quacunque ex ratione eliminari non poterant; praeterea judicantur febres istae (quas *Quesnay*, *Baglivius* et alii immerito acriticis accensent), sudoribus largis, urinis cum sedimento rubello

aut flavicante, haemorrhagia narium, haemorrhoidum, uteri, hydroa in labiis et oris circumferentia, nonnunquam et aphthis, salivatione, miliaribus, furunculis. Cum his communiter et febris, et hepatis adfectio una cum exsuperante bilis secretione cessant; haecce attamen aliquando post febrim adhuc mitior perstat. Criseos faustae signis praesertim somnus quietus reficiens adnumeretur oportet.

Casibus infaustis febris biliosa *characterem* induit *passivum*, vel in *alios* transit *morbos*, vel *morte* terminatur. Quodsi nimirum illa initio activa, inflammatoria negligitur, vel perverse tractatur, vel circumstantiis res externas aut aegrum spectantibus sanationi adversis est exposita, characterem subit putridum aut nervosum. Notae characteristicae, symptomata essentialia alterutrius supra §. 110 et 130 descripta illis febris biliosae admiscentur, eaque, dum magis evolvuntur, plus minusve obfuscant, donec rebus secunde cedentibus iterum evanescant, febrisque recuperato biliosae schemate tandem judicetur. — Vel, uti saepe autumno adulto, in febrim pituitosam commutatur. — Vel morbis excipitur secundariis, et quidem aut hepatis potissimum aut cerebri, unde vitia tam adpetentiae, digestionis, excretionum, sanguificationis, nutritionis, quam functionum cerebri ac systematis nervosi propriarum manant; in specie timendi: infarctus hepatis cum circulo per systema venae portarum languido, cohibito, febres intermittentes, chronica hepatis inflammatio, suppuratio; anorexia, dyspepsia, alvi obstipatio aut diarrhoea chronica; icterus; tussis sicca, hepatica; arthritis; cachexia universalis, hydrops, diathesis scorbutica, metastases inflammatoriae in gangraenam nitentes, vel cum secretionibus morbosis sociatae, ad encephalum, cor, pulmones, artus; amnesia, hebetudo, cephalaea gravativa etc. etc.

Lethalis fieri febris biliosa per plures morborum secundariorum et pedissequorum potest, nec non per characterem colliquativum aut nervosum. Illo vigente ex

functione hepatis laesa et uberrima bile humorum augetur dyscrasia, evacuationes colliquativae, et universalis virium exhaustio inferuntur. Inde vulgata ingens *febris flavae* lethalitas.

§. 171. *Dispositio* in febres biliosas aeque ac in morbos biliosos generatim in majore hepatis irritabilitate ac praedominante functione secretoria haeret, quae cum ejusdem locali vel et totius systematis venae portarum plethora, atque peculiari sanguinis indole necdum satis cognita (forsan praevalente totius massae sanguinis venosa, vel venosi phlogistica, desoxydata) conjuncta esse consuevit. — Haec dispositio, *biliosa* dicta, utut temperiei praecipue cholericae elementum, in quavis tamen alia per plures causarum occasionalium mox memorandarum evolvi pariter potest, si istae constanter ast eo cum intensitatis moderamine agunt, ut febrim reapse non incendant biliosam.

Ex *momentis occasionalibus* alia epidemicas, alia eaque numerosiora sporadicas excitare potius valent febres biliosas. *Epidemicas* prae caeteris generat atmosphaera calida, praeprimis simul humida. Inde tum diathesis biliosa latissime consuetim expansa, et nota biliosa morbis plurimis praesertim acutis adhaerens, tum febres ipsae biliosae aestate fervida et initio autumni in climate nostro frequentes (*Stoll* aphor. 351), sed frequentiores adhuc in provinciis maritimis zonae torridae, praecipue si hiems solito mitior, si dies fervidi noctibus excipiuntur frigidis humidisque, et ubi cum hac atmosphaerae indole solum humidum, regio udosa, paludosa cooperantur. Multis propterea regionibus morbi biliosi cum et absque febre incedentes inhaerent endemici; hinc febris flava in insulis Indiae occidentalis sub Aequatore sitis zonae torridae pluvioso imprimis tempore grassatur. Ast sub alia quoque atmosphaerae conditione febres biliosae quandoque epidemice occurrunt, nonnisi ex influxu in morbos dictos nota, et *constitutionis biliosae* titulo appellari so-

lita. *Sporadicas* febres biliosas producunt: abusus spirituosorum, diaetae carnosae, praesertim pinguis, remediorum irritando solventium, purgantium, emeticorum; corporis labores atmosphaera aestuante nimii, refrigerium praegressa exaestuatione; concussio corporis, laesiones capitis vel et irritationes modo encephali majores quemadmodum sub diris cephalalgiis; agitationes ac vertigo, quales vecti rheda, navi, in gyrum moti etc. experiuntur; iracundia, aegritudo, moeror, anxietas, terror, protracta mentis intensio. Quae potentiae recensitae jam primo polycholiam memoratam, ex cujus gradu altiore febris activa evolvitur, jam illam cum febri simul gignunt, prout nimirum diuturnam potius quam intensam, vel vero subitaneam et fortem exserunt actionem.

Quaelibet denique febris, aliique morbi nonnulli, imo et processus sani modo accidentali, dum praesentem intendunt dispositionem, statui bilioso ansam possunt praebere; inde frequentes morborum acutorum cum illo complicationes, inde catameniorum, amenorrhoeae suppressionis, graviditatis, partus, febris lacteae nec non puerperalis etc. frequens cum eodem connubium.

§. 172. *Essentia* febris biliosae partim in illa febris generatim (§. 50.), partim in morboso organorum digerentium praecipue hepatis statu, saepius memorato, quaerenda est. Hicce autem consistere videtur in sanguinis probabiliter jam vitiati accumulatione in hepate, et exaltata hujus visceris activitate cum nimia secretione bilis vitiosae, nimium irritantis, ex quibus ventriculi ac tubi intestinalis gravamen et irritatio, digestionis et chylificationis interceptio, crasis massae humorum alteratio, et systematis vasorum sanguiferorum irritatio promanare videntur. Morbus hepatis ab hepatitide, sicut congestio sanguinis et irritatio generatim ab inflammatione, essentiali differt modo.

§. 173. *Prognosis* magnitudini totius morbi, febris indoli, complicationibus forsan praesentibus, individuali

aegrotantis conditioni, momentis causae excitantibus, potentiis aegrum modo inevitabili circumdantibus, praesertim anni tempori ac tempestati, nec non effectibus, quos naturae vires et artis auxilium promittunt, superstruenda est.

Febris biliosa in se spectata, non ob instantaneam adeo vehementiam aut periculum, quod saepe deest, quam ob hepatis potius et systematis gastrici totius pro sanguificatione ac nutritione dignitatem, et ob vires bilis copiosae et vitiatae, acris valde nocivas, magni ponderis est.

Febris biliosa subinflammatoria in genere minus periculi secum fert, quam putrida et nervosa.

Quo validior febris ac adultior, quove major hepatis et organorum omnium digestioni dicatorum adfectio, eo ancipite magis sorte premitur aeger.

Febrium biliosarum curatio aestate minus ardua plerumque, ac autumno adulto, hieme et vere. Quemadmodum autumno saepe cum pituitoso illae complicantur statu, inque pituitosas abeunt febres, ita brumali tempore ac vernali potius ex genio regnante inflammatorio participare solent.

Quo diutius hepatis adfectio et cum hac status biliosus antecesserunt febrim, eo longior morbus, eoque magis recidivae ac mala posthuma metuenda. Id quod vel maxime in individuis constitutionis biliosae, animi summe mobilis obtinet, in individuis, actioni causarum quarumcunque occasionalium constanter expositis, aut iteratas febres biliosas passis, aut per morbos alios, curas, moerorem, pervigilia, victum nimis parcum et vilem etc. debilitatis, adeoque nonnisi languidas offerentibus naturae medicatricis vires, hinc praecautam therapiae efficacioris adplicationem exposcentibus.

Febris biliosa in subjecto antea sano, utut valida, initio apte tractata paucos intra dies cedere solet. Phlebotomiae citra indicationem, aut nimiae institutae, sol-

ventium ac purgantium abusus, emeticorum incauta et indiscriminatim facta adplicatio, haud secus ac incongruus remediorum incitantium usus damna imo periculum vitae inferre valent, in specie vires debilitare, exhaurire, adaugere adfectionem biliosam, febrim inducere putridam, vel et hepatitidem generare.

Reliqua prognostica ex morbi historia facile depromuntur.

§. 174. In *cura* febris biliosae ut *indicationi primae* generali satisfiat, non ea solum, quae malum in casu speciali provocavit, potentia nocens illico amovenda, sed aliae quoque, et speciatim omnes causae occasionales supra nominatae arcendae. Hoc intuitu v. gr. animi dispositio tristis, anxia, morosa polycholiae alendae, augendae favens emendanda, influxus aëris aestuantis artificiali cubilis refrigeratione temperandus, ira, moeror etc. sedulo vitandi, simul in complicationes attendendum et agendum.

§. 175. Pro implenda *indicatione altera* generali relatio febris ad statum biliosum, et febris character genericus ducant est necesse. Jam vero febris *vel* 1) simultanee atque ex causa communi cum irritatione hepatis nimiaque bilis secretione orta est v. gr. ex ira, terrore etc.; *vel* 2) effectum tam morbi hepatis, quam bilis copia et indole peccantis, nec non organorum digerentium irritationis et oppletionis ab illa inductae; *vel* 3) immediatam polycholiae causam sistit. Omni in casu characterem offert consuetim *a)* activum plus minusve phlogisticum, rarius et nonnisi in decursu passivum, *b)* colliquativum aut *c)* nervosum. Ubique tractamen speciali accommodatum casui requiritur.

In casu I., in quo febris communiter, saltem initio *a) characterem activum* plus minus *inflammatorium* prae se fert, methodus antiphlogistica, cum debito adfecti hepatis bilisque uberius secretae respectu administranda, indicatur. Raro hic (ne morbus pro hepatitide habea-

tur!) venaesectio requiritur; potus refrigerantes speciatim acidis vegetabilibus, aceto, oxymelle juncti, medicamina nitrosa, salina alia solventia, eccoprotica, inter quae eminent: aqua, decocta hordei, graminis, prunorum, tamarindorum cum cremore tartari, sale amaro, s. mir. Glauberi, arc. duplicato, cum oxymelle aut et pulpa prunorum, tamarindorum, nec non enemata solventia conveniunt, et plerumque sufficiunt. Emetica indicantur, si adsunt, aut in decursu accedunt symptomata, bilem in ventriculo collectam indubitate testantia, si itaque, ut dicere moris est, bilis sursum turgescit. Dum hepatis irritati symptomata absque manifesta bilis turgescentia praesto sunt, aut prae istius signis aperte praevalent, quocunque febris stadio, medicamina antiphlogistica, antibiliosa, atque solventia leniora adhibeantur, donec bilis sursum vel deorsum mobilis emeticum vel purgans indicaverit. Quadrat hic praecipue tartarus emeticus, quum emesi absoluta communiter deorsum etiam evacuet. Ubi vero alvus non sollicitanda, tutius ipecacuanha porrigitur aut sola, aut grano tartari emetici nupta. Diarrhoeae protractae debilitanti opponenda dosis opii congrua, et post horam aut bihorium subjungendum est emeticum ultimo nominatum (*Stoll* rat. med. P. II. p. 211), quo et diarrhoeam componere quandoque conceditur. — Tempus haec sicut purgantia porrigendi opportunissimum remissionis est, post exacerbationem recedentis. Ratio exhibendi alterutra, quemadmodum in therapia febris saburralis (§. 162.) exponebatur, ex circumstantiis cuivis casui propriis definitur. (*A. J. Stifft.* Heilmittellehre B. I. S. 49—95 und S. 385—408.) *Diaeta* in usu potus aquosi, aciduli largo, hinc inde fructuum horaeorum acidulodulcium, cerasorum, prunorum etc. coctorum consistit.

b) Vigente *febris charactere putrido*, qui initio rarissime obtinet, considerandum, num universalis prae hepatis adfectione et topicis bilis effectibus ille, vel isti prae illo praedominentur. Ibi therapia contra febrim pu-

tridam valens, praesertim largus acidorum mineralium usus, hic, nisi extrema vetet debilitas, emeticum data necessitate imo repetitum, specialius ipecacuanha indicatur, et bile evacuata corporisque impetrata concussione et excitatione virium salutari, tractamen aeque requiritur in febrim putridam commendatum.

c) In febre biliosa *characteris nervosi* summopere proficiunt emetica, quatenus partim systematis nervosi dispositionem emendando, et rationem hoc inter et systema irritabile perversam tollendo sunt idonea, partim necessariam bilis, nunc utpote morbo provectiore plerumque primas vias obruentis, eliminationem perficiunt. Dispulso per eorum adplicationem charactere bilioso, nervoso tamen perstante tractamen confestim instituendum, nervosae conveniens febri.

In casu II., *febri* nimirum *morbi hepatis et bilis* quantitate et qualitate acri peccantis *effectum* sistente, atque ab hepatitide levi nonnunquam haud facile dignoscenda, eo tendit indicatio, ut non congestio sanguinis solum in hepate hujusque irritatio, proinde et ulterior larga bilis secretio cohibeantur, sed ipsa quoque bilis nimia atque vitiosa mitigetur et eliminetur. Hic denuo inquirendum, num hepatis irritati et turgidi symptomata, num vero bilis secretae et sursum aut deorsum turgescentis effectus praevaleant, prioremque sibi exposcant respectum. Quodsi dictus hepatis status prae symptomatibus gastrico-biliosis exiguis eminet, simulque ore, lingua, faucibus siccis febris in incrementi stadio versatur, methodus interea et remedia antiphlogistica mitiora, antibiliosa, solventia, priore in casu (1.) commendata, locum inveniunt. Quodsi vero cum moderata aut absque ulla hepatis irritatione bilis copiosa phaenomenis superius enumeratis luculenter sese prodit, prout sursum vel deorsum ea turgescit, emetica vel purgantia, imo rebus ita jubentibus repetita, saepe illa prius, dein ista, praeterea potus copiosi, aquoso-mulcilaginosi, aciduli indi-

cantur. Qui praesente alioquin vomitu bilioso aut diarrhoea biliosa salutari et satis larga, soli evacuationibus hisce moderatis leniter promovendis, atque bili acri simul temperandae sufficiunt.

Haec dum juxta momenta indicantia fiunt, non obliviscendum est, tam emeticorum justo frequentius repetito, quam purgantium ultra necessitatem protracto usu polycholiam suis cum effectibus modo artificiali posse sustineri; cum evacuatione bilis nonnisi secretionis hepatis morbosae productum, *unam* proinde solum causae febris biliosae partem auferri; et sublata etiam cum bile simul hac febri symptomatica, nonnunquam morbi hepatis afebrilis, qui febrim breviori aut longiori tempore antecesserat, residuam manere partem.

Casu III., febre scilicet polycholiam provocante tractamen partim febris charactere, intensitate, stadio, partim polycholiae effectivae, symptomaticae indole phaenomenis regitur. Normae hic valent, casibus praecedentibus (I. et II.) expositae.

§. 176. Ut indicatio *tertia* rite impleatur, evacuationes criticas bene nosse et a mere symptomaticis dignoscere, viresque vitales probe aestimare oportet. Communissimae excretiones criticae hic in vomitu aut alvo biliosis, in sudoribus et urinis sese offerunt. Prioribus criticis ita medendum, ut natura non modo non turbetur, sed ducatur potius, et sufficientibus forsan destituta viribus adjuvetur. Aptissime largo aquae, in vomitu tepide sumendae, et aquosorum, diluentium potulentorum usu excretiones illae facilitantur. Nimia vero cum virium intensione procedentes, frustraneae, aut debilitantes, ultra modum continuantes, mucilaginosis, leniter aromaticis vel, ubi opus, et opiatis domentur. Quo sudor et urinae criticae modo sint dirigendae, alibi (§. 86 et 87) jam traditum.

§. 177. Indicatio *quarta* debitam convalescentiae curam praecipit. — Statu bilioso febri praegresso, vel me-

thodo evacuante antigastrica aequo tardius, debilius aut fortius, aut diutius administrata, cum convalescentia ex febri non semper et illa ex systematis gastrici, speciatim hepatis morbo simul intrat; qui adhuc superstes dysorexia, anorexia, dyspepsia, lingua obducta, flavedine cutis etc. palam redditur. Non morbi hujus tunc magnitudo solum et causa persistens, constitutio imprimis morborum regnans, sed subjecti quoque conditio, et febris crisis circumspecte considerentur. Inde fluet, num *vel* antiphlogistica solventia medicamina, quemadmodum superius nominata et serum lactis, adhuc continuanda, *vel* tonico-solventia leniora: taraxacum, saponaria, fumaria etc. cum ea rhei dosi, quae alvum modo expediat, non reddat diarrhoicam, *vel*, sicut in subjectis valde sensilibus, hystericis, hypochondriacis, eadem cum antispasticis chamomilla, valeriana, castoreo, assa foetida etc., imo opio apte conjuncta in usum vocanda sint. Diaeta insuper facilis, nutrimenta partim vegetabilia succulenta partim animalia sint tenera, viribusque digestionis exacte accommodata, potus levis, diluens pro aegri instinctu aquosus cum aceto, succo citri aut pro re nata cum pauxillo vini levioris, serum lactis dulce, cerevisia tenuis, amarescens, optime defaecata. Frictiones simul epigastrii totius, motus corporis, incessus moderatus, equitatio, balnea tepida simplicia, saponata, quidquam aromatica, rusticatio convalescentiae maturandae plurimum conducunt.

Hac autem sive per curam nunc dictam, sive statim per crisim febris impetrata, praecavere malum recidivum ac morbos secundarios, speciatim hepatis adeo facile oriundos, et superatae febris tollere effectus oportet. Indicationi priori satisfit omnes potentias nocentes, inter momenta febrim biliosam excitantia enumeratas, quam studiosissime proscribendo, et evitando. Altera singularem systematis gastrici, morbo, tractamine saepe debilitati, respectum includens, facilius aut difficilius, citius

aut tardius impleri potest, prout febris devicta mitior aut intensior et notae inflammatoriae, vel putridae, aut nervosae fuerit. Ibi convalescens sub justo remediorum leviter amaricantium, amaro-aromaticorum, diaetae partim vegetabilis, partim animalis digestu facilis, et vini blandi parum spirituosi parce hauriendi usu plerumque cito restauratur; hic vero et speciatim post febrim bilioso-putridam lento solum ad integram sanitatem procedit passu. Convalescentia talis admodum illius ex febri nervosa aut colliquativa simplici tractanda est.

Spec. III. Febris pituitosa.

§. 178. *Febris pituitosa* (glutinosa *Sarconii* et *Sellei;* phlegmatica, lymphatica alior.; mesenterica *Baglivii;* phlegmapyra *Swediaur*, das Schleimfieber) communiter ea febrium species habebatur, quae copiosae primarum viarum pituitae suam debet originem; hinc pro gastricarum specie declarata. Ast copiosa in primis viis pituita ipsa jam productum sistit morbosum, organorum mucum secernentium, membranarum videlicet et glandularum mucipararum morbum supponens; larga muci secretio non in membrana mucipara primarum viarum tantum, a faucibus incipiendo, sed in illa etiam organorum respirationis, cavorum nasalium, vaginae ac uteri manifestatur, atque, agnoscente jam id *Stollio* (Aph. 381), cum vitiosa sanguinis indole, aequo parciore cruore, praevalente sero, et solidorum laxitate conjuncta est. Tametsi autem mucus nimia quantitate secretus, et in ventriculo ac tubo intestinali accumulatus tam mole quam corruptus indole sua adeo gravare valet ac irritare organa dicta, ut inde febris evolvatur, gastricae speciem sistens: consideratione tamen morbi totius elucescit, rationem febris proximam non in sola pituita exsuperante quaerendam esse, sed in digestione potius, assimilatione ulteriore, et sanguificatione imperfectis, universali laxitate, segnitie ac debilitate, humorum in membranis mu-

ciparis congestione nimia, excedente pituitae secretione et accumulatione, cum continuante interea virium in toto organismo ac materiae organicae consumtione, inveniri. — Unde febris haec quoad essentiam lentis, hecticis accedit.

§. 179. Experientia teste morbus nunc memoratus universalis, in membranis muciparis eminenter prodiens, *status pituitosus* (polyblennia *Swed.*, Schleimsucht, Verschleimung, schleimiger Zustand, Schleimkrankheit) vocatus, diu adesse potest, quin evolvatur febris. Hinc notare convenit 1) febrim pituitosam esse symptomaticam, 2) nonnisi morbi pituitosi gradus altioris symptoma comparere, et 3) febri licet abacta polyblenniam nihilominus perdurare posse.

His praemissis *febris pituitosa* definitur qua febris *continua remittens, quae imperfectae sanguificationis symptomatibus, et nimia pituitae qualitate peccantis secretione, nexu causali sibi junctis, manifestatur.*

Sola igitur pituitae aucta secretio in febri quadam occurrens ad statuendam pituitosam non sufficit; sed praevaleat oportet, symptoma sit status pituitosi cum partium solidarum laxitate conjuncti, mox describendi, et causalem cum febri foveat nexum.

Quum in febri pituitosa systema nervosum graviter utplurimum adfectum sit, haecque adfectio vicissim febri alendae et intendendae par sit: medici non pauci nullum inter illam et nervosam lentam febrim discrimen agnoverunt. Ast morbi ambo, utut in decursu saepe adparenter sibi similes, a diversis ordiuntur systematibus; prior aeque saepe sine nervosis ac alter sine pituitosis symptomatibus decurrit; adeoque nec nervosa symptomata (dum non constant) febri pituitosae, nec pituitosa nervosae lentae sunt essentialia. Inde utriusque differentia manat, in Prognosin et Therapiam omnino influens.

Georg. Baglivi opp. omn., *M. Stoll* Aphor. 376—386. — *Selle*, Medicina clin. pag. 33. — *G. A.* et *A. G. Richter* opp. cit.

§. 180. Annunciari symptomatibus solet diu praecedentibus, uti sunt: lassitudo, horripilationes vagae (*Stoll* aph. 377.); animi dejectio, tristitia, involuntaria vertigo, somnolentia cum somno inquieto, non reficiente; lingua alba, mucosa, dentes ac gingivae sordidae; saliva spissa; sapor fatuus, cava oris et faucium pituita plena; anorexia, apepsia, nausea, epigastrii oppressio, repletio a cibo levissimo augenda; flatus, borborygmi; alvus tarda, mucosa; urinae pallidae, crudae, vix olentes, subinde turbidae, cum sedimento mucoso; facies pallida, obtutus languidus; horum omnium symptomatum exacerbatio a momentis quibusvis debilitantibus, praeprimis tempestate humida, adfectibus animi et pathematibus deprimentibus, sanguinis, seminis etc. jactura. Tali plerumque causa exacerbante *febris* provocatur, sub initium frigore et vesperi succedente praesertim capitis, manuum pedumve aestu, pulsibus moderate frequentibus, parvis, debilibus et inconstantibus, siti modica stipata. Cum febris *introitu* symptomata mox recensita ingravescunt; muco tenaci dense obducitur lingua; sputa crassa pituitosa ex ore, faucibus, viisque respiratoriis sine vel cum tussi et pectoris gravaminibus ejiciuntur; evacuatur pituita vomitu, diarrhoea symptomaticis vel et arte excitatis; blennorrhoea vaginae, uteri, urethrae (insons) augetur, silens quandoque revocatur; vexant ructus varii, halitus mucidus, nauseoseacidulus; morbo adulto superveniunt aphthae, os, fauces, ventriculum imo et tractum intestinorum, orificium ani obsidentes; sanguis quacunque ratione evacuatus aequo pallidior, quasi muco (gelatina et albumine) remixtus, vel membrana mucosa tectus adparet; urinae parum sunt tinctae, saepe muco remixtae, hinc inde mucum deponentes; alvus segnis, faeces plus minus pituitosae, aegri indifferentes jacent, soporosi, vertiginosi, placide delirant.

§. 181. Febris pituitosa lentum amat decursum. Sym-

ptomata febrilia vesperi communiter exacerbantur, mane remittunt, quin exacerbationes morbi sub incremento sudoribus terminentur, perque istos in remissiones abeant. In principio febris charactere induta esse solet simplici activo, irritativo, durantibus praesertim exacerbationibus vespertinis prodeunte; qui tamen quandoque, vernali tempore maxime (*Stoll* aph. 378), in inflammatorium intenditur, saepius vero in passivum, nervosum vel putridum transmutatur.

§. 182. Vigente febris pituitosae indole leviter *inflammatoria*, phaenomenis antea enumeratis praecipue sub exacerbationibus vespertinis luculentiora irritationis phaenomena, aestus et cephalaea majores, intensior sitis, pulsus fortior, subdurus, frequentior, urinae subflammeae commiscentur. Minus distinctae tunc remissiones observantur, et decursus haud ita lentus. — Febris pituitosae characterem *nervosum* adfectiones cerebri, organorum sensuum, hinc inde et musculorum tum voluntariorum tum involuntariorum majores insigniunt, et statui nervoso propriae. — Febrim pituitosam cum charactere *putrido* plura pathognomonicorum febris putridae symptomatum denotant.

§. 183. *Duratio* febris pituitosae generatim longa esse consuevit; excipiantur casus rariores, in quibus v. gr. in decursu ex ansa gravi inflammatoriam subit indolem, vel cum inflammatione quadam complicatur. Tempus vero durationis definiri exactius nequit, et nonnisi commemorare conceditur, illam nunquam ante quatuordecim dies, raro cum his, communiter autem cum tertia, quarta septimana, imo adhuc tardius terminari.

§. 184. Sibi commissa haec febris longius quidem excurrit, et vires languidae spem conaminum naturae criticorum valde exiguam suppeditant; constat nihilominus, eam quandoque citra artis auxilium vomitu spontaneo, crebro, facili, diarrhoea non valida, saepius recurrente, dein sudoribus nocturnis sponte natis, levan-

tibus in morbi decremento, miliaribus quoque, coctione praegressa, sputis pituitosis largis, ptyalismo sanari. (*Stoll* aphor. 382.) Iidem solutionis modi nonnunquam et sub congruo tractamine medico, frequentissime vero, sudores vaporosi, aequabiles obtinent. — Crisi autem resolutoria imperfecta variae metastases ut: parotidum aliarumque glandularum tumores lenti, oëdemata, extravasata serosa, lymphatica interna etc. possunt oriri.

Abacta feliciter febri haud raro status remanet pituitosus, qui ipse chronicus factus nunc digestionis nunc respirationis organorum gravamina aeque chronica, in his speciatim tussim diuturnam generat, sustinet, phthisim pulmonalem minatur. Febris insuper in lentam nervosam commutari, tabem, hydropem, scorbutum, menstruorum anomalias, chlorosim, aliasque cachexias potest habere pedissequas.

Mortem: *a)* dyscrasia humorum et evoluto ac increscente charactere septico; *b)* virium exhaustione, ad quam difficilior medicaminum et nutrimentorum in primas vias pituita obrutas et segnes actio multum confert; *c)* extravasatis serosis intra cranium, pituitosis ad pulmones aliaque viscera nobilia metastasibus, hydrope universali, tabe, phthisi pituitosa et purulenta, inferre valet.

§. 185. Febris pituitosa vel *pura* vel variis tam acutis quam chronicis *complicata* morbis, speciatim qua polyblennia febribus nervosis lentis, saburralibus, biliosis, catarrhosis, rheumaticis, intermittentibus etc. nupta; *primaria* vel frequentius *secundaria;* caeterum jam *sporadica*, hinc illinc *endemica*, jam *epidemica* observatur; nec non constitutionem morborum *stationariam* fecisse visa est.

§. 186. *Dispositionem* in febres pituitosas status toties memoratus pituitosus constituit, qui in debilitate systematis lymphatici, organorum digestioni ac sanguificationi dicatorum, et eminente debilitate ac laxitate mem-

branarum mucipararum radicari videtur. Significatur laxitate et crassitie cutis, colore faciei pallido, cachectico, habitu plus minus leucophlegmatico, ejectione larga chronica muci e naribus, ore, pulmonibus, blennorrhoea benigna vaginali etc. etc. Aetas infantilis et provecta senilis, subjecta praesertim foeminina diatheseos rhachiticae, scrophulosae, chloroticae, hydropicae in polyblenniam et febrim pituitosam maxime disponuntur.

Momenta causae *excitantia*, quae actione moderata continuante dispositionem inferre, eamque ad febris usque evolutionem intendere valent, jam febri pituitosae epidemicae, jam endemicae jam sporadicae producendae paria, sunt sequentia: 1) singularis atmosphaerae constitutio epidemica et endemica, in quantum patet, in humiditate aëris et temperatura frigidula consistens (inde febres pituitosae epidemicae autumno frigido-humido, et post humidam absque gelu hiemem; hinc endemicae in regionibus depressis, udis, paludosis); habitaculum humidum, frigidum, tenebrosum; humiditas et spurcities omnis generis, multum neglecta cutis mundities; 2) usus continuus victus vilis, fatui, largus farinosorum crudorum, leguminum adultorum, aliorumque ciborum tenacium, viscidorum, glutinosorum; vermes in intestinis, statum pituitosum alere, augere, et ad febris evolutionem conferre valentes; tandem 3) tam potentiae debilitantes omnes, praesertim digestionem atque sanguificationem infringendo pares, quales sunt: remediorum solventium et purgantium abusus, moeror, curae, haemorrhagiae, seminis profusiones nimiae; inertia, vitae genus sedentarium aeque ac virium corporis animaeque facultatum intensiones aequo majores, inconsuetae, protractae, somnus nimius, quam morbi varii, quemadmodum §. praecedente nominati, porro viscerum abdominalium, glandularum mesentericarum, pulmonum, cutis chronici, scrophulae, chlorosis etc. Hinc febris pituitosa prae caeteris infestat laxos (*Stoll* aphor. 376), phleg-

maticos, obesos, vitae sedentariae addictos, seniculos, venere, studiis, vigiliis, moerore, morbo, medicatione, inedia exhaustos, pauperes victu aquoso, farinoso, pingui, austero usos; chloroticas, puerperas, pueros verminosos, scrophulosos, viscerum abdominalium morbo detentos, atrophicos.

§. 187. *Prognosis* sequitur generalia momenta jam iteratim exposita.

Natura parum efficax, magna auxilii artis necessitas, facilis in nervosam aut putridam febrim transitus, suffocationis quandoque periculum, exigua primarum viarum et totius organismi pro remediorum necessariorum actione receptivitas, faustam prognosim generatim non permittunt. Favet quidem ex opposito decursus lentus, ideoque longius ferendo artis auxilio tempus concessum, hujus tamen scopus nihilominus non aut imperfecte solum obtinetur.

Quo eminentius evoluta nota nervosa aut putrida, eo periculosior est morbus. Idem valet de complicationibus cum statu bilioso aestate et autumno, ubi febris *atrabilaria* dicta, cum inflammationibus, exanthematibus etc. Charactere nervoso aut putrido, vel complicatione profligata, si activus praevalet febris character, criseosque faustae congruae prodeunt indicia, meliorem ferre licet prognosin.

Ubi causas occasionales tollere ardue aut non conceditur, prognosis manet anceps, v. gr. tempore humido ac frigido protracto etc. Febris pituitosa quo magis ex praegressa organismi diathesi absque apertis evoluta fuit causis excitantibus, eo difficilius perfectam sperare licet sanitatem, quum graves totique constitutioni individuali profunde impactas mutationes, speciatim in humorum massa, membranis muciparis, systemate lymphatico et nervoso supponere fas sit, summis etiam medici conatibus haud facile auferendas vel plurimum emendandas. Abacta tunc feliciter febre malum nonnisi ad mitiorem re-

ductum est gradum, quo maximae medentis prudentiae et constantiae pertinaciter resistit.

Ratio medelae, profundiore vero mali fonte neglecto, in educendam solum pituitam tendens exasperare morbum, indolem nervosam lentam vel putridam inferre, adeoque hypochondriasim, tabem, hydropem etc. eo certius valet invitare, quo magis antiphlogisticorum salium ope perficitur, quove diutius ultra necessitatis terminos continuatur. Sed et methodus stimulans, calefaciens, praesertim initio instituta, viscerum inflammationes, febres ardentes perniciosas, miliaria non critica facit (*Stoll* aph. 384 et 385), et incitatione nimia vires exhaurit.

§. 188. *Therapia* febris pituitosae indicationibus generalibus quatuor regitur.

Indicatio *prima* pro causarum diversitate variat, quandoque v. gr. constitutione atmosphaerae epidemica causali regnante per artem minime, alias v. gr. domicilio humido, animi pathematibus deprimentibus etc. inculpandis pro parte solum potest impleri; omnes caeterum potentiae nocentes supra enumeratae evitari debent.

§. 189. Indicatio *secunda*, morbum auferendum spectans, sicut in febris biliosae curatione exponebatur, relationem febris ad statum pituitosum, nec non sedem et quantitatem pituitae morbose secretae et collectae respici jubet. — Vigente febris *charactere* solum simplici *activo* aut *levissime subinflammatorio*, eoque sub ipsis potissimum exacerbationibus manifesto, et contraindicatione deficiente, prae omnibus sordes pituitosae ex primis viis, et quidem per emetica, dein per alvum moventia eliminari debent. Ad emesim ciendam hic tartar. emeticus ipecacuanhae praeferendus. Nisi spontaneae jam accesserint vomitiones, saepe dosi solitam mediam granorum trium excedente requiritur, solutus, plures divisus in partes, remissionis tempore, omni 5—10. minuto porrigendus. Alvus postea lente et ope remediorum non mere antiphlogisticorum salinorum sed erigentium simul,

et non ultra quam opus movenda, ne minus prosit evacuatio pituitae, quam debilitatio et solutio noceat. Conveniunt dosibus refractis rheum, jalapa cum arcano dupl., aut juxta *S. Vogel* cum sale ammoniaco, infusum fol. sennae, infus. laxat. D. V., cum sale antiphlogistico; penes haec potus aquosi aut aciduli, nutrimenta levissima mere fluida, fructus horaei acidulo-dulces. Character phlogisticus febrim nonnunquam concomitans, semper modicus, rationem medendi antiphlogisticam non intensam exigit. Secreta pituita parca, nec ventriculum et intestina vel organa respiratoria gravante, nec degenerata, acida, acri, lenior ejusdem solutio, evacuatio indicatur. Quare habito tum febris tum pituitosi status respectu antiphlogistica diluentia, solventia, eccoprotica, subemetica requiruntur, uti decocta graminis, prunorum, tamarindorum, taraxaci cum tart. tartarisato, sale amaro, s. Glaub., arc. duplic., aut gr. uno tart. emetici, nec non calomel dosi refracta decoctis nominatis interpolatum, aut paucis granis rhei nuptum, ita adhibendum, ut dejectiones modo pultaceae, quae virides saepe ac foetentes, impetrentur.

Sub febris alterius v. gr. saburralis, biliosae, catarrhosae etc. decursu, si *status pituitosi secundario* prodeunt *symptomata*, cum tractamine illi congruo therapia nunc exposita, pro rerum adjunctis, jam mitior antiphlogistica diluens et solvens, jam evacuans apte combinetur.

Febri *charactere nervoso* stipata, quam provectiore consuetim aetate morbi major pituitae exsuperantia comitari solet, emetica eminentem exerunt virtutem, evacuando mucum ex ventriculo et pulmonibus, corpus concutiendo, et universum incitando systema nervosum. Pro necessitate, praesertim morbo lento et diu protracto, reiterari, et intervallorum temporibus irritando solventia adhiberi debent, qualia sunt: sal ammoniacus, tart. emeticus, sulphur aur. antimon., kermes minerale

dosibus nonnisi levem nauseam facientibus; polygala senega, scilla, gummi ammoniacum; rheum, aloe dosibus exiguis, jungenda amaricantibus et aromaticis, taraxaco, cichoreo, fumariae, cortici peruviano, flor. cham., absinthio, calamo aromatico etc. Per alvum nonnisi cautissime eliminari debet pituita et potissimum ope enematum. Debilitati externa simul opponuntur irritantia et incitantia, uti sinapismi, vesicantia, frictiones cutis, lotiones cum vino, spiritu vini tenui, aromatico, camphorato, et perstante cutis siccitate balnea tepida saponata, aromatica. Valet hic *Baglivii* monitum „in nullo morborum genere tanta opus esse patientia, exspectatione, cunctatione ad bene ac feliciter medendum, quam ad curandas febres mesentericas.“

Febre pituitosa *characteri putrido* juncta princeps quidem methodus medendi contra febrim colliquativam exposita indicatur, in pituitam vero simul expellendam cautus emetici praesertim sub initium usus non negligendus. Hujus repetitio casu speciali ponderato definitur.

§. 190. Indicatio *tertia* ob crises in hoc morbo, uti dictum, rarius manifestas et vix non semper intercisas haud semper patet. Si quae per vomitum pituitosum, vel per sudores obtinent, juxta praecepta pluries memorata dirigendae erunt. Vires speciatim, amaricantibus, amaro-aromaticis, nec non in hoc adhuc stadio vesicantibus, epispasticis, lotionibus, balneis antea laudatis erunt adjuvandae, inertes exstimulandae. — *Diaeta* simul concedenda digestu facilis, parca, reficiens sit, aromate igitur grato blando condita, vini pauxillo parata; potus analepticus, parum aromaticus, sed vel maxime aquosus pauco vino blando, levi, v. gr. austriaco albo mixtus.

§. 191. Ad indicationem *quartam*, congruam convalescentiae curam, implendam requiritur, ut in febrim et in statum quoque pituitosum afebrilem praecaveatur recidiva, et effectus a morbo superstites tollantur. Utrique momento convenit assimilationem in genere,

digestionem specialius, inde et sanguificationem ac nutritionem adjuvare, intendere; roburque toti organismo, praecipue organis pituita antehac laborantibus conciliare. Proderit itaque ratio tractaminis, qualis in convalescentia huic quoad virium consumtionem maciemque insignem, lentosque progressus multum analoga, ex febri putrida (§. 128) exponebatur. Qua quidem sola, certius tamen ac perfectius tam abstinendo a multis crassisque cibis farinosis, leguminibus siccis, radicibus solani tuberosi etc. quam remediis amaris, amaro-aromaticis, ac spirituosis generatim indicatis refractas rhei doses congrue addendo, novae pituitae producendae et accumulandae obices ponuntur.

§. 192. Perstans aegro licet restaurato *diathesis pituitosa* tractamine eodem ultra continuato, usu aëris liberi puri, sicci, motu diligente in illo, balneis roborantibus, accommodato corporis exercitio etc. pro possibili emendetur. Individuali tamen constitutioni quandoque nimium impacta omne artis conamen eludit immedicabilis, nonnisi diaeta et regimine coërcenda.

Spec. IV. Febris verminosa.

§. 193. *Febris verminosa*, Wurmfieber, *est continua remittens, citra status pituitosi symptomata signis vermium intestinalium se manifestans, ad ortum et praesentiam ejus essentialem conferentium symbolam.*

Hac ratione febris verminosa distinguitur ab aliis, in quibus vermes observantur, morbo aut medicamine expulsi, quin tamen cum illis nexum habeant causalem; sic et ab illis, quae ex ansis quibusvis inductae verminosos invadunt, adeoque complicationem cum helminthiasi sistunt.

M. Stoll, rat. medend. T. VII. p. 115. etc.

Musgrave, Versuch üb. d. Nat. u. Behandl. des sog. Wurmfiebers; in d. Samml. auserles. Abh. f. p. Aerzte. B. III. p. 529. u. f.

Fr. Hecker, Kunst die Krankh. d. Menschen zu heilen. Th. I. p. 150—154.

§. 194. Febris verminosa semper compositum constituit morbum ex primarum viarum adfectione, cujus vel causam vel effectum vermes offerunt, et febri partim ab his partim ab illa profecta, symptomatica. Quum in verminosis status pituitosus supra descriptus non in primis tantum viis, sed in universa frequenter manifestetur vegetatione, eundem nisi unicum vermium fontem, momentum saltem sistere generationi eorum et subsistentiae admodum favens, probabile est. Hic et ibi indubitatus inter istos ac illum intercedit nexus, ex quo summa *febris verminosae cum pituitosa* elucet *adfinitas*. Quae igitur de *pituitosae charactere, decursu, duratione, terminationibus* dicta sunt, de verminosa quoque valent, circa cujus diagnosim *signa vermium* praesentium, sicut circa therapiam *modus ac media eosdem enervandi, enecandi ac expellendi* hic speciatim adjungenda sunt.

§. 195. Vermes ad febrim verminosam producendam et alendam facientes praecipui sunt: *ascarides lumbricoides* (lumbrici veterum), intestina tenuia, vel *trichurides* (trichocepalus dispar *Rudolphi*, *Bremser*, Haarkopf, Peitschenwurm), intestina crassa, praecipue coecum inhabitare soliti; quandoque et *ascarides vermiculares* (oxyuris vermicularis *Bremser*, Springwurm, Mastwurm, Madenwurm, Pfriemenschwanz) pariter in intestinis crassis praesertim in recto, aut *taenia solium L.* (t. cucurbitina, der langgliedrige Bandwurm, Kettenwurm), aut *taenia lata* (botryocephalus latus *Bremser*, der breitgliedrige Bandwurm) in toto intestinorum tractu nidulantes. Non tamen praetermittendum, vermes vulgo saepe inculpari, ubi aut nulli aut insontes adsunt; simulque tenendum, signis et gravaminibus sic dictis verminosis cunctis non plenam esse fidem habendam, nisi vermes iteratim secedant, indeque symptomata mitigentur.

D. *Bremser*, üb. lebende Würmer im lebenden Menschen etc. M. Abbildungen. Wien 1819. 4.

§. 196. *Phaenomena* febrim verminosam insignientia, penes *febris pituitosae signa*, speciatim in *symptomatibus verminosis* consistunt, quae sunt: abdomen crassum, tumidum, durum cum reliqui corporis extenuatione; tormina frequentia praesertim circa umbilicum cum sensatione punctorarum, morsuum, reptationis, distensionis; nauseae praecipue tempore matutino, vomituritiones, vomitus potissimum humoris limpidi; adpetitus inconstans, jam anorexia jam bulimia; alvus nunc retenta nunc diarrhoica, mucosa, sanguine striata; tenesmus; urinae pallidae, seri lactis instar turbiduli; sudores acidi, color faciei plerumque pallidus, subito mutabilis, oculi languidi, annulis caeruleis sulcati, pupilla multum dilatata, diplopia, aut aliae visus anomaliae; frequens labii superioris et nasi intumescentia, narium pruritus, epistaxis; aurium susurrus, aliquando cephalaea; lingua spurca, saliva copiosa, halitus praecipue jejuno adhuc ventriculo foetens; inertia, morositas, animi mobilitas, mala plerumque dispositio; casu rariore alalia, leipothymia, convulsio transitoriae. (*Bremser* l. c. p. 117.)

§. 197. *Prognosis* febris verminosae ab illa pituitosae quoad essentialia non differt. Vexat tamen verminosa febris vel maxime infantes, non raro valida est, doloribus vehementibus, spasmis, convulsionibus, nonnisi pituitoso-nervosam concomitantibus, conjuncta; vermes therapiae adhibitae saepius pertinaciter resistunt, sanationem proinde febris tardant aut plane impediunt, transitum in hecticam, in nervosam lentam facile parant.

§. 198. Confirmata vermium praesentia, et influxu causali in febrim praesentem perspecto, *indicationibus* in febris pituitosae curatione statutis accedit insuper illa, quae *directe expellendos vermes* atque *symptomata ab illis producta* tollenda concernit. A remediis autem drasticis cavendum, cum febrim praecipue indolis inflam-

matoriae exasperent, plurimumque lacessent systema nervosum. Hinc leniora in hunc finem sunt tentanda, et in istorum simul ac anthelminticorum copulandorum selectu character febris probe respiciendus. Tractaminis ratio in febre pituitosa commendati, et ipse morbus febrilis vermibus expellendis saepe sufficiunt; nam arcan. duplicatum, sal amarus, tart. emeticus, calomel, rheum, senna, fumaria, taraxacum, aliaque amara, scilla, valeriana, asa foetida, camphora, quae ibi pro ratione pituitae accumulatae et charactere febris commendabantur, aeque nota sunt anthelmintica; addantur his semen santonici pro re nata hydrarg. mur. miti, rheo, jalapae, vel camphorae, valerianae etc. jungendum; enemata irritantia, evacuantia, fotus, inunctiones abdominis cum remediis amaris, specificis, uti absinthio, chamomilla, tanaceto, valeriana, asa foetida, succo allii, felle tauri, oleo tanaceti, camphora, petroleo etc.

§. 199. Quodsi sub congruo talium remediorum usu vermes non secedunt, eo adlaborandum erit, ut irritatio a vermibus mitigetur, hujusque et imprimis dolorum nocivus in febris decursum influxus quoad possibile tollatur. Mucilaginosa et oleosa pinguia, oleum ricini, emulsa pro rerum circumstantiis cum camphora, hyoscyamo, opio, extracto nuc. vomicae juncta; jura carnium subpinguia, nisi generatim obsint aut aegro adversa; enemata pacantia ex lacte aut fluidis aliis cum oleo; cataplasmata pacantia ex speciebus emollientibus solis aut herba hyoscyami remixtis, conveniunt.

§. 200. De *crisi* et *convalescentia* febris verminosae valent, quae de his in febris pituitosae tractamine dicta sunt; et circa status pituitosi prophylaxin ibidem exposita plenam et hic pro vermium regeneratione et collectione praevertenda inveniunt adplicationem. Plura de his in tractatu de helmintiasi, et speciatim de colicae aliorumque gravaminum verminosorum curatione memorabuntur.

Ordo II. Febres intermittentes.

§. 201. *Febres intermittentes* (vulgo frigidae, Wechselfieber, kalte Fieber) dicuntur, *quarum symptomata essentialia certis temporibus cessant, sed post intervalla plus minusve statuta recurrunt.*

Intervallum non febrile *apyrexia*, febris reversa *paroxysmus*, ordo, quo paroxysmi accedunt, *typus* audit.

Febris intermittens itaque morbum sistit, serie paroxysmorum cum apyrexiis certo typo alternantibus sese manifestantem. Quilibet paroxysmus forma sua, animadvertente *Sydenhamo* (Obs. med. etc. Sect. 1. c. 3.), qua compendium febris continuae brevissimae considerari potest, quae sub decursu regulari cum frigore intrat, subsequo cum aestu progreditur, et cum sudore ac urinis communiter sedimentum lateritium formantibus terminatur. Ex comparatione ulteriore patet, morbum totum faustis sub circumstantiis saepe cum paroxysmo septimo, nono, undecimo, aut decimo quarto finiri, quemadmodum jam *Hippocrates* de tertiana pura animadvertit.

Nota. Ab intermittentium genuinarum numero excludantur febres, utut quandoque intermittentes, communiter tamen continuae remittentes, mere symptomaticae, quae a suppuratione, scirrho et carcinomate, syphilide, hysteria et hypochondriasi etc. pendent, curamque multum diversam, specialem requirunt.

Th. Sydenham Obs. med. etc. Sect. I. c. 5. et epist. respons. de morb. epid. ad *Rob. Brady.*

P. G. Werlhof obs. de febrib. praecipue intermittent. Ed. 2. Hannov. 1743. 4.

Fr. Torti Therapeutice specialis ad febr. period. perniciosas. Francof. et Lips. 1756. 4.

J. B. Senac üb. d. verborg. Natur u. Heilung des Wechselfiebers. A. d. Lat. Leipz. 1772. 8.

W. Trnka de Krzowitz historia feb. intermittentium. Vienn. 1775. 8.

J. Grainger prakt. Bemerkungen üb. d. Behandlung der kalten Fieber u. s. w. Leipz. 1785. 8.

Stoll aphorism. 395—467.

F. C. Medicus, Geschichte Periode haltender Krankheiten. Frankf. u. Leipz. 1795.

F. W. v. Hoven Vers. üb. d. Wechselfieber u. s. Heilung besonders durch Chinarinde. 2 Th. Winterthur 1789—90. 8.

W. Cullen, I. P. Frank, S. G. Vogel, A. G. Richter, Jos. Frank, ab Hildenbrand, I. R. Bischoff opp. cit., *I. L. B. de Quarin* animadvers. practicae in divers. morbos. T. II. p. 140—172.

F. I. C. Sebastian üb. die Sumpfwechself. im Allg., u. vorzüglich diejenigen, welche in Holland epidemisch herrschen. Carlsruhe 1815. 8.

§. 202. Febres intermittentes, inflammatoriis, malignis et autumnalibus quandoque exceptis, prodromos habere solent. Variant isti pro febris futurae charactere, et nonnunquam eodem, quo exacerbantur aut recurrunt, ordine futurum febris typum annunciant. Communissimi sunt delassationis sensus, dysorexia, cephalaea, alienata animi dispositio, functionum voluntariarum omnium languor. Febris propria sub forma patens, cursumque normalem absolvens singulis paroxysmis a frigore orditur, cum aestu procedit et cum sudore ac urinis hypostasim lateritiam facere solitis terminatur. Sequitur nunc intervallum febris expers, quo durante aegri jam sensu valetudinis, appetitu vigente gaudent, parum modo delassati, jam vero delassatione majore, capitis gravitate, obnubilatione, dolore, anorexia etc. vexantur.

Sub paroxysmo sequentia observare licet: *Introitum* ejus designant: lassitudo spontanea, artuum dedolatio, motuum voluntariorum segnities; oscitatio frequens, pandiculatio; frigus, pallor extremorum, faciei defiguratae, auricularum; unguium, labiorum livor; imminutio, evanescentia efflorescentiarum antea praesentium, ulcerum siccatio. Adjungitur his *frigus, horror*, a dorso per totum corpus diffundendus, cum membrorum, maxillae inferioris tremore, concussionibus corporis, imminuta cutis ad impressiones diversas ipsumque calorem sensibilitate;

memoriae, phantasiae omniumque mentis facultatum languore; pulsu frequente, parvo, debili, plerumque inaequali, subinde intermittente; respiratione citata, brevi, difficillima, aliquando tussiculosa; anxietate; ore sicco, siti maxima; saepius nausea, vomitu; urinis largis, utplurimum crudis i. e. tenuibus ac limpidis; in infantibus saepe clamore et convulsione cum extremorum livore. — Tempus, quo haec singula durant, *stadium frigoris* audit; ab una alterave raro ad sex, rarissime ad duodecim horas protensum. Intensius in intermittentibus, quam in continuis febribus esse solet frigus (unde Germanis kalte Fieber), et subinde eo increscit, ut rigor universalis vel emprosthotonus aut trismus accedat, in convulsionem et vehementem dentium conquassationem, successive tremore solvendam, abiens, vel diutius durans exhaustis ac senibus imo lethale evadat. Sub intermittentium talium, quas *algidas* vocant, paroxysmis dentium aliorumque ossium fracturae, distorsiones variae fieri observatae sunt. Totus nonnunquam paroxysmus frigore hujusque comitibus mox memoratis expletur; paroxysmis contra nedum evolutis sicut decrescentibus frigus saepe brevissimum, vix percipiendum, ejusque in supplementum dolores artuum rheumaticis similes, aut gravitas corporis et delassatio magna intrant; subinde frigus penitus deficit. *Senac, Sauvages, H. Collin* frigus nonnisi singulas corporis partes ac regiones tenuisse observarunt.

Antequam cessat frigus cum aestu alternare consuevit, qui postea per corpus totum diffusus consistit, atque nova a prioribus diversa, imo potiorem in partem illis opposita secum fert phaenomena; facies enim, cutis tota rubore sanum superante notantur, mollescit haec, turget sicca tamen, circumferentia partium totiusque corporis augetur, pulsus frequens manet, sed liberior evadit, fortis, durus, minuitur respirationis difficultas, perstant siccitas oris et sitis; urinae nunc missae sunt flammeae, pellucidae sine sedimento; aegrorum alii majore mino-

reve cephalaea cum pulsatione ad tempora, alii doloribus dorsi ac lumborum vexantur, alii soporosi sunt et in somnum propensi, delirant alii, omnes sensibilitate organorum sensuum excedente, adsociatione idearum plus minusve inordinata, nec non magna in horripilationes facilitate laborant, per frigidulum potum, aërem, per integumentorum elevationem consuetim illico producendas. Aestus cum symptomatibus caeteris pedetentim augetur, et accedente sudore denuo imminuitur; intensitati frigoris praegressi plerumque respondet, validiorque ac in febribus continuis esse consuevit. *Stadium aestus* vocatur. — Cutis sub initium sicca varium post tempus primo in facie partibusque superioribus, deinde in reliquis madet, et successive tota irroratur sudore largo; quo durante aestus, sitis, cephalaea, pulsuum velocitas ac durities, difficultas respirationis decrescunt, lingua et os humida fiunt, urinae redduntur mox turbidae, sedimentum lateritium (febribus intermittentibus non exclusive proprium), leve, copiosum deponentes; redeunt efflorescentiae cutaneae, forsan stadio frigoris evanidae, et febri non maligna, sudoreque non nimio somnus accedit aegrum reficiens. Sudor subviscidus, et odoris proprii mucido-aciduli, durationis est admodum variae; cum illo totus finitur paroxysmus. Vocatur *stadium criticum*, s. criseos, s. sudoris. — Quemadmodum sudorem nonnunquam miliformis comitatur eruptio ita, aliquot post paroxysmos alia circa os et nares prodit pustulis scabiei haud absimilis, parum suppurans, brevique siccanda, *hydroa febrilis* vocata.

Febrium *intermittentium malignarum* paroxysmos symptomata inconsueta vario numero ac intensitatis gradu comitantur, quae apyrexias raro ex integro deserunt.

§. 203. Differunt febres intermittentes pro *typo*, *forma*, *charactere*, *symptomatibus eminentibus*, *causarum rationibus*, *complicationibus* etc.

1) Juxta *typum* distinguuntur *a)* in *regulares* et

irregulares s. anomalas. *Regulares* audiunt, quarum paroxysmi certo ordine, hora caeterum vel eadem vel certo temporis spatio citius aut serius, revertuntur, regulariter tunc *anticipantes* aut *postponentes; irregulares*, quae nec paroxysmorum ordine nec duratione constant. Specialius *b)* in quotidianas, tertianas, quartanas, quintanas etc.

§. 204. *Febris interm. quotidiana* quolibet nycthemero paroxysmum et apyrexiam offert. Horis matutinis accedere *consuevit*, nonnisi raro post meridiem, vesperi aut noctu intrat; magnam utplurimum proclivitatem in typum continuum prodit. Rarior in genere est tertianis simplicibus et duplicibus, a quibus probe distinguenda, nec non quartanis febribus; occurrit hieme in ver abeunte atque autumno, sub tempestate humida et obscura in subjectis potissimum inertibus, phlegmaticis, debilibus omnis aetatis, ne infantibus quidem exceptis. Saepe ex aliis intermittentibus formatur, facile turbatur et in typum continuum remittentem, specialius in febrim nervosam lentam multum nititur. Paroxysmos sex, septemve horarum, rariores qui ad duodecim horas protrahuntur, apyrexiam puram non concedentes, typum satis constantem habere, pertinax esse, et sibi commissa sub circumstantiis faventibus decem ad quatuordecim absolvere solet paroxysmos, antequam finiatur. Frigus mite utplurimum, subinde nullum, aestus moderatus, ast mordax et protractus est. Negarunt nonnulli febres quotidianas, omnesque sine ratione tamen sufficiente pro tertianis duplicibus declararunt.

§. 205. *Febris intermittens tertiana* (das drey- eigentlich dritt'tägige Wechselfieber) intra quadraginta octo horas unum celebrat paroxysmum. Hic circa vel post meridiem cum horrore solenni intrare, cum validioribus ac in febre intermittente cujusvis typi alterius symptomatibus, speciatim aestu, siti, dolore capitis intensis decurrere, non ultra duodecim durare horas, et

apyrexia perfecta excipi solet. Tempore vernali frequentior ac alio, juniora potissimum subjecta, robusta, in morbos inflammatorios disposita infestat, saepius ac aliae charaterem secumfert inflammatorium, saepe cum nota biliosa complicatur; pura et levis et saltem non incongrue tractata in individuis faustae constitutionis post paroxysmos quinque, septem, novem (*Hippocrates*) terminatur. Indicatur crisis hydroa febrili dicto ad labiorum margines et orificia nasi, ipsaque communiter paroxysmum fortissimum sequitur. Comparente hydroa sperandum, febrim post tres quatuorve paroxysmos finitum iri. Anticipare amat, et in aliam tunc speciem, tertianam duplicem, quotidianam, continuam remittentem transire. Id quod vel maxime metuendum, ubi sudor nullus, aut nimis parcus et non levans observatur et apyrexia brevis. Levis in diaeta aut regimine aut curatione error sufficit recidivae generandae. Sed et *salutifera* nonnunquam est vernalis, morbos inveteratos uti maniam, melancholiam, epilepsiam, paralyses, arthritidem, febrium autumnalium reliquias, chlorosim etc. tollendo, corporisque evolutionem promovendo. (*Stoll* aph. 404.)

§. 206. *Febris intermittens quartana* (viert'tägiges oder Quartan-Fieber) intra septuaginta duas horas paroxysmum celebrat; qui a meridie aut vesperi invadere moris habet. Frigus mitius sed longius ac in tertianis, aestus modicus esse, cum sudore quinque, sex horas durare, paroxysmus totus ad septem, octo horas et ultra extendi solet; nonnunquam tamen, morbo scilicet gravissimo, frigus vehemens est, sub doloribus acerbis ossa quasi penetrat, neglectum sub paroxysmis proximis in rigorem transit, sic vires summopere exhaurit, et senibus, enervatis periculosum, imo quandoque lethale evadit.

Febris haec vel maxime infestat subjecta cachectica, et saepe cum statu pituitoso, pituitoso-bilioso (atrabilario), viscerum abdominalium speciatim hepatis

ac lienis morbis juncta occurrit, quibus vel accedit, vel ipsa in decursu productis complicatur. Autumno, tempore humido-frigido epidemica est; in regionibus depressis, paludosis endemica. Caeteris intermittentibus diutius durat, vix ante paroxysmum decimum et quartum judicatur, et eo pertinacior esse solet, quo exactius ad eandem paroxysmi recurrunt horam, quo graviores junguntur viscerum abdominalium adfectiones, quo major aegri cachexia. Nulla intermittentium adeo cito tantam infert cachexiam et cacochymiam, ac quartana; nulla tantopere ad secundarios hydropes, icterum, scorbutum, chlorosim, mensium anomalias, tabem disponit. Durante apyrexia pulsus debilis, parvus, rarus, inaequalis, urinae pallidae, limpidae esse solent; aliquando fames insatiabilis, bulimos. Nonnunquam furunculis judicatur id genus febrium, aut psoriasi, moliminibus haemorrhoidalibus, insultu arthritico. In recidivas facillima est, consuetim autem febri prima mitiores.

§. 207. *Quintana, sextana, septana* raro accidunt (*Stoll* aph. 397.), quae enim qua tales imponunt, frequenter tertianae sunt aut quartanae, quarum paroxysmus intermedius aut deficit aut vix animadvertitur. Diu excurrunt, ob accessus tamen longius a se distantes haud multum laedunt vires. (Conf. *Burserii* inst. med. pr. T. I. §. 65.) Febres omni solum *mense* vel et *anno* paroxysmum celebrantes, nisi meris debentur relationibus, certe rarissime occurrunt. (*Burserius* ibid. §. 66.)

§. 208. Intermittentes hucdum expositae quandoque binos, ternosve faciunt intra tempus indicatum accessus, unde quotidianae et tertianae duplices, quartanae duplices, triplices nominantur.

Quotidiana duplex duobus intra nycthemerum paroxysmis, ac intermediis plus minusve patentibus apyrexiis insignita perquam raro observatur.

Tertiana duplex quotidianos offert paroxysmos sed eum in modum discrepantes, ut alternis tantum diebus

quoad tempus initii, intensitatis gradum, symptomata, durationem, rationem criseos, ipsamque apyrexiam subsequam vicissim sibi respondeant. Sat frequens est, et subinde maligna, nec non larvata.

Quartana duplex post paroxysmos duos, singulis diebus singulos, tertium quemlibet diem habet apyreticum, paroxysmos vero primae et quartae, sicut secundae et quintae diei sibi invicem correspondentes. Quartana *triplex* rarissime occurrit.

§. 209. 2) Pro *paroxysmorum forma* distinguuntur: in intermittentes *apertas s. manifestas* et *occultas s. larvatas;* in *evolutas s. formatas* et *non evolutas s. non formatas.*

Manifestae sub forma propria febris essentialis brevis comparent; *larvatae* sub schemate alius morborum speciei aut et symptomatis cujusdam eminentis absconduntur. Est hoc communiter ex nevrosium, sed etiam ex profluviorum serie, ex. gr. cephalalgia, coma, apoplexia, epilepsia, odontalgia, lipothymia, asthma, cardialgia, vomitus, colica, diarrhoea, haemoptoe etc. Tales formae atque symptomata pro intermittentium larvis sunt habenda, si post intervalla perfecte libera vel magnas saltem remissiones certis horis recurrunt, aut plurimum recrudescunt; si introitus aut luculentae exacerbationes ab horripilationibus ordiuntur, cum sudore saltem levi et partiali, atque urinis non crudis non spasticis, sed saturatis et hypostasim lateritiam formantibus terminantur; si febres intermittentes simul epidemice regnant; si symptomatibus memoratis febris intermittens aperta fors praecessit, aut aeger febribus intermittentibus antehac adfectus, contra vero nec in nevroses eminenter dispositus, nec potentiarum actioni subjectus fuit, quibus symptomata dicta jure imputarentur.

Non formatae (imperfectae) in pueris ventricosis, scrophulosis, infarctu viscerum abdominalium cum polyblennia, cum helminthiasi laborantibus, voracibus, et

autumno frequentiores; fiunt praeterea ex perfecte evolutis et regularibus culpa regiminis, neglectus, tractaminis pravi, speciatim corticis peruviani aequo maturius, parcius exhibiti, adstringentium, stimulantium incongrue propinatorum. Haud raro insuper, imprimis si febres autumnales jam mense Julio intrant, sub specie febrium continuarum luculenter remittentium occurrunt, at retuso paulatim constitutionis impetu, et fraenata vi, in typum regularem migrant, atque exeunte autumno, larva abjecta intermittentes se esse, quales ab initio reapse fuerunt, palam fatentur. (*Sydenham* obs. med. circ. morb. acut. histor. etc. Sect. I. c. 2.) Cognoscuntur consideratis dispositione ac fonte earum nunc indicatis, lassitudine, pandiculationibus, sudoribusque maxime nocturnis, nidorosis, foetentibus per vices accedentibus, urinis parcis, croceis, jumentosis, cum sedimento lateritio aut furfuraceo, aspectu tristi, morositate, pallore faciei virescente, oculorum diluta flavedine, anorexia vel et fame nimia cum bradypepsia, praecordiorum tumore, tensione, calore, anxietate abdominali maxime a pastu, alvo irregulari, olida, flatulentia etc., aegro interim erecto, languide obambulante. (Conf. *Stoll* aph. 423. 424.)

§. 210. 3) Pro *charactere generico* intermittentes sunt *inflammatoriae*, *putridae*, *nervosae*, et *simplices*. *Simplices* omnium frequentissimae, symptomatibus inflammatoriis aut putridis aut nervosis destitutae, post paroxysmos aliquot in characterem nervosum inclinare solent, nisi stimulis male tractatae in inflammatorium potius conjiciantur. *Inflammatoriae*, quarum paroxysmos non raro dolores in pectore punctorii momentanei vel et continui, tussis sicca, respiratio citata multumque difficilis, haemoptoe comitantur, et characteris inflammatorii notae generatim designant, tempore vernali, in subjectis robustis ac plethoricis frequentiores sunt, utplurimum tertianae regulares, nisi gravibus circumdentur symptomatibus facile sanabiles, et debito sub regimine

nonnunquam natura sola vincuntur. — Intermittentes *putridae* solum singulae in regionibus fervidis, humidis, paludosis observantur. Spectant ad has sudoribus profusis, foetentibus, enervantibus, vel haemorrhagiis colliquativis junctae, aliisque simul status putridi aut scorbutici signis foedatae. — *Nervosae* in individuis debilibus, ad nevroses dispositis, nevrosi chronica adfectis autumno frequentius obviae, magna capitis passione, cephalalgia, deliriis placidis, animi deliquiis, subsultu tendinum, singulis symptomatum nervosorum mox memorandorum gravium pulsu parvo, debili etc. stipantur. Ad has malignae omnes ac perniciosae pertinent, nec non larvatae plurimae.

§. 211. Pro *symptomatibus eminentibus* paroxysmorum comitibus distinguuntur intermittentes *soporosae*, *apoplecticae*, *syncopales* s. asphycticae (Todtenfieber); *convulsivae*, *tetanicae*, *asthmaticae*, *cardialgicae*; *enteralgicae*, *emeticae*; *diarrhoicae*, *cholericae*, *haemorrhagicae*, *pneumonicae*, *pleuriticae* etc. Si ejusmodi symptomata comitantia periculum vitae secumferunt, febres intermittentes *comitatae* vocantur *malignae*; si initio levia derepente et absque signis prodromis periculosa fiunt, aut plane lethalia, intermittentes *perniciosae* audiunt. Malignae frequentius tertianae tam simplices quam duplices, circa meridiem intrantes, rarius quotidianae, rarissime quartanae, observantur.

§. 212. Pro *numero*, *causarumque expansione et ratione agendi* febres intermittentes dispescuntur in *epidemicas*, *endemicas*, et *sporadicas*. — Epidemicis praesertim *annuae* accensendae, quae denuo in *vernales* et *autumnales* distinguuntur, quatenus non adeo tempus anni per se, quam tempestatis conditio atque productus inde febrium intermittentium character praedominans respiciuntur; etiamsi enim vernales a Februario ad finem Julii, autumnales ab Augusto ad Februarium usque dominari dicantur (*Boerhaave* aph. 747.), juxta alios ta-

men (*Sydenham, S. Vogel*) pro ratione tempestatis vernales subinde jam Januario vel Martio demum, autumnales subinde jam Junio aut Septembri demum comparent. — Potiorem vernalium numerum tertianae, autumnalium vero quartanae efficiunt; quemadmodum istae vere, ita autumno illae raro obveniunt. *Vernales* vigente adhuc tempestate hiemali intrantes non infrequenter characterem inflammatorium manifestum, eumque gradu notabili gerunt, imo subinde omnia inflammationis cujusdam v. gr. pleurae, pulmonum, oculorum etc. symptomata durantibus paroxysmis offerunt, quae post paroxysmum quemlibet cessant, cum proximo autem reversura. Vel et in exordio continuant, mox luculenter remittunt, tandem intermissiones celebrant; quemadmodum epidemia truculenta, anno 1826. Groeningae etc. saeviens testabatur. — *Autumnales* minus inflammatorio quam bilioso, pituitoso, aut nervoso indutae charactere, sub epidemiae autumnalis initium pariter (§. 211.) continuas persaepe dolose aemulantur. (*Sydenham, Boerhaave, Stoll* etc.)

§. 213. Pro *complicatione* praesente notatu dignissimae sunt *intermittentes gastricae*, et quidem specialius saburrales, biliosae, atrabilariae, pituitosae ac verminosae. *Intermittens saburralis* frequens est, sporadica; — *biliosa*, utplurimum tertiana, cum hepatis adfectione symptomatibusque biliosis, in febre biliosa descriptis, juncta est; quae sub paroxysmo ingravescunt, sub apyrexia solum remittunt, nequaquam cessant. Constitutionis biliosae epidemicae tum stationariae tum annuae progenies frequentissima. — *Atrabilaria*, communiter quartana, cum graviore ac priore, hepatis simul ac lienis, ventriculi tubique intestinorum adfectione chronica, et cum secretione ac copiosa bilis variegatae, bruneae, nigricantis pituita tenace remixtae, per vomitum et alvum ejectione, cum habitu cachectico, colore luride bruneo, terreo, debilitate etc. incedit. — *Pituitosa*, vel maxima quotidiana aut quartana, symptomati-

bus in febre pituitosa delineatis circumdatur. Idem de *verminosa*, dictis rariore, valet.

Nota: Complicationum febris intermittentis cum aliis morbis admodum variis v. gr. rheumatismo, arthritide, haemorrhoidibus etc. pene innumerarum memoriam hic explanare specialem non convenit. Ad normas, pro diagnosi morborum complicatorum eruenda et instituenda therapia generatim traditas, et illae cognoscuntur atque curantur.

§. 214. Juxta classificationem stricte systematicam intermittentes *pro typo*, uti jam §. 92 dictum, in *tria genera*, nimirum quotidianam, tertianam et quartanam dividi, et singula pro charactere principali febrium ultro in *species tres*, inflammatoriam, putridam et nervosam dispesci possent: ast cum hanc per divisionem conspectus omnium intermittentium distraheretur, diagnosis difficilior, et in singularum pertractatione repetitiones innumerae redderentur inevitabiles, e re esse censeo, naturam potius sequi simplicem et constantem, quam systema amplecti arte compositum, mutabile.

§. 215. Quae *durationem* febrium intermittentium in genere, et paroxysmorum singulorum concernunt, ad ipsas species jam exposita sunt; hic addi meretur, febres tertianas et quartanas raro ante paroxysmum septimum aut nonum, adeoque illas ante diem decimum tertium aut decimum septimum, istas ante decimum nonum aut vigesimum quintum, quotidianas raro ante paroxysmum decimum et quartum modo perfecto ac radicali sanari. — Ex observatis multis vario sub climate Romae, Monspelii, Lyonii, atque in Canada factis, per *Baillie* Academiae scientiarum comunicatis resultat, febrium intermittentium durationem mediam ad 14 dies assumendam esse. (*v. Froriep's* Notiz. B. X. S. 271.)

§. 216. Illo tempore elapso, vel et multo serius, intermittentes in *sanitatem* abeunt; in *morbos alios;* vel in *mortem* quovis die, hinc citius aeque ac serius terminari possunt.

In *sanitatem* abiturae breviores ac mitiores celebrando

paroxysmos pedetentim decrescunt, et sic subinde solis naturae viribus aut levi artis adjumento cessant. Hanc terminationem evacuationes criticae supra memoratae, et hydroa ad labia atque nares comitantur. — *Morbi* intermittentium *secundarii*, aut iisdem saepe qua effectus vario jam tempore consociati sunt: febres continuae varii characteris, speciatim lentae, viscerum abdominalium, specialius lienis, hepatis (vulgo *placenta febrilis*), subinde glandularum quoque meseraicarum infarctus, phlogoses lentae, suppurationes; haemorrhoides; arthritis; hydropes; icterus; scorbutus; tabes jam sine jam cum visceris cujusdam suppuratione; impetigines scabiem aemulantes; nevroses variae, utplurimum pertinaces, uti hypochondriasis, epilepsia, melancholia mania etc. — *Lethales* facile fiunt intermittentes malignae, caeterae non ita; quae nonnisi per durationem nimis protractam, aut recidivas frequentiores, per frigus nimis validum et in plures excedens horas, senibus, debilitatis, teneris infantibus praecipue infensissimum; per aestum nimis intensum, ingentesque sanguinis ad caput congestiones, per sudores exhaurientes, transitum in febres continuas et vel maxime in putridam, denique per singulos morborum, qui mox nominabantur, posthumorum subinde necant.

§. 217. Cadavera ex intermittente aut malo ejus posthumo mortuorum lustrata, praecipue hepar aut lienem aut viscus utrumque mole auctum, simulque debito mollius, marcidum, vel vero induratum, suppuratum, gangraenosum, aliquoties lienem ruptum (*Cleghorn*), nec non varia morborum posthumorum ante recensitorum vestigia et effectus obtulerunt.

§. 218. Ex observatis nulla hucusque noscitur corporis constitutio, in febres intermittentes speciatim *disponens*, cum subjecta utriusque sexus, omnis aetatis ac temperamenti, sanissima quoque in hasce incidant febres, potentiis easdem producentibus exposita. Con-

stat tamen experientia, in illas caeteris esse proniores brevi ante vel iteratim febres intermittentes passos, item phlegmaticos, languidos, cachecticos, viscerum abdominalium infarctibus, digestionis vitiis laborantes, denique actioni *momentorum causalium*, nunc recensendorum, commissos. — Sunt autem haec momenta partim pandemia partim sporadica, et quidem: *a)* peculiaris atmosphaerae ac tempestatis constitutio, haud satis perspecta, cui febres intermittentes vere et autumno fere quotannis *epidemicae* sunt adscribendae. In atmosphaerae humiditate diuturna cum alternantibus multum calore et frigore eam haerere probabile est; tali enim tempestate regnante, functiones cutis diu multumque laedente, non inflammatoriis aut putridis, sed catarrhosis atque catarrhoso-gastricis morbis favente, febres intermittentes multo frequentiores, ac tempore sicco simulque constanter calido vel frigido, occurrunt. Idem confirmant intermittentes *endemicae* in regionibus, in quibus stagna, lacus, paludes, mare, praecipue aestivo tempore, exhalationes putridas (miasma paludum) diffundunt; in vallibus angustis per montes altos ac sylvas limitatis, ideoque multiplici tempestatum et temperaturae vicissitudini subjectis, humidis, humido-frigidis, saepe nebulosis; nec non in habitaculis depressis, humidis, udis; — *b)* refrigeratio a tempestate humido-frigida, pluvia, balneo, potu frigido; — *c)* indigestio a cibis difficilibus, tenacibus, pinguibus, et vel maxime a carne suilla, piscibus, ostreis, ovis coctis, caseo etc., item certis incongruis ciborum potuumque miscelis, v. gr. suillae pinguis aut vervecino cum aqua frigide hausta, acetarii cucumerum, fructuum horaeorum acidulorum cum lacte vel lacticiniis etc. etc.; — *d)* terror, ira, subinde et alii deprimentes animi adfectus; — *e)* impetiginum chronicarum, uti scabiei, herpetis, nec non ulcerum suppressio; profluviorum tam normalium quam habitualium, quemadmodum fluxus menstrui, haemorrhoidalis etc. re-

strictio, praepedita arthritidis ad articulos evolutio; — *f)* forsan et contagium, quum *Meibom*, *Fr. Hoffmann*, *Cleghorn*, *Burserius* observata adferant, pro illo pugnantia.

§. 219. Pro *natura* s. *essentia febrium intermittentium* indicanda ex hucusque dictis sequentia fluunt: Certum quidem habetur, notas febris intermittentis tum diagnosticas tum ab aliis morbis distinctivas essentiales in paroxysmorum cum apyrexiis alternatione et in praesentia substantiva inveniri: quae autem sit ejusdem *essentia* s. causa proxima dicta, tot investigationibus hucusque institutis revelari, tot hypothesibus partim ingeniosis dilucidari nondum potuit. Adserta enim, materiem febrificam propriam in systemate gastrico typice generari et in sanguinem devehi (*Galenus*, *Selle*, pro parte *Sylvius Willisius* et alii); — periodicum momentorum externorum ab atmosphaera pendentium subesse influxum; — certam systematis nervosi dispositionem periodicam (*van Swieten*), — non nisi debilitatem, asthéniam (*Brown*) et fibrarum muscularium spasmum (*Cullen*), inculpandum esse; — essentiam febris intermittentis in statu inflammatorio vasorum lymphaticorum (*Marcus*), — *Sprengelii* opinio (op. cit. §. 38.), in impeditis conductione et consumtione imponderabilium in systemate splanchnico haerere, — tandem illa *Fr. ab Hildenbrand*, febres intermittentes qua febriles systematis reproductivi nevroses esse spectandas, — hypotheses sistunt partim inanes partim saltem imperfectas, in therapiae proficuae basim minime cedentes. Febrium enim intermittentium symptomata, decursus ac crisium rationes, exitus, momenta causalia, methodumque medendi ac remedia salutifera, mox memoranda, conferendo ad adserta quidem ducimur, febres intermittentes, nisi ex systematis gastrici morbo proficiscantur, cum eminente omnino ejusdem adfectione essentialiter junctas obvenire; hanc adfectionem continuam esse videri, sed

qua adfectionem systematis in statu sano ad functiones periodice exaltatas destinati, aeque solum periodice ad febris brevis gradum ac formam adaugeri; eamque sese offerre nec pure inflammatoriam nec nervosam, sed indolis propriae, et nonnisi cum charactere jam inflammatorio, jam nervoso, jam putrido consociatam: — ast haec plane indoles propria, omnium intermittentium essentia, et typi varii, atque huic respondentis diversi intrantium paroxysmorum temporis ratio necdum liquent, cunctis hucusque theoriae tentaminibus non illustratae. Deficiente itaque naturae febrium intermittentium cognitione certa et completa consultum est, non adhaerere hypothesibus, sed symptomatum potius essentialium omnium complexum et successionem, praedominantes organorum singulorum adfectiones, febris ipsius characterem cum paroxysmorum conditione et typo, momenta causalia nota, firmiter amplecti, atque in therapia justam eorum sicut complicationum habere rationem.

Hoc intuitu experientia docet, febres intermittentes respectu dynamico characteri simplici irritativo, rarius inflammatorio, aut nervoso, rarissime putrido junctas, respectu materiali nunc cum statu gastrico saburrali, bilioso, atrabilario (bilioso-pituitoso), pituitoso puro, verminoso, nunc cum cachexiis variae formae, cum inflammationibus, efflorescentiis cutaneis complicatas occurrere, et cum diversissimis morborum speciebus complicari posse; paroxysmos celebrare typi jam regularis aut irregularis, quotidiani, tertiani, quartani etc., simplicis jam duplicis, symptomatibus jam consuetis jam insolitis stipatos; ipsasque febres ex causis nunc epidemicis, nunc endemicis, nunc sporadicis originem duxisse. Animadvertendum porro, febrem intermittentem perfectiori sub forma comparere, puriores habere apyrexias, constantius typo adhaerere fixo, horaque certa invadere, ubi simplex ac pura ea est aut talis reddebatur; id est, nec charactere aperte inflammatorio, nervoso vel putrido

insignita, nec per sordes gastricas sustentata, a symptomaticis licet phaenomenis gastricis paroxysmos acuentibus non immunis.

§. 220. *Prognosis* ex pensitatis rite morbi totius charactere, et gradu, apyrexiis, observata hucusque et epidemiae regnanti propria decurrendi ratione, duratione, momentis geneticis, constitutione ac vitae genere aegri, cognitisque tum naturae medentis viribus tum artis auxiliantis facultate hauritur.

Febris intermittens simplex, regularis, nec vehemens, nec diu durans faustum brevi promittit exitum. Sine pharmacorum usu haud infrequenter in sanitatem abit, paroxysmis paullatim mitioribus ac brevioribus factis, donec emaneant; et, nisi vel debilitatus nimium sit aeger, cachecticus, aut diuturno viscerum abdominalium malo adfectus, vel in habitaculo humido, regione paludosa etc. degat, artis ope facile sanatur. — Talis subinde salutarem se praebet, quemadmodum de tertiana superius (§. 205) adnotatum est.

Character febris inflammatorius caeteris paribus, aequali speciatim sub intensitate, meliorem ac nervosus et putridus prognosim concedit. — Intermittentes malignae quanto circumdentur vitae periculo, ex earum descriptione superius facta elucet. Si regnante epidemia plures obveniunt malignae etiam apparenter benignarum initio prognosis non nisi conditionatim fausta proferatur. Ipse tum symptomatum minantium sub apyrexia plena defectus non excludit metum, ne periculum summum vel imo mortem proximus inferat paroxysmus.

Quaelibet irregularitas typi major, quaelibet symptomatum paroxysmi, stadiorum et mutuae illorum relationis deviatio insignis cautam et conditionibus circumscriptam fieri jubet prognosim. Hoc respectu frigus vehemens diuque protractum, aestus intensissimus cum ingente cephalaea, inquietudine, delirio, sudor minime respondens aut parcissimus, localis aut valde profusus, diu

nimis continuans statum designant ancipitem, et pro ratione individui aegri imo periculi plenum.

Sudor autem aestus gradui et durationi respondens, aequabilis, largus mitiorem plerumque exspectare futurum paroxysmum sicut deficiens aut quaqua occasione interceptus fortiorem, saltem longiorem metuere sinit.

Quo protractior apyrexia, eo magis mala posthuma chronica, infarctus lienis, hepatis, icterus, hydrops etc., quo brevior, eo magis transformatio in febrim continuam metuenda.

Cephalaea, sitis, lassitudo magna, anorexia, agrypnia apyrexiarum intervallis continuantes metum paroxysmorum fortiorum, aut longioris eorum atque morbi totius durationis incutiunt.

Quae prognosis ex vario typo petenda sit, jam in quotidianae, tertianae et quartanae expositione (§. 204—208) commemoratum.

Accessus paroxysmorum exactissimi eadem hora durationem longiorem, et difficiliorem sanationem praesagiunt. Paroxysmorum anticipatio et postpositio per unam aut aliquot horas significationis bonae, sanationemque brevi secuturam promittunt, si febris simul decrescit. Id quod plerumque obtinet, si post plures paroxysmos eodem aut parum differente tempore absolutos subito multum anticipat febris vel postponit.

Aëre sicco facilius ac tempestate humida, nebulosa, pluviosa intermittentes sanantur.

Chronicae et quasi habituales factae ardue sanantur, facile recidiva recurrunt, et tam debilitate sensim inducta quam malis secundariis periculosae, vel admodum molestae saltem evadere possunt. Quae jam superius §. 216 nominabantur.

Intermittentes vernales sanatu faciliores sunt, quam autumnales, non raro totam per hiemem in ver adultum protensae.

Febres cum excedente nimium fame, sicut cum sor-

dibus biliosis et pituitosis ex gravi systematis digestorii adfectione iteratim promanantibus, cum dyspepsia, diarrhoea vel alvi obstipatione, ardue sanantur.

Faustum promittunt eventum sudor, urinae, nec non hydroa, superius memoratae criticae, et secretionum suppressarum, ut menstruorum, suppurationis, ulcerum chronicorum etc. restitutio. Urinae vero parcae ac limpidae, crisim imperfectam indicantes, metum ferunt hydropis subnascentis, qui certissime vitatur, si progrediente virium et assimilationis nutritionisque emendatione, abactis praesertim quartanae paroxysmis, per septimanas adhuc largae minguntur urinae, tenues, straminei coloris.

Constitutio aegri bona, non labefactata, influxuum febri alendae faventium defectus, prognosim laetam fieri concedunt, contraria cautam et ambiguam jubent, praesertim si ex causis epidemicis vel et endemicis perstantibus adsunt intermittentes, quibus pertinaces, subinde malignae redduntur, diuque in recidivas pronissimae.

In gravidis intermittentes frigore valido et protracto stipatae abortum facile inducunt vel partum praematurum; rarius ante partum sanantur.

Intermittentes saepe continuarum more typum tertianum et septanum sequuntur, ita ut paroxysmus tertius aut septimus manifestam mutationem, mitigationem, criseos faustae nunciam vel exasperationem morbi adferat.

Citra intermittentem febrim vix datur morbus in recidivas aeque propensus. Est vero haec pronitas in intermittentibus typo constantibus major quam in variabilibus, in compositis major quam in simplicibus, major in illis charactere nervoso quam inflammatorio notatis, in quartanis quam in quotidianis et tertianis, in autumnalibus, alioquin utplurimum quartanis, quam in vernalibus. Periodus menstrua recidivis plurimum favet.

Nulla intermittens ante tempus communiorum recidivarum sanata haberi potest. Id post tertianam in diem septimum, post quotidianam et quartanam in decimum

quartum cadit. Recidivarum duratio variat, a nonnullis durationem primariae febris aequare observata est.

§. 221. Febris intermittens quocunque respectu *salutaris* v. gr. retardata sub pubertatis puellarum evolutione, chronicis aut a subita intermittentis suppressione relictis infarctibus viscerum in hypochondriis sitorum, nevrosibus diuturnis etc. (§. 205.), tamdiu sibi committatur, quamdiu simplex, mitis, benigna manet, et manifestum aegro adfert emolumentum. Arceantur, fugiantur tunc, quaequae febrim reddere valent graviorem; sub ipsis paroxysmis cura instituatur symptomatica, mox exponenda.

§. 222. Pro febre autem intermittente *non salutari debellanda* requiritur, ut 1) causa occasionalis tollatur, omnisque alia profligetur noxa; 2) morbus cum symptomatibus suis, effectibus et forsan complicationibus praesentibus abigatur, et 3) convalescentia debite promoveatur.

Momentorum causae excitantium supra enumeratorum consideratio luculenter ostendit, *indicationem primam* non una semper methodo, subinde plane non, subinde saltem non per medicum adimpleri posse, v. gr. inimicarum conditionum regionis, loci, habitaculi aegrorum etc. emendationem. Caeterum indicationi hic emeticum, vel purgans, ibi mutatio climatis, itineratio etc. satisfaciunt. Insuper aegri atque sani intermittentium epidemice regnantium tempore ab humectatione, refrigerio, hinc ab aëre vespertino, nocturno, matutino plerumque frigidulo ac humido, ab oppletionibus ventriculi etc. maxime sibi caveant est necesse.

§. 223. Cum febrium intermittentium causa, ut ajunt, proxima cognita non sit, indicationem *secundam* impleturus, immediate in illam agendi impos curam generalem et experientia comprobatam instituere debet. Hanc character, magnitudo et stadium morbi, symptomata urgentia aut periculosa, complicationes, aegri constitutio in-

dicant. In curam *morbi totius radicalem*, et *paroxysmorum* singulorum *symptomaticam* dispescitur.

Etiamsi tractamen singulorum paroxysmorum adaequatum non solum mitigando vehementiam eorum, sed crisim etiam perfectam invitando et promovendo prosit, sicque ad morbi totius lenimen et breviorem durationem omnino faciat: id tamen fore sufficiens, in febribus modo levioribus, praecipue vernalibus simplicibus, nec non in individuis bene constitutis sperare licet. Plerisque in casibus *aliud* adhuc *congruum durante apyrexia tractamen* requiritur *speciale*, in praevertendum paroxysmorum recursum tendens, empiria rationali statuendum ac dirigendum.

§. 224. Circa *paroxysmorum* ipsorum *curam* sequentia notentur: paroxysmi febris levioris, benignae, indolis simpliciter activae, vel subinflammatoriae aut naturae committi possunt, aut ita solum debent tractari, ut symptomata essentialia, frigus nempe, aestus et sitis mitigentur, crisisque non impediatur, non interturbetur. Pro totius paroxysmi vehementia et complicatione gastrica praepediendis aliquot jam ante illum horis evitari omnem oportet ventriculi oppletionem. Frigori mitigando, aestui moderando ac siti fallendae, dein sudori critico pro re nata sustinendo vel promovendo medelae atque regiminis ratio convenit, quae superius (§. 85.) contra febris in genere symptomata exponebatur. Durante frigoris stadio, si vomituritionem ad vomitum ipsum intendere, vel vomitum expedire indicatur, aegro aqua tepida affatim bibenda porrigitur. Sudoris critici finem aeger quietus expectet, hujus enim turba, interceptio apyrexiam imperfectam, paroxysmi futuri totiusque mali augmentum subsequum habere solet. Sudore absoluto indusia mutare madida, dummodo a refrigeratione caveatur, aeque necessarium est, ne horrores revocentur, quam munditiei generatim studere et aërem renovare tum aegris tum sanis cohabitantibus beneficum.

Si intermittens indolem *inflammatoriam* aperte praesefert, quemadmodum non raro vernalis, in subjectis brevi ante sanis, robustis, plethoricis, in inflammationes, apoplexiam sanguineam dispositis, vel si pneumoniae, pleuritidis symptomatibus, cephalaea intensa inflammatoria, delirio impetuoso stipata est, si ad genium epidemicum spectat intermittentium in continuas, inflammatorias proclivitas: sub frigoris stadio potus tepidi non aromatici aut spirituosi, sed blandi, emollientes, mucilaginoso-aciduli v. gr. infus. fl. malv., verbasc., flor. sambuc., decoct. alth. etc. cum pauco aceti, succi citri; sub aestu tractamen antiphlogisticum, imo exigente (utut rarissime) necessitate ad phlebotomiam auctum; sub sudore iterum potus nunc memorati indicantur.

Intermittens indolis *putridae* exigit, ut stadium frigoris tepidis infusis aromaticis v. gr. flor. chamomillae, rad. calam. aromat. etc., parvis camphorae, vini calidi etc. dosibus, clysteribus excitantibus, frictionibus totius corporis, — stadium aestus potulentis mucilaginosis acido minerali nuptis, et, nisi calor et oris fauciumque siccitas multum excedant, sedulo ipsius corticis peruv. usu, — stadium criticum, in quo evacuationes facile exorbitant, utroque hoc remediorum genere continuato tractentur.

Intermittens characteris *nervosi* gradu mitior moderamen symptomatum paroxysmi essentialium per therapiam supra expositam, directionem criseos, nec non nimiorum forsan sudorum aliarumve excretionum restrictionem exposcit; intensior autem rationem medendi et remedia contra febrim nervosam commendata exigit, inter quae *opium* testibus expertis *Lind*, *Wirtensohn*, *S. Vogel*, *P. Frank*, *Stoll* aliisque eminentem occupat locum. Uti hoc, ita et caetera remedia v. gr. infusa aromatica, camphora, vesicantia, enemata excitantia etc. juxta symptomatum indolem, magnitudinem, sedem praecipuam etc. eodem modo ac in febri nervosa designentur

oportet. Absolutis ejusmodi paroxysmis debilitantibus analeptica vini blandi portione adaequata concessi virtus ad erigendas nervorum vires laudari inter alia plurimum meretur.

§. 225. *Sub apyrexiis*, si febris minime salutifera ideoque pro tempore sibi committenda non est, indicatio viget, complicationes adeo frequentes, harumque simul ac febris causas auferre, et noxas generatim quascunque arcere, therapiam dein contra febris eminentiumque symptomatum characterem, magnitudinem, typum, stadium, aetatem nec non inductos jam effectus dirigere.

Quare *primo* adlaborandum, *ut* complicationem qualemcunque non salutarem febrique potius intendendae et sustinendae secundam abigendo *morbus simplex reddatur*. Communissima hoc respectu complicatio est organorum systematis gastrici adfectio, mox febrim praegressa, mox cum hac orta, mox eidem qua hujus ipsius vel aliarum causarum effectus adsociata. Hac ex ratione et quia intermittentes simplices quoque ac purae, nisi in eminente systematis gastrici adfectione potissimum radicatae, cum ea certe conjunctae existunt, methodus antigastrica toties summe benefica, communiter scilicet morbo imminuendo, leniendo, subinde et tollendo sufficiens observatur. Adjunctus itaque *status gastrico-saburralis*, vel *biliosus*, vel *pituitosus* alibi descriptus, ad therapiae normas, in cura febris gastricae ejusque specierum statutas auferendus est. Curatio proinde, jam ab emeticis aut purgantibus, jam a solventibus non calefacientibus, ac diluentibus, prout indicantia in casu speciali exegerint, inchoanda erit. Maximam sibi vindicant attentionem *emetica*, utpote quae non ad sordes solum gastricas, biliosas, pituitosas aliasve, si quae adsunt et sursum mobiles, eliminandas necessaria, sed his quoque deficientibus concutiendo, se- et excretiones omnes expediendo, simul ac resorptionem intendendo, atque systematis nervosi praesertim abdominalis dispositionem alterando ad-

modum proficua inveniuntur. (Quae usum illorum prohibent contraindicantia sedulo examinanda esse, per se intelligitur.) Aut paroxysmo absoluto aut ante hunc, ut suos prius effectus absolvant, porriguntur. Post eorum usum non raro jam emanent paroxysmi. — Sordes tubum intestinalem potius occupantes, deorsumque turgescentes *purgans* mitius fortiusve exposcunt. Sales, rheum, aut infusum fol. sennae addito sale, post paroxysmum exhibita, utplurimum sufficiunt, colluvie tamen pituitosa praesente fortius v. gr. rheum aut jalapa cum calomele, infusum fol. senn. cum arcano duplicato, vel sale m. Glaub. desideratur. Saburris vero non mobilibus, vigente *febri subinflammatoria* vel aperte *phlogistica* cum organorum gastricorum statu irritativo, emeticis aut purgantibus remedia, irritationi sedandae, et secretioni in primis viis restituendae idonea praemittantur, qualia in antiphlogisticis purgantibus, praecipue salibus, dosi refracta porrectis, tunc *digestivis* seu *solventibus* vocatis habentur, uti sunt: tart. tartarisatus, crem. tart., sal Seignett., sal m. Glaub., arcan. duplic. etc. in pulvere cum saccharo, vel in electuario cum pulpa prunorum, tamarindorum, roob sambuci, vel in aqua aut decocto graminis, taraxaci etc. soluta. — Ut *status pituitosus* auferatur, non potentiora modo solventia, quemadmodum tart. emet. refractis dosibus, sulph. aur. antim., sal ammoniac. etc., sed iterata etiam horum cum evacuantibus praecipue cum emeticis alternatio indicantur.

Febris intermittens, cum primarum viarum sordibus *complicata*, *characteris nervosi*, frequentius emetica exigit quam purgantia; horum non nisi circumspectam cum stimulantibus nervinis combinationem concedit.

Praesentibus cum febre intermittente lienis, hepatis, aliorumve viscerum abdominalium *infarctibus*, ante omnia horum ad febrim rationem eruere necesse est. Si ad febrim generandam momentum contulerunt, et ad alendam ultro conferunt, adlaborandum est, ut, habito causae

eorum amovendae respectu, ope pharmacorum solventium, cataplasmatum, inunctionum, frictionum, accommodati corpori exercitii etc. resolvantur. Si ex communi cum febri fonte, eodemque tempore orti, vel sub hac et ex hac ipsa, sine tractaminis culpa, profecti sunt, pedetentim et certissime cedunt tractamini, in ipsam febrim requisito, alvumque liberam servanti. Hinc cortex peruvianus potentissimum quandoque et celerrimum remedium sistit resolvens. Ex intermittentis suppressione v. gr. per praeposterum, nimium, non indicatum corticis peruviani, aut stimulantium spirituosorum etc. usum speciatim inducti, amotis primum suppressionis causis, per solventia sed vel maxime per ipsos febris revocatae paroxysmos moderatos, prudenter curatos, discutiuntur.

§. 226. Ablatis, quae sanationi obstiterant, complicationibus, intermittente tamen non simul abacta, nec quamcunque ob rationem naturae committenda, *simplex* obtinet *indicatio*, *febrim* nunc *puram* auferendi. Quae ut rite impleatur, ad characterem ejus activum simplicem, aut plus minusve inflammatorium, vel nervosum aut putridum summopere adtendendum est. In casu primo enim praeparatione non opus est, in altero character inflammatorius methodo antiphlogistica prius ad irritationis moderatae, solos paroxysmos insignientis, gradum debet reduci, antequam remedia febrifuga dicta, utpote pro parte ad irritantium, pro parte ad incitantium tonicorum aut volatilium genus spectantia, desiderato cum effectu administrari possint; quae autem tertio quartove in casu quadrant.

Licet character inflammatorius rarissimis in casibus ea vigeat intensitate, ut sanguinis evacuationes non durante solum paroxysmo, sed apyrexia quoque exposcat: levior attamen, hieme praesertim adulta et ineunte vere, haud infrequens occurrit, qui, ut abstergatur, absque gastrica etiam complicatione antiphlogistico-sol-

ventium exigit usum; nam febris, quae per febrifuga communia imo per corticem specificum non modo non radicitus sanaretur, sed exacerbaretur potius, aut perperam supprimeretur, praemissis solventibus dictis, et subjunctis tonico-solventibus, postea amaris simplicibus aut amaro-aromaticis utplurimum perfecte sanatur.

§. 227. Remediis contra intermittentes sine nota inflammatoria, et nervosae potius junctas experientia comprobatis, et in hujus generis casibus *antifebrilium* s. *febrifugorum* titulum merentibus, adnumerantur: *a) amaro-aromatica:* cort. peruvianus, cascarillae, lyriodendri tulipiferae, aurantiorum; flor. chamomillae; herba absinthii; rad. calami aromatici, caryophyllatae s. gei urbani; — *b) amara solventia, amara,* et *amaro-adstringentia:* rad. tarax., cichorei; herba fumariae, centaur. minoris, trifol. fibrini, card. benedicti; rad. gentianae etc.; cortices hippocastani, quercus, salicum variarum, betulae, fraxini, pruni spinosae, cerasi nigrae; coffea tosta; — *c)* vegetabilia *acria:* radix ipecacuanhae dosibus refractis; allium sativum; semen sinapis; flores arnicae; chelidonium majus; fol. et cort. taxi baccatae; — *d) narcotica:* opium, belladonna, nux vomica, amygdalae amarae, aqua laurocerasi, phellandr. aquaticum; — *e) gelatinae* animales, colla piscium (ichthyocolla), albumen ovorum; — *f) mineralia:* antimonialia, praecipue sulph. aur. antimonii; mercurialia praeparata; arsenicum album, casu solum urgentissimo, et summa cum circumspectione adhibendum; ferrum; sal ammoniacus; kali cum acido quodam saturandum sub effervescentia (juxta *Croll* duabus ante paroxysmum horis) sumendum; — *g) emetica* et *purgantia;* illa brevi ante paroxysmum porrecta efficacissima, quorum effectu absoluto *Sydenham* adhuc ante paroxysmi introitum modicam opii dosim exhibere solebat, — haec ad mentem *Schraud* sub paroxysmo propinata, incerta sunt et insecura; — *h) incitamenta externa:* balnea calida aromatica; cataplas-

mata, unguenta irritantia ad epigastrium et abdomen totum; frictiones spinae dorsalis cum oleis aethereis et spiritibus; vesicantia, sinapismi, armoracia rasa, allium, ranunculus conquassati internae carpi faciei imponendi; tandem *i) remedia psychica:* animi adfectus concitantes, concutientes, dispositio hilaris, laeta, spei plena, distractio, attentionis ab instante paroxysmo derivatio, confidentia firma in remedii alicujus virtutem febrifugam, et hoc intuitu concitata variis sub curis sympatheticis imaginatio.

Seriebus *a)* ad *f)* contentorum ea, quae formis variis exhiberi possunt, remedia in substantia majorem exerunt virtutem; attamen certum organorum digerentium vigorem requirunt, ut non solum ferantur sine molestiis, sed ut indicationi etiam satisfaciant.

Pleraque recensitorum ad methodum febrifugam incitantem, speciatim systema nervosum aut diversas ejus partes erigentem, alia ad incitando-immutantem, alia ad incitando-solventem, ad alterantem alia spectant. Haec non raro eum in finem adhibentur, ut praevertendo singulos paroxysmos (*methodo praevertente*), aut typum eorum permutando (methodo *confundente*) febris profligetur.

§. 228. *Cortex Peruvianus* in specie omnium certissimum, firma indicatione perfecte tutum, adeoque princeps febrifugorum est ac maximum, vere *specificum.* Apyrexiae solum tempore porrigendus; sub paroxysmo enim oppressionem ventriculi, nauseam, vomitum, anxietatem, aestum etc. facile generat. Praescribendus est cort. Peruv. selectus, flavus s. China flava s. regia, vel ruber, ubi habetur, in substantia, alcoholisatus per se, aut, ventriculo quidquam debili id poscente, adjuvantibus atque corrigentibus aptis v. gr. pulvere cinnamomi, elaeosaccharo etc., aut flor. chamomillae, rad. calam. aromat. etc. junctus, dosibus jam minoribus jam majoribus, prout organa gastrica ferunt, vel magnitudo morbi

et apyrexiarum duratio exposcunt, a scrupulo ad drachmam qualibet vel omni secunda vel tertia hora, eo cum respectu, ut quantitas sufficiat paroxysmo proximo certe fugando; quae in febribus quotidianis et tertianis ad unicam, in quartanis ad duas usque uncias statuitur. In casu minime rebelli duae tresve unciae ad sanationem sufficiunt, varii tamen influxus laterales dosim hanc plurimum mutant. Organa digestionis corticis Peruviani pulveri aut et decocto ferendo imparia per decocta et infusa amarorum et amaro-aromaticorum ex supra recensitis febrifugis, et per parvos vini haustus optime praeparantur; dein ad decoctum (ex uncia ad colaturam unc. decem aut librae, cum ingrediente amaro-aromatico vel spirituoso) transitus fit, qua forma duplum saltem corticis Peruv. impendendum, ut idem ac per pulverem obtineatur effectus. Decocto acuendo extractum corticis ejusdem (utut cari pretii), vel pulvis alcoholisatus, a drachma ad duas additus, convenit. Metuenda ex illius usu diarrhoea praecaveri, orta sedari debet opio. Usus corticis forma cataplasmatum, fomentorum, balneorum nonnisi ad rarissimos verae necessitatis casus restringitur aliarum formarum juvamen aut supplementum exposcentes. Convenit autem enematum forma simul cum adplicatione interna in febribus intermittentibus malignis, viribus organorum digerentium multum debilitatis, aegris usum internum absolute respuentibus, et in infantibus. Ubi sumtibus parcendum est, citra pulveris alcoholisati formam quaelibet alia pro possibili vitetur. Hunc in finem tenere juvat, pulverem alcoholisatum vel una alterave ante usum hora aquae, infuso chamomillae, vino aqua diluto maceratum, vel cum roob aut syrupo aromatico in electuarii forma sumtum multo facilius ferri, ac modo communi nonnisi extemplo cum aqua aut infuso theato remixtum.

Summam intuitu scientifico et oeconomico attentionem sibi vindicat *methodus, corticem brevi solum ante*

paroxysmos in substantia, dosibus non magnis, exhibendi, a *Frassoni* et *Torti* usitata, a *Cullen* et *Hahnemann* commendata, a *Thuessink* (1808) in usum reducta, et a *Nasse* (*Hufld.* Journ. d. pr. H. 1814. St. I. S. 78 etc.) felici cum effectu tentata. Dedit autem *Thuessink* drachmam imo scrupulum solum corticis vulgaris, *Nasse* drachmam cum dimidia dosibus duabus aequalibus divisam harumque unam hora ante paroxysmum, alteram ingruentibus prima horripilatione et pandiculatione, si nauseae aderant, cum aliquot granis cinnamomi aut alius aromatis. Inde proximus jam paroxysmus intensitate infringi, alter emanere consueverat. Quum tamen *Nasse* paroxysmi alterius indicia subinde animadvertisset, semper posthinc secunda adhuc vice drachmam cum dimidia ordinavit, et therapiam cum hac finitam esse, ulteriorem vero corticis Peruviani usum, qualis in praecavendas recidivas commendatur, sine fructu institui defendit. — Et ego methodum hanc in sporadicis intermittentibus ac epidemicis, bene multis, constantem typum servantibus, non gravibus utilem vidi, utut majoribus plerumque dosibus aut earundem bis terve repetita administratione opus haberem.

Sic et *sulphatem chininae* in praxin introductum in febribus sporadicis plurimis, in epidemicis adhuc rarioribus omnis typi et intensitatis, majoribus hinc inde gr. dimidii vel integri dosibus cum saccharo omni bihorio eo cum successu adhibui, ut cum secundo tertiove ab inchoata adplicatione paroxysmo (nonnunquam praegressis fortiore) jam perfecte judicarentur. Commodus quoque illum commendat usus, et ventriculum haud facile gravans. Num tamen sulphas chininae quoad gradum ac certitudinem virium in hoc morborum genere specificarum aequiparari merito possit cortici Peruviano in substantia, per observata et tentamina praeter fausta a *Wiltmann* Moguntii, et a medicis nosodochii ampli civilis Vindobonensis instituta, multa adhuc variaque circa

illius virtutem et effectuum salutarium, praecipue in intermittentibus epidemicis, endemicis, pertinacibus, pluries recidivis, nec non in larvatis, atque malignis, durationem et constantiam, enodandum restat.

§. 229. E numero pharmacorum indigenorum, pluribus abhinc annis in *corticis Peruviani supplementum* commendatorum nullum est quoad effectuum salutarium certitudinem, celeritatem et constantiam eidem aequiparandum, utut aliqua illi omnino accedant, et in numerosissimis febrium intermittentium casibus supervacaneum reddant pharmacon exoticum, carum. Casus in quibus cortex inevitabilis et hucdum per nullum aliud remedium supplendus censeri debet, *ab Hildenbrand* (Rat. med. P. II. p. 197 et 198) ad sequentes reducit: 1) febres interm. larvatas perniciosas; 2) febres, cum quarum paroxysmis manifestis cachexia indies increscit; 3) f. nimis praecipitanter anticipantes ac in typum continuum tendentes; 4) f. brevissimis apyrexiis stipatas, quales sunt quotidianae consistentes et anticipantes; 5) quartanas aestivas et autumnales tum simplices, tum praecipue duplicatas; 6) omnem febrim interm. obstinatam, habitualem, ad recidivas pronam, et proprio habitu pallido signatam, alio charactere non inquinatam, et adparatum nervino-tonicum exigentem; 7) denique omnem intermittentem, in qua protractio morbi taediosa metuenda, et sumtus in diuturniorem aliorum medicaminum usum longe superant impensam in corticem Peruvianum. Sed in his quoque casibus perutilis oeconomia sine effectuum optatorum damno in eo consistit, ut parvis corticis Peruviani dosibus (granis 10—15 ad scrupulum in substantia, drachmis duabus pro decocto) alia remedia adaequata, et quidem pro rerum positione absinthium, flor. chamomillae, rad. calam. aromat., rad. caryophyllatae, aut praeparata antimonialia, sulphur aurat. antimonii etc., adjungantur.

§. 230. Tentamina pauca ab *Hildenbrand* instituta

(Rat. med. P. II. p. 199. 200) evincere videbantur, *corticem Liriodendri tulipiferae* virtute febrifuga peruviano proxime accedere, aequali modo in substantia et decocto porrectum; usui tamen obstat caritas remedii. Insuper eodem fere tempore *lichenem parietinum* s. parmeliam parietinam *Sandes*, *rhus cotinus Zsoldos*, et *valerianam celticam Hacker* ex viribus febrifugis commendarunt. Accedunt his: flores chamomillae, calamus aromaticus singuli et juncti a me a viginti et quod excedit annis saepe in usum vocati, jam in pulvere additis sulph. aurat. antim. gr. uno, duobus, jam in infuso totidem granis tartari emetici solutis, summe laudandi; absinthium; radix caryophyllatae, gentianae cum floribus chamomillae aut rad. calami aromatici; cortices salicum, quercus, hyppocastani additis iisdem adjuvantibus aut, pro speciali indicatione, opio, sale ammoniaco; sulph. aur. antim., sal ammoniacus, opium, arsenicum.

Horum remediorum selectum in casu speciali quovis completa morbi diagnosis, cognitio aegri, justa anni temporis, tempestatis, et indolis intermittentium epidemiae forsan regnantis pensitatio definiunt. Quoad *opii* tamen et *arsenici* usum sequentia notare juvabit: *Opium* in intermittentibus, speciatim debilitate vitali et cachexia stipatis, corticis Peruv. vices explere non valet; pro praevertenda tamen aut sananda diarrhoea aut vomitu noxio, sic et qua adjuvans corticis contra intermittentes admodum sensilium, hystericarum, hypochondriacorum, ex terrore aliisve animi adfectibus ortas *salutare* est, et contra comitatas speciatim symptomatibus nervosis: sopore, apoplexia, convulsione, tetano, vomitu effreni, doloribus quibusvis nimiis, cholera etc. periculosas, vere *necessarium*. Pro rerum adjunctis vel sub apyrexia dosibus parvis (cum cortice), vel brevi ante paroxysmum dosi unica majore (*Lind*, *Stoerk*), vel imo durante ipso paroxysmo (*Dalberg*, *Fr. Hoffmann* et al.) porrigitur, hic tamen bene advertente *Sebastian* non eo, quo cu-

tis sicca intensissime calet, stadio, nec si pulsus plenus ac lentus tangitur, sed sub initium modo et decrementum paroxysmi.

Arsenicum, securitatem quod attinet, cortici Peruviano notisque febrifugis cunctis tantum postponitur, ut, donec effectus secundarii et subsequi penitius fuerint cogniti, summa cum circumspectione in illis modo casibus certe rasissimis, mihi nunquam visis, adhiberi possit, in quibus utut rite facta indicatione et adplicatione congrua cortex solitas non exerit vires, adeoque spes aegrum morti certae eripiendi, metum posthumorum a pharmaco summe heroico malorum longe superat, et vitalis indicatio urget.

§. 230. *Malignarum febrium tractamen* ab hucusque descripto quandoque multum recedere, atque in eo consistere debet ut *a)* pro paroxysmo proximo periculoso aut probabiliter lethali certe suffocando dupla corticis Peruv. quantitas sub apyrexia, vel maxime auctis versus instantem dosibus brevioribusque post intervallis, cum opio, vino etc. porrigatur, et enematibus ex chinae decocto, epispasticis, animi adfectibus gratis, ac dispositione serena et hilari adjuvetur; et *b)* ut rebus adeo periculosis ad auferendas complicationes, fors evacuationem sanguinis aut alvi, aut sudorem exigentes, ea solum fiant pro momento, quibus indicationi vitali urgenti plenarie implendae ne minimum detrectetur. Energicae tali therapiae etiam paroxysmo periculoso feliciter subpresso per aliquot paroxysmorum tempus adhuc exacto insistendum, atque postea demum complicationum nonnullarum, v. gr. status gastrico-biliosi, pituitosi, si emetico ante auferri non potuisset, cura facienda. (*Sydenham* epist. responsor. de morb. epid. etc. ad *Rob. Brady* in Opp. T. I.)

§. 231. In *febribus rebellibus* praeter largum corticis Peruv. usum et regimen psychicum aptum non raro emeticum, brevi ante paroxysmum propinatum, systema

nervosum potenter alterando maxime prodest. Quandoque vero in rebus domesticis, domicilio et climate per tempus mutatis unicum remedium.

§. 232. Rariores intermittentes *characteris putridi*, quales *Torti*, *Werlhof*, *Medicus* describunt, et quales ipse in instituto clinico observavi, therapiae rationem, ut febres nervoso - putridae (§. 124 etc.), et in specie largum corticis Peruviani, acidorumque mineralium exposcunt usum. (*Torti* therap. spec. p. 114; *Werlhof* obs. de febris etc. Sect. I. §. 6; *Medicus* Sammlung von Beobachtungen. Bd. I. S. 178, B. II. S. 138.)

§. 233. Cura *convalescentiae* in praecavendam febrim recidivam et residuos a superata effectus tollendos dirigitur. Pro recidiva praecavenda et confirmando convalescentiae statu, continuatus certa methodo usus corticis Peruviani a *Sydenham*, *Morton* et a. commendatus est. Ille (epist. etc. ad *R. Brady*) die octavo praecise, a quo aeger postremam corticis dosim (die ante metuendum, qui emansit, paroxysmum) sumsit, in quartanis unciam, in quotidianis et tertianis drachmas sex cort. Peruv. subtiliss. pulverati c. s. q. syrup. caryophyl. vel de rosis siccis ordinavit, ut f. electuar., dividendum in 12 partes, quarum singulas quarta quavis hora capiat. Hac medicatione semel repetita morbum persaepe quidem confici, aegrum tamen non in tuto prorsus collocatum dicit, nisi medico tertia quartave vice eandem methodum eodem temporis intervallo iteranti parere non gravetur. Alii post tertianas die septimo, post quotidianas decimo quarto primum ejus, quae ad jugulandam febrim suffecerat, dimidiam quantitatem, altera vice elapso eodem temporis intervallo tertiam, postea quartam ejusdem partem dosibus paucis (quinque, sex) divisam, hancque methodum pluries, imo octies repetendam esse suadent. Utut autem negandum non sit, ejusmodi medendi rationes, cum regimine et diacta summe

congruis junctas, securitatem a recidivis maximam praebere, constat tamen, easdem rarius, et in casibus modo requiri, qui generatim usum corticis Peruviani absolute exposcunt, in aliis levioris gradus intermittentibus protractam amarorum, amaro-aromaticorum, auctis solum omni die septima aut decima quarta dosibus, administrationem, rariori in casu martialium usum, cum diaeta facili et cupepta, motu viribus adcommodato in aëre libero, sicco, amoene calido, eidem scopo plenarie respondere. Hac eadem ratione et effectus febrium intermittentium quam certissime tolluntur et morbi praepediuntur secundarii. Effectus autem durante convalescentia auferendi variant, prout febris fuit inflammatoria, putrida vel nervosa, mitis vel vehemens, brevis vel longa etc.; a febrium autem notae inflammatoriae, putridae vel nervosae reliquiis essentialiter non differunt, modumque curandi quoad essentialia aequalem exigunt.

§. 234. *Diaeta* ut durante febre, ita et convalescentibus summa cum circumspectione definienda, et ab his ad amussim servanda est, quum errores in illa commissi frequentissimam recidivarum ansam sistant. Currente febre character et duratio ejus, individuum ejusque organorum digerentium status probe attendantur. Diaeta sit digestu facillima, parca, sustineatur adpetentiae vigor, ventriculus non gravetur et vel maxime ante paroxysmi accessum liberrimus esto; infantes tamen, senes, enervati, gravidae caeteris paullo melius nutriantur. Quo breviores apyrexiae, ut in quotidianis ac tertianis, et quo longiores paroxysmi, eo parcior sit victus. Manifesta indole inflammatoria potus aciduli aquosi, et apyrexiarum solum tempore parcus esculentorum vegetabilium mollium, parum nutrientium usus requiruntur; indole vero nervosa potus aromatici quidpiam spirituosi, diaeta carnosa digestu facilis, modice condita commendanda, et insurgens nonnunquam in certos cibos instinctus

cum prudenti pensitatione respiciendus. Organorum gastricorum inertia, diathesis pituitosa victum sale, aromate magis conditum, potulenta concordantia etc. exposcunt.

Abactis paroxysmis citra dictam a ciborum mole cautam abstinentiam fuga eorum necessaria est, quae inter febris intermittentis momenta excitantia superius recensebantur. Jubet autem tanta in recidivas facilitas, ut convalescens ab omnibus noxis supra memoratis, speciatim a cibis farinosis pinguibus, pane recenter aut male pisto, fructibus horaeis immaturis vel et maturorum copia larga, piscibus, ovis coctis, lacte, cerevisia non rite fermentata et defaecata aut acescente etc., nec non a refrigeratione et madore, sibi quam attentissime caveat. Mora ad fluminis ripas, in habitaculo, cavea, templo frigidis ac humidis, sessio in cespite humido, mador a pluvia, balneum, aër matutinus ac vespertinus frigidulus ac humidus, aër perflans etc. saepe instantaneam provocant recidivam. Emolumento autem sub apyrexia haud secus ac convalescentia sunt accommodatus corporis motus, usus aëris liberi, puri, sicci, blandi, subcalidi etc.

§. 235. Ut mala posthuma, qualia in viscerum abdominalium infarctibus, cachexia, hydrope, ictero, et a. obveniunt, rite tractentur, eorum originem *vel* ex febre diu nimis protracta aut vehemente, *vel* ex incongrua therapia, *vel* ex aliis potentiis nocivis studiose investigare oportet. In casu *primo* cura adcommodata tam radicalis quam palliativa s. symptomatica ex dictis, et de varia cachexia dicendis facile invenitur; in *altero* subpressio febris per corticis peruviani praeposterum et aequo generosiorem usum non minus, ac prolongatio per neglectum, tardum et debito parciorem respici debet; — ibi certissimum remedium in febris, si succedit, revocatione per purgantia antiphlogistica, per intimum aegri cum alio febri intermittente detento commercium, aut

juxta nonnullos per corticem mezerei variis cutis plagis adplicatum; hic vero corticis Peruviani, aut amaro-aromaticorum, aut amaro-spirituosorum usus congruus salutifer, pro individui aegrotantis morbique totius ratione determinandus et dirigendus. Institutiones, morbos posthumos tertio e fonte scaturientes debite curandi, variis infra locis tradentur.

Classis II. *Inflammationes.*

Cap. I. *De inflammationibus in genere.*

Sect. I. Definitio, descriptio, causae, essentia, differentiae, prognosis, therapia inflammationum in genere.

§. 236. *Inflammatio* (phlogosis, phlegmasia, die Entzündung) dicitur morbus, *aestu, rubore, tumore duro, dolore et functione turbata organi cujusdam sese manifestans, qui utplurimum febri stipatus, celeriter decurrit, in acutas propriasque nititur crises, ideoque brevis esse consuevit.*

§. 237. *Inflammationis nomen*, veteribus jam usitatum, non ex illius adeo, qui inflammationem constituit, processus vitalis in organo adfecto, cum combustione forsan comparandi, cognitione, quam ex rubedinis inflammatoriae cum illa flammae, et doloris inflammatorii cum illo organi sani usti similitudine potius derivandum esse videtur.

§. 238. Symptomata mox nominata partim topica, partim universalia, objectiva alia, alia modo subjectiva, inflammationi simplici ac purae, adeoque statui illius normali, pathognomonica sunt, etiamsi nec aequali ad se invicem ratione ubique prostent, nec inquirentis sensibus semper sese objiciant omnia, ideoque in inflammationem significandam non cuncta cedere semper possint. Sic aestus percipi nequit parte inflammata non prope infra corporis superficiem sita, parva, nervorumque consensu insigni destituta; — rubedo, tumorque durus sensum medentis fugiunt phlogosi viscera tenente in cavis

recondita et ossibus circumdata; — dolor non raro deest in inflammationibus organorum parum sensibilium v. gr. pulmonum, hepatis etc., absente aegrorum conscientia etc. etc. Quare uno alterove symptomatum dictorum non patente ad inflammationis defectum concludere nequaquam licebit.

§. 239. Inflammationem autem, non completa nominatorum symptomatum congerie corroboratam, sed quibusdam eorum solum indigitatam, indeque *occultam* s. *latentem* vocatam, alia insuper momenta evincant praesentem, necesse est. Quo spectant praesidia quaequae diagnosim inflammationis adjuvantia, speciatim symptomata idiopathica, utut singula tantum et obscura, atque sympathica; duratio eorum et decursus ratio; tam organi quam individui aegri dispositio, momenta excitantia etc. Sunt autem symptomata sympathica nunc *communia* febris inflammatoriae signa in conditionibus pulsuum, sanguinis, urinarum etc., nunc phaenomena organorum singulorum phlogosibus *propria* v. gr. in hepatitide dolor obtusus, pressivus ad claviculam et nuchae partem dextram, stupor femoris, cruris dextri etc. etc.

Vacca de inflammationis natura, causis, effectibus et curatione. Florent. 1765.

Heinr. van den Bosch, theor. pract. Versuch üb. Entzündungen etc. Münst. u. Osnabr. 1786. 8.

A. Philipp Wilson, Handbuch üb. Entzündungen, Rheumatismen u. Gicht. A. d. E. üb. v. *Töpelmann*. Leipz. 1809. 8.

J. Hunter, Versuch üb. das Blut, die Entzündungen u. Schusswunden. Leipz. 1796. 8.

Imm. Meyer, üb. die Natur der Entzündungen. Berl. 1810. 8.

E. D. A. Bartels, patholog. Untersuchungen. B. I. Marb. 1812. S. 73—152.

J. Thomson, Lectures of inflammation etc. Edinb. 1813. Deutsch v. Prof. *Kruckenberg* etc. II Bde. Halle 1820. u. 1821.

C. H. Dzondi, de inflammatione aphorismorum liber primus. Halae 1814. — Aesculap etc. B. 1. H. 1. Leipz. 1821.

D. K. Hastings, Abhandlung üb. die Entzündung der Schleimhäute der Lungen. A. d. Engl. Brem. 1822.

C. J. M. *Langenbeck*, Nosologie u. Therapie der chir. Krankheiten etc. B. I. u. II. Göttingen 1821. 1823. 8.

H. *Callisen's* System der neueren Chirurgie. A. d. Lat. üb. v. Kühn. 2 Thle. Kopenh. 1823. 8.

H. *Boerhaave*, M. *Stoll*, *Burserius*, S. G. *Vogel*, J. P. *Frank*, W. *Cullen*, W. *Conradi*, A. G. *Richter*, v. *Hildenbrand*, I. R. *Bischoff*, opp. citat.

§. 240. Ut quae de inflammationibus generatim traduntur, clara sint et firma, differentia inflammationis *substantivae* a *symptomatica* praevie memorari debet. Illa morbum per se, haec partem, effectum morbi sistit, ejusque proprietatibus induta esse consuevit. De inflammatione morbo, et quidem *pura* nunc sermo fit; doctrina de hac suo loco ad symptomaticam, habita semper morborum ejus principalium ratione, adplicabitur.

§. 241. *Tentamina essentiae inflammationum detegendae*, omni aevo facta, fructu haud majore, quam inquisitiones in febris naturam, coronata sunt (§. 69). Ad veram ejus cognitionem et hic non nisi accedere datur via empirico-rationali, considerando nimirum inflammationem ab initio manifesto per totum decursum ad plenariam usque resolutionem, momenta cum ad generationem tum ad sanationem facientia, nec non effectus et sequelas illius conferendo, atque ex his ad veram inflammationis indolem concludendo.

§. 242. Inflammatio *substantiva* sicut febris (§. 44) certa percurrit *stadia*. — Jam cito *intrat* et sine prodromis apertis, jam symptomatibus irritationis praegressis. *Introitum* ipsum sensatio frigoris, horripilationis, aut levioris intensiorisve horroris, dein aestus designare solent, cui nunc cito nunc pedetentim organi adfecti dolor, tumor, rubor, functionis propriae laesio, variaque sympathica, praecipue febrilia, sed et sine his, adsociantur symptomata. Ubi nimirum inflammatio levissima est, angustis circumscripta limitibus, partemque tenens adeo parum sensilem ac irritabilem, ut organismum to-

tum praesertim systema circulatorium vix in compassionem trahat, sine febre adest; ubi vero his contraria obtinent, cum dictis inflammationis symptomatibus universalia febris evolvuntur, et quidem vel ex inflammatione qua effectus ejus, vel cum inflammatione ex communi profluunt scaturigine qua coëffectus ejusdem causae. Alias febris antecedit, inflammatio organi externi aut visceris cujusdam inde evoluta sequitur; hic febris morbum principem, *phlogosis* momentosum illius *symptoma* constituit.

Inflammatione progrediente symptomata nominata per tempus aliquod ingravescunt, aut saltem eodem gradu subsistunt ad diem quintum usque, septimum, nonum, quo rebus fauste cedentibus, sive externa sive interna sit phlogosis, decrescere incipiunt, donec septimo die, nono, undecimo aut decimo tandem et quarto sub criticis tum febris tum phlogoseos phaenomenis dispareant. Haec et illa characteri et magnitudini tam febris et adfectionis universalis, quam inflammationis, aegrorum individuali constitutioni, causis excitantibus, nec non dominantis morborum constitutionis genio, — phaenomena inflammationis critica insuper speciali organi inflammati naturae respondent, unde multum variant. Sic v. gr. desquamatio phlogosim in cutis superficie et in reti Malpighii residentem; sputa certae indolis inflammationes laryngis, tracheae, bronchorum, pulmonum; evacuationes biliosae hepatitidem; mucus largus, crassus, pallide flavens, puriformis inflammationes membranarum mucipararum etc. judicant.

§. 243. Symptomata inflammationem denotantia qualemcunque, dum non continua cum paroxysmis febris intermittentis periodice recurrunt, haud semper, sed tum solum pro *inflammatione periodica* pugnant, ubi paroxysmorum partem potissimam constituunt vel formam eorum totam explent, cum paroxysmis speciali ac singulis inflammationibus proprio modo judicantur, intercedentibus deinde intervallis apyreticis plurimum mitigantur

omnia, imo singula eorum evanescunt; ubi individua tenent juniora, robusta, plethorica, tempore potissimum vernali primo, genio tum intermittentium tum aliarum febrium inflammatorio regnante. His exceptis, et praesente solum phaenomene inflammatorio uno alterove v. gr. dolore, hoc per singula modo stadia vigente, per subsequam apyrexiam penitus deficiente, dispositione individuali nevrosibus favente, et manifesto febris intermittentis charactere nervoso symptomata illa, inflammationem periodicam aemulantia, pro systematis potius nervosi graviter adfecti signis habenda erunt.

§. 244. Resolutione fausta non contingente inflammatio in morbos alios, vel in mortem organi inflammati, quae mortem individui non raro serius ocyus post se trahit; vel in aliorum organorum vicinorum aut remotorum morbos transit, qui et inflammatione locali perfecte dispulsa ex mala illius aut infausta vel deficiente febris comitantis crisi immediatam ducere possunt originem.

§. 245. Sunt autem morbi inflammationum *secundarii* ac *idiopathici:* chronicum voluminis partium augmentum vel imminutio; emollitio, laxitas vel durities, densitas; concretio cum partibus adjacentibus; novorum organorum productio; sensibilitas ac irritabilitas morbose exaltatae vel depressae; irritatio chronica vel paresis, paralysis; morbosa humorum serosorum, lymphaticorum, puriformium, sanguinolentorum secretio; suppuratio; ulceratio; gangraena.

Patet, indurationem, suppurationem et exulcerationem, hydropem acutum et gangraenam utut frequentiores, minime tamen solos esse inflammationum terminos.

Morbi jam inflammationum jam vero febris comitantis *secundarii* nunc *vicinis* nunc *remotis in organis* oboriundi *partim* immediati sunt unius alteriusve morborum, qui mox nominabantur, secundariorum, adeoque nonnisi mediati ac remoti ipsius inflammationis effectus, quemadmodum dyspnoea, orthopnoea ex hydrothorace largo et

acutissimo, pleuritidis, pleuropneumoniae effectu etc., *partim* mala varia sympathice producta, sicut inflammationes metastaticae, pseudo-abscessus sic dicti, extravasata serosa.

§. 246. *Lethales* fiunt inflammationes non modo per sphacelum, si organo nobili ad vitam individui summe necessario contingit, aut ex universali virium exhaustione humorumque corruptela inducitur, sed per alios quoque ex recensitis malis posthumis, frequentius per paralysin, hydropem acutum, suppurationem, ulcerationem.

§. 247. Ex secundariis autem morbis *tumor partis chronicus*, jam sanabilis jam insanabilis, *vel* ex mera vasorum dilatatione, oppletione nimia, humorum serosorum, lymphaticorum, sanguinolentorum in textum cellulosum effusione, hinc proprie ex humorum accumulatione ac stasi proficiscitur, *vel* ex eorum in vasis lymphaticis stagnantium, sic et secretorum atque extravasatorum coagulatione, *vel* tandem ex plenaria texturae organi immutatione pendet. Primo in casu tumor quidem densus habetur, plus minus tamen elasticus, secundis sub circumstantiis et tractamine idoneo pedetentim imminuitur, imo non raro discutitur omnis. Diuturnus communiter *laxitatem* organi, ac debilitatem textus cellulosi atque vasorum ejus contractilitatem, dilatationis et impeditae nutritionis sequelam, post se trahit, novis humorum accumulationibus faventes. Casus alter humores stagnantes, secretos et extravasatos parte albuminosa et fibrosa divites supponit; tales enim facile coagulantur et quasi crystallisando cum partibus, quarum inter textum continentur, coalescunt, sicque efficiunt, ut cava et interstitia impleantur, obturentur, vasa, nervi ac textus cellulosus concrescant, organumque non raro totum in massam difformem, textura priore orbatam, solidam, densam, imo *duram* transmutetur, *volumine* nunc *auctam* nunc vero, impedita multum nutritione, *imminutam*, et

calore normali, sensibilitate, ad functionem pristinam aptitudine, magnam in partem vel plenarie exutam.

Tumores inflammationem insequentes *simplices* i. e. obturationis, concretionis, aut degenerationis expertes in individuis laxis, inertibus, ad phlogoses non dispositis, in organis laxioribus, texturae cellulosae, facile dilatandis, tractamine debito evacuante, derivante neglecto, vel emolliente, relaxante nimio, vel sanguinis depletione universali excedente frequentius occurunt.

Tumores cum duritie in subjectis tam validis, robustis, ad phlogoses, quam annosis, scropulosis ad indurationes dispositis; diathesi inflammatoria massae humorum insigni, inflammatione vehemente; ejusdem organi repetita, nec non lenta, chronica; cura conveniente aut neglecta aut tardata, imprimis erronea, tarda nimis aut immediata frigoris adplicatione; abusu remediorum adstringentium, stases humorum et coagulationes efficientium, facile inducuntur.

§. 248. Partium vicinarum *conglutinatio*, *concretio*, phlogosi durante jam inchoans, lympha morbose secreta admodum coagulabili, et membranis recenter formatis, mox ab ortu haud raro jam vascula sanguifera continentibus, praestatur, contactu organorum mutuo non deficiente; quum alias humores secreti in organorum inflammatorum superficie coëant, eique coaguli adinstar aut membranarum sub forma adhaereant. — In inflammationibus viscerum membranis seriferis aut muciparis vestitorum, ipsarumque id generis membranarum occurrere solet. In individuis junioribus, robustis, plethoricis, multum nutritis, speciatim in gravidis sub acuto phlogosis validae cursu vel maxime metuenda est, si methodus medendi accommodata vel non, vel nimis sero instituitur, si antiphlogistica, et in specie phlebotomia, non pro necessitate adhibetur.

§. 249. Ubi humores in organorum inflammatorum superficie morbose secreti minus partis albuminosae ac

fibrosae ferentes, in coagulationem igitur et organisationem minus proni, in minora majorave organorum interstitia cito diffunduntur, *hydrops acutus* oritur, pro humorum extravasatorum indole varia *simplex* dictus, aut *purulentus*, *sanguinolentus* cognominatus.

Portendunt hunc phlogoseos exitum: humorum serosorum praevalentia, diathesis hydropica, decursus admodum rapidus, gradusque altior inflammationis visceris in superficie sua secretionem serosam aut seroso-mucosam praestantis; therapiae requisitae neglectus; impedimenta quaelibet decursui normali et resolutioni per crises evacuatorias, praecipue per diaphoresim ac diuresim largam consuetas, posita.

§. 250. *Sensibilitas ac irritabilitas exaltatae* inflammationes perfecte resolutas praesertim organorum valde sensibilium ac irritabilium consuetim insequi, et aliquo persistere tempore observantur, praemagnam *pronitatis in recidivas* rationem continentes. Ast ubi convalescentiae spatium ultro excurrunt, chronicae, convalescentiam saltem suo in progressu turbatam, mutationumque per inflammationem nervis vasisque organi illatarum reparationem interceptam fuisse, testantur. Illis disponentibus irritamenta tam externa quam interna, utut non valida, manifestae organi inflammationi aut irritationi ad phlogosim appropinquanti, inducendae ac alendae facile sufficiunt.

§. 251. Alias cum exaltata sensibilitate et irritabilitate calor quoque auctus, tumor, doloris vel pruritus, ardoris, tensionis etc. sensatio, imo febris ultra consuetos phlogosis acutae terminos perseverant; status *inflammationis chronicae* titulo insigniendus, non infrequens omnino, attamen haud raro imperfecte notatus ad phlogoses occultas (§. 239) referendus. — Inflammatio chronica metuenda est et facile producitur in glandulis praecipue, membranis, organisque glandulosis ac membranosis, si inflammatio acuta non intensa quidem viget, sed vel perperam cura-

tur, vel irritamentis in-aut externis, idiopathicis aut sympathicis, vel et morbo quodam chronico, v. gr. scrophulis, syphilide, arthritide, qua symptoma ejus, sustentatur.

§. 252. *Sensibilitatis ac irritabilitatis imminutio*, inflammationes insequens, vel intumescentiam laxam, flacciditatem, vel densitatem et duritiem comitem habere, adeoque et sub iisdem cum alterutra conditionibus supra (§. 247) memoratis oriri solet. Variis in organis, quibus inhaeret, varia manifestatur forma v. gr. amblyopia, baryecoia, anosmia, anaesthesia etc.

§. 253. *Paralysis*, inflammationis sequela, praecipue in organis motui voluntario aut involuntario dicatis inertibus et laxioribus est metuenda, si congestio sanguinis major cum debilitate adest universali, et depletiones saltem locales necessariae fuerunt neglectae; vel si symptomata inflammationis, speciatim dolores vehementes et continui, nimis vigent; vel si phlogosis in nervis aut plexibus nervorum et gangliis organo prospicientibus, aut in majoribus massis nerveis, quemadmodum in medulla spinali, oblongata, cerebro, earumque velamentis residet, et circumstantiarum, quae superius notabantur, transsudationi lymphae, partis fibrosae etc. vel concretioni, indurationi, alii organisationis corruptelae faventium aliquae obtinent.

§. 254. *Suppuratio, puogenia*, est propria secretio morbosa in organis ante inflammatis, quae proinde in organa secretoria sui generis nova commutantur. — Secretum ipsum, *pus*, fluidum sistit propriae indolis, blandum dum purum est, albo-flavidum, spissum, consistentiae cremoris lactis, odoris specifici mitis, refrigeratum vero odoris expers, saporis subdulcis, aqua gravius, cum hac quidem agitando in liquidum lacti simile miscendum, per quietem vero mox ex illa praecipitandum, acido aeque ac alcali libero carens, atque miscelae necdum perfecte cognitae. Differt colore, consistentia et probabiliter interna miscela partium constituentium non

solum pro organorum, quae suppurationem patiuntur, sed pro aegrorum etiam diversitate, pro aëre ambiente, nutrimentis, potulentis, pharmacis etc. *Gruithuisen* (naturhistorische Untersuchungen über den Unterschied zwischen Eiter und Schleim durch das Mikroskop. München 1809. 4.) in pure numerosa granula conspici asseverat sphaerica, globulis sanguinis similia ast majora, voluminis singula aequalis, alba et non diaphana, vehiculo diaphano suspensa, quae infusoria subrotunda, fere lentiformia, inertia, utplurimum quiescentia, aut rotando aut lente progrediendo sese moventia continent.

Pus nec materia in sanguine generata et ab hoc quasi despumando separata, juxta *Quesnay*, *de Haen*, *Platner;* nec fluidum gelatinosum, mucilaginosum, aut quoquo modo depravatum, et in plagam suppurantem depositum juxta *Brugmann;* nec corruptelae humorum extra vasa collectorum et stagnantium effectus, neque tandem adipis extravasatae et colliquando corruptae productum, cum *Grashuis*, declarari potest. Ut *suppurationis essentia* perspiciatur, necessarium esse duco, *primam puris formationem* in *abscessu* sive *apostemate clauso*, dein *suppurationem stricte dicendam* qua *continuatam puris* in abscessu patente *productionem* distinguere. Prior procul dubio cum humorum extravasatorum, stagnantium, coagulatorum ipsiusque textus cellulosi solutione, liquatione incedit, quemadmodum autopsia in abscessu praemature aperto evincit; altera vero est *morbosa secretio*, adeoque proxime opus vasorum adfectorum, pus productum ejus sistit, ad quod sanguis suum largiri videtur albumen et partem fibrosam (quum in abscessibus praepostere incisis albumen loco puris inveniatur), quin, quam alii adfluentes humores contribuant, symbola praetervideri possit, uti puris qualitates diversis in organis v. gr. cerebro, pulmone, hepate, articulis, ossibus omnino diversae testantur. — Prima formatio puris, maximam in partem humorum, uti

dictum, et textus cellulosi dissolutio, liquatio, immediate in aliquid morbosi auferendum tendit; suppuratio ulterior, si benigna, si non turbatur, nec intercipitur, pusque ipsum libere effluere non impeditur, sicut in vulnere suppurante processum convalescentiae sistit, processum nempe vitae, in partium modo mechanico aut chemico ablatarum restitutionem, in laesarum, separatarum reunionem, sanationem directum, atque intensioris mixtionis organicae, secretionis ac formationis texturae cellulosae et organorum inde constantium (granulationis) sub forma conspicuum.

§. 255. Necdum licuit medicorum conatibus, in pure notam a materie puriformi distinctivam detegere, aut invenire medium, pus genuinum, *loco* quodam causa mechanica aut chemica, externa aut interna *laeso* secretum, ab analogo distinguendi fluido, quale sub conjunctivae palpebrarum et bulbi oculi, membranae muciparae narium, viarum respiratoriarum et primarum, urethrae etc. inflammationibus *absque continui laesione* secernitur; et quale nonnunquam in humoribus hydropicorum paracenthesi eductis ad fundum vasis praecipitatum videre est. Medium ejusmodi magno imprimis pro Prognosi ac Therapia gauderet valore, ubi ex internis evacuatur materia puris aemula. Ast nec a *Darwin* (Samml. auserles. Abh. f. pr. Ae. B. VI. S. 231 etc.) defensum, jam a *Salmuth* (Abhandl. v. d. Eiter, u. v. d. Mitteln, es von allen ihm ähnl. Feuchtigkeiten zu unterscheiden. Götting. 1790. 8.) refutatum adsertum, pus in aqua non esse solubile; nec illud *Grasmeyeri*, pus cum solutione kali miscendo in gelatinam commutari; *Gruithuisen* et *Home* puri propria grana rotunda seu globulos ope microscopii visibiles inesse, certam valent suppeditare diagnosim, et non sine gravi ratione *Reil* (Fieberlehre, B. II. S. 528.) animadvertit, omnibus adhuc obversari dubium, num ea, quae pus inter et materiam puriformem supponitur, diversitas revera obtineat; hu-

mores enim mediante phlogosi in organo quocunque secreti omnes ejusdem esse naturae, eorumque differentiae sensibus percipiendae non nisi a proportione albuminis, et oxydationis gradu lymphae serique secreti pendere videntur. Examen puris chemicum vel ideo redditur ambiguum, quia quod ex organis internis evacuatur pus saepissime muco remixtum est. Omni in casu simili ancipite diagnosim ex symptomatum praesentium complexu, sensibilibus materiae purulentae aut puri solum similis, qualitatibus, morbi totius initio, decursu, duratione, praegressa et modo debito non resoluta inflammatione, ex momentis geneticis etc., et vel maxime ex curata *symptomatum, transitum inflammationis* cujusdam *in suppurationem designantium* pensitatione stabilire oportet.

§. 276. Sed is quoque transitus non ubique facile, imo in viscerum inflammationibus aliquando ardue cognoscendus. In *inflammationibus externis suppuratio, abscessus*, sequentibus sub phaenomenis oritur et formatur: tumoris inflammatorii duri ac sicci volumen, rubor, tensio, dolor augentur, hic vehemens fit et pulsatorius; phlogosi late expansa, vel organo inflammato admodum sensili frigoris sensatio ab isto ingrediens accedit, quacum saepe *febris*, *suppuratoria* dicta, incipit, vel inflammatoria hucusque vigens breve post decrementum intenditur. Tumor in medio aut alio loco sensim elevatur, acuminatur, recedente ibidem rubore ac duritie, febreque iterum decrescente pallescit, albicans aut flavescens a pure transparente evadit, mollis et doloris expers. Color iste, emollitio ac dolorum cessatio, declinantis phlogoseos signa, ulterius per tumorem expanduntur, cujus circumferentiam rubram constanter dolor adhuc pulsatorius, aut pressivus, aut abscessu vasto gravitas et frigus tenent. Premendo tumorem elasticum puris contenti fluctuatio percipi potest. — *Suppurationes in organis internis*, clausis adhuc abscessibus *vomicae* dictae, subinde, angusto praesertim sub ambitu, et pure nulla via

conspicue exeunte, perquam difficiles sunt cognitu; ad earum tamen praesentiam concludere licet ex symptomatum inflammatoriorum decremento, quin tempore solito, diebus nimirum inflammationis intra septimum et decimum quartum, phaenomena criseos prodierint resolutoriae; ex continuante functionis organi inflammati laesione; horripilatione et, si suppuratio larga, horrore concutiente saepius recurrente; sensu gravitatis, pressionis aut frigoris in organo adfecto prioris doloris vices agente; nec non *febri lenta sensim evoluta.* Sub hac aegrum a prandiis et vespere invadunt aestus universalis cum molesto volarum ac plantarum ardore, rubor genarum circumscriptus, sitis, pulsus magis febrilis; urinae mittuntur intense tinctae, hypostasim levem furfuraceam vel purulentam facientes; accedunt serius sudores nocturni debilitantes, diarrhoeae, atque oëdemata, pedum crurum, manuum, et appetitu ac digestione parum licet laesis, illo nonnunquam plurimum vigente, contabescentia universalis pedetentim progrediens. Puris haud profunde siti fluctuatio tactu acuto et probe versato percipi potest; alias in regione supra abscessum formatur oëdoma, successive membrum totum, aut latam partis circumferentiam occupans. Pus quacunque directione in visceris ipsius parenchyma, textum cellulosum, in cavum corporis aut canalem prorumpens vel ibidem manet et mole et qualitate varios producit effectus, vel tussi, vomitu, alvo, mictu aut alias per vias naturales evacuatur, aut per arte factas educitur. — Suppurationes internae frequentes sistunt *phthisium* fontes, ab illis cognomina petentium: de quibus inter *Cachexias* fusius agetur.

Circumstantiae organi inflammati suppurationi faventes sunt: inflammatio vehemens, tumor partis maximus, therapia necessaria neglecta, aequo minus efficax, aër calidus, regimen calefaciens, verum et tractamen locale et universale nimis antiphlogisticum; phlogoses ejusdem organi iteratae, praegressae illarum in suppurationem

terminationes; inflammationum cum contusione, laceratione, ruptura, jactura substantiae connubium, ab impacto corpore peregrino sustentatio, consuetus teste experientia in suppurationem transitus, quemadmodum furunculorum, variolarum, bubonum pestilentium, scrophulosarum, syphiliticarum in glandulis phlogosium.

§. 257. *Ulceratio*, exulceratio sequelam inflammationis non resolutae mox immediatam mox mediatam constituit. In casu posteriore suppuratio antecedit. Est autem *ulceratio secretio puris pravi* i. e. humoris acris et depravati, saniei nempe seu ichoris, *cum continui solutione successiva ex causa interna, et cum nisu in destructionem progredientem* conjuncta. Suppuratio ab ulceratione differt ut convalescentia a morbo, vel formatio a dissolutione, organisatio a destructione. Pus blandum est, partim ad partium organicarum deperditarum regenerationem requisitum, partim eandem adjuvans; ichor autem acer, progredientem organorum aegrorum devastationem partim producens, partim juvans; pus laudabili humorum sub indole per exaltatam secernentium vasorum actionem generatur: ichori prava humorum conditio vegetationi adversa, et actio vitalis vasorum secernentium aut debilis aut impedita subsunt. Ulcerationi nomen suppurationis malignae tribui solet.

Ichor fluidum sistit utplurimum tenue, aquosum, specialibus tamen in ulceribus mucosum et viscidum; ipse flavidus est, viridicans, grisescens; bruneus, imo nigricans, saepe sanguine remistus, semper male olens et acer, ita ut qualitate sua chemica (qua superficiem argenti nigredine, chalybis politam rubigine obducit) ad proserpentem essentialiter conferat destructionem. Ulceris fundus non quemadmodum abscessus rubet, sed variegatus pallet, brunescit, livet aut nigrescit; dissolvitur partis adfectae substantia, destruitur, in putredinem abit; ampliatur basis ulceris, corrosis vasorum parietibus sanguis effluit; in granulationis locum excrescentia fungosa, sensilitate

destituta, caro sic dicta luxurians propullulat; margines ulceris impuri sunt, inaequales, quasi arrosi aut laceri, venis varicosis notati et circumdati, caeterum jam continuo inflammati, dolorifice tensi, jam callosi ac insensiles; circumferentia tumorem nunc inflammatorium offert, nunc laxum et oedematosum.

Quae inflammationis aut subsequae jam *suppurationis transitum in ulcerationem* metui jubent, momenta partim localia, partim universalia sunt: tractamen organi inflammati aut suppurantis incongruum, speciatim nimia per unguenta acria, etc. irritatio; pressio per epithemata ponderosa, ligaturam arctam; abscessuum impletio per linteum carptum, abusus cereolorum, turundarum etc.; virium in organo vel in toto organismo per evacuationes sanguinis nimias locales aut universales exhaustio; aër impurus, corruptus, frigidus; immundities; corpus peregrinum impactum haerens; debilitas universalis, imperfecta sanguificatio, humorum vitia v. gr. in scorbuto; cachexiae speciales, uti syphilitica, scabiosa, herpetica etc.

Dr. J. N. Rust, Helcologie etc. II Bde. Wien 1811. — Magazin f. d. ges. Heilkunde. B. XI. H. III. Einige Bemerk. üb. d. Wesen d. Geschwüre etc.

§. 258. *Gangraena*, pessimus inflammationum exitus, est status *organi inflammati morti* partiali, in quam tendit, *proximus*, calore aucto, sensu ac motu perstantibus, deficiente adhuc sphacelo aut necrosi. Hinc transitum ab inflammatione in mortem topicam sistit, a qua ob intimum consuetim symptomatum ac phaenomenorum nexum in praxi difficilius, quam in essentiae theoria distingui potest. Sequentia tamen in diagnosim cedunt: in gangraena vita superstes in mortem properat, in sphacelo mors reapse adest; in illa vasorum adhuc actio, sensatio, subinde dolor, aestus, tumor et tensio restant, et quaedam solum ac partialia decompositae materiae orga-

nicae accedunt signa, dum rubor tumoris duri ast multo minus dolentis hinc illinc in bruneum aut lividum mutatur colorem, tumorque ipse aliquibus in locis mollescit; in sphacelo omnis jam silet actio vitalis, loco aestus temperatura percipitur admodum moderata vel imo frigus, rubedinis vices color profunde bruneus, lividus, griseus aut nigricans in tumore sensibilitatis experte, consuetim flaccido, pastoso, emphysematico occupat, epidermis hinc inde secedit, alibi in bullas elevatur griseas aut brunescentes, saniem flavidam aut bruneam, saepe sanguinolentam, acrem emittentes. Quo in casu, et ubi variis locis sanies sanguinolenta aut generatim diversicolor, foeda prodit, gangraena, recte *sphacelus* dicitur *humidus*, in distinctionem a gangraena, potius sphacelo *sicco*, ubi cutis sicca et pallida, aut nigrescens, et pars ipsa pariter exsiccata mumiae instar corrugatur. In priore organum vel sua natura humoribus est dives, vel durante inflammatione et gangraena nimium impletur; in altero organon sua natura siccius cum cessante nervorum actione simul omni humorum influxu orbatur.

Transitui inflammationis *in gangraenam* et ex hac, vel immediate, *in sphacelum* favent: phlogoseos praecipue in organis membranosis et nervorum divitibus vehementia; organi inflammati irritatio methodica, pressio aliave laesio mechanica, chemica; actio aëris impuri admodum depravati, hinc in nosocomiis squalidis gangraena nosocomialis dicta; debilitas altioris gradus cum cacochymia et cum vel sine febri; senectus decrepita; simultaneae organi inflammati contusiones validae aut lacerationes.

Gangraenae autem in sphacelum transitus in organis internis *signa diagnostica* habentur: dolorum, inquietudinis, anxietatis, caeterorumque inflammationis symptomatum cessatio repentina; valetudo aegri ad speciem laudabilis pulsu autem plurimum frequente, debili, minimo, inaequali; delassatio summa; deliria placida cum

sopore alternantia; convulsio; iterata lipothymia; sudores frigidi ac viscidi, involuntaria et aegro inscio accidens alvi diarrhoicae et urinarum crassarum, foetentium evacuatio; frigus extremitatum ac livor; facies hippocratica; subinde macula cutis livida aut nigra in regione organi sphacelosi.

Nota: Sphacelus nonnunquam sine inflammatione praevia ex virium vitalium exhaustione, vel ex crisi metastatica in gravissimis febribus nervosis simplicibus, typhosis, nec non putridis proficiscitur.

§. 259. Nec desunt casus, in quibus inflammationis, secretionis seroso-lymphaticae, indurationis, suppurationis, gangraenae et sphaceli phaenomena facile illudentia et summe contradictoria gradu diverso in eadem organorum serie coëxistunt. Ratio in eo quaerenda, quod vel partis organi inflammatio in aliam partem, et inflammatio totius organi in vicinum aut in plura proserpere, imo febrim inflammatoriam provocare possit, ubi inflammatio haec pedetentim progrediens, nisi acutissime attendatur, sensibus qua *unica* et protracta adparet, dum status totus in *inflammationibus pluribus* sese excipientibus, identidem novis, a se invicem disjunctis consistit; vel quod partium organi inflammatarum organorumve integrorum constitutio diversa, vel inaequalis potentiarum nocentium in haec et illas agendi vis ac modus, vel influxus laterales; vel tractamen varium etc., vel plura horum simul obtineant. (*Zang*, Darstell. blut. heilk. Operat. 3. Aufl. I. Thl. S. 96—97.)

§. 260. Inflammationes non per sphacelum modo, in organis ad vitam necessariis ortum, aut universalis virium consumtionis et humorum dyscrasiae effectum, sed per alios quoque recensitorum supra morborum secundariorum, specialius per paralysim, hydropem dictum acutum, suppurationem, ulcerationem, *lethales* fiunt.

§. 261. *Disponunt* ad phlogoses magna irritabilitas, sanguificatio intensa, sanguis copiosus et ad or-

ganisationem eminenter aptus, magnum vitae robur; ideo subjecta juvenilia, vivida, robusta utriusque sexus, temperamenti sanguinei et cholerici in inflammationes praecipue disposita observantur. Quod organa et systemata singula concernit, dispositio eminens in illis invenitur, quae cum irritabilitate majore vasis quoque sanguiferis, et rite animadvertente *Bichat* (Allg. Anatomie 1. Thl., 2. Abth. S. 249.) capillaribus, hisque vel maxime abundant; quae vita gaudent generatim alacriore vegetativa; et quae inflammationibus jam fuerant prehensa. Quare in cutaneo et membranarum seriferarum ac muciparum systemate inflammationes frequentius, in fibrosis autem rarius, occurrunt; quare arteriae, venae, nervi prae cartilaginibus, ossibus etc., pulmo prae hepate, intestina, vesica urinaria, peritoneum prae uteri substantia phlogosim experiuntur.

Momenta excitantia inflammationum partim *universalia* sunt partim *localia*, et utraque partim *communia* partim *specialia*. Accensentur *communibus universalia:* aër valde frigidus, siccus, electricus, oxygenio dives, quemadmodum borea, austro ventisque e regione intermedia tempore brumali flantibus; frigus generatim validum, sicut aestus excedens, magis adhuc magnae ac repentinae utriusque temperaturae vicissitudines; ciborum bene nutrientium, acrium, multum conditorum, et praesertim potuum spirituosorum abusus; motus corporis nimius eundo, currendo, saliendo, saltando, equitando etc. peracti; vehementes adfectus animi; profluviorum, secretionum quarumvis normalium aut habitualium modo suppressio; — *localia:* quibus adnumerantur potentiae omnes actione mechanica, chemica aut organico-vitali cum vel sine laesione, nimirum pungendo, scindendo, percutiendo, contundendo, secando, trajiciendo e sclopetis, distrahendo etc. irritantes; calculi fellei, urinales, alii; pharmaca et venena acria, caustica; fluida bullientia, ignis, vis electrica, etc.; vermes; et intuitu quo-

dam etiam contagia. *Specialia* momenta inflammationes excitantia dicuntur, quae has in organis specialibus prae caeteris vel modo agendi specifico, vel actione immediata, inferre valent. Sic v. gr. nimiae facultatum mentis intensiones, validi animi adfectus ac pathemata praecipue encephalitidi, lux intensa et protracta ejus actio ophthalmitidi, detonatio vehemens otitidi, sermocinatio, declamatio longa, sic et atmosphaera frigida, sicca, multum electrica, oxygenio dives, venti boreales et australes acuti inflammationibus faucium organorumque respiratoriorum, ira vehemens hepatitidi etc. producendis pares observantur. — Illorum alia inflammationes modo idiopathico, alia sympathico, jam consensuali jam antagonistico, inducunt.

Tandem et *morbi*, quorum comites non raro inflammationes symptomaticae cernuntur, ad inflammationum fontes jam universales jam locales referendi sunt, quemadmodum efflorescentiae cutaneae acutae et chronicae, syphilis, arthritis, scrophulae etc. etc.

§. 262. Quae hucusque (242—261.) de symptomatibus, decursu ac terminationibus, sequelis nec non de causis inflammationum generatim considerabantur, ad sequentia ducunt *corollaria*:

1) Symptomata et effectus inflammationis de simultanea vasorum, sanguinis, et nervorum organi inflammati adfectione testantur, licet haec adfectio vasa sanguifera et speciatim capillaria cum humoribus contentis eminentius concernat; irritatio enim partis inflammatae, sensibilitas exaltata, rapidior humorum ejus mixtio, imprimis sanguinis partim celerius partim segnius moti, partim quiescentis, copiosius adcumulati, rarefacti, et intensius rubri coagulabilitas major, et calor vitalis auctus sine dubio essentiales partes morbi, quem inflammationem nominamus, constituunt. — 2) Ratio hujus adfectionis est vita praecipue in vasis et humoribus partis nimium excitata. Argumenta suppeditant: *a*) phae-

nomena inflammationis in partibus alias parum sensibilibus et irritabilibus, v. gr. ligamentis capsularibus et lateralibus articulorum, membranis tendinosis, mucosis; *b)* reproductio, regeneratio partium organicarum qua inflammationis effectus in organis cum substantiae jactura vulneratis; nec non mutationes in cadaveribus ad organa prius inflammata inventae, nimirum: vasorum capillarium reticula minima sanguine turgida, textus cellulosus sero, lympha coagulabili, puriformi saepe et sanguine impletus, fibrae, imo membranae gelatinae similes non raro jam vasculis sanguiferis instructae recenter formatae, nexusque organorum in statu normali disjunctorum mediantibus ejusmodi membranis facti; *c)* conditio organismorum et singulorum organorum teste experientia ad phlogoses praeprimis dispositorum; *d)* indoles ac agendi ratio causarum occasionalium supra enumeratarum irritans aut laedens i. e. sine aut cum cohaesionis solutione organa ad motus nimium intendens; et *e)* proficua inflammationum therapia debilitans, refrigerans, relaxans, coagulabilitati humorum adversans, — 3) Vitae organorum et humorum partis inflammatae exaltatio facultati organismorum animalium adquiescit, irritamento cuidam (absolute vel relative externo) amovendo, aut mitigando aut immutando plus virium ac materiae organicae fluidae impendendi quam in statu sanitatis requiritur, unde et motus organici et formatio organica ultra sanitatis gradum ac terminos ita evehi et protendi possunt, ut variis sub gradationibus nunc levioris aut fortioris *irritationis*, nunc mitioris aut vehementis *inflammationis* prodeant symptomata.

§. 263. Quemadmodum vero in simplici *irritatione* (statu irritativo topico) motus organici morbose intensi et extensi adhuc praevalent, ita in *inflammatione* jam organica formatio, per vasa capillaria e sanguine immediate praestanda, ultra normam intensa et extensa praedominatur.

§. 264. Pro *sede* inflammationis *in vasis capillaribus*, systema arteriarum et venarum quodammodo limitantibus et nectentibus, praecipuis secretionum, excretionum et nutritionis organis, initium cujusvis phlogosis ab irritativo statu cum congestione, mutationes initiante inflammatione per microscopium in illis observatae, et ipsius formatae inflammationis phaenomena loquuntur.

Principales mutationes absque dubio a subtilissimis vasis partium capillaribus ordiuntur, et phlogosi progrediente tam in iisdem quam in humoribus partim in illis motis partim in textum cellulosum effusis sunt manifestissimae. Quare ortum, evolutionem et decursum phlogosium explicaturi ab illis egredimur, atque seriem et successum mutationum consideramus, quales in inflammationibus externis oculo nudo et armato juxta microscopicas inquisitiones celeberrimi *Gruithuisen* (Microscopische Untersuchungen üb. d. Kreislauf in d. Capillar-Gefässen während der Entzündung u. s. w. In d. Salzb. m. ch. Zeitung. J. 1811. II. 298—302.) sese offerunt. Illo asserente primum stases sanguinis in vasis capillaribus plerisque, horum igitur immeabilitas, reliquorum vicinorum et ambientium proportionalis dilatatio contingunt, inde sanguinis nisi major, saltem eadem copia in partem inflammatam devehitur. Inchoante nunc inflammatione secernitur sanguis non formatus sub specie punctorum apparens, quae in radios laterales augentur illimitatos, cum radiis punctorum vicinorum confluentes, et sic saepe catenas non exacte circumscriptas aut plagas reticulatas repraesentant, plerumque vero vasa capillaria admodum crassa (?) qualia *Hastings* nonnisi in inflammationibus vulnera insecutis observavit, formant, priorum nunc imperviorum vices agentia. Sanguis recens in istis et in parenchymate subsistit, donec tandem eo promoventur, ut in vas capillare vetus atque sic in circulum majorem deferatur.

Quum itaque omni in inflammatione vasa capillaria modo aegrotent essentiali, organum non nisi quatenus vasis hujus generis gaudet, inflammationem potest subire. Hinc et organa in inflammationem vel maxime disposita inveniuntur, quae copiosioribus, jam in statu sano sanguinem vehentibus vasis capillaribus, ac processibus mixtionum alacrioribus gaudentia, in inflammationem maxime disposita inveniuntur.

§. 265. *Rubet* pars inflammata a sanguine copiosius advecto, accumulato, et probabiliter in vasis capillaribus alias sanguinem non vehentibus recens producto. Variat caeterum rubedo pro inflammationis gradu, indole, duratione, et pro partis inflammatae loco; pallidior convenit mitiori, initianti, non phlegmonosae, et tumoris inflammatorii limitibus; saturatior intensiori, progressae, tumoris medio; profunda phlegmonosae; pallida et flavescens erysipelati simplici; brunescens inflammationibus syphiliticis et furunculis; caerulescens, livedo in gangraenam transeuntibus. — *Tumor durus* ab humoribus praecipue sanguine denso copiosis passim vasa replentibus, distendentibus passim extravasatis; jam minor vixque percipiendus, jam major aut maximus, pro phlogoseos gradu, organi situ, et densa vel laxa, cellulosa compage. — *Calor et aestus* constans, ab aucta vasorum actione, rapidiore humorum motu intrinseco, mutata eorundem in spissitudinem et coagulationem tendentium mixtione, et a mutato nervorum statu derivandus. — *Sensibilitas* partis inflammatae in impressiones externas stimulantes *adaucta*, et *doloris* (urentis, punctorii, lancinantis etc.), subinde gravitatis solum et pressionis sensus, attactum recusans, in organis quoque obtinens alias parum aut non sensibilibus, non ab irritamento inflammationem gignente profectus ejusque notabilem causae partem constituens, sed mere symptomaticus, partim tensionem, pressionem, partim intensionem virium cum sensibilitatis augmento locali et saepe universali fontem suum agnoscit. Quas speciatim

nervi subeant mutationes, latet. — *Secretiones uberiores* seri, lymphae, muci, partis fibrosae in textum cellulosum, cava corporis minora et majora, ad organorum membranosorum superficiem contingentes, ab irritatione, aucto sanguinis adpulsu, copiosiore accumulatione, accelerata vel in organo inflammato solo vel in reliquo simul organismo sanguificatione, a vegetatione exaltata et resorptione relative nimis imminuta explicantur. Argumento evidenti est sanguis in inflammatione densior, et crusta ejus dicta inflammatoria. Ubi secretum abundat parte fibrosa, hic *partes* separatae ea mediante *coalescere*, ibi *fibrae*, *membranae* ac *vasa nova* oriri, adeoque *organa produci* cernuntur, quae jam aliorum superficiem obducunt, jam organa disjuncta morbose connectunt, jam substantiae in partibus mollibus ac in ossibus jacturam resarciunt.

§. 267. His expositis non absonum erit statuere, *inflammationis essentiam* generatim esse, *vitam organi*, specialius *vasorum* ejus *capillarium et sanguinis*, utplurimum totius quoque systematis sanguiferi, irritamento *acceleratam et ultra sanitatis gradum ac limites excitatam*, partim quidem versus irritamentum morbificum directam, semper vero harmonici partium constitivarum ad propriam organi inflammati functionem concursus turba stipatam, i. e. vegetationem organi intensitate, extensione ac celeritate morbose excedentem, fortiore, ac sanitate convenit, assimilatione, majore humorum plasticitate, et novorum imo organorum formatione, productione, insignem. Constat saltem, hunc vitae statum praecipue quoad partem ejus vegetativam in omni inflammatione adesse, et momentosissimam agere scenam.

§. 268. Per naturam inflammationis modo indigitatam circumscribendum certe valorem sententiae nimium cultae, et a vero aberrantis „*inflammationem non morbum, sed naturae medentis conamen esse*“ exacte definiri censeo quin *salubritati* inflammationis, febrisque in

genere (§. 41. 80 et 271.) et aliorum morborum, omnino *relativae*, vel minimum derogetur.

Per eandem naturae indigitationem inflammatio ipsa a congestione topica, a turgore vitali adaucto, ab erethismo nervoso, et a partis cujusdam doloribus distinguitur. (Conf. *Hildenbrand* opp. c. T. II. §. 206—217.)

Congestio est vitium circulationis, non proportionata humorum in organo quodam accumulatio, quae nec cum excedente hujus activitate (datur enim et passiva), nec cum qualicunque humorum mixtionis laesione nexum habet necessarium; quae momentis jam irritantibus, stimulantibus, jam pacantibus, emollientibus, relaxantibus, jam variis circuli impedimentis inducitur; quae, si ab irritamento non nimia, hoc amoto statim dissipari potest, hoc autem continuante indeterminatum simul protrahitur in tempus, atque intensiore reddito irritamento aut accedentibus aliis facile in phlogosim intenditur ac permutatur.

Turgor vitalis auctus sanitatis adnumerandus signis, quemadmodum turgor uteri ante menstrua testatur; caeterum influxibus corpus aut animam incitantibus, calore, vino, motu, animi adfectu etc. provocatur, qua talis symptomati morboso nulli consociatus, et absque malis sequelis brevi transitorius est.

Erethismus nervosus, dolor, qua adfectio nervosa nec fixus nec continuus, potius vagus et remittens aut intermittens esse solet, attactu non exasperatur saepe imo lenitur, et non tam febris quam adfecti potius in sensuum aut motuum sphaera systematis nervosi symptomatibus sociatur.

§. 269. Non e re esse censeo, hypotheses de inflammationis natura a veteribus aeque ac recentioribus prolatas omnes, aut et potiores solum fusius hic exponere, singulasque critice perlustrare. Sufficiat indicare, hypotheses illorum, qui inflammationis essentiam in solius sanguinis vitiis quaesiverunt, haud minus ac aliorum, qui

eam in solorum vasorum culpa sitam esse arbitrati sunt, mancas, unilaterales et angustas inveniri. Ad priores spectant: *Hippocrates*, fluxionem sanguinis spissi, — *Oribasius*, ejus putrescentiam, — *Willisius* et *Sylvius* effervescentiam particulas ejus acidas inter et salinas, — *Hallerus*, vim irritantem, et *Beaumés*, nimiam sanguinis oxydationem pro inflammationis causa proxima habentes. Posterioribus accenseantur: *Boerhaavius*, stases sanguinis in vasculis, horum obturationem, et calorem attritu adauctum, — *Fr. Hoffmann*, et sanguinem spissum et contractionem vasorum serosorum ac lymphaticorum spasticam, — *Stahlius*, *Gorterus* et *Burserius*, errorem loci sic dictum, nimiam scilicet unius aut aliquarum arteriarum actionem, qua sanguis in vascula minora, de norma non sanguifera, urgeatur, — *Hunterus*, eandem activitatem cum vasculorum nisu ultra diametrum sese expandendi, — *Cullenius*, perstantem in arteriolarum finibus contractionem spasticam, — *Vacca*, *Allen*, *Callisen*, *Bruno* cum asseclis et Incitabilistis, nec non hodie *Thomson*, *Wilson Philipp* et *Hastings* ex opposito activitatem vasorum imminutam et sanguinis congestionem ex eorum debilitate, et per vim a tergo agentem dilatatione admissam — rationem proximam inflammationis statuentes. — Hypothesis ultimorum auctorum remotissimo solum et fallaci adquiescit indicio, caeterum, quemadmodum reliquae cunctae, omnis, quam non partes solum constitutivae solidae et fluidae sed vires etiam organi, et quidem nervorum aeque ac vasorum vires, ipsiusque sanguinis vita ad inflammationem conferunt, symbolae aestimatione, et firmo inflammationis a mera congestione discrimine caret. Duos hosce evitare errores philosophi naturae adlaborarunt, quemadmodum inflammationis theoriae *Burdachii*, *Ph. de Walther*, *Kieseri*, *Sprengelii* et *Dzondii* ostendunt; ast quae recentissime (a *Grüthuisen* et aliis) defenditur, sententia „*inflammationem non morbum, sed organismi remedium contra*

morbos, naturae medicantis conamen esse“ haud minoribus premitur erroribus, iisque praxi summe noxiis. Nam remotissimam solum rationem, qua *genesis* inflammationum *possibilis* concipitur, indigitat, *proximam reapse existentis non pronunciat;* prophylaxi potius quam therapiae curatoriae indicationem suppeditat; ad hanc vero absolute adhibita, idealis, in originem multorum aliorum morborum indigitandam aequo modo quadrans, nonnisi exspectativam medendi rationem in omni inflammatione consequenter concedendo *ad otium, cunctationem, neglectum therapiae auxiliantis* in morbis saepe acutissimis et periculosissimis ducit, adeoque gravissimam sane *malorum posthumorum, ipsiusque mortis*, quae nonnisi per therapiam activam, promptissimam aeque ac expertissime administratam, saepe praeverti possent, *culpam* secumfert.

Imman. Meyer, opp. supra citat.
Ludov. Nagy, diss. inaug. de nosogenia et differentiis inflammationum. Vienn. 1817. 8.

§. 270. Quum in morbo quolibet, inflammationis nomen promerente, notae characteristicae semper eaedem, utut mutua inter se relatione et gradu variantes, observentur, non absque ratione sufficiente consectarium inde deducitur, *indolem* inflammationum semper et ubique, in individuis ac organis quoque plurimum differentibus, esse *eandem*, i. e. inflammationum naturam, non obstantibus magna formae non essentialis variatione, characteris febris differentia etc., in singulis *eandem et immutabilem* obtinere.

Quotquot igitur reipsa occurrunt *inflammationis differentiae*, *modificationes* solum sistunt, ex momentis non essentialibus, inconstantibus profectas, quorum tamen valor in prognosim et therapiam casui singulo exactissime accommodandam omni ereptus est dubio. Sunt ejusmodi momenta: 1) character febris comitantis,

2) connubium inflammationis cum morbis ejusdem aut alius generis; 3) sedes ejusdem; 4) evolutionis ac intensitatis gradus; 5) ratio decursus ac duratio; 6) origo; 7) relatio ad causas excitantes; et 8) effectus tum topici tum universales. Pro istorum ratione phlogoses, fere ut febres, distinguuntur:

1) in *activas* s. sthenicas et *passivas* s. asthenicas et quidem vel *scpticas*, *putridas*, vel *nervosas;*

2) in *simplices* et *compositas; puras* et *complicatas; erysipelatosas*, *catarrhales*, *rheumaticas*, *exanthematicas;*

3) in *externas* et *internas;* inflammationes cutis, membranarum mucipararum et seriferarum, inflammationes ossium, cartilaginum, vasorum, glandularum, musculorum, nervorum;

4) in *manifestas* et *occultas; leves* et *graves;*

5) in *continuas* et *intermittentes; acutas* et *lentas*, *breves* et *chronicas;*

6) in *primarias* et *secundarias; idiopathicas* et *sympathicas; — substantivas* et *dependentes* s. *symptomaticas* v. gr. scrophulosas, arthriticas, syphiliticas etc.;

7) in *pandemias (epidemicas* vel *endemicas)* et *sporadicas;*

8) in *salutares* et *noxias; benignas* et *malignas; contagiosas* et *non contagiosas;* in inflammationes resolutorias, secretorias, adhaesivas, reproductivas, induratorias, destructivas etc. etc.

§. 271. Ut *mutationes in decursu* et terminationes inflammationum cum probabilitate vel certitudine *praevideri* ac praedici queant, inflammationis gradum, indolem, decursum ac durationem, stadium, morbos forsan coëxistentes, organi proprietates, individui totam constitutionem, rationem vivendi, genus opificii etc., causam excitantem aliosque influxus laterales praesertim anni tempus, tempestatem, constitutionem epidemicam tum stationariam tum annuam, et intercurrentem, natu-

rae vires medicatrices ac medendi modum, atque facultatem artis opiferae in conciliando exitu fausto rite pensitare oportet.

Quemadmodum febris inflammatoria simplex, et morborum variorum character moderate inflammatorius, ita inflammationes quoque non raro certo intuitu definitis sub rerum positionibus *salutares* observantur. Per inflammationes experientia teste causae morbificae non raro mitigantur, diluuntur, innocuae redduntur, amoventur; aliis in casibus varia inflammationis praegressae non resolutae residua, in specie accumulationes, stases humorum, partium laxitas, debilitas, inertia, functionum deviatio perfecte tolluntur; jam tumores frigidi discutiuntur, jam ulcera organorum solido-mollium et ossium (caries) inveterata, laxa et inertia, in suppurantia commutantur vulnera, abscessus, et sanantur; jam efflorescentiae chronicae, degenerationes imo cutis, emendantur, auferuntur; sphacelosae abstruduntur partes; speciatim mediante suppuratione laudabili et granulatione nunc deperdita resarcitur substantia, nunc partes separatae reuniuntur, canales, orificia etc. angustantur, praecluduntur etc. etc. Quos effectus et producta inflammationis medici experti ac prudentes in consequendos curarum suarum fines frequenter adplicare omnino non nesciunt.

Saepius vero effectus inflammationis salutares deficiunt, nec jure sperantur ulli, vel damnosis praevalentibus subjugantur, exstinguuntur.

Levior phlogosis, febris mitior conjuncta, apertior indoles hujus inflammatoria, melior virium humorumque aegrotantis conditio, malum simplicius, momentum excitans levius et facile amovendum, mitior et normae magis respondens morbi decursus, maturius tandem aptiusve artis auxilium secundae generatim favent prognosi; contrariae circumstantiae ad ancipitem ducunt vel infaustam.

Quando vero una alterave terminationum adversarum metuenda sit, in morborum posthumorum expositione

jam supra indicatum fuit, atque in casu speciali non nisi omnibus in prognosim facientibus momentis, prudenti cum circumspectione aestimatis, cum probabilitate statui potest. Et hac quoque ratione, qui ex malo secundarie orto in organum et totum organismum redundat, influxum determinare licet.

Periculum inflammationum non adeo generatim, quam in singularum potius specierum singula organa tenentium expositione indicari valet; quum ab istorum conditione, nexu cum toto organismo, et in hunc conservandum dignitate aut necessitate potissimum pendeat. Periculosae idcirco sunt v. gr. encephalitis, pneumonia, gastritis, enteritis, carditis etc. etc. — Sic et ab intestini portione incarcerata in herniis, a viscerum nobilium laesionibus magnis, a calculis urinalibus renum et vesicae, a contagio maligno etc. profectae periculo plenae.

Graviores esse consueverunt in subjectis compagis densae ac siccae quam laxae et pastosae, graviores in viris quam in foeminis et infantibus.

Inflammationes in organis jam saepius tentatis, indeque antehac vel jam debilitatis vel in organisatione ac functione a norma detrusis, nonnisi ancipitem, saltem respectu exitus localis, concedunt praedictionem.

Anceps quoque, si febris inflammatoria sub tractamine idoneo, et sat generoso antiphlogistico increscit; si post tres phlebotomias largas non multum infracta, aut in progressu saltem non cohibita, continuat. (*Stoll* rat. med. P. II. p. 213.)

§. 272. In inflammationum *tractamine* haud secus ac in febrium cura attente considerandum, num casu obvio forsan vere *salutares* illae sint, ideoque aut sibi committendae aut nonnisi palliativo modo curandae. — Pro non salutiferis debite tractandis *indicationes*, quae in aliis morbis acutis puris locum habent, generales quatuor implendae sunt, 1) causae occasionales amovendae omnesque aliae noxae arcendae, 2) inflammatio cum

symptomatibus et effectibus ejus tollenda, 3) crisis, resolutio, adjuvanda, et 4) convalescentia apte promovenda.

Sunt autem casus nonnulli, in quibus resolutionem inflammationis moliri non convenit, uti in inflammationibus vulnerum contusorum, in criticis quibusdam, in inflammationibus qualicunque relatione momentosa vere salutaribus (§. 271.); sunt alii, in quibus resolutio etiam tentata vix unquam impetratur, quemadmodum in inflammationibus ab impacto corpore peregrino, in furunculis, variolis, bubonibus primariis.

§. 273. Indicationi *primae* satisfit tractamine vario indoli videlicet ac sedi causae excitantis, nec non indoli ac gradui tum inflammationis tum adfectionis universalis omnino conveniente. Si causa excitans v. gr. irritamentum mechanicum, cito aufertur, phlogosim adhuc praevertere, vel in germine extinguere saepe conceditur. Huic scopo praesertim in inflammationibus externis aut therapiae directae patentibus remedia et causae et primis phlogoseos symptomatibus contraria i. e. *jam* diluentia, obvolventia, emollientia, relaxantia et ideo mitigantia, pacantia, uti lotiones, balnea topica, fomenta, cataplasmata tepida, emollientia; *jam* refrigerantia, deprimentia, speciatim frigus varia intensitate variorumque mediorum ope adplicatum, et locales sanguinis evacuationes inserviunt. Formata vero jam inflammatione tractamen contra causam diluens ac emolliens, relaxans, inflammationi saltem mitigandae, longiori durationi aut in morbos posthumos supra enumeratos terminationi praecavendae idoneum est; frigus vero v. gr. ope fomentorum aut cataplasmatum, plane noxium. Ast momentum causae excitans non semper directe tolli potest; si enim v. gr. festuca ossis fracti, vel aliud corpus peregrinum acuminatum parti multum inflammatae profundius impactum haeserit, utut inflammationem excitaverit atque sustineat et augeat, quod sine gravissima laesione

auferri nequit: nihil nisi confestim therapiam facere superest, phlogosi ejusque symptomatibus adaequatam. Hujusmodi in casibus autem resolutionem raro fieri posse, sed suppurationem utplurimum sequi, facile concipitur. — Inflammatio ex alio morbo v. gr. scarlatina, scrophulis, arthritide, syphilide etc. qua *symptoma* originem trahens, curam exigit cum illa, quae in morbos principales requiritur congrue copulandam, quemadmodum infra accuratius definietur. — Sunt insuper cuncta, quae partibus inflammatis obessent, irritamenta tum idiopathica tum sympathica, omnis igitur earum pressio, frictio, motus, intensio, irritatio, laesio per acria omnis generis etc. non minus ac animi motus et pathemata, sordes primarum viarum, stimuli, organa sensuum, pulmones, systema circulatorium, gastricum, sexuale etc. concitantes, sollicite evitanda, semovenda.

§. 274. Ut indicatio *secunda* rite impleatur, inflammatio, quatenus forma morbi locali repraesentatur, simultaneus organismi status universalis, et mutuus utriusque nexus ac influxus studiose debent erui et prudenter pensitari. Inflammationis per se spectatae essentia (§. 272.) medelam indicat, debilitantem, diluentem, emollientem, relaxantem, refrigerantem, humorum congestiones tollentem, i. e. antiphlogisticam. Ut vero tractaminis hujus intensitas et extensio, remediorum adhibendorum genus, et quae totius simul organismi statui convenit curatio determinentur ad scopum, absolute considerandum est: 1) an inflammatio sit *substantiva*, morbus per se existens, vel *symptomatica*, ab altero morbo pendens? 2) an sine vel cum febri et in hoc casu an febris, *uti solet*, indolis sit plus minusve inflammatoriae, vel casu peculiari et *per exceptionem* putridae aut nervosae? et 3) an inflammatio (qua morbus vel symptoma, febrilis vel non febrilis) pura vel complicata adsit, i. e. cum alia morborum specie coëxistens, et quemnam mutuum ambae exerant influxum?

§. 275. 1) *Phlogosis qua morbus substantivus* vel *sine* vel *cum febri* occurrit.

a) Sine febri praesens exposcit, ut irritatio localis cum humorum congestione tollatur, nervorum mitigetur sensibilitas, humorum coagulabilitas imminuatur, nisus in formationes morbosas infringatur, facilitetur absorptio, id est, ut vita in organo nimis concitata refraenetur, ad normam reducenda, utque effectus ejus auferantur. Hunc in finem conveniunt: *topice* ratio medendi refrigerans ac debilitans aut sola, aut emollienti, relaxanti nupta, organo inflammato vel quam proxime adplicata; *universim* tractamen concordans (jam negative saltem, jam positive) antiphlogisticum, nisi magna virium debilitas, sine aut cum nisu in colliquationem aliud postulent, excitans, aut simul antisepticum. — Inflammatio febri carens mitior esse, generosiorem proinde therapiam tam localem quam universalem excludere consuevit. Hinc apta organi positio, quies continua, ab irritamento quovis custodia, pro re nata, speciatim pro phlogoseos causa, sede, stadio ac duratione jam frigus adcommodatum humidum, jam vero calor humidus emolliens, relaxans, atque diaeta antiphlogistica, corporis animique quies plerumque sufficiunt. Sanguinis depletionem ope hirudinum etc. raro et nonnisi illa exposcit, quae dicto sub tractamine mitiore increscit, universum organismum in compassionem ductura; quae chronica evadere videtur, aut jam facta congruam curationem leviorem elusit; et quae tantum partis tumorem habet comitem, ut hic momentosis obsit functionibus, deque resolutione benigna nisi topica fiat sanguinis evacuatio, dubitari jubeat.

b) Inflammatio *febri stipata* curam petit localem nunc expositam, universalemque antiphlogisticam. Character tamen nervosus aut rarior putridus aut uterque, vix unquam initium, aliquando ulteriorem febris decursum concomitantes intensitatem et continuationem topicae

limitant, universalem excludunt, erigentem potius nervinam, aut antisepticam indicando.

Inflammatio *febri modicae* juncta hirudinum adplicandarum vel cucurbitarum scarificatarum necessitatem, utut frequentius ac non febrilis, haud semper secumfert; tractamen insuper locale antea memoratum parti quam proxime adplicandum, cum diaeta et regimine antiphlogisticis, et, si haec majorem ob febrem non suffecerint, cum cura interna poscit, qualis contra inflammatoriam simplicem gradus levioris (§. 102 etc.) fuit exposita. Quare potus frigiduli ac refrigerantes, aciduli, pro siti affatim bibendi, vel tepidi, purum mucilaginosi; sales antiphlogistice solventes aut simul eccoprotici, enemata emollientia, alvum saltem aperientia, imo pediluvia quandoque tepida, manuluvia etc. in usum vocentur.

Inflammatio *febri validae* (synochae) juncta prae omnibus venaesectionem exigit, in organi inflammati viciniis et juxta regulas instituendam, circa remedium antiphlogisticorum promtissimum ac potentissimum in therapia febris inflammatoriae (§. 105.) traditas. Diathesi phlogistica universali per eam, si opus, iteratam sublata, aut ad finem vergente, phlogosi vero haud aequali modo extincta, nec ad resolutionem perducta, caput adhucdum extollente, penes methodum antiphlogisticam universalem mitiorem locales adhuc sanguinis depletiones per hirudines, scarificatas cucurbitas, imo casu rariore quemadmodum in glossitide etc., per incisiones indicantur. Symptomatibus plogoseos topicis quoque per has plurimum compositis fomenta, cataplasmata, horum defectu unguenta emollientia, relaxantia conveniunt, ad phlogosis finem usque continuanda.

§. 276. Fracta per medelam antiphlogisticam inflammatione dolor, sive organi nervis ditioris v. gr. intestinorum, ventriculi etc. (phlogosi *perperam nervosa* dicta) sive constitutionis individui tenerae admodum sensibilis culpa, perseverans intensus, tum interna sedantia

speciatim opium caeteroquin non sine damno nimis laudatum, extractum hyoscyami nitro, calomeli etc., nuptum exposcit, tum externa emollientia cataplasmata, unguenta, olea pinguia pacantibus: hyoscyamo, capitibus papaveris, croco, aliis conjuncta.

§. 277. Phlogosibus organorum glandulosorum, membranarumve acutis et chronicis (*incongrue lymphaticis* vocatis) per se levibus, vel per methodum antiphlogisticam prius fractis, cum diathesi universali inflammatoria pariter exigua; sic et phlogosibus minoribus tam syphiliticis quam cum syphilide complicatis praeparata hydrargyri mitiora, toties noxie usurpata, imprimis calomel, aptum frequenter inveniunt locum. Nitri tamen vel calomelis cum digitali purpurea connubium et his sub circumstantiis soli mercurio praeferendum. (Confr. §. 104.)

§. 278. *Inflammationes cum debilitate universali et eminente febris charactere nervoso* seu primario, seu serius evoluto, effectivo frequentiore, curationem indicant localem moderate antiphlogisticam, cum antagonistice irritante, nec non systema nervosum erigente, quae tamen circulatorium quam minime intendat. Balnea simplicia tepida hic summam merentur commendationem. Verum et irritantia antagonistica, vesicantia scilicet, sinapismi praemissis hirudinibus aut scarificatis cucurbitulis, ad cutis plagas cum organis inflammatis sympathiam foventibus adpositi, linimentum volatile fortius, tinctura cantharidum, acetum radicale illinita, inflammationi jam plurimum imminutae cito ad resolutionem ducendae saepe paria inveniuntur. Quatenus systema nervorum simul concitant vesicantia et sinapismi, debilitate solum exigua obtinente, stimulos internos supplere ante phlogoseos resolutionem queunt; urgente autem debilitate iterari, et aura camphorae, aut moscho cum nitro, sale ammoniaco, vel calomele, camphora et sale ammoniaco in emulso, imo camphora moscho nupta, infusis valeria-

nae, melissae, flor. chamomillae etc., clysteribus aromaticis cum camphora vel asa foetida congrue subacta etc. adjuvari debent.

§. 279. *Inflammationes cum debilitate universali et charactere febris putrido vel imminente, vel praesente*, sive primario sive secundario, diu subsistere tales nequeunt; nam nisi forti sustineantur concitatione universali, in congestionem simplicem reducuntur, vel in suppurationem, ulcerationem, gangraenam abeunt. Quare ex statu universali princeps emergit indicatio, methodo ac remediis utendi, ad febrem putridam curandam idoneis, superius §. 124 expositis. Altera inflammationi medelam fieri antiphlogisticam jubet, lenissimam tamen vel saltem brevissimo tempore absolvendam. Ubi itaque magna sanguinis accumulatio notabilisque inde functionum partis inflammatae laesio metum de gangraena vitaeque aegri periculo incutit, depletio sanguinis topica evitari quidem haud poterit, cura tamen localis postea cum negative antiphlogistica et successive cum incitante ac roborante commutari debebit. Hunc in finem caloris humidi loco fomenta convenient cum aqua mera egelida, aqua aceto remixta, infusis chamomillae, rutae, salviae etc. cum aceto, decoctis corticum salicis, quercus, hippocastani etc.; inunctiones unguenti cujusdam aut linimenti volatilis camphora muniti, emplastrum diachyli compositum, mercuriale etc. cum camphora.

Nota. Gastritis, enteritis, ex apparatu antiphlogistico et sales solventes, eccoproticos, et acida ipsa vegetabilia, per irritationem immediatam nociva, excludunt. Excipiendi casus nonnisi paucissimi, iique singulares, quibus contenta intestinorum evacuandi necessitas urget. — Prohibent et faucium, pharyngis, aesophagi phlogoses illa irritamenta, aut nonnisi dilutissimas eorum solutiones ferunt. — Erysipelata humidis, mere relaxantibus remediis topicis exacerbari consueverunt, citoque in suppurationem vel in gangraenam perduci. — Sic et inflammationes largis stipatae secretionibus calorem humidum repudiant.

§. 280. *Symptomatibus singulis inflammationis*, si quae vehementia aut imo periculosa, quemadmodum doloni nimio, intumescentiae, suspensae organi functioni, juxta generalia therapiae principia fortius occurrendum. Quare methodus antiphlogistica certissime et hisce medetur *doloribus*, opium vero aliaque narcotica nonnisi fracta per illam phlogosi tuto adhiberi qua sedantia possunt. — *Tumor*, quo functio partis e. gr. linguae, faucium, laryngis, colli vesicae, urethrae, cum imminente vitae periculo turbatur, suspenditur, largiores exigit sanguinis depletiones ope hirudinum, imo urgente periculo ope incisionum in ipsas partes inflammatas directarum. — Quam *symptomata febris* valde molesta aut periculosa exposcant curam, in generalibus de febre §. 85. explicatum est.

§. 281. 2) *Phlogosis qua morbi alterius symptoma* variam petit curam, prout vel *a)* levissima adest, vel *b)* gravior cum graviore pariter morbo principali, vel *c)* gravissima, hoc longe superior, aut cum eo remotissime solum nexa. In casu *primo (a)* cura in morbum principem unice aut praecipue dirigitur, omnesque in partem inflammatam influxus nocivi sedulo arcentur; in casu *altero (b)* cura, quae phlogosi, cum ea, quae malo principali convenit, copulanda; in *tertio* demum *(c)* in phlogosim praecipue aut unice vertenda est. Duplex igitur in phlogosibus symptomaticis medelae genus frequenter combinandum; intensitas utriusque, ac mutua ratio per intensitatem majorem, gravitatem, cursum rapidiorem aut morbi aut symptomatis maxime definiuntur. Exemplo sint ophthalmitides syphiliticae, arthriticae, scrophulosae etc. jam levissimi, jam medii, jam summi gradus, et decursus jam acuti imo acutissimi, jam lenti, curam antiphlogisticam antisyphiliticae, antiarthriticae, antiscrophulosae etc. junctam nunc negativam modo, nunc positivam, nunc (pro tempore saltem) fere solam desiderantes.

§. 283. 3) *Complicationes* v. gr. gastricae, pro re nata prius vel simul cum phlogosi vel hac demum fracta, per methodum ac remedia auferantur, quibus phlogoseos therapia pro possibili adjuvetur, saltem nil turbetur.

§. 284. *Indicatio generalis tertia* in inflammationibus tractandis, crisim, resolutionem spectans, jam continuando curam illis hucdum feliciter oppositam impletur, jam specialius resorptionem adjuvando, et consuetas expediendo evacuationes criticas. — Si phlogosis et diathesis phlogistica universalis per medendi rationem hucdum institutam manifeste decreverint, viriumque status universalis ad normalem recedere observetur: non est, cur fausta eadem curandi methodus non continuetur, cum decrescente tamen morbo aequabiliter erit coërcenda. Ubi vires morbo, therapia accidentibus noxiis labefactari incipiunt, debilitasque universalis aut imminet, aut sublatae primariae diatheseos inflammatoriae jam occupat locum; antiphlogistica universali illico derelicta ad therapiam erigentem caute transeundum, antiphlogistica locali adaequata fortassis in phlogosin decrescentem adhuc continuanda.

Resorptio adjuvetur, ubi partis inflammatae tumor ratione reliquorum phlogoseos phaenomenorum decremento haud aequali, nimisque lente minuitur. Quare fomenta, cataplasmata emollientia relaxantia, resorptu facilia cum remediis siccis, vasa resorbentia praeprimis stimulantibus commutentur, qualia sunt: fotus siccus calidus, frictiones lenes manu nuda, vel panno lineo aut laneo armata faciendae, ipse motus partis levior; fomenta aromatica tum sicca tum humida, ung. mercur., liniment. volatile solum aut cum priore, emplastra mercur., gummiresinosa, addita, si opus, camphora etc., et, quod maximi censendum, se- et excretiones criticae universales et locales invitentur, sustineantur, promoveantur.

Sunt autem crises excretoriae inflammationum variae tam universales, febribus communes, tam locales, uti

per sputa, sudores, urinas in tracheitide, pneumonia; per materiem puriformem in urethritide, inflammatione vaginae, conjunctivae palpebrarum et bulbi et s. p. Ad quas provocandas, alendas, et rebus poscentibus intendendas therapia et regimine opus est, ad febres generatim tractandas, speciatim ad evacuationes earum criticas rite dirigendas §§. 86. 87. fusius expositis. Praecepta specialia in inflammationum singularum tractamine subjungentur.

§. 285. *Indicatio quarta* generalis, convalescentiae curam concernens, ut rite expleatur, organi prius inflammati haud secus ac organismi totius respectus habendus, quum praegressa inflammatione non febrili cura localis ei sufficiat, febri vero sociata cum illa universalis conjungi debeat, pro vario febris charactere omnino modificata.

Morbosa partis *sensilitas*, vel *intumescentia laxa*, ab inflammatione afebrili quandoque restat.

Prior quiete, intensionis, irritamentorum idiopathicorum et sympathicorum praesertim circulum concitantium fuga, fotu sicco aequabili, usu dein modico partis caute intendendo, tempore, utplurimum sine tonicis localibus, abigitur. *Intumescentia* medelam resorptioni faventem, supra indicatam, diutius perstans fomenta, lotiones, inunctiones aromaticas, spirituosas, adstringentes, imo prout partis situs concedit, deligationem artificialem, praegrandis et functionibus graviter obstans depletionem sanguinis topicam exposcit, caeteris praemittendam.

Si inflammatio febri juncta fuerit, febris insuper effectus relicti considerentur, ut juxta principia in convalescentiae febrium therapia generatim exposita auferantur.

Utroque in casu sedulo cavendum ab omnibus, quae phlogosi et diathesi phlogisticae universali revocandae, recidivae inferendae idonea noscuntur.

§. 286. *Inflammationes chronicae*, ab intumescentia simplici cum sensilitatis augmento per praegressa inflammationis acutae signa, defectum criseos seu resolutionis, absentiam doloris, ruboris, aestus probe distinguendae, ad easdem, quae pro acutis statuebantur, *indicationes* tractari debent. *Prima* earum, causalis, majoris est momenti, quum inflammationes chronicae saepe imperfectas acutarum, in decremento ipsave crisi per multifarias noxas turbatarum, exasperatarum recidivas, saepius adhuc aliorum morborum symptomata sistant. Congrua igitur hic morborum principalium v. gr. rheumatismi, catarrhi, arthritidis, scrophularum, syphilidis etc., ibi potentiarum nocentium cura omnem indicationis primae paginam absolvit. — Indicationi *alteri*, quae inflammationis magnitudinem, stadium, modificationem, symptomata eminentia nec non constitutionem aegrorum individualem respici jubet, methodus antiphlogistica generatim quidem convenit, angustioribus vero utplurimum coërcenda limitibus, quia generosam aut diutius continuatam nec indoles et minor inflammationis gradus exigunt, nec partis diu aegrotantis imo totius quandoque organismi vires facile ferunt. — *Tertiae* indicationi eodem, quo in acutarum therapia, modo satisfaciendum; — sic et *quartae*, utriusque tamen magno sub necessitatis imperio parcendi viribus, adjuvandi crises plerumque nonnisi successivas, et restantes forsan sensilitatem morbosam et tumorem laxum modo mox ante commendato tollendi, discutiendi.

§. 287. Pro *morborum* ex inflammatione, seu acuta seu chronica, *posthumorum therapia* notare convenit, *inflammationis nondum extinctae* aliquid saepe adhuc subversari, idque sua pro dignitate in rationali illorum tractamine semper attendendum esse, caeterum per malum causale aut effectivum, si magis urget, aut utrumque simul definiendo ac dirigendo.

§. 288. *Induratio*, si massam ex partium solidarum

et fluidarum coalitione aequabili natam, reactione vitali carentem sistit, insanabilis omnem respuit medelam; quid? quod protracta in vicinis irritatio chemicam illius immutationem, decompositionem, liquationem contiguorum saniosam, nec non speciali favente dispositione scirrhum, et carcinoma inferre valeat. Alias pro parte, vel et ex toto, communiter tamen lente, sanari se sinit. In externis immediata facilior efficaciorque ac in internis cura esse solet. Haec eo tendit, ut quae stagnant spissa, lenta, coagulata emolliantur, attenuentur, solvantur, resorbeantur, et humorum circulus pristinaque organi functio restituatur omnis, vel vero inducatur suppuratio. Cedunt in hunc scopum emollientia, diluentia, solventia, postea modicum irritantia, *diu adhibenda;* qualia sunt, externa: praemittendis nonnunquam hirudinibus, cataplasmata emollientia, fomenta et balnea simplicia et saponata tepida, unguenta simplicia pauco mercuriali acuenda, linimentum volatile, frictiones lenes frequentes, diuque protractae, vapores ex aqua fervida, infusis aromaticis, aceto, balnea sulphurea aliave medicata, embrocatio, electricitas, galvanismus, morbi arte facti revulsorii speciatim cum pustulis, suppuratione in organis vicinis aut sympathia maxime junctis, per unguentum cum tartaro emetico, solutionem fortiorem illius, vel sublimati, lapidis caustici, tincturam cantharidum, mezereum, empl. euphorb., fonticulum etc.; interna: potus aquae largus, decocta solventia, serum lactis, aquae soteriae, sapo medicinalis, sal ammoniacus largis dosibus juxta *Fischer*, antimonialia, mercurialia, digitalis, conium maculatum, pharmaca *alterantia* dicta. Quorum usu cum externorum administratione non internae solum indurationes, sed externae etiam graviores saepissime indigent. — Indurationes nonnullae urethrae puta, vaginae, intestini recti etc. cum canalium istorum angustationibus opem potissimum chirurgicam petunt.

§. 289. Hanc et *concretiones* exposcunt, quibus manum admovere tuto concessum est; reliquae sanari nequeunt.

§. 290. *Hydrops acutus* penes sedulum febris et inflammationis, quousque vigent, hydropemque augent, saltem sustinent, tractamen adaequatum, curandi rationem exigit, omnes excretiones et eas vel maxime sollicitantem, promoventem, quae pro inflammationis indole ac sede criticae vel accedere debuissent, vel reapse quidem comparuerant ast imperfectae et insufficientes. Quare pro vario casu jam therapia adhuc antiphlogistica generosior aut levior sola, jam cum diaphoretica ac revellente externa, jam cum diuretica, eccoprotica etc. prudenter combinata promtissime adhibenda erit. Attamen hydropes tales, nonnulli e. gr. ventriculorum cerebri, pericardii, haud raro acutissimi, cito lethales esse solent. In hydrothorace acuto subito et magno paracenthesis juste instituta quandoque salutem adferre, aut vitam saltem procrastinare poterit. (Confer. therapia hydropum T. II.)

§. 291. Quo modo *sensilitati ac irritabilitati* nimiae organorum inflammatorum *subsequae* medendum sit, ex supra §. 285. dictis facile intelligitur.

§. 292. Therapia *sensilitatis ac irritabilitatis imminutae*, sic et *paralyseos localis* differt, prout cum vitiis materialibus, tumore nimirum laxo, humorum extravasato, induratione nexum habent causalem, vel meram sistunt nevrosim; ibi jam antea §§. 285. etc. exposita, hic speciatim incitans ac irritans locum invenit. Inserviunt ei fomenta, lotiones, balnea, inunctiones aromaticae, aromatico-spirituosae, frictiones lenes, electricitas, galvanismus, sinapismi, vesicantia, lotiones ac fotus acres, mezereum, fonticulus.

§. 293. *Suppuratio* impossibili jam phlogosis resolutione *inevitabilis*, aut caeteroquin *necessaria* invitari debet, facta congrue dirigi. Ad invitandam, producen-

dam suppurationem nec methodus nec remedia specifica habentur, sed in casu quovis gradum vigentis adhuc inflammationis, praesentiam vel defectum febris, nec non organi conditionem attendere oportet. Praesentibus adhuc symptomatibus inflammationis absque febre ratio medendi antiphlogistica localis, speciatim emolliens per nota cataplasmata, fomenta, unguenta emollientia, et, ubi dolor gravis vexat, pacantibus herba hyoscyami, conii maculati, capsulis papaveris, croco additis, penes diaetam et regimen congruum, sufficit. Febris vero concomitans levior, subinflammatoria, fere sibi permittenda, nonnisi emollientibus internis simul, diluentibus, speciatim infusis, decoctis mucilaginosis tepidis, — manifeste inflammatoria antiphlogisticis fortioribus tum pharmacis tum regimine, febris in nervosum vel putridum inclinans characterem, vel alterutro induta incitantibus, antisepticis ad normas supra §. 278. 279. statutas tractanda. — Phlogosi viscus quoddam tenente ob febrim communiter continuantem medela interna ad relationes mox memoratas disponenda externae apte jungatur, atque in hac, visceri quam proxime administranda, egregia etiam balneorum, tam topicorum quam universalium, tepidorum simplicium virtus non praetervideatur.

Suppuratio facta nunc sedulo *promovenda* purisque evacuatio tardanda, nunc vero illa *cohibenda* pusque cito eliminandum. Indicatio *prior* in externis plerisque, organorum praeprimis glandulosorum, inflammationibus; in metastaticis partium haud nobilium; in casibus suppurationis justo segnioris, ideo in chronicam protrahendae, vel et indurationis jam praegressae aut nunc imminentis, obtinet. *Alteri* vero indicationi obtemperandum, si abscessus in organis haeret nobilibus, longiorem per puris retentionem facile laedendis; si sinus formare, pus interiora petere, viamque ad organa nobilia legere minatur; quoties suppuratio excedens humorum dispendio organismum exhaurit, et quoties in ulcerationem nititur.

— Suppurationi promovendae augendoque puri conveniunt, vigente adhuc statu irritativo, remedia externa et interna emollientia, relaxantia, diluentia, potus ejusdem generis affatim sumpti, — praesente vero organi suppurantis inertia, laxitate, debilitati universali et sanguificationis ac nutritionis defectui utplurimum sociata, methodus incitans, localis per fomenta etc. aromatica, saponata, sinapi remixta, pastas mellitas, cepas assatas, et universalis cum nutriente, roborante requiritur. — Coërcere, citius ad finem deducere suppurationem valent: topicorum fortiter irritantium haud minus ac relaxantium fuga, partis ipsius quies; minor humorum ad eam influxus, aut imminuta totius eorum massae copia; irritatio imo suppuratio antagonistica, artefacta; aliquando autem incitatio, restauratio indicantur.

§. 294. *Abscessus maturus*, exposito sub tractamine diu continuato non sponte ruptus, arte aperiendus est, ubi ex longiore puris reclusione nil boni speratur, et damna potius imminent. Modum oncotomiae cultri vel caustici ope, indicationesque pro alterutro adhibendo Chirurgia docet. — Et abscessum nedum maturum aperiri oportet, si pus organis dignioribus vicinis mole aut qualitate sua nocet; si sedes ejus non evacuationi exteriora versus, sed effusioni in cavum quoddam aut in regionem auxilio non patentem, omnino favet; si denique puris in ichorem commutatio instat. — Oncotomia e contrario quousque possibile differtur, si suppurationem, quemadmodum in casibus antea recensitis, juvare interest.

§. 295. Ut *ulceratio*, *ulcus* phlogosim insequens rite curetur, momenta causalia abigere, enervare oportet, compositiones ac complicationes auferre, sanationis obstacula semovere, reactionemque naturae topicam et universalem ita dirigere, ut ulcus depuretur inque simplicem mutetur abscessum i. e. ut sanationis opus in abscessu obtinens introducatur. Hinc adtentionem in circum-

stantias ulcerationi inferendae et nunc alendae pares. §. 257. enumeratas, si agere pergunt, in scrophulas, arthritidem, syphilidem etc. si qua morbi principales aut complicationes adsunt, propriumque ulceri impertiuntur characterem, in margines callosos, carnem luxuriantem etc. convertere fas est, atque assimilationi ac nutritioni laudabili prospicere. In ulcus ipsum porro pro re nata jam incitando, irritando jam pacando agere, humorum in illud adfluxum jam augere jam minuere, fundum ulceris a sanie depurare, hanc ipsam demulcere, atque (spongia, linteo carpto) saepius excipere oportet. Quomodo his indicationibus satisfaciendum sit, Chirurgia explanat.

§. 296. *Ad gangraenam curandam* causae sunt tollendae, et conditio organi adfecti haud secus ac totius organismi rite tractanda, ut sphacelus praevertatur. Quare mox corpus peregrinum, mox aër depravatus, mox saburrae gastricae, mox arteriae aut nervi organo prospicientis compressio, dolor excedens, aut altior adhuc inflammationis gradus sine vel cum febri perstans, vel vero extrema partis debilitas ad paresim accedens, materiae mutatio decompositionem minitans etc. objecta therapiae offerunt, eorundem indoli ac morbo toti adcommodandae. Speciatim phlogosi validiori casu rariore adhuc vigenti cura localis antiphlogistica moderatior, saepe ad emollientem restricta, universalis aut eadem, aut ob inchoantem vel evolutam plerumque jam febris indolem adynamicam incitans levior, nervina vel antiseptica opponenda est, qualis febri nervosae vel putridae convenit. Cum vero gangraenam longe frequentius debilitas topica et universalis cum febris charactere nervoso vel putrido comitetur, facile intelligitur, cur camphora, angelica, calamus aromaticus, moschus, cortex Peruvianus, vinum, acida mineralia, tam interne quam fomentorum ac balneorum calidorum forma externe adhibita, maximis contra gangraenam encomiis extollantur. Ab horum tamen vel analogorum immediata ad organon gangraena

detentum adplicatione exulent, quaecunque *viribus chemicis organisationem offendendo* labefactatam exstinguerent potius quam erigerent vitam.

§. 297. *Sphacelus*, qua mors localis omnem ipse medelam respuens, separationem tamen demortui a vivente, hujusque sanationem exigit. Separatio vel per naturam fit vel per artem tentanda est medico-chirurgicam, in visceribus autem ob sphacelum consuetim cito lethiferum vix unquam impetranda. Natura medicatrix ut mortuum separet a vivo, inflammatione et suppuratione utitur in sphaceli confiniis; naturam ars imitetur ac dirigat, est necesse. Hinc in eo potissimum versetur ista, ut causam sphaceli sive valida nimis inflammatio, sive topica vel et universalis debilitas, atonia, sive adfectio alia culpam gerat, omnesque noxas progressibus ejus faventes, quarum non minima ipsa sanies, therapiae modo singulis conveniente, omnino vario, auferat, inflammationem ac suppurationem scopo sanationis, congruam deficientem sollicitet, aequo languidiorem concitet, restringat exsuperantem modis atque remediis, juxta principia jam iteratim exposita ubivis facile definiendis. Quibus tempestive ac prudenter administratis frequentiores olim exscissiones, amputationes etc. feliciter evitare plerumque conceditur. Ad saniem, ne resorbeatur aut et vicinas ne inficiat partes, absumendam et chemice emendandam valent: spongia, inciso nonnunquam prius firmo sphaceli tegmine, saepius adhibita, dein remedia absorbentia et antiseptica, uti flores chamomillae, ruta, scordium, calamus aromaticus, cortex salicis, hyppocastani, Peruvianus, camphora, myrrha, carbo praeparatus, vinum, spiritus vini, acetum, acida mineralia plurimum diluta, acidum carbonicum, liquida fermentantia forma pulverum, fomentorum jam calidorum jam frigidorum, unguentorum adplicata, nec non ferrum candens. Sphacelo humido forma illorum sicca magis congrua, sicco humida.

§. 298. Ablata parte sphacelosa restans nunc vel ulcus vel abscessus purus ad regulas §. 294. 295. communicatas curentur, in specie vires vitales in parte et in toto organismo, atque sanguificatio cum nutritione ita dirigantur, ut cum deperditorum, quoad fieri potest, reproductione sanitas restituatur.

Sectio. II. Ordinatio inflammationum.

§. 299. Quae de febrium divisione §. 90 et 92 dicta sunt, de inflammationibus ordinandis aeque valent. Harum enim differentiae, supra §. 270. memoratae, haud meris acquiescunt momentis, quibus systematica formarum inflammationis obviarum omnium classificatio superstrui posset, origini puta, rationi ad causas excitantes, magnitudini, decurrendi modo, durationi, effectibus topicis ac universalibus. Diversa tum organorum inflammatione prehensorum tum systematum, ad quae organa haec praecipue spectant, *organisatio* et *functio*, dein diversa *causarum occasionalium indoles* firmas solum divisionis bases suppeditant, quarum prior *generibus*, *speciebus* et pro parte varietatibus, altera solis *varietatibus* statuendis idonea.

§. 300. Inde diu jam nota inflammationum in *legitimas* seu *veras*, et *illegitimas* seu *spurias* vocatas, distinctio. Priorum nomine veniunt, quae substantiam organi cujusdam e viscerum imprimis, glandularum, vasorumque majorum serie tenent, quaeque ex communibus phlogosium causis ortum duxere; posteriorum titulo notantur, quarum sedes in membranis vasisque minoribus est, et origo ex causis specialibus repetenda. Hinc illae *phlegmasiae parenchymatosae Sauvages.*, *phlegmonodes* s. *cellulares Swediaur.*, istae vero *membranosae Sauv.* audiunt. His erysipelatosae, catarrhales et rheumaticae, a nonnullis exanthematicae etiam, et miasma-

ticae adnumerantur. *Spuriarum* nomen non convenire, sponte intelligitur.

§. 301. Juxta haec momenta inflammationes in *duos* distribui possent *ordines*, nisi constaret, inflammationes re ipsa non obvenire tam stricte distinctas, sed, quae organorum substantiam occupant, membranosarum quoque partium constituentium inflammationem modo inevitabili, involucrorum et propaginum membranosarum frequenter sibi junctam habere, et vice versa, membranarum phlogoses haud raro organis vicinis aut contentis communicari.

§. 302. Si phlogoses ordinis *secundi* in *catarrhales*, *rheumaticas*, *erysipelatosas*, *exanthematicas* et *miasmaticas* adeoque in *genera quinque* dispescuntur, therapeuta divisionem hanc perquam momentosam agnoscit et attentione dignissimam, nosologus tamen claudicantem declarabit, utpote non ab uno petitam principio, quum non sedes modo in diversis membranarum systematis speciebus, sed insuper causae producentes diversae indolis illi subsint.

§. 303. Nec inflammationes a morbo universali singularis naturae pendentes, *specificae* nuncupatae, quemadmodum scrophulosa, arthritica, syphilitica, herpetica, cancrosa etc. proprium constituere valent genus, cum formae morborum sint mere symptomaticae.

§. 304. Animadversionibus hisce difficultates, quae systematicam inflammationum divisionem omnino premunt, abunde illustrantur, simulque declaretur velim distributionem earum antea memoratam in *duos ordines* et ordinis alterius in *quinque genera*, utut intuitu primo arrideat, nec firma adeo basi gaudere, nec fixis adeo circumscribi cancellis, ut in securam therapiae faciendae normam cedat. — Idem de mea phlogosium divisione valet judicium, quae cum illa convenit, exceptis tamen generibus exanthematicarum, miasmaticarum contagiosarum, sicut toxicarum s. venenatarum juxta Fr. ab Hil-

denbrand, quas partim in morborum cutaneorum classem relegandas, partim cum inflammationibus organorum, in quibus obvenire possunt, apte pertractandas esse censui.

Restat igitur solum, phlegmonosarum, rheumaticarum, catarrhalium et erysipelatosarum inflammationum explanare conceptum et proprietates, ut rite cognosci et invicem dignosci facile queant.

§. 305. *Phlegmonosa* autem dicitur inflammatio, quae organi aut visceris cujusdam substantiam, saltem hanc prae superficie tenet, per causarum inflammationis communium aliquam generata, inflammationis symptomata eminente offert gradu, nec non febri inflammatoria stipatur.

§. 306. Inflammationes phlegmonosae igitur insigniri consueverunt dolore *continuo* et *fixo*, punctorio, pressivo vel constringente, tumore multum calente, duro, elevato, plus minusve exacte circumscripto, symptomatibusque manifestis febri inflammatoriae essentialibus (§. 95); magna cum functionis omnigenae organi turba acute et absque remissione conspicua decurrunt; brevi, et aequo utplurimum cum febri tempore durant; die septima, nona, decima quarta cito judicantur, in suppurationem vel indurationem abire amant.

Sunt his accensendae pro numero potiore: inflammationes cerebri, medullae spinalis, parotidum, linguae, pulmonum, cordis, diaphragmatis, ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, pancreatis, renum, vesicae urinariae, uteri, ovariorum, testiculorum.

§. 307. Inflammationes *rheumaticae* (a ῥευμα, fluxio, ῥέω, fluo,) non (sensu latiore) quaevis in membranis seriferis obviae, sed earum illae solum appellandae sunt, quae a turbata per frigus et temperaturae vicissitudinem functione cutis omni, speciatim transpiratione intercepta, suppressa suam ducunt originem. (Confer. §. 472 etc.)

Quae ex his membranas infestant, a *Bichat* et aliis

Anatomis fibrosas nuncupatas, *arthriticae* non absque arbitrio nominantur.

§. 308. Jam cum morbo rheumatico febrili aut afébrili intrant, jam in ejus decursu evolvuntur, febris non expertes nisi admodum leves et extensionis exiguae. Dolore notantur lancinante, scindente, lacerante fixo et valde acuto, luculenter tamen per vices remittente, tumore parum elato, expanso, marginibus non distincte circumscripto; febrim solent sociam habere intensitate correspondentem, acutam, indolis activae plus minusve inflammatoriae, manifestas in decursu remissiones et exacerbationes exhibentem, sic et sensilitatem universim exaltatam; per membranas adfectas latius proserpunt, vel vero ad aliarum seriferarum et fibrosarum plagas imo et remotiores transiliunt; non raro ultra febris crisin perstant; et tum cruditatis tum criseos sub statu in humorum serosorum, seroso-lymphaticorum, serosocruentorum secretiones et effusiones in textum cellulosum, vel varia in corporis cava magnopere nituntur. Quoad cursus celeritatem et intensitatem febris, inflammationes phlegmonosas inter et catarrhales fere medium tenent; sub sudoribus iteratis et largo urinarum fluxu cum hypostasi rosea, furfuracea vel lateritia communiter resolvuntur, remanente tamen partium laborantium, imo cutis totius, erga vicissitudines temperaturae et aërem perflantem sensibilitate maxima, unde facillime revertuntur, in chronicas protrahuntur, quibus incrassationes, indurationes cum ulterioribus earum effectibus ac sequelis procreantur. In modum omnium membranis inhaerentium *rheumaticae* quoque inflammationes *intensae* formam ac proprietates *phlegmones* nanciscuntur.

In meningibus praesertim occurrunt, in organi auditus partibus internis, pleura, pericardio, peritoneo, tunica vaginali testiculorum, in musculorum psoas caeterorumque velamentis, in articulorum membranis et ligamentis.

§. 309. *Catarrhalis* (a κατα et ῥέω) sensu latiore quaelibet membranae cujusdam muciparae inflammatio, angustiore illa tantum vocatur, quae aëris ac temperaturae vicissitudini suam debet originem. (Confer. §. 550. etc.)

§. 310. Inflammationes ex hocce fonte profectae, stricte catarrhales, characteres agnoscunt proprios, et a phlegmonosis distinctivos sequentes: dolorem aut titillantem, ardentem aut obtusum, pressivum fixum atque continuum, saepe tamen sine typo remittentem, facilius-que ac in phlegmone migrantem; rubedinem minus profundam ac saturatam; tumorem non elevatum adeo quam diffusum, nec exacte limitatum; per secretionem morbosam muci initio largi, tenuis, fluidi et acris, postea crassioris, minus acris imo mitis, albo-flavidi, non raro sanguine remixti, et vehemente solum gradu suspensam. Consuetim vesperi aut noctu intrant, saepe epidemicae, saepe exanthematum praecursores, aut comites, aut pedissequae, cum membranarum muciparum omnium et integumentorum communium adfectione, utut gradum et indolem phlogoseos non ostendente, cum febre inflammatoria variae intensitatis, luculenter remittente, et cum exsuperante delassatione animique languore incedunt; per largiores membranarum muciparum plagas expandi, in alias non raro sat remotas migrare amant; et saepe crisi febris peracta adhuc continuant afebriles, decrescentes, sensim imminuta simul muci puriformis secretione, sicut leves et parvae initio pariter absque febri cernuntur. Non tam acute ac phlegmone decurrere, diutius durare, penes memoratam secretionem puriformem sudoribus et urinis hypostasim roseam, furfuraceam largam, mobilem offerentibus eminenter judicari solent, caeterum in mala posthuma aphtas, ulcera, incrassationes ac indurationes, polypos, minus quam in recidivas et durationem longam, nec non in febrem nervosam, propensae. A contagio quandoque non immunes. Altiorem assecutae gradum *phlegmonosae* fiunt.

Subjectae sunt huic inflammationum generi: membranae muciparae oculorum, aurium, organorum olfactus, respirationis, deglutitionis, ventriculi, tubi intestinalis, vesicae, uteri, rarius urethrae atque vaginae.

A. Wawruch etc., Versuch d. Natur der ostind. Cholera pathologisch zu enträthseln. Med. Jahrbuch B. XI. St. 4. S. 544 etc.

§. 311. *Erysipelas*, inflammatio erysipelatosa, dicitur phlogosis superficiei cutis, probabiliter rete mucosum Malpighii praeprimis obsidens, utplurimum temperaturae vicissitudinibus progenita, et hepatis ac systematis venae portarum adfectioni sociata. (Confer. §. 599 etc.)

§. 312. Inflammationes erysipelatosae variis in cutis plagis in facie maxime et extremitatibus obviae, tumore duro flavido-rubro, roseo (rarius profunde rubente), splendente, minus elevato quam sine arctis limitibus diffuso, calido, rubedine digiti pressioni cedente, sensu pruritus et ardoris, febre utplurimum jam praegressa typi continui remittentis insigniuntur. Saepe sub febris decremento a prima sede ad vicinam cutis plagam progrediuntur, vel et novo cum frigore, aestuque dein febrili etc. ad plagas remotas, quandoque ad organa interna, membranosas speciatim eorum partes, manifesto cum vitae discrimine transferuntur; ultra febrim catarrhalium more judicandam excurrere, cum epidermidis desquamatione resolvi consueverunt, in superficialem tamen gangraenam non parum inclinant; facile et haud raro periodice redeunt, et sic saepius recurrendo diutiusque durando chronicae fiunt. Vehementes erysipelatosae inflammationes pariter evadunt *phlegmonosae*.

Huic inflammationum generi integumenta communia in omni sua expansione, praecipue in facie, capillitio, et in extremitatibus subjecta videre licet.

Cap. II. *De inflammationibus in specie.*

Ord. I. *Inflammationes parenchymatosae, phlegmonodes.*

Spec. I. Inflammatio cerebri et meningum.

§. 313. *Inflammatio cerebri*, encephalitis, phrenitis Auct. (die Entzündung des Gehirns) ab illa velamentorum ejus (meningitide), certis necdum distinguitur signis, utut recentissimae inquisitiones *Abercrombie* hanc diagnosim non parum illustrent. Sunt autem reciproca encephali et triplicis meningis relatio intima, forma inflammationis multiplex, et symptomatum inconstantia, quae harum inflammationum, sicubi seorsim obveniunt, cognitionem et distinctionem perarduam reddunt atque dubiam saepe, nisi origo et decursus ratio simul pensitatae certitudinem ferant. — Consultum igitur habui, utramque hic adhuc junctim pertractare.

§. 314. Longe rarius cerebrum, quam meninges, singulae et omnes, pia meninx et arachnoidea in specie, inflammatione corripi videntur, utpote vasis ac sanguine divites, et ad integumenta communia, caeterasque membranas ad muciparas, seriferas et fibrosas dictas intimam foventes relationem. Encephalon aut in superficie, aut in substantia profundiore, frequentius ut videtur in ventriculorum majorum lateribus, inflammatur.

J. B. Burserius op. cit. T. II.

Max Stoll rat. med. T. I. et III. — aphor. §. 69—85.

J. P. Frank, S. G. Vogel, A. G. Richter, Fr. ab Hildenbrand, I. R. Bischoff op. c. *Pott, Schmucker, Bell, Richter, Zang, de Kern*, in tract. de vulner. capitis, et de operat. chirurgicis.

A. J. Stich diss. inaug. de Encephalitide. Vienn. 1822.

J. Abercrombie's pathol. Untersuchungen I. Th. Krankh. des Gehirns und Rückenmarkes. Aus d. Engl. von *G. v. d. Busch*. Brem. 1828. 8.

§. 315. Encephalitis et meningitis jam subito, jam praegressis adversae valetudinis signis, speciatim ani-

mi dispositione, facultatibus mentis, et sensuum ac musculorum functionibus conspicue turbatis, oriuntur. *Praecedunt* autem: anorexia, nausea, vomitus, oscitatio, horripilatio cum aestu alternans, agrypnia aut somnus inquietus, insomniis interruptus; cephalaea gravativa vel acuta terebrans fixa et continua, cum aestu capitis interno; carotidum et arteriarum temporalium pulsatio; rubor ac turgor faciei; oculi errantes aut fixi cum obtutu vivido, feroce, aut visus obnubilatio et vertigo; inquietudo, anxietas, moestitia, vel vero hilaritas, risus et cantus, loquacitas, indifferentia non consueta, oblivio, meticulositas vel animus elatus, paraphrosyne, linguae artuumque tremores. — Hisce sub symptomatibus jam ipsas, utut leviores adhuc, inflammationes jam adesse aeque probabile est, ac easdem praetervisas haud raro fuisse et adhuc praetervideri, ubi symptomata majora, ob conscientiam primo jam tempore obfuscatam partim submersa, deficiunt, partim ab aegris alia non rite indicantur. —

Subito *intrantes* communiter a frigore febrili ordiuntur, cum aestu intercurrente, dein continuo, concomitantibus febris inflammatoriae signis, pulsu forti, duro, ob soporem profundum et magnam congestionem non semper frequente, respiratione citata, vel rara, magna, suspiriis intercisa *(Stoll)*, cute rubra, calida, sicca, tensa, facie rubra, vultuosa, temporalium et carotidum pulsatione forti, siti clamosa, lingua sicca, anorexia, urinis paucis, flammeis; cephalaea insuper continua, ad ossium parietariorum regionem imprimis et ad occiput fixa, pulsante, constringente, ardente, dirissima, saepe in coma brevi transeunte, vel cum hoc alternante, per pressionem vix augenda; oxyecoia cum tinnitu aut susurru, baryecoia fugace, oculorum rotatorum et protrusorum intumescentia, rubore, splendore, illachrymatione, pupillae angustia, photophobia, photopsia, diplopia, variisque visus hallucinationibus, strabismo,

obtutu fixo, minace; vertigine; pervigilio; sensuum confusione, conscientiae per vices defectu, memoria labili; loquela solito celeriore vel tardiore; delirio vel taciturno vel clamoso, imo cum furore summo sub continua vociferatione, clamore, ejulatu, cachinnis, nec non validissimis aegrorum erga se ipsos et alios actis, cum perpetuo fugam capessendi conatu; spasmis et convulsionibus, quandoque pharyngem invadentibus cum hydrophobia symptomatica, lusu tendinum, fioccorum venatu, tremore; vomituritione, vomitu bilis aeruginosae acris, omnia exasperante, tensionis in abdomine non tumido, constrictionis in hypochondriis et regione umbilici sensu, alvo clausa.

§. 316. Notantur vero ab auctoribus, et re ipsa obveniunt *symptomata* nonnunquam longe *alia* et recensitis *fere opposita*. Diram enim cephalaeam cum febri permagna mox ponderis sensus aut dolor obtusus in capite excipit, aeger inquietus et soporosus jacet, placide murmurando delirans, suspirat gemebundus, manum saepe capiti admovet, tremit, vel vero sui inscius, temulentus, comatosus urinas et alvum involuntarie mittit, accedunt hinc inde paralyses, atque status formam induit apoplexiae non absimilem. — Alias febris observatur lenior, cephalaea autem et agrypnia multum eam exsuperant, paucos intra dies in soporem abiturae, cui convulsiones, strabismus, diplopia superveniunt. — Vel vero convulsiones princeps sistunt symptoma protractae, saepe recurrentes cum sopore subsequo, in quem, nisi directe lethales fuerint, serius ocyus transeunt.

Differentia haec, imo symptomatum plurium oppositio, ut opinor, a magnitudine, stadio, effectibus morbi totius, ab individuali aegrorum dispositione, momentorum excitantium indole, nec non ab inflammationis vel in cerebro aut certis ejus partibus, vel in meningibus sede proficiscitur. Quum tamen de his omnibus, utut pathologicae *Abercrombie* inquisitiones multum praestite-

rint, illustrationes completae ab aegrorum observationibus et sectionibus cadaverum futuris exspectentur, *animadversiones practicas* interea communicare juvat sequentes:

1) *Encephalitis*, prout vel hemisphaerarum substantiam vel organa profundius sita tenet, variis probabiliter stipatur symptomatibus, ast necdum cognitis. Generatim encephalitis tum adultorum tum infantum phaenomenis validae irritationis supra recensitis, synocha in specie, cephalaea vehemente, vomitu, photophobia, delirio, convulsionibus cum mentis absentia alternantibus, spasmis tonicis, subsequis variis paralyseos symptomatibus notantur. In infantibus plerumque in hydrocephalum internum acutum (hydrencephalon) transit, saepe in emollitionem, suppurationem cerebri. — Hydrencephalum vero ex aliis adhuc fontibus, et absque omni inflammatione oriri, in tractatu de hydrope demonstrabitur.

2) Inflammationes et *piae matris* et *arachnoideae*, communiter sociatae, infantibus haud secus ac adultis infensae, cum adfectibus praecipue catarrhalibus, rheumaticis, erysipelatosis, exanthematicis, scrophulosis, arthriticis, nec non cum crisibus variorum morborum metastaticis causali cohaerere nexu; febrim intensam, cephalaeam vehementem, vomitum, vivacitatem magnam, deliria vivida, photophobiam, sensuum hallucinationes, quandoque convulsiones etiam (*Abercrombie*), diu durantes, et in soporem finiendas aut cum eodem alternantes, habere comites; in humorum lymphaticorum, seroso-cruentorum, puriformium secretiones, et pseudomembranas formandas niti; et per humorum dictorum effusiones sub sopore profundo, vomitu, convulsione, paralysi cito lethales fieri saepe observantur. — Status morbosus, *delirio tremente*, vel *potatorum* dicto se manifestans, primario in irritatione cerebri ac piae matris speciali, sanguinisque congestione consistens, ubi in inflammationem assurgit, inflammationibus mox memoratis meningum mollium summe analo-

gus est. Penes febrim, modicam tamen, tremore universali, agilitate ac inquietudine continua, pervigilio, hallucinationibus et deliriis specifice circa negotia consueta variaque animalcula taediosa, uti mures, glires, araneas etc. versantibus, loquacitate irrequieta, subitaneis objectorum mutationibus insignitur. Id generis inflammatio pari modo in humorum effusiones exitumque cito lethalem, sub soporis ac paralyseos phaenomenis, prona observatur.

3) *Durae matris inflammatio*, nisi ex mechanicis cranii laesionibus, sola atque substantiva rarissime occurrit, nonnunquam otitidi internae sociata. Cephalaea intensa saepius tamen remittente, febri levi, exigua sensuum turba, somnolentia, convulsionibus minoribus utplurimum stipatur; et per humorum puriformium, intra durae matris lamellas, vel hanc inter et ossa cranii vel arachnoideam, colligendorum secretiones, aut per pseudomembranarum formationem, lento sub cursu et lamellarum incrassatione, in soporem etc. transgreditur.

Ex quibus intelligitur necessitas, pro adquirenda *diagnosi firma* omnes circumstantias ei faventes simul cum morbi symptomatibus et decursu plenarie colligendi, rite inter se comparandi, et omni respectu prudenter aestimandi. Encephalitis infantum praecipue, siquidem lente et fere absque febri conspicua evolvitur, et in hydrencephalum internum abire nimium amat, perdifficilis est cognitu.

Sutton, tracts on delirium tremens etc. Lond. 1813. A. d. Engl. übers. v. *Fr. Heinecken*. Brem. 1820.
Barckhausen üb. d. Säuferwahnsinn. Brem. 1828. 8.
I. R. Bischoff, Grundsätze etc. S. 409 etc.

§. 317. *Decursus* symptomatum inflammationum descriptarum plerumque peracutus est, et magna licet sub illorum versatilitate continuus continens. Sunt autem et lentius decurrentes, imo *chronicae* encephalitides et me-

ningitides, non raro vesaniae aut lethargi schema praeseferentes, in apoplexiam lethiferam saepe terminandae; quae haud secus ac inter acutas nonnullae, quemadmodum rheumaticae, remissiones et exacerbationes luculentas ostendunt.

Quum symptomata initio magna, imo impetuosa, quandoque cito mitescant, attentione summa et circumspecta omnium symptomatum ponderatione opus est medenti, ne hac facie statum faustiorem mentiente deceptus, periculo vitae citius seriusve subito irruente percellatur.

§. 318. *Duratio* variat, multumque ab individui dispositione, momenti causae excitantis indole ac vi, inflammationum magnitudine, atque vario exitu pendet. Encephalitides sicut meningitides validissimae plerumque intra triduum aut quatriduum morte terminantur; alias intensae irritationis phaenomenis prius mitigatis, et in soporem imo supra dictum irritationi modicae junctum commutatis, in septimum, undecimum, decimum et quartum usque diem protrahuntur. — Ex causa traumatica saepe tardius formantur, minusque acute per tres decurrunt septimanas. — Inflammationibus levioribus, vel therapia congrua justo tempore adhibita fractis, *resolutionem* die septimo vel nono fieri observamus, accedentibus epistaxi, quandoque haemorrhoidali aut uteri profluvio cruento, sudoribus universalibus, urinis criticis, imo et larga nonnunquam materie puriformi jam per nares jam per aures promanante; vel his deficientibus *metastases* fiunt, uti inflammationes et abscessus parotidum, erysipelatosae inflammationes in capillitio aliisque cutis plagis etc. Resolutione feliciter impetrata diu adhuc cephalalgiae, vertigo, animae imbecillitas, baryecoia remanere consueverunt.

§. 319. Alius phlogosium memoratarum *exitus* observatur *in morbos posthumos*, hydropem scilicet acu-

tum, suppurationem, emollitionem, indurationem, gangraenam, amnesiam, fatuitatem.

Hydrocephalus acutus inter hydropes pertractabitur. — *Suppuratio*, (abscessus, apostema) cerebri aut meningum, durae frequentior ac mollium, quolibet post quartum morbi die fieri potest, et nunc superficialis est nunc profundior, et vel clausa vomicam formans, vel patens et diffusa. Cognoscitur ex communibus suppurationum internarum signis (§. 256), ex ponderis et pressionis, vel doloris pulsantis aut lancinantis sensu in aliqua capitis regione, frigore inde egrediente, communiter visus et auditus vitiis, convulsionibus, epilepsia, organorum utplurimum lateris oppositi paralysi. Aliquando a natura sanatur, per nares aut aures via puri parata; alias diu, imo per annos perstat, quin turbas excitet; vel et cephalalgia, visus anomaliae, baryecoia, foetens e naso vel aure profluvium etc. inde pendentia per annos continuant, antequam sub vesaniae aut apoplexiae phaenomenis mors insequatur, — *Emollitio*, potius *dissolutio*, partis cerebri partim cum, partim sine suppuratione nonnunquam invenitur, plaga nimirum coloris normalis aut rubicundi in massam mollem pultiformem dissoluta. Signa ejus diagnostica nondum constant. — *Incrassationes, concretiones* meningum inter se vel cum cerebro, si voluminosae et extensae, inflammationum communiter chronicarum, quibus pedetentim producuntur, symptomata intendunt. — *Indurationes* partium singularum post inflammationes non debite judicatas dolore cujusdam capitis plagae pressivo, obtuso, continuo, accedentibus vertigine, visus, auditus, memoriae ac intelligentiae imbecillitate, sopore, lethargo, fequentiore lypothymia, epilepsia produntur. Sicut concretiones majores apoplecticam lente inferunt mortem. — *Gangraena* inflammationes praecipue insequitur, ex laesionibus traumaticis profectas cum cranii festucis aut corporibus peregrinis aliis in cerebri substantiam actis, aut cum durae

matris saltem a tabula vitrea secessu. Anaesthesia, abolitio conscientiae, convulsiones, mors apoplectica accedunt. — *Amnesia*, oblivio, reminiscentiae partialis vel totalis jactura, *faluitas* non raro absque vitio materiali sensibus percipiendo adsunt, encephalitidis sequelae tristissimae, diuturnae saepe saepius insanabiles.

§. 320. Encephalitides et meningitides vel ob vehementiam suam, qua convulsivis aut apoplecticis sub symptomatibus aegros jugulant, vel per morbos posthumos nunc recensitos in *mortem* abeunt.

Secta cadavera praeter inflammationum vestigia sinus et vasa meningum plexusque choroideos sanguine oppletos, progenitos simul inde in cerebro et meningibus effectus, uti accumulatos, extravasatos humores serosos, gelatinosos, lacti similes, aut puriformes, ipsum imo sanguinem; pseudomembranas; incrassationes, meningum inter se et cum cerebro cohaesiones, concretiones; dissolutiones locales; suppurationes ac ulcerationes superficiales, vomicas, sinus et canales pure refertos; gangraenae indicia exhibent.

§. 321. Encephalitis ac meningitis vix non semper diathesim universalem et febrim inflammatoriam habent comitem, *sthenicae* nonnullis dictae, et licet cum virium suppressione, debilitate ficticia, communiter incedant, vero tamen illarum defectu et inde manante symptomatum nervosorum caterva rarissime, et vix nisi ulteriore jam decursu stipantur, *asthenicae*, *nervosae* nuncupatae. *Acutae* obveniunt vel *chronicae*, lentae; *substantivae* vel *symptomaticae*, quales v. gr. gastricae, biliosae, typhum, scarlatinam concomitantes quandoque observantur; *primariae* vel *secundariae*; *idiopathicae* vel *sympathicae*, ad quas *metastaticae* a scarlatina, erysipelate etc. regressis spectant; indolis *phlegmonosae*, *catarrhalis*, *rheumaticae*, *erysipelatosae* etc.

§. 322. *Disponunt* ad inflammationes hic pertractandas partim quae phlogoses in genere invitant, partim

obtinens in infantia cerebri, systematis nervorum, sensuum, facultatumque animae evolutio; magna animi mobilitas et in pathemata propensio; imaginatio admodum vivida et irrequieta; sensibilitas universalis maxima; cerebri per diras cephalaeas irritatio frequens; vita psychica praedominans; temperamentum cholericum. Habitus phthisicus quoque, phthisis pulmonalis ipsa, nonnulli hepatis caeterorumque organorum gastricorum morbi dispositionem ad easdem inflammationes non raro secum ferunt.

Momentis excitantibus adnumerantur: *a) idiopathica:* laesiones capitis multifariae, uti commotiones cerebri, vulnera majora integumentorum capitis per ictus, lapsus, fustes etc. inflicta, cum ossium cranii fracturis, fissuris, festucis, impressionibus diploës (quas phaenomena inflammatoria jam brevi jam septem, quaduordecim, imo septemdecim post dies sequuntur); calor intensus a sole imprimis, sed a cubiculis quoque nimium calefactis, a furnis pistorum, fabrorum mineras, metalla liquantium etc.; corporis antea frigentis incalescentia praeceps, sicut subita ejus, maxime capitis antea valde calentis atque sudantis refrigeratio; congestio sanguinis in capite magna, quemadmodum sub pneumoniis, anginis intensis; animi adfectus et pathemata valida, impetuosa, ira praecipue; studia nimis culta; lucubrationes nocturnae; agrypnia; taenia hydatigena; — *b) sympathica:* erysipelas faciei; ophthalmitis, otitis; dentitio infantum turbata, impedita; potulentorum calefacientium, spirituosorum abusus ex quibus *crematum* speciatim *delirio tremenli dicto* seu potatorum *generando* par est; incongruus narcoticorum, maxime opii, usus; irritamenta gastrica, praesertim hepatis irritatio; viscerum abdominis inflammationes, ventriculi praecipue et intestinorum; omnis febris inflammatoria fortior cujusvis speciei; — *c) antagonistica:* excretionum normalium aut saltem habitualium suppressio, epistaxis puta, menstruorum, lo-

chiorum, haemorrhoidum, lactis materni etc.; suppressio symptomatum catarrhalium, rheumaticorum, arthriticorum variis corporis locis, nec non efflorescentiarum aliorumque morborum cutis chronicorum, aut late expansorum aut secretioni morbosae junctorum, in infantibus praesertim caput tenentium, repulsio.

§. 323. Encephalitis et meningitis pro aliis quibusdam *morbis* ex parte *similibus* imponere possunt, pro febri nervosa videlicet, pro hydrencephalo acuto, apoplexia plenarie evoluta, vesania et speciatim mania. Ut ab his rite *dignoscatur*, singulorum momenta diagnostica omnia, maxime symptomata pathognomonica eorumque decursum complete eruere, prudenter seorsim ponderare, dein ingenio practico conferre oportet. (*Stich* diss. cit. p. 37—41.)

§. 324. Encephalitis ac meningitis morbis periculosissimis accensendae, quemadmodum symptomata decursus, terminationes docent. Non adeo raro, ac hucusque credebatur, occurrere videntur, et pro febribus nervosis frequenter habitae fuisse.

Majores jam tertio quartove die sub symptomatibus apoplecticis, paralysi, lypothymiis, convulsionibus, hydrencephalo acuto lethales evadunt, nisi promtissimum feratur auxilium et aptissimum.

Prognosis eo pejor, quo major aegri vel cerebri dispositio peculiaris inflammationi generandae favebat; quo diutius jam ante adfectum fuerat cerebrum; quo difficilius causa excitans aufertur, aut enervatur; quo minus novas evitare ansas valet aegrotus; quo magis neglecta jam inflammatio aut perverse tractata est; et quo manifestior character febris nervosus aut putridus superaccessit.

Periculo plenae ac frequenter lethales sunt vi mechanica inductae, sub morborum acutorum decursu evolutae symptomaticae, sic et metastaticae v. gr. stadio suppurationis variolarum, desquamationis scarlatinae etc.

exortae, tandem subjecta debilia vel durante morbo viribus exuta tenentes.

Inflammationibus his remittentibus aliquando pneumonitis insurgit lethalis; et vice inversa.

Designant vitae periculum vomitus frequens, vehemens, aeruginosus, dentium stridor, masticatio perpetua, difficilis deglutitio, pervigilium perstans, continui tendinum lusus, faeces griseae, urinae crudae persistentes.

Metuendae exasperationes repentinae, humorum effusiones, suppuratio vel apoplexia, si valida febris, cephalaea, vomitus, deliria, convulsiones multum remittentes locum nunc cesserint sopori profundo sine criseos faustae signis.

Sudor frigidus, frigus, artuum tremores, convulsiones, faciei defiguratio hippocratica, exitialem pronunciant gangraenam.

Spem vero futurae resolutionis suppeditant epistaxis tempore criseos exspectandae, viribusque vigentibus, fluxus haemorrhoidalis cruentus, uterinus, profluvium ex auribus etc.; aut dolor in pectore, tussis, dolores membrorum; sudor universalis a capite incipiens; urinae hypostasin largam, levem formantes; aut metastasis loco externo non nobili facta, mitigatis jam paullo ante cephalaea dira et febri, conscientia et somniculis per intervalla reversis. Haec autem sperare fausta non licet, quamdiu summe inquietus et vigil agitatur aeger, aut sopore obrutus decumbit.

Et crisis fausta, resolutio, lento saepe passu, et per lyses modo procedit.

Magna observatur in recidivas proclivitas.

Symptomata debilitatis, animae sensuumque functiones prementis, erethysmus aut dysaesthesia universalis casibus non paucis diu adhuc remanent, atque ad vesaniam et nevroses magnopere disponunt.

§. 324. *Cura* encephalitidis et meningitidis implendo indicationes generales saepe jam expositas absolvitur. —

Momentum occasionale modo et huic et inflammationi congruo, atque citissime auferatur est necesse, quum sic evolutio mali plenaria, vel major saltem vehementia et progressus deleterii nonnunquam praescinduntur. Cranium depressum elevari, festucae, extravasata pro re nata v. gr. per trepanationem eximi, morbi cutanei, haemorrhagiae suppressae per fomenta, balnea emollientia, aut per irritamenta et cauteria, vel per hirudines, scarificationes etc. revocari debent; et s. p.

§. 325. Inflammationibus ipsis, cum diathesi phlogistica universali adeoque febri inflammatorii characteris de regula conjunctis, optime opponitur methodus antiphlogistica universalis et ad organa inflammata specialius determinata. Hinc venaesectio pro gradu inflammationis et juxta indicantia generatim in febre inflammatoria (§. 205.) enumerata ex vena brachii, vel si casus urget, e jugulari instituenda, iteranda; post hanc, rarissime sine hac hirudines vel cucurbitae scarificatae temporibus, retro aures, nuchae, aut rasis capillis occipiti, priores quandoque marginibus alarum nasi internis adplicandae, et violentia traumatica praegressa, incisiones integumentorum capitis loco laeso faciendae sunt. Interne pharmaca et potulenta antiphlogistica abunde nota, externe clysteres emollientes et refrigerantes, nec non in inflammationibus traumaticis, praemissa sanguinis evacuatione, epithemata frigida ex aqua mera, aut aceto, nitro et sale ammoniaco frigefacta, aut et glacie vesicae bubulae inclusa capiti rasis capillis adhibentur; in casibus peracutis aquae frigidae rivulus ad plenum usque effectum in caput dirigitur. — Huic autem per frigus medelae sudores; exanthema, adfectio rheumatica vel arthritica eminens adversantur. — Situs simul capite modicum elevato, aër ambiens frigidulus, quies, summum strepitus ac lucis moderamen, continua aegri custodia, tandem diaeta strictissima antiphlogistica requiruntur. Fracto inflammationis vigore, si hydrops acutus timen-

dus, eccoprotica et diuretica antiphlogistica, salem amarum, s. Glauberi etc. cum cremore tartari in usum vocare convenit. Quae quidem in hunc finem certiora et efficaciora inveni, ac hydrarg. muriatic. mite (gr. un.) cum digitali purpurea ($\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{6}$ gr. pro adultis omni hora aut bihorio) a multis celebratum. Vesicantia nuchae, aut brachiis imposita non quadrant, nisi ad segnem resolutionem accelerandam, languidasque vires erigendas incitamento sit opus.

Encephalitis casu rarissimo cum *debilitate universali vera et charactere nervoso*, utplurimum effectivis, non apparentibus solum et per deliria, tremores, convulsiones fictitiis juncta, therapiam exposcit superius §. 278. expositam, externam partim immediate antiphlogisticam per depletiones sanguinis locales, partim antagonistice derivantem per sinapismos, vesicantia, internam moderate antiphlogisticam cum blande erigente per nitrum, salem ammoniacum aut et calomel, cum aura camphorae, moschi, valeriana etc. etc. Exstincta phlogosi, congestione ad caput jam deficiente, vigente autem erethismo nervoso insigni cum pervigiliis continuantibus, doloribus acerbis, spasmis etc. per vices recurrentibus, opium, speciatim extractum ejus aquosum, *cauta manu* propinatum summe salutiferum est.

Contra *characterem putridum* encephalitidi aut meningitidi accedentem cura localis antiphlogistica aut negativa manere, aut ad frigus capiti adplicitum et irritamenta derivantia limitari debet, universalis ea institui, quae in febri putrida (§. 123 et 279.) convenit, spirituosis tamen omnibus caute excludendis.

§. 326. *Delirium* dictum *tremens* s. *potatorum cum tremore*, saepe sine inflammatione, quandoque sine ulla imo febre existit, consuetim vero cachexiae nuptum; et adfectio princeps cerebri ac piae meningis (§. 316.) in exsudationes seroso-lymphaticas admodum facilis est. Ubi acuta haec et in phlogosin adaucta cognoscitur, initio

depletiones sanguinis universales et topicae, serius istae saltem, semper vero caetera methodus antiphlogistica una cum epithematibus et perfusionibus capitis frigidis locum inveniunt. Inflammatione abacta remedia alterantia: sal ammoniacus, ipecacuanha sola aut hyoscyamo nupta, arnica, tart. emeticus dosi refracta egregios exerunt effectus. Opium nimis decantatum salutare modo invenitur solum aut nunc nominatis copulatum, si deliria, tremores etc. fracta licet jam phlogosi, congestione dispulsa, febri nulla aut levissima perstante, facie pallida non vultuosa, alvo respondente, ultro continuarint. Plerumque aut cachexiae medelam properare oportet, et hic ad opportunitatem in hydropem, ipsum imo in scorbutum rite attendere.

§. 327. Quod *tertiam* attinet *indicationem*, ad *crisim* evacuationesque criticas congrue dirigendas praecepta facile adplicabuntur, tam in cura inflammationum (§. 284.) quam evacuationum criticarum generali (§. 86. 87.) exposita. Specialius evacuationes respiciendae, quas in encephalitide ac meningitide communissime criticas experientia (§. 318.) designat.

§. 328. *Quarta* quoque *indicatio*, curam convalescentiae spectans, ad normas pro tractamine convalescentiae ex inflammationibus generatim statutas absolvitur. Ab intensione facultatum mentis praecipue, ab animi adfectibus et inter momenta causae occasionalia a potibus spirituosis, exaestuatione etc. diu adhuc maxime cavendum, ut recidivae aut amnesia, fatuitas, aliique morbi posthumi praevertantur. Effectus ab inflammationibus feliciter resolutis restantes (§. 319.) diaeta, regimine corporis mentisque congruo, tempore sensim tolluntur.

Spec. II. Inflammatio medullae spinalis.

§. 329. Haec inflammatio (*myelitis, rhachialgitis auct.* die Entzündung des Rückenmarkes), pariter ut illa cerebri ab inflammatione velamentorum vix secure

distinguitur. Recentiore primum aevo *J. P. Frank*, *Th. Soemmerring*, *van Gescher*, *L. Brera*, *Harless*, *C. Wenzel*, *Abercrombie*, *Hinterberger* debitam ei navarunt operam, quin diagnosis ejus omnimode jam constet.

Rara est, ut observationes docent hucdum factae, quibus et medullae spinalis relatio ad potentias externas et impressiones ab ipso reliquo organismo venientes anatomica et physiologica annuit. — Ex causis traumaticis frequentior quam ex aliis visa est.

S. Th. Sömmerring üb. Verrenkung u. Bruch des Rückgraths. Berl. 1783.

J. P. Frank, Epitome etc. P. II. §. 141—146.

Dav. van Gescher, üb. d. Entstellung des Rückgraths etc. A. d. Holl. übers. v. *J. G. Wewezer*. Götting. 1794. 8.

V. L. Brera, üb. d. Entzünd. des Rückenmarkes; übers. v. Dr. *Chr. Fr. Harless*, in dessen Jahrb. d. deutsch. Med. u. Chir. Bd. II. H. 2.

Chr. Fr. Harless, noch einige prakt. Bemerkungen üb. d. Myelitis. Daselbst.

C. Wenzel, üb. die Krankheiten am Rückgrathe. Bamb. 1824. in Fol.

v. Hildenbrand, *I. R. Bischoff*, opp. cit.

J. Abercrombie's Krankheiten des Gehirns u. Rückenmarkes. A. d. Engl. v. *G. v. dem Busch*. Brem. 1828. 8.

Prof. *Hinterberger*, Beytr. z. d. Rückgrathskrankheiten. J. d. med. chir. Zeit. 1828. B. III. S. 27. ff. — Abhandl. ü. d. Entzünd. d. Rückenmarkes etc. Linz 1831. 8.

§. 330. Manifesta ejus symptomata, penes febrim continuam plerumque intensam cum pulsu inordinato, sunt: dolores in quodam columnae vertebralis loco profundi, urentes, majores minoresve, continui et fixi, nunc angustiore circumscripti plaga, nunc juxta totam medullae spinalis longitudinem protensi, non contrectando, premendo columnam vertebralem adeo, quam vertendo, flectendo truncum augendi; aestus intrinsecus et formicatio per medullam excurrens; inquietudo magna, anxietas inde egredientes; situs ob insigne dolorum augmentum nonnisi in dorso horizontalis concessus; facultatis

musculorum remissio magna; sensus stuporis juxta costarum margines, quem cum socio plerumque expansionis in hypogastrio sensu *Abercrombie* declarat pathognomonicum; pro inflammationis loco et inde pendente nervorum spinalium adfectione: deliria; tensio cervicis dolorifica; deglutitionis ac loquelae difficultates, quandoque musculorum pharyngis spasmi cum hydrophobia; atonia, paresis pulmonum, brachiorum cum formicatione in digitis, aut intestinorum, ani, vesicae urinariae cum alvi urinarumve jam retentione jam involuntario secessu, aut extremitatum inferiorum etc.

§. 331. *Decursus* myelitidis minus rapidus ac encephalitidis esse consuevit. *Acuta* myelitis vel circa diem septimum, nonum, aut decimum quartum, sudoribus, urinis criticis, fluxu haemorrhoidali nonnunquam, aut in foeminis uterino cruento judicatur, vel vero in hydrorhachiam acutam, in suppurationes, ulcerationes, indurationes transgreditur, cum insequentibus paralysibus, vertebrarum carie, anchylosi et curvaturis spinae dorsi, extremitatum superiorum ac inferiorum tabe, febri lenta depascente, quae lente sicut gangraena cito mortem inferunt. *Chronica* minus adhuc cognita est myelitis, in subjectis tamen junioribus scrophulosis, rhachiticis praecipue, nec non in chloroticis de illa cogitandum.

Spondilagra, status irritativus in vertebrarum articulis, a *Copeland*, *C. Wenzel* et *Hinterberger* saepius observatus, et quandoque ad inflammationem intensus, *spondilitis*, hic memorari merentur. Cognoscitur haec ex febri, doloribusque continuis, ad processus spinosos fixis, per trunci motus, et explorationes ope digitorum aut spongiae aqua fervida imbutae provocandis, exacerbandis. Resolvitur, vel chronica evadit, vel in seroso-lymphaticorum humorum secretionem et collectionem, vel in cariem cum notis sequelis terminatur.

§. 332. In quo consistat specialis ad myelitidem *dispositio*, quibusque igitur individuis praeter communem

inflammationibus inhaereat, nondum liquet. — Ad *momenta excitantia* hucusque nota spectant: encephalitis ad medullam spinalem extensa vel in myelitidem transgressa, profluvia cruenta, ex haemorrhoidalibus vasis maxime, et ex utero, suppressa, exanthemata, efflorescentiae chronicae repulsae, scrophulae, rhachitis, rheumatismus, arthritis, syphilis, prae caeteris autem violentiae traumaticae per contusiones, puncturas, ictus aliudque laesionum genus, per vertebrarum singularum distorsiones, fracturas medullam commoventes, tendentes, vulnerantes.

Spondilitis singularum vel plurium vertebrarum, ut aliorum articulorum phlogoses, originis aeque traumaticae, frequentius tamen rheumaticae, vel arthriticae cernitur.

§. 333. Myelitis utut nec tanto nec tam acuto quam encephalitis jungatur vitae periculo, sequelis non destituitur supra nominatis, vitam incommodis et cruciatibus miseram, lentamque tandem mortem inducentibus. Quam ob rem aptissime animadvertit *S. G. Vogel* (l. c. T. IV. c. 2.), multorum malorum ortum ex hoc fonte praetervideri, doloresque dorsales febri junctos pro symptomatibus febris accidentalibus haberi, cum tamen totius morbi essentiam constituant. — Haec morborum secundariorum scaturigo dum rite cognoscitur, nonnulli eorum fonticulis sat tempestive spinae dorsali proxime adplicatis emendantur, sanantur.

Specialior prognosis momentis generalibus pluries memoratis adquiescit, ad hanc inflammationum speciem aegrumque individuum pensiculate adplicandis.

§. 334. *Therapia* myelitidis ac spondilitidis praeter causarum, si agere pergunt, amotionem, enervationem in tractamine consistit tam inflammationis sedi et magnitudini, quam adfectionis universalis simultaneae indoli adcommodato, quale contra encephalitidem ac meningitidem commendabatur. Quod topicum attinet, contra phleg-

monosam inflammationem hirudines, scarificationibus profundis impositae cucurbitae, in vicinia utrinque adplicatae, epithemata, pediluvia emollientia, talia et evacuantia enemata, nonnunquam sinapismi tardius, vesicantia cum secretione ultro sustentanda indicantur; fomenta frigida initiis inflammationum traumaticarum imprimis conveniunt. In inflammationibus ex morbo cutaneo, rheumatismo, arthritide repulsis, suppressis partem therapiae toti statui morboso prudenter adaptandae essentialem, causalem, promptissima derivantium jam emollientium jam mitius fortiusve irritantium adplicatio, ad organa praecipue prius adfecta constituit.

Crisis, dirigitur, *convalescentia* promovetur, principia et normas generales abunde notas sequendo.

Spec. III. Inflammatio parotidum.

§. 335. Inflammatio parotidum, *parotitis* (παρα, penes, et οὖς, auris), Entzündung der Ohrspeicheldrüsen, Bauerwetzel, Tölpel, haud apte *angina externa*, *a. parotidea* dicta, alterutram vel utramque parotidem occupat. Nonnunquam ad glandulas submaxillares et sublinguales, salivales proinde omnes extenditur, *glandularum salivalium inflammatio* vocata. Spectari vel maxime parotidum inflammatio meretur, quia majoris est dignitatis, graviori solum casu glandularum caeterarum inflammationi jungitur, nonnullasque quoad symptomata, decursum, exitus proprietates offert.

§. 336. Quae vero proprietates illi tantum inhaerent parotitidi, quae in Anglia potissimum, Gallia et Germania septentrionali frequens, tempore humido, humido-frigido, nebuloso, variabili saepius epicemica, rarior in climate nostro et sporadica utplurimum observatur. Parotitides enim in scrophulis, dentitione difficili, syphilide etc. symptomaticae, in febri nervosa, biliosa, putrida,

pituitosa, scarlatina, a suppressa tinea capitis etc. metastaticae, ab usu mercurialium incongruo etc. ortae, communibus aliarum glandularum inflammationibus non abludunt. Prioris parotitidis prodromi sat constantes universales, celerrima nonnunquam disparitio cum adfectione aliorum certorumque organorum pedissequa, et magnus in certa mala posthuma nisus probabilem suffulciunt opinionem, eandem adfectionis universalis partem, symptoma, potius esse, quam morbum substantivum.

J. B. Burserius, J. P. Frank, S. G. Vogel, Ch. R. Reil, Conradi, Richter, in opp. cit.

Rob. Hamilton, von der Cynanche parotidea. J. der Samml. auserl. Abh. f. pr. Ärzte B. XIV.

§. 337. *Praecurrunt* communiter symptomata catarrhalia, horripilatio iterata, delassatio, artuum dedolatio, quibus tumor alterutrius vel consuetim utriusque parotidis cum dolore obtuso, tensivo, et facultate maxillam inferiorem a superiori diducendi inhibita, nec non febris *adsociantur*. Cutis supra glandulam tumidam tensa, aut non aut in erysipelatis formam inflammata, tumorque ipse glandulis submaxillaribus et sublingualibus quandoque communicatus cernitur, mentum dein ac juguli partem collaris crassi adinstar circumdans.

Levior parotitis vix aut parum febrilis aegris e lecto morari, negotiisque fungi concedens septimo plerumque, nono, aut decimo quarto die, rarius post quartam sextamve septimanam, sub sudoribus, urinis, et utplurimum epistaxi criticis resolvitur; raro in suppurationem aut indurationem abit. Gravior febri intensa insignis metastases amat; primis nimirum vel posteris diebus intrante frigore novo et febri exacerbata tumor parotidis subsidet, evanescit, ejusque loco jam inflammatio in genitalibus speciatim virorum testiculis, foeminarum majoribus pudendorum labiis, ovariis, aut mammis, vel in cerebro aut meningibus cum cephalaea vehemente, delirio

etc. insurgit; jam vomitus urget, jam hydrops anasarca evolvitur. Quid? quod parotitis una cum genitalium inflammatione continuari, haecque cum symptomatibus cephalicis iteratim alternare observata fuerit.

§. 338. *Differentiae* inflammationum generales majore numero huc referri possunt; potiores ab inflammationis magnitudine et dignitate, praesentia aut absentia febris, hujusque indole per universalem organismi statum determinata petuntur.

§. 339. Infantes ac juvenes, adnotante *Hamilton* subjecta masculina a pubertatis introitu ad trigesimum usque annum hoc morbo frequentius, senes raro invaduntur. Ratio majoris illorum *dispositionis* nondum satis patet. — Aeque parum certi de *causa excitante* constat; utut enim parotitis tempestate humido-frigida regnante, hieme, vere et autumno, frequentius comparere consueverit, haec proinde tempestas communissima ejus causa excitans considerari possit, vera tamen tunc temporis atmosphaerae conditio morbifica haud secus ac specialis ejus in glandulas salivales influxus necdum liquent. Glandularum salivalium et parotidum in specie inflammationes aliae non aliter ac inflammationes in genere (§. 261.), partim potentiis variis externis, internis, idiopathicis, sympathicis (consensu nempe aut antagonismo) organa salivalia ferientibus, partim morbis multifariis producuntur.

§. 340. Ex historia hujusce morbi facile depromitur *prognosis*. Levior parotitis generatim faustam admittit; gravior metastasis ad genitalia ancipitem, circumscriptam, ad encephalum, ventriculum, intestina, pulmones periculosam imo fieri jubent. Nisus in secundarium hydropem anasarcam eximius semper magni momenti habendus.

§. 341. Abactis, enervatis tum causis excitantibus tum noxis quibusvis fors morbum alentibus, parotitis *curationem* non aliam exigit, quam quae indoli phlegmonosae, catarrhali, rheumaticae etc. atque gradui, stadio

conveniat. Phlegmonosa adparatu antiphlogistico generoso, evacuationibus sanguinis per phlebotomiam, hirudines, cataplasmatibus emollientibus etc., catarrhalis, rheumatica methodo emolliente, diluente, diapnoica, vitatis exterius humidis fotu calido sicco per pannos, stupam cannabinam etc., et regimine moderate calido aequabili non interrupto, refrigeratione vel minima caute praepedita, curantur. Decrescentibus jam, et resolutionem ingredientibus methodus diapnoica cum fotu dicto sicco egregie proficit. Resolutionem sublatis inflammatoriis symptomatibus aequo segnius procedentem, penes regimen et diaetam congruam, cucuphae farina v. gr. fabarum bene siccata et pulvere flor. sambuc. aut chamom. etc. refertae, serius linimentum volatile, idem aut ung. commune, aut mercuriale camphoratum, emplastrum mercuriale et cicutae malaxatum cum camphora, omnino adjuvant.

§. 342. Collabente parotidum intumescentia, prodeuntibus metastaseos alicubi initiantis signis, in causam illico agere, curam internam ac externam pro reactionis vitalis conditione instituere, ad cutem speciatim determinare, parotidi vesicans, sinapismum fortiorem, tincturam cantharidum, aut acetum radicale illiniendum sine mora adplicare oportet; qua ratione metastasin feliciter suffocare quandoque contingit. Facta vero, fonte ejus semper debite spectato, pro indole, magnitudine, sede confestim tractanda est.

§. 343. *Convalescentiae* cura indicationes notissimas ad normas generales exacte implendo perficitur.

Spec. IV. Inflammatio linguae.

§. 344. *Linguae phlogosis, glossitis* (Entzündung der Zunge), jam sola, jam cum pharyngitide occurrit.

Ex rubore, calore, siccitate, dolore utplurimum repente orto, tumore linguae totius vel partis, et febri,

nisi levissima sit glossitis, aut praevia, aut simul intrante, aut accedente facillime cognoscitur. Loquela inde, respiratio, deglutitio difficiles redduntur, et tumore praegrandi, lingua nimirum adeo voluminosa, ut oris cavum expleat, vel immobilis eidem impacta, haerens, vel dentes intra et labia extrorsum protrusa, vel retro in fauces acta et epiglottidem deprimendo aut velum palatinum retrorsum ac sursum elevando vias respiratorias nimium angustet, suffocationis periculum inducitur. Lingua, nisi sicca, muco crasso, tenace vel et lympha coagulabili tegitur; fluit ex ore hiante saliva tenax frequente sub sputatione et tussi; sitis urget, torquent inquietudo, cephalaea, agrypnia; facies non semper rubra ac turgida, sed quandoque pallida, moesta, oculique lachrymantes cernuntur.

Burserius, P. Frank, S. Vogel, Reil, Conradi, Sprengel, de Hildenbrand, Bischoff, opp. citat.
A. G. Richter Anfangsgr. d. Wundarzneyk. Bd. IV. §. 42—46. — Spec. Therapie Bd. I. S. 495—499.

§. 345. Recensitis cum symptomatibus nunc mitioribus nunc gravioribus glossitis quintum, frequentius septimum usque diem decurrit, quo sub sudoribus, urinis et salivatione (raro sine hac) resolvi incipit; vel in suppurationem nonnunquam, vel raro in indurationem et scirrhum, vel in gangraenam transit, quae utut partis linguae jacturam, non tamen individui mortem semper habet pedissequam. Suffocare valet glossitis per intumescentiam ingentem, nisi ars cito cum dexteritate et energia necessaria succurrat.

§. 346. Glossitis non alias, quam inflammationes in genere, *differentias* agnoscit.

§. 347. *Dispositio* specialis ad hanc inflammationem statui vix potest. Producere eam valent partim *a)* potentiae linguam immediate irritantes aut imo laedentes, uti sunt: corpora peregrina pungentia, scindentia, la-

cerantia etc., puncturae insectorum, dentium carioso-rum margines, compressiones morsu sub masticatione, sub convulsionibus, insultibus epilepticis factae, rudis fraenuli linguae incisio, ambustiones, masticatoria acria, excedens nicotianae usus, acria venena etc.; partim *b)* inflammationes vicinae v. gr. glandularum salivalium a mercurialibus, pharyngis ad linguam progressae; irrita-tiones sympathicae ab aphthis, ulceribus syphiliticis in oris cavo, ab indurationibus, calculis ductuum saliva-lium; tandem refrigeratio subitanea, sudoris, mensium, fluxus haemorrhoidalis suppressio, metastases.

§. 348. Utut molesta valde sit glossitis, remediorum internorum adplicationem perarduam reddat, saepe pror-sus suspendat, imo instantaneum quandoque minetur vi-tae periculum, *prognosis* nihilosecius non infausta in ge-nere conceditur, quatenus per therapiam congruam tem-pore adhibitam illa cito infringi solet et auferri. Caete-rum raro eam in indurationem et scirrhum, rarissime in gangraenam abire, jam monui. — Abscessus quandoque obortus facile sanari consuevit.

§. 349. *Cura* glossitidis primo circa tollendas, ener-vandas, siquidem perstant, causas excitantes, adeoque circa asperos dentium canthos lima obtundendos, extra-hendas festucas osseas, acus, aculeos, revocanda aut pro possibili supplenda profluvia suppressa, repulsa exan-themata etc. occupetur.

Dein adversus inflammationem ipsam, habita origi-nis, gradus, stadii, mutuae relationis tum illius tum fe-bris communiter inflammatoriae ratione, dirigatur. The-rapia proinde universalis et topica eadem suscipienda, quae contra varias inflammationes generatim jam expo-sita fuit. Venaesectio, ubi necessaria, hirudines linguae ipsi vel infra mentum, cucurbitae scarificatae huic eidem quam promptissime adplicandae, fomenta porro aut ca-taplasmata emollientia ad collum, vapores, collutoria emollientia, ubi largus, tenax molestat mucus, blande

simul injicienda, pediluvia, enemata solventia, evacuantia, haustu pharmacorum potuumque antiphlogisticorum per linguae tumorem praepedito vel maxime necessaria, indicantur. Urgente necessitate tentandus ad mentem *Liboutoni* et *Richteri* sypho, quo per nares ad imum pharyngem ducto fluida medicata inferantur. — Lingua excoriata, laesa, nimis dolens, aut ante os protrusa, valde sicca mucilagine aut oleo pingui blandissime diligenter oblinienda est. — Imminente tamen suffocationis periculo, incisiones linguae praestans, plerumque instantanee sublevando par sistunt remedium. Juxta linguae nimirum longitudinem medium inter et margines ope bisturiae instituuntur, pollicem cum dimidio longae, duas tresve lineas profundae, cruorisque inde manantis lenti, viscidi, nigricantis fluxus per spongias aqua tepida imbutas etc. sedulo promovetur. Incisionum ejusmodi vulnera collapso tumore superficialia visuntur, facile coalescunt, et laryngotomiae ancipitis vices explent.

Suppuratio forte orta ad normas jam communicatas generales juvanda, et abscessus quantocyus aperiendus est.

§. 350. *Criseos* et *convalescentiae* tractamen pariter ex notis jam generalibus principiis facile definitur.

Spec. V. Inflammatio pulmonum.

§. 351. *Inflammatio pulmonum, pneumonitis (pneumonia, peripneumonia,* die Lungenentzündung) hieme frigida et sicca frequens, regionibus montosis asperis fere endemica. Jam dextrum jam sinistrum, raro utrumque tenet pulmonem; pleuritidem saepe, pericarditidem quandoque sibi sociam habet.

Hanc inflammationem communi sub titulo cum pleuritide plerique pertractarunt auctores, quia utraque saepe juncta adest, altera alteri facillime adsociatur, aut altera in alteram transit, atque symptomata cujuslibet

non semper distingui perfecte possunt. Attamen characteres diagnosticos, prout utrique seorsim obviae conveniunt, sejunctim pro viribus illustrare conabor, utramque separatim, pneumonitidem hic, pleuritidem inter inflammationes membranarum descripturus.

H. Boerhaave, J. B. Burserius, J. P. Frank, S. Vogel, Conradi, Sprengel, Richter, ab Hildenbrand, I. R. Bischoff opp. cit.
M. Stoll, aphor. etc. §. 137—192.
Quarin l. c. p. 259—290.
Clinique médicale etc. par *G. Andral* fils etc. Paris 1827. T. I.

§. 352. Nunc de pneumonia *acuta*, inferius de *chronica* sermonem faciam.

Acuta aut absque ullis prodromis, nisi ex febri inflammatoria qua symptoma evoluta, aut paucis modo adversae valetudinis et difficilioris respirationis symptomatibus brevi praegressis, a *frigore febrili* orditur valido, consuetis stipato symptomatibus, mox post horae dimidium mox post bihorium in *aestum* transeunte continuum, omnibusque febri essentialibus phaenomenis circumdatum. Accedunt his plerumque cito: sensus oppressionis, quasi ponderis pectori incumbentis; respirium difficile, citatum, parvum, breve, cum halitu multum calente, motus igitur thoracis justo minores et inaequales jam sub respiratione dicta, maxime vero tentata inspiratione profunda animadvertendi; tussis frequens, brevis, intercepta, per inspirationis profundioris tentamen, sermocinationem, deglutitionem, levem temperaturae mutationem, motus trunci facillime provocanda, dyspnoeam imo orthopnoeam suffocativam causans, initio plerumque, stadio acmes aliquando sicca (*pneumonia sicca* vocata), alias sputa expectorans seroso-mucosa, spumantia, dein puriformia, sanguinis puncta vel strias gerentia aut sanguine intime mixta, rubicunda, brunea, coloris hepatici vel imo nigricantia (*pneumonia humida*); casu rariore tussis

nulla; inquietudo, anxietas; cordis palpitatio; instantaneum molestiarum enumeratarum augmentum per inspirationem profundam spiritu retento, et per situm in latus sedi inflammationis oppositum; insignis venarum jugularium expansio; rubor turgorque faciei auctus, oculorum conjunctiva rubicunda, caput obnubilatum, deliria, sopor varii gradus ex plethora capitis; pulsus gradu inflammationis altiore (ob nimiam pulmonum oppletionem, parciorem igitur sanguinis refluxum in atrium et ventriculum cordis sinistrum) suppressus, debilis nempe, vacuus, mollis, imo intermittens; extremitates quandoque subfrigidae; cutis sudore mere symptomatico madens; urinae parcae, crassae, jumentosis subsimiles, potius rubro-flavae; crusta phlogistica sanguinem missum tegens. — Intensitate et extensione moderatam pneumoniam non minor solum symptomatum primo nominatorum gradus, sed pulsus etiam pleni, duri, fortes, cutis sicca, et urinae flammeae, pellucidae comitantur. — Pneumonia levis, facile praetervidenda aut pro catarrho simplici habenda, ex dyspnoea continua, ponderis in pectore sensu, respirio inaequali, laterali, obliquo, inspiratione profunda tussim provocante, inhibita aut denegata, attente ponderatis cognoscitur.

Quo purior pneumonia i. e. quo magis ad pulmonis parenchyma limitata, eo clariora phaenomena sunt characteristica mox recensita; cum pleuritide autem composita, *pleuro-pneumonia*, dolores insuper illis admixtos offert aliaque pleuritidis symptomata alibi describenda.

§. 353. *Febris* de regula est *inflammatoria*, rarissime sub decursu ulteriore nervosam nanciscitur indolem vel septicam. Utut caeteroquin *continua*, pneumonia tamen cum catarrho aut rheumate composita, cum statu gastrico, bilioso complicata, nec non charactere nervoso initiante et evoluto *remittens* cernitur; imo a me et aliis (*Medicus, P. Frank, de Rensi etc.*) *intermittens* observata est. Casu primo symptomata inflammationis

essentiali cum febri continuant, in altero remittunt, in tertio periodice deficiunt.

§. 354. Pneumonia acuta *exitum* habet vel faustum vel infaustum, in sanitatem videlicet, alios morbos, vel mortem.

Crisis fausta, *resolutio*, rarius jam die quinta, plerumque septima vel nona, sed et undecima, decima quarta demum, aliquando adhuc serius contingit. Decrescunt jam cito jam pedetentim symptomata inflammationis aeque ac febris essentialia cuncta, tussis rarior, mitior, brevior, sputa cocta evadunt i. e. crassa, albido-flava, aut grisea, sanguine punctata aut striata, globosa, hinc inde per sedimentum urinarum puriforme copiosum supplenda; urinae largae secedunt hypostasim formantes rubellam, levem, mobilem; simul sudores universales critici; nec non epistaxis, menses jam redeuntes jam anticipantes, fluxus haemorrhoidalis cruentus etc. in subjectis plethoricis, et si pneumonia causalem quendam cum profluvio cruento normali aut habituali nexum fovet.

Morbi, quos pneumonia non resoluta inferre valet, sunt: *1) Concretiones* loborum pulmonis inter se, cum pleura, pericardio, diaphragmate variis locis variamque per circumferentiam; quae jam nulla producunt symptomata, utpote in cadaveribus hominum morbis pectoris nunquam adflictorum frequenter inventae, jam vero dyspnoeam chronicam, motu corporis fortiore et protracto, usu potuum spirituosorum etc. conspicue ingravescentem, quandoque tensionem in pectore atque dolorem, certis sub corporis positionibus percipiendum, fovent. — *2) Hydrothorax acutus*, humorum nempe serosorum, lymphaticorum, lacti similium aut puriformium, in alterutrum vel utrumque thoracis cavum secretorum collectio. Vix in pura, parenchymatosa, sed in ea potissimum obtinet pneumonia, quae cum velamenti a pleura petiti, vel et pleurae ipsius inflammatione componitur. Concludere ad hydrothoracem acutum licet, si criseos

exspectandae vel priore jam tempore symptomata pneumoniae aut pleuropneumoniae et febris luculenter imminuuntur, dyspnoea vero, pectoris oppressio, anxietas ultra modum increscunt, pulsus inordinatus, sitis urgens evadit, urinae admodum parcae, excretiones criticae omnes debito parciores sunt aut penitus desiderantur, si brachium alterutrum per vices stupore invaditur, manusque ejusdem oedemate intumescit. — *3) Indurationes* in pulmonum substantia, *tubercula.* Minores illae notabilibus si non omnibus destituuntur symptomatibus, majores, numerosae respirationem laboriosam, brevem, anxietatem, sensum puncturarum pectus permeantium, tussiculam siccam, chronicam, pulsum febrilem, parvum, contractum, brachii alterutrius quandoque stuporem inducunt, et serius aut citius data occasione inflammatae singulae aut complures simul suppurantur, *phthisim tuberculosam* formantes. — *4) Suppuratio*, luculentis haud semper notata phaenomenis, praesens tamen est credenda, si febris et inflammatio tempore opportuno imminutae quidem, minime vero requisitis sub excretionibus judicatae, resolutae sunt; si perstantibus dyspnoea, oppressione caeterisque pneumoniae et malae universim valetudinis symptomatibus frequentius accedit frigus, ab aegro in pectore speciatim perceptum; et si respirationis molestia, tussis sicca, aut sputa spumosa, vel puriformia, sanguinolenta expectorans, sitis, reliqua febris symptomata denuo successive ingravescunt; adsociatis pedetentim adhuc febris depascentis suppuratoriae signis, de suppuratione facta, adeoque de *phthisi pulmonum ulcerosa* nullum relinquitur dubium. Manet pus vel abscessibus variae magnitudinis *(vomicis)* reclusum, vel his ruptis citius seriusve in vias aëreas depluit, ex quibus nisi largum nimis et subito proruens suffocet, per tussim evacuatur, aut in cava pectoris effunditur, empyema formans, aut via fistulosa duce ad exteriora, vel in cava mediastini, pericardii, et eroso

diaphragmate in illud abdominis derivatur. — 5) *Exulceratio*, qua praesente non pus blandum, laudabile sed materies inchorosa ejicitur, pulmonum substantia rapide devastatur, atque brevi utplurimum mors accedit. — 6) *Mala metastatica*, speciatim materiae puriformis ad cerebrum, aures internas, hepar, lienem etc. depositiones metuendae, ubi phaenomenis criseos evacuatoriae deficientibus organa dicta calore aucto, tensione, dolore etc. invaduntur.

Lethalem reddunt pneumoniam *indirecte* unus alterve e morbis posthumis nunc memoratis, *directe* inflammationis vehementia vel extensio nimia per oppletionem, paralysin inde et suffocationem, vel per pulmonum gangraenam. Hanc instare credas, in pneumonia admodum vehemente, nullo domando modo, si ingens virium vitalium lapsus cum pulsu debili, parvo, molli, inaequali, vermiculari, inquietudo magna et anxietas, membrorum frigus, facies hippocratica subito irruunt; adesse jam scias, si hisce phaenomenis sudores frigidi, viscidi, et sputa tenuia ichorosa, variegata, cinerea, nigricantia, foetentia adhuc adsociantur, jam pulsantis nuncia mortis.

§. 355. In cadaveribus pneumonia mortuorum sectis inflammationis validae et latius extensae vel vestigia vel producta et sequelas invenire licet, uti: volumine auctos pulmones, colore profundiore, rubro-fusco late diffuso notatos, marcidos simul facileque dilacerandos, raro et a lentis potissimum pneumoniis hinc inde hepatis adinstar solidos (prorsus incongrue hepatisationem vocant); humorum serosorum, gelatinosorum, puriformium, imo cruentorum extravasata in parenchymate pulmonum, canalibus respiratoriis, cavis thoracis; lobos pulmonum membranis recentibus, non raro sat densis et vascula sanguifera continentibus vestitos, earundem ope inter se varia extensione, vel cum pleura costali, pericardio, diaphragmate connexos; indurationes, tubercula; vomicas, sinus, canales pus gerentes capacitate ac numero

variantes; ipsam texturam organicam hinc inde degeneratam.

§. 356. Pneumonitis jam *ipse morbus* adest vel alterius morbi *symptoma* v. gr. typhi contagiosi, variolarum, morbillorum; jam *primaria* vel *secundaria*, *idio-* vel *sympathica* (per consensum aut antagonismum v. gr. a suppressa podagra), *pura* vel *complicata*, *simplex* vel *composita; sporadica* vel *epidemica* aut *endemica;* jam *acuta*, de qua nunc praecipue agitur, jam *chronica;* de regula febri inflammatoriae juncta, quae, si quando indolem induit adynamicam, seu nervosam seu putridam, pneumonitidi nomen *passivae*, nervosae aut putridae, impertitur.

Ex *compositis* frequentissimae cum catarrho, rheumatismo, statu bilioso, pituitoso, cum pleuritide; inde pneumoniae *catarrhales*, *rheumaticae*, *biliosae*, *pituitosae* s. *nothae Sydenh.*, *pleuroperipneumoniae* appellatae, peculiari memoria dignae censentur. (*Stoll* rat. med. P. I. p. 3. etc., et *Sydenham* obs. med. etc. Sect. VI. c. 4.) *Priores* duae ex concomitantibus, saepe jam praegressis symptomatibus catarrhosis vel rheumaticis, ex typo luculenter remittente, et quodammodo ex causa excitante, anni tempore ac tempestate, genio morborum regnante; *biliosae* ex symptomatibus biliosis in febri hujus nominis descriptis; *pleuroperipneumoniae* ex infra exponendis pleuritidi propriis adsociatis cognoscuntur. Pneumonia *pituitosa*, s. *notha*, inepte falsa, spuria vocata, ex adjuncto statu pituitoso in febri pituitosa delineato cognoscenda, subjectis pituita, pulmonum maxime, laborantibus, pastosis, quidquam obesis, potui spirituosorum deditis, aetate virili et senili potissimum infensa, intrante et exeunte hieme atque vere primo frequentior occurrit, catarrhis simul, febribusque catarrhalibus et pituitosis regnantibus. Moderatam penes febrim magna pectoris oppressione, per tussim summopere ingravescente; respirio frequente ac citato, brevi, parvo, an-

heloso, strepente; tussi valida dolorem toto in pectore modicum excitante, cephalaeam aliunde insignem exasperante, imo saepius potulentorum vomitum ciente, cum difficili pituitae crassae, tenacis expectoratione; pulsu frequente, debili, parvo, vacuo (suppresso); urinis flammeis mox turbandis, et status pituitosi universalis characteribus (§. 180.) designatur.

§. 357. Qui in febrim inflammatoriam generatim (§. 99), in pneumonitidem quoque *disposili* sunt homines; tali enim favente dispositione longe frequentius istam ac febrim inflammatoriam simplicem oriri, compertum habemus. Praeterea habitu phthisico, thorace per rhachitidem deformato, angustato praediti, sic et pneumonitide jam mulctati, praesertim ea non perfecte resoluta, concretionibus, indurationibus etc. relictis, eidem prae caeteris sunt obnoxii. — *Causis occasionalibus* praeter communes inflammationum (§. 261.), e quibus sanguinis normales vel habituales evacuationes nunc suppressae, potuum spirituosorum abusus, et vehementes eminent animi motus, accensentur: aër frigidus, siccus, austerus calenti imprimis corpori, aut nimis tenero, non adsueto, insufficienter vestito, aut quiescenti refrigerium facile inferens, unde bruma frigida, siccis austro, borea, aut vento inter utrumque medio regnantibus pneumonitides valde frequentes; atmosphaerae constitutio singularis, pneumonias epidemicas gignens; incauta repentina aëris frigidi cum calido commutatio; intensio et exaestuatio pulmonum excedens loquendo nimium, declamando, vociferando, cantando, efflando, cito praesertim per scalas eundo, currendo, saltando, levando onera et gestando; labores ad partum gravissimi, protracti; emesis, tussis laboriosae, frequentes; equitatio ventum versus suscepta; duriores manuum, brachiorum exercitationes; potus frigidus, glacies condita calente aut sudante imo corpore deglutita; pulveres, arenae subtiles (quibus v. gr. lapidarii, statuarii exponuntur), vapores

acres acidi, alcalini, metallici uti mercuriales, arsenicales etc. inspiratione attracti; corpora peregrina in ramificationes bronchorum delapsa; pulmonum commotio, laesiones, vulnera; inflammationes aliae, pleurae nimirum, tracheae et laryngis, faucium, cerebri, hepatis et s. p. ad pulmones transgressae. Morbi, quorum *symptoma* quandoque pneumonitis observatur, sunt: typhus contagiosus, morbilli, variolae, dein febres inflammatoriae catarrhales, rheumaticae, gastricae biliosae, raro intermittentes.

§. 358. Pneumonia acuta communiter periculosa est, ob functiones pulmonum ad vitam necessarias laesas, texturam eorum teneram, facillimam exinde vasculorum laesionem, destructionem, arctissimum cum corde nexum, copiam sanguinis irruentis et impetum, motumque pulmonum prorsus irrequietum; cura tamen altero saltem tertiove die instituta activa et congrua periculum multoties arcendo par est.

In *prognosi* respiratio, sputa, febris gradus et indoles, viresque vitales respectum merentur essentialem.

Quo impedita magis est respiratio, quo majores ex ea oppressio, aegri inquietudo, anxietas, eo pejor prognosis. — Latus thoracis alterutrum sub respiratione non moveri, situm in uno solum concedi, versionem in oppositum per instantaneam oppressionem summam penitus denegari, malum, de alterutrius enim pulmonis inflammatione insigni testatur; pejus adhuc, et plerumque lethale, thoracem respirando vix elevari utrinque, respirationem itaque solo diaphragmatis et musculorum abdominalium motu (abdominalem) perfici, situmque non nisi dorsalem, aut imo suberectum concedi, utriusque enim pulmonis inflammationem designat.

Tussis continua sicca, aut cum sputis serosis, spumantibus, croceis, bruneis, cinereis, nigricantibus, mali ominis est, nisi reliqua phaenomena essentialia decrescant. — Idem de urinis valet coloris normalis, pel-

lucidis, ultra diem quintum perstantibus, quin turbentur aut hypostasim faciant laudabilem. — Idem notant synocha intensa, pneumoniae cum pleuritide, tracheitide, laryngitide, pharyngitide, encephalitide, hepatitide etc. connubium, symptomaticae in typho, morbillis, variolis, scarlatina evolutio, recidiva brevi exorta, character febris in nervosum vel putridum commutatus.

Periculum ex pneumonitide subeunt praecipue infantes, et subjecta senilia decrepita, pituitosa, exhausta alia, habitu insigni phthisico donata, pulmonum debilitate, vitiis organicis jam ante laborantia, pneumoniis iteratim tentata, item gravidae, quibus abortus facilis aut mors ipsa imminet, et puerperae.

Nec vehementia febris nec magna respirationis difficultate decrescentibus mors die septima vel nona instat. Quam annunciant pulsus admodum debilis, vacuus, parvus, inordinatus, intermittens; frigidum corpus pectore, collo et capite exceptis, calorem diutius foventibus; faciei, manuum, pedum, imo brachiorum livor; inquietudo et anxietas summa cum sudoribus serosis aut viscidis, hinc inde frigidis; tussis rarior quidem ast suffocationem minans, sputa ichorosa, foetentia, nulla.

Pneumonitis sine notabili remissione ad decimum et quartum diem excurrens, pro individui constitutione, vel exitus lethalis vel malorum posthumorum incutit metum.

Pneumonia notha majoris gradus periculo mortis suffocativae vel apoplecticae juncta, imo quandoque fallaci sub lenitate, quin caloris febrisve indicia moneant, nec opinantes opprimit, anhelitu et debilitate subito crescentibus. (*Boerhaave* aphor. 872.)

Neglectam primis tribus quatuorve diebus pneumonitidem saepe aut mors aut morbi sequuntur secundarii vix avertendi. Quae criseos faustae, quae transitus in morbos posthumos, horumque singulorum sint signa, ex superiore, pneumonitidis descriptione, et generalibus

circa varios inflammationum exitus §. 244. etc. expositis intelligitur.

§. 359. *Cura* ex principiis generalibus statuenda. De *acuta* pneumonia primum agitur.

Momentum causae excitans, si efficax perstat, modo qualitatibus et sedi ejus, sicut inflammationis magnitudini adaequato tollendum est aut enervandum; adeoque corpora peregrina v. gr. e pulmonibus, si fieri potest, amovenda, vulnera, contusiones per ictus, lapsus etc. illatae confestim debite curandae sunt. Regimen simul quoad victum, potus, corporis animique quietem, temperaturam, lucem, vestitum etc. prorsus antiphlogisticum (§. 102.), ad amussim servandum, speciatim curandum est vel maxime, ut aër aegrum ambiens tepidulus sit et ab irritante quovis haeterogeneo purissimus, ut aeger nil sese jactitet in lecto, sub tussi, sumendo potu etc. se haud elevet, locutionem ad absolute inevitabilem eamque voce demissa restringat, atque in succutientem tussim cohibendam voluntatis imperio utatur.

§. 360. Inflammatio ipsa, utpote communiter synochae juncta, *tractamen* indicat antiphlogisticum, promtissimum; quod nonnisi evoluta fors indole nervosa aut putrida ad normam §§. 278. et 279. modificandum foret. De regula igitur venaesectio, quantam pneumoniae magnitudo et decurrendi ratio, constitutio aegri individui, et genius morborum regnans jubent, extemplo instituenda est, et pro indicantium momentorum dignitate iteranda. Largior quam in plerisque aliorum viscerum phlogosibus requiritur; et in brachio lateris eminenter adfecti, cui consuetim aeger facilius incumbit, celebranda praefertur. Potus simul et medicamina emollientia, aquoso-mucilaginosa cum nitro et oxymelle, tepide et frequentissime, haec omni ½, illi ad minimum omni ¼ horae sumendi, fomenta aut potius levia cataplasmata, horum defectu unguenta emollientia, vapores emollientes lenissime inspirandi, enemata eccoprotica adhibeantur opor-

tet. — Quantum sanguinis mittendum, quando et quoties phlebotomia repetenda, quando hirudines (caeteris paribus hic non adeo ac in pleuritide efficaces) in usum vocandae sint, et quousque methodus antiphlogistica in genere continuanda, abunde intelligitur ex iis, quae circa hanc rem in febre inflammatoria simplice §. 103., et in generali phlogosium therapia §. 275. etc. statuebantur. Respirationis difficultas imprimis, tussis, sputa, et congestionum ad caput ex- et internarum symptomata sunt bene attendenda. Et ubi pulsuum fallax debilitas, vacuitas, irregularitas, delassationis maximae sensatio, deliria, urinae turbidae inchoato vix morbo jam statum nervosum mentientes ad perversam, seducere curam possent non attentos, ab errore facile lethifero praemunient comparatio symptomatum caeterorum omnium, eorumque initii, evolutionis, decursus, durationis cum individuali aegrorum dispositione ac valetudine inflammationem praegressa, causisque occasionalibus, nec non genii morborum stationarii et annui prudens consideratio.

Pneumoniae indoles primario *catarrhalis* aut *rheumatica* depletiones sanguinis universales et locales caeterum indicatas minime excludit, ast non ultra, quam phaenomena phlegmonosa exigunt, et eas et methodum totam antiphlogisticam intendi ac protrahi jubet, ne pneumoniae simulque catarrhalis aut rheumaticae adfectionis universalis resolutio praepediatur, et character febris accersatur nervosus aut putridus.

Pneumoniae *symptomaticae* typhi, variolarum, morbillorum, cum symptomatibus quoad formam catarrhalibus incedere solent. Vigente febri inflammatoria methodum exposcunt antiphlogisticam, minus tamen generosam, ac si purae forent, substantivae, et phlegmonosae. Plura de his in tractamine typhi, variolarum etc. infra dicentur.

Antiphlogisticam therapiam, speciatim phlebotomias

magis adhuc restrictas volunt *pneumoniae nothae*. *Sydenham* post et inter venaesectiones minores eccoprotica, nec non potulenta emollientia observavit utilissima. Casibus tamen specialibus debite spectatis et sali ammoniaco, polygalae senegae, antimonialibus, scillae marinae, ipecacuanhae dosi refracta, etc. locus erit.

Symptomatibus inflammationis cum febri, per tractamen antiphlogisticum imminuta, haud aequabiliter decrescentibus quae opponenda sit medendi ratio, ex generalibus §. 106. facile depromitur.

§. 361. Therapiam sub *crisi*, *resolutione* pneumonitidis ad principia generalia faciendam vires vitales earumque phaenomena, evacuationum criticarum viae, copia et conditio potissimum regunt. Statu virium systematis circulatorii bono, febris indole activa perstante, pulsu jam moderate frequente, libero, sat forti, crisi sputis, sudoribus et urinis criticis rite procedentibus vel maxime cavendum, ne per refrigerium, diarrhoeam artificialem, pharmaca stimulando calefacientia etc. supprimantur, nec per regimen nimis calidum, per sudorifera potentiora ultra modum promoveantur. Medicamina aquoso – mucilaginosa cum aceto ammoniacali et oxymelle simpl. aut roob sambuci, et tempore intermedio potulenta ex decocto rad. alth., salep, hordei, infuso fol. alth., flor. verbasc. etc. tepida assidue sumta, regimen quietum moderate calidum, cataplasmata emoll. de die saltem continuata, noctu vero ad concedendum aegro somnum, et avertendum refrigerium, per unguentum emolliens superimposito linteamine simplici calido sicco compensanda, congruum sistunt apparatum et sufficientem.

Excretionibus autem criticis ob febris inflammatoriae vigorem imperfectis adhuc et aequo parcioribus, tussi molesta, sputis parcis, tenacibus, vix coctis, prae caeteris infringere febrim continuata cura antiphlogistica opus est. Prima statim morbi aetate antiphlogistice tractatis in casibus pharmaca mucilaginosa, nitrata, potus

emollientes, clysteres aperientes etc. continuare plerumque sufficit; quandoque tamen sanguinis per venaesectionem aut per hirudines depletio ob febris aut inflammationis gradum adhuc necessaria fit. Ponderatis omnibus momentis instituta hoc stadio expectorans et sudoriferum evadit remedium, promtissimum et certissimum; omissa vero non tardatam solum, sed imperfectam quoque pneumoniae resolutionem, imo plenarium hujus defectum, et morbos ejus secundarios, supra nominatos, sequelas habet.

Alias crisis febri et inflammatione fractis tarda et imperfecta observatur vel ob virium requisitarum defectum, et sputa in specie nimis crassa et tenacia, quemadmodum saepe in pneumonia notha, vel ob febris indolem nervosam imminentem aut jam evolutam. Conveniunt casu primo: sal ammoniacus, tart. emet. dosi refracta, nec emesin nec diarrhoeam ciente, sulf. aurat. antimon., kermes minerale, scilla marina, rad. polygal. seneg., rad. enulae, sulf. purum, flor. benzoës; — casu altero: eadem incitantibus tum nervinis tum systema cutaneum petentibus nupta, qualia sunt decocto-infusa flor. arnicae et rad. valer. aut flor. chamom., sem. foenic. etc., camphera aut moschus dosi parva; vesicantia; porro sp. sal. ammon. aquos., anisat., sal volatile corn. cerv.; gummires. ammon., asa foetida. Ubi expectorationem facilitare, augere scopus est, vires, febris et status nervosi indoles tam ex recensitis pharmacis selectum quam singulorum cum aliis v. gr. narcoticis connubium praecipue determinant.

Evacuationibus criticis terminos salutiferos excedentibus, maxime sudoribus profusis et protractis quomodo sit occurrendum, praecepta generalia §§. 86 et 108. docent. Tractamine consimili opus habent sputa critica nimis larga, et ultra tempus in aegri damnum continuantia, qualia utut raro eximia sub debilitate, imprimis nisu in characterem colliquativum praesente, in subjectis

inertibus, laxis, pituita pulmonum laborantibus occurrunt.

§. 362. Pneumonitide ad resolutionem nondum perducta si febris in *nervosam* mutari minatur vel mutata jam est, vesicantia pectori, regioni intra scapulas aut brachiis adplicata, interne camphora cum nitro vel sale ammoniaco in decoctis mucilaginosis, emulso amygdalino, mixtura dicta oleosa etc., et exsuperante charactere nervoso gradus altioris therapia adcommodate excitans, antagonistice irritans, contra febrim nervosam praescripta, conveniunt.

§. 363. Imminente aut jam praesente charactere *putrido*, quem praeter signa ejus communia respirium valde molestum, sputa multum cruoris tenuis, non coagulabilis, aut materiem bruneam, nigricantem foetidam gerentia, facile prodeuntia denotant, relicta therapia antiphlogistica illico ad antisepticam, qualis contra febrim putridam laudata, specialius pulmonibus primario eminenter adfectis adcommodatam, transeundum est. Hoc intuitu in priorum emollientium locum nunc vapores quidquam incitantes ex infusis flor. chamom., herbae menthae, hyssopi etc., aërem vaporibus acidis mineralibus levissime imbutum, imo urgente debilitate vitali et exigua pulmonum irritabilitate acetum aromaticum, liquorem m. Hoffm., naphtas, olea aetherea, sp. sal. ammon. oleosum constanter inspirare oportet.

§. 364. Judicata feliciter febri et pneumonia resoluta, ut *convalescentiae* prospiciatur, ad tollendos morbi residuos effectus et recidivam praecavendam necessaria fiant, in tractamine convalescentiae e febri inflammatoria generatim dicta. Specialius adlaborandum, ut relicta pulmonum et universalis debilitas, si notabilis, decoctis lichenis island., rad. polygal. vulgaris, summitat. centaur. minor. etc., diaeta blanda, digestu facili, pedetentim augenda, aëre puro, libero, et cauto motu in eo successive tollatur. Convalescentes omnem refrigerationis

et incalescentiae occasionem, sermocinationem intensam et protractam, labores brachia, pectus adstringentes, validos corporis motus animique adfectus, vinum aliave spirituosa, potus aromaticos, cibos multum conditos diu adhuc quam solertissime fugiant est necesse.

Irritabilitatem organorum respiratoriorum puram, absque nota inflammatoria restantem, ex tussi spastica per levissimam ansam illico provocanda imprimis cognoscendam, emollientia paregoricis, et pro re nata alterantibus nupta, uti: infusa, decocta mucilaginosa, mixtura gummosa, oleosa cum dosi refracta opii, extr. hyoscyami etc., aut pulvere Doweri, caulibus dulcamar.; potulenta, pediluvia, manuluvia emollientia, unguent. simplex sine vel cum opio, optime compescunt.

§. 365. *Pneumonia chronica* frequentissime obvia, facile praetervidenda, nec facile semper cognoscenda, hinc *occulta, latens* vocata, nimis saepe jam post septimanas, jam post menses in suppurationem et phthisin pulmonalem abit, hancque in ultimum usque stadium comitari consuevit. (*M. Stoll* aphor. 186.—192.)

§. 366. *Dispositionem* et *causas excitantes* pneumoniarum acutarum phlegmonosarum, catarrhalium, rheumaticarum etc. communes (§. 357.) agnoscit; originemque suam vel immediate ex his protractis, vel mediate ex effectibus earundem et sequelis, vitiis organicis, pulmonum indurationibus praecipue, tuberculis ducit; vel scrophularum, arthritidis, syphilidis, aliorumve morborum *symptoma* adest.

§. 367. Facilis quidem est *diagnosis* ejus, ubi subjecta tenet habitum phthisicum exhibentia, aut scrophulosa, aut quae pneumoniis manifestis non rite judicatis, vel catarrhis inflammatoriis iteratis, neglectis fors aut perperam tractatis laborarunt; et ubi aegrorum conditio, vivendi ratio, negotiorum genus, aliave noxa ortum illius indigitant; difficilis vero, ubi ex solis hauriri debet symptomatibus, utpote nec indole, nec magnitudine,

nec duratione constantibus. Plerisque tamen in casibus sequentia inveniuntur: *dyspnoea* major minorve *continua*, a pastu, incessu citato aut protracto, ascensu scalarum, cursitatione, sermocinatione multa, cantu, usu spirituosorum etc. adaugenda; *tussicula* frequens, *sicca*, ab incalescentiae occasionibus analogis, et ab omni respirationis et circuli incitatione fortius molestans; *dolor* sub ea vel et continuus in quadam pectoris regione *obtusus*, pressivus, cui tardius ardor et puncturae fugaces adsociantur, exinde pectus omnem in directionem pervagantes; adpetentia parum languida, *habitus* evadens *cachecticus*, facies lurida terrea, quandoque cadaverosa, quibus cum aliqua hepatis nonnunquam intumescentia morbus pro viscerum abdominis infarctibus imponere valet; *febris* initio *levicula*, attento solum observatori a prandio et vesperi per pulsum frequentem, calorem auctum et faciei turgorem, ruborem praeprimis in gena lateris adfecti circumscriptum, tussim frequentiorem, caput tentatum, inquietudinem manifesta, postea vero increscens, continuam sese offerens, et exacerbationes dictis mox temporibus luculentas, a frigore ordientes, celebrans; frigus mite etiam tempore intermedio, et *horripilatio* saepe recurrens aegris molesta. *Macies* successive eminere magis conspicitur, augetur tussis, et sputa prodeunt aliqua spumantia, dein largiora mucosa puriformibus mixta, figurata, sanguine striata, tandem vere purulenta, cum accedentibus jam omnibus phthiseos purulentae symptomatibus. — Contingente pneumoniae chronicae resolutione *crisis* fausta, qualis in acuta, largis sub sputis coctis, sudoribus et urinis, sequitur, intercisa tamen, et passu lento procedens.

Pleuropneumonia chronica, lenta, non raro pulmonis superficiem et pleuram occupans, manifestis stipatur doloribus, saepiusque in hydrothoracem ejusque sequelas abit.

§. 368. Patet ex his, pneumoniam chronicam, utut

lente decurrentem et specie mitem, maxime tamen formidabilem esse, uberrimum nempe phthisium pulmonalium, hydrothoracis fontem, et quandoque mortis repentinae vel a sanguinis aut puris effusionibus suffocativae, vel apoplecticae causam. Diagnosi solum tempestiva, absente habitu phthisico, circumstantiis individuum, anni tempus et tempestatem spectantibus faustis, therapia mature inchoata congrua, patienterque continuata morbo sufferendo aegroque salvando par invenitur.

Scrophularum, arthritidis symptoma curatione apta, et nonnunquam phlogosi in exterioribus orta, fluxu haemorrhoidali etc. feliciter sanatur.

§. 369. *Therapia* tam momentis causalibus, disponenti videlicet et excitanti, quam inflammationi ipsi debet adcommodari.

Individualis ad sanguinis in pulmonibus congestiones dispositio organica nec certe nec tuto tolli, ulterior vero illius formatio procrastinari, forsan praepediri potest evitando quaequae vim inferunt pulmonibus, humorum circulum nimis accelerant, aut eorum per pulmones transitum impediunt, atque diaetam (blandam vegetabilem) ac regimen antiphlogistico accedens servando. Dispositione tali evoluta et in pneumoniam lentam evecta, vel hac citra dispositionis favorem producta requiritur, ut primo noxae nunc memoratae et caeterae omnes inter pneumoniae acutae causas recensitae vitentur, arceantur, infringantur, dein inflammatio ipsa pro origine v. gr. ex tuberculis, scrophulis etc., pro gradu, duratione et statu universali tractetur. Tubercula modo fere inevitabili abire in suppurationem consueverunt, quam tamen ratio medendi emolliens et sedans cum derivante et antagonistica saepe diu tardare valet. Conveniunt itaque cataplasmata, fomenta, unguenta, balnea, enemata, vapores, potus emollientes, serum lactis dulce, aqua Selterana cum lacte, mixtura oleosa, emulsa, decocta mucilaginosa cum caulibus dulcamarae, digitali pur-

purea; sinapismi, vesicantia, unguentum tart. emetici, fonticuli, forsan et moxa a *Vaidy* celebrata. (Journ. univ. des sciences médicales. Par. 1820. Cah. 5.) Inflammatio ipsa, nisi conditio organismi totius absolute repugnet, venaesectiones parvas, repetitas, saltem depletiones sanguinis ope hirudinum princeps agnoscit remedium, sine damno non praetermittendum. — Pneumoniae lentae scrophularum symptomati eadem opponenda est medela; praeterea penes digitalem purp., ni malum majores jam fecerit progressus, antimonialia etiam et mercurialia mitiora, sal ammoniacus, terra ponderosa salita (baryta muriatica), arnica, conium maculatum, belladonna pro rerum adjunctis adhiberi merentur. Tonica, speciatim cortex Peruvianus, aquae martiales soluta inflammatione in tuberculis nocent, in scrophulis proficere possunt.

§. 370. *Convalescentiae* e pneumonia chronica feliciter impetratae cura in eo consistit, ut remedia ad convalescentiam ex febri inflammatoria (§. 190.) et ex pneumonitide acuta (§. 364.) rite curandam laudata longo continuentur tempore, et normae ibidem praescriptae constanter ad amussim serventur.

§. 371. De *pneumonia intermittente* jam ad febres intermittentes (§§. 212. et 224.) scitu necessaria interserebam.

§. 372. Si pneumonia seu acuta seu chronica, deficiente crisi fausta, in morbos abit secundarios, horum adcommodatam medelam sine mora fieri oportet. Quae in apta normarum et remediorum adplicatione consistit, pro curandis inflammationum pedissequis malis in genere (§. 287. etc.) expositorum.

Spec. VI. Inflammatio cordis.

§. 373. *Inflammatio cordis* (*carditis*, Entzündung des Herzens) practicorum versatissimorum testimonio ad

raros, hucdum saltem rarius observatos et exacte descriptos referenda est morbos. Etiamsi eam intensae pneumoniae sociatam praetervisam, chronicam lente ac moderate decurrentem pro morbo alio, uti *Morgagni*, *Corvisart*, *Burns*, *Testa*, *Kreysig* referunt, habitam fuisse et adhuc haberi facile concedo, nonnullis tamen monographis adparuisse frequentius, quam practicis praedilectione non ductis revera adfuisse, nullus dubito.

Senac, traité de la structure du coeur etc. Paris 1774.
B. de Stoerk, Ann. med. II.
P. Frank, *S. Vogel*, *C. Sprengel*, *de Hildenbrand*, *I. R. Bischoff*, opp. cit.
Corvisart, Essay sur les maladies et les lésions organiques du coeur etc. Par. 1806. 8.
Ant. Jos. Testa, Prof. in Bologna, üb. d. Krankh. des Herzens. Ein Ausz. a. d. Ital. mit Anmerk. a *K. Sprengel* Thl. I. Halle 1813. 8.
Allan Burns, von einigen der häufigsten u. wichtigsten Herzkrankheiten. A. d. Engl. übers. von Dr. *Nasse*. Lemgo 1814.
Dr. Fr. Ludw. Kreysig, die Krankheiten des Herzens, systematisch bearb. u. durch eigene Beobachtungen erläutert. 3 Thl. Berl. 1814—1817. 8.

§. 374. Carditis *acuta* palam fit synocha forti cum pulsu valde frequente, omnimode inordinato, inconstante, et intermittente, duro et forti; pulsationibus cordis et arteriarum majorum admodum intensis et irregularibus, cum palpitatione angente saepius redeunte, motibusque cordis quandoque inordinatis, tremulis, obscure animadvertendis; aestu, ardore et gravitatis aut compressionis sensu in cordis regione continuis; doloribus ibidem punctoriis, lancinantibns aut [obtusis modo pressivis; anxietate peculiari summa cum magna pectoris angustia, respiratione citata, difficili, saepe suspiriosa, inspiratione tamen profunda nec denegata nec per dolores aut tussim intercepta, quandoque aphonia; situ dorsali impedito; animi deliquiis; sudore symptomatico; extremitatum frigore, livore, quandoque paralysi. His

frequenter adjunguntur vomitus vehemens, pulsatio in epigastrio, singultus, spasmus pharyngis, imo hydrophobia, delirium furibundum vel coma somnolentum. Facies aegri jam turget, rubet, imo caerulescit, cum obtutu minace, jam collapsa, pallida, moesta, obtutu languido conspicitur.

Monente *Kreysig* (l. c. T. II. sect. 2. c. 2) carditidem suspicari in febribus licet inflammatoriis, quae cum pulsu cordis et arteriarum valde frequente, respirio admodum citato cum dolore indeterminato, aut aestu magno, angustiarum et pressionis in pectore sensu, et lipothymia imminente intrant, et sub quibus facies aegrorum plerumque statim ab introitu defigurata, in longum quasi ducta, perquam rubra, vel pallida vel flavicans cernitur, oculique raro aperiuntur. Juvat hisce phaenomenis inquietudinem addere et anxietatem singularem, animi depressionem, et iteratas cordis palpitationes.

§. 375. In carditide *chronica*, *lenta*, symptomata nec omnia simul, nec adeo magna sunt, et luculenter remittunt. Quam ob rem sub ejusmodi remissionibus carditis facile praetervideri, in dubium vocari potest. Morbo provecto magna animi prostratio, desponsio, vitae taedium non raro superveniunt.

§. 376. Carditis sive simplex sit sive pneumoniae sociata, sive acuta et vehemens sive chronica et mitior, ut resolvatur, circumstantiarum tam externarum quam aegros spectantium favore opus habet. In specie desideratur, ut a cordis laesionibus originem non trahat, et ut tractamini congruo tempestive sit subjecta. Frequenter autem *lethifera* evadit, vel jam altero, tertio, quartove die (acuta), paralysim, rupturam aut gangraenam inferendo, vel tardius, morbos secundarios aut cordis vitia, hydrocardiam scilicet, partialem aut totalem cordis cum pericardio concretionem, suppurationem, ulcerationem causando, aut (lenta) incrassationes, indurationes, ossificationes valvularum, arteriarum coronariarum

cum *anginae pectoris Heberdenii* dictae symptomatibus, et vasorum majorum, physconiam (polysarciam), aneurismata cordis, angustationes cavorum ejus, aortae, aut arteriae pulmonalis, nec non, si inflammatio membranam internam occupat (*Kreysig*), polypos cordis producendo, a coagulis polypi formam aemulantibus probe distinguendos, quae post agonem protractum in cadaveribus communiter inveniuntur.

Suppuratio in cordis superficie per annos durare potest, antequam lethalis fiat. Praeter communia suppurationis internae symptomata pedetentim prodeuntia, speciatim frequentem in regione cordis horripilationem, cardiopalmum vehementem, anxietatem, lipothymias repetitas, pulsusque inordinatos, et cum his lentam contabescentiam universalem (*phthisin cordis*) observare licet.

Latiorem cordis cum pericardio *concretionem* cardiopalmus frequens ac intensus, magna inquietudo, anxietas, tensionis aut tractionis sensus in cordis loco, instans animi deliquium situ in latus sinistrum tentato, anhelitus, loquela saepius intercepta, pulsus irregulares, intermittentes indigitant.

Indurationes similibus phaenomenis, vel, sicut concretiones exiguae, nullo manifestantur indicio. — *Angina pectoris Heberdenii* per insultus oppressionis cordis summopere angentis, sub ingressu plerumque aut alio motu repente invadentes, cum pulsibus cordis et arteriarum debilibus aut intermittentibus, per peculiarem sub margine sterni sinistro dolorem, in sinistrum usque brachium protensum, per fallacem apnoeae sensum, et per insultuum talium periodicas repetitiones, sensim frequentiores, quarum in interstitiis aegri initio adhuc bene se habere adserunt, proditur.

§. 377. *Differentiae* carditidis eaedem ac aliarum inflammationum memorantur. Est enim *substantiva* aut *symptomatica; primaria* aut *secundaria; acuta* aut *chro-*

nica; phlegmonosa aut *rheumatica* etc.; *simplex* aut *composita; pura* aut *mixta, complicata;* et s. p.

§. 378. *Disponuntur* maxime in carditidem subjecta, corpore et anima admodum irritabilia, mobilia, in animi adfectus pronissima; inflammationem dictam prius jam passa; nec non organico cordis vitio, aut chlorosi gradus altioris adfecta. — *Causae excitantes* sunt inflammationum aliarum et febris inflammatoriae communes, ac sequentes speciales: *a)* laesiones tam thoracis, quam pericardii, et cordis ipsius; intensiones violentae spiritu diu retento, et sanguinis ideo per cor trajectu inhibito, quemadmodum sub elevandis, gestandis oneribus ponderosis, machinis, tubis flando tractandis etc.; *b)* magna anxietas, terror, effrenis iracundia, sed moeror quoque gravis, curae rodentes, amor infelix, zelotypia; efflorescentiarum acutarum et chronicarum, haemorrhagiarum diuturnarum, sudorum etc. suppressiones; — arthritis, scrophulae.

§. 379. *Prognosis* morbi cursu celeri aeque ac lento periculosi ex descriptione illius et morborum secundariorum aestimatione fluit. Isti vero et post eximios, quos *Testa*, *Sprengel*, *Corvisart* et praeprimis *Kreysig* recentissime fecere, conatus ampliore adhuc illustratione indigent.

§. 380. *Curatur* carditis acuta eodem, quo pneumonitis admodum intensa, modo essentiali; nam salus nonnisi per methodum insigniter debilitantem impetrari potest. (*Kreysig* op. cit. cap. 6.) Est autem cura sine ullo temporis dispendio instituenda, cum in mora sit periculum aut mortis aut malorum posthumorum insanabilium. — In chronicae (utplurimum symptomaticae) carditidis tractamine non alia, quam quae pneumoniae chronicae therapiam dirigunt, indicantia valent. Confer. §. 369.

Spec. VII. Inflammatio diaphragmatis.

§. 381. Diaphragmatis inflammatio, *diaphragmatitis* (*diaphragmitis*, Entzündung des Zwerchfells), incongrue *paraphrenitis* appellata) haud frequens est, et quidem rarior simplex quam inflammationibus organorum vicinorum, pleurae speciatim, peritonei, hepatis consociata.

Van Swieten Commentar. T. III. §. 907. etc.
J. P. Frank, S. Vogel, C. Sprengel, ab Hildenbrand opp. cit.

§. 382. Cognoscitur ex sequentibus: Inflammationum momentosarum more orditur a frigore, et cum *febri* decurrit inflammatoria, cum *dolore* dirissimo urente, lancinante, stringente, per diaphragma transversim expanso, sub inspiratione deorsum, sub exspiratione sursum moto, per inspirationem, loquelam, deglutitionem, omnemque trunci motum, et vel maxime per tussim, sternutationem, singultum exacerbando; cum *singultu* fere continuo; respirio, praesertim inflammata diaphragmatis fornice, difficillimo, angente, sublimi, solius fere thoracis actione perficiendo, et singultus causa summe inordinato; calore urente in epigastrio et, si inflammatio partem diaphragmatis concavam praeprimis occupat, sensibilitate adeo exaltata, ut levis attactus jam dolores et singultum, imo convulsiones excitet; deglutitione plus minus ardua, in infima aesophagi parte dolores vel et motum antiperistalticum provocante. Pulsus durante singultu admodum frequens, inaequalis et inordinatus, singultu silente durus, tensus, contractus esse consuevit; raro deest vomitus summe dolorificus materiae biliosae, aut vomituritiones intensae; spasmi tamen musculorum faciei, risus sardonius, et delirium ferox non ad constantia spectant symptomata, etsi istud validis pharyngis spasmis et hydrophobiae junctum diaphragmitidem comitari visum fuerit.

§. 383. *Decursus* hujus inflammationis symptomatibus adeo vehementibus stipatae, et singultu plurimum torquente fere non interrupto vere terribilis, consuetim *acutus* est. Intra septem dies faustam vel infaustam, hanc plerumque sub gangraenae phaenomenis, subire solet crisim. *Exitus* habet cum inflammationibus aliis communes. Ex malis posthumis frequentiora sunt observata: indurationes, partiales chondrogeneses et ossificationes (*Voigtel*), cum pulmonibus et hepate concretiones. Sed et completa resolutione inflammationis obtenta opportunitatem in recidivas maximam diu restare, hasque ipsas singultu imprimis, facile provocando, non raro induci, constat.

§. 384. *Causis excitantibus* adnumerantur: *a)* laesiones et violentiae externae; magna diaphragmatis intensio sub oneribus valde ponderosis elevandis et portandis, sub vomitionibus et conatibus vomendi intensis, sub singultu, quacunque causa nato, pertinace; cartilago xyphoidea, praecipue in sexu sequiore per thoracula aliasve stricturas introrsum versa; *b)* refrigerationes; morborum variorum, praecipue cutaneorum, se- et excretionum normalium et morbosarum, uti transpirationis, sudoris, mensium, fluxus haemorrhoidalis etc. suppressiones etc.

§. 385. *Prognosim* ex nosographia desumere, facile est. Diaphragmitis periculosum semper se exhibet morbum. Nisi cito satis, ad scopum, et necessaria cum energia curatur, intensitate increscente, extensione ad peritoneum, compositione cum pleuritide, pneumonia, hepatitide etc. brevi lethalis fieri potest, vel alio modo infauste judicari.

§. 386. *Therapia* diaphragmitidis quoad essentialia cum pneumoniae gravioris curatione convenit. Tam morbi magnitudine, stadio, decurrendi ratione, quam aegrorum constitutione, causa occasionali, et dominante morborum genio indicatur et regitur. Cavendum maxime

ne querelae aegrorum de extrema delassatione, et anxietas ad medendi genus stimulans, nec singultus effrenis ad incitans antispasticum, nec vomitus biliosus ad antigastricum seducant. Fracto inflammationis vigore usus opii prudenter accommodatus, aut extracti hyoscyami etc. plurimum prodest, singultum adeo dolorificum et inflammationi infensum mitigando, sedando.

Praesente imo jam convalescentia consuetim singultui adhuc ope blandorum pacantium, diu continuatorum, medendum est.

Spec. VIII. Inflammatio ventriculi.

§. 387. *Inflammatio ventriculi (gastritis*, die Magenentzündung) manifestatur: dolore constante insigni urente, vel punctorio, lancinante in epigastrio tumente, tenso, calente, summe sensibili, qui sursum in aesophagum protenditur, et sub attactu aeque ac deglutitis copia licet minima rebus blandissimis, profunda inspiratione, tussi, sternutatione, vomitu summopere exacerbatur; nausea et vomitu frequente, imprimis per assumta quaequae statim excitando, initio assumta fere sola, dein autem bilem aut fluidum cruentum evacuante; alvo obstipa; febri intensa cum pulsu duro, contracto, parvo, inaequali, intermittente, siti clamosa, aestu interno magno cum extremitatum frigore; respirio difficili, inaequali; delassatione summa; quibus saepe singultus, cephalaea, delirium, animi deliquia, spasmi faucium et pharyngis nonnunquam cum fluidorum aversione (hydrophobia symptomatica) associantur.

Gastritis modo superficiem et exiguam circumferentiam occupans non omnia ista, et generatim levia secumfert symptomata. Cognoscitur sensibilitate et anxietate in epigastrio magna perstante, iterata vomituritione, delassatione insigni, pulsu febrili, duro, parvo, inaequali, nec non causae occasionalis et effectuum medelae

adhibitae consideratione. Ex opposito autem numerus symptomatum sympathicorum saepe per dolores hepati quoque et lieni communicatos, icterum, tremores artuum, musculorum faciei et membrorum convulsiones, paralyses partiales, tetanum, ischuriam etc. augetur.

M. Stoll, P. Frank, C. Sprengel, Conradi, Richter, Quarin, ab Hildenbrand opp. cit.

W. Henning, Beschreibung v. d. Entzündung des Magens u. d. Gedärme. Kopenh. 1795. 8.

§. 388. Dantur quidem gastritides *chronicae*, ob symptomatum nonnullorum absentiam, caeterorum lenitatem, decursumque lentum pro mero cardiae spasmo, cardialgia, facile habendae, plerumque tamen gastritis morbum sistit *acutissimum*. Deficiente congruo artis auxilio symptomata ante recensita uti rapide se insequuntur ita et vehementia cito increscunt, et post decem, duodecim jam horas, praecipue ubi venenum acre vel metastasis est causa, aut intra paucos dies per *gangraenam* terminari possunt lethalem. Faventibus rerum adjunctis, gradu inflammationis moderato, cura adaequata statim administrata, intra septem aut novem dies symptomatibus essentialibus aequabiliter imminutis, vomitu et anxietate dissipatis, *resolutio* sub phaenomenis criticis consuetis comparet.

Inter exitus alios frequentiores sunt *indurationes* praesertim partium glandulis ditiorum, pylori nempe et, utut minus saepe, cardiae. Neglecta in modum, quo gastritis judicata fuerat, attentione necessaria saepe non cognoscuntur prius quam symptomatibus stipantur gravibus, optatumque therapiae cujusvis successum ancipitem reddunt. Frequentius lenta quam acuta gastritide producuntur. Signa earum, citra indiciorum gastritidis praegressae resolutionem testantium defectum, sequentia sunt: initio tensio continua, durities et inflatio epiga-

strii, pondus in ventriculo ab ingestis cibis etiam parcis et digestu non difficilibus, digestio admodum lenta et imperfecta, ructus et hinc inde vomitus acidi, borborygmi, alvus per dies aliquot clausa, animi dejectio, morositas. Symptomata haec aliquando per septimanas, dein per dies solum intermittunt, et saepius redeunt, intensiora, diutiusque durant, donec aeger a cibis etiam blandissimis saepe ardorem aut dolorem scindentem ac lancinantem in epigastrio, anxietatem cum sudore frigido, dolores in abdomine, in dorso ab ultimis vertebris dorsalibus deorsum protensos, et in extremitatibus inferioribus, singultum molestum, et vomitum post quemvis fere pastum cum evacuatione assumtorum et fluidi male olentis, tenuis, quandoque sanguine mixti, postea materiae acrioris, bruneae, imo nigricantis sedimento infusi pulveris fabarum coffeae tostarum similis, cum pertinaci alvi obstructione et tabe patiatur, quibus fame torquente adjutis brevi extinguitur. Cadaverum lustratione incrassationes ventriculi nonnunquam latissimae, indurationes aut immutationes cartilaginosae, scirrhi, saepe et carcinomata partium illius adfectarum inveniri solent.

Suppuratio rarior gastritidis sequela, ex suppurationum internarum signis in genere §. 256. memoratis cognoscenda, variis circumdatur effectibus prout abscessus in cava ventriculi aut abdominis, vel per exesa peritoneum cum ventriculo connexum et parietes abdominis, adeoque formatam ventriculi fistulam, extrorsum evacuatur, vel in hepar, perforato diaphragmate in cava thoracis, ipsosque in pulmones viam sibi parat.

Gangraenam gastritides a venenis acribus et a metastasi facile subeunt. Ex signis gangraenae partium internarum, §. 258. generatim expositis, eam cognoscere licet.

§. 389. *Confundi* gastritis posset cum *spasmis ventriculi*, cum *cholera biliosa*, cum *statu gastrico-saburrali*, cum *helminthiaseos symptomatibus*. Certam tamen

diagnosin perfecta symptomatum et his singulis et gastritidi propriorum comparatio, sedula in originis eorum tempus ac modum, in successionem ac durationem investigatio, nec non dispositionis individualis, causae excitantis, et therapiae adhibitae effectuum aestimatio prudens suppeditant.

§. 390. *Disponunt* in gastritidem sensibilitas ac irritabilitas ventriculi eminens, juncta constitutioni morbis inflammatoriis in genere faventi. — Momentis causae *occasionalibus* adnumerandae sunt potentiae modo idiopathico vel sympathico fortiter irritantes, mechanice vel chemice laedentes, tam externae quam internae. In specie habentur *a) idiopathicae:* cibi et potus vehementer irritantes, calefacientes, acres, fermentantes; vini et spirituosorum in genere, uti cremati, alcoholis, taffiae, cremati cum pipere, zingibere etc., diversarum tincturarum, elixiriorum etc.; condimentorum acrium, multum calefacientium abusus; ingesta quaequae fervida; refrigeratio stomachi subita per potum frigidum, aut glaciem conditam imprimis post cibos potusve calidos aut calente multum, imo sudante corpore sumtam; drastica emeto-cathartica contra indicationem therapeuticam, vel dosi debito majore, vel saepe nimis usitata; substantiae venenorum acrium mineralium et vegetabilium titulo notae: arsenicum, merc. sublimatus corros., aerugo, lapis infernalis; iodina, baryta muriatica; acidum sulfuricum, muriaticum, nitricum; ranunculus, flammula jovis, arnica et multa alia; bilis acerrima valde degenerata, in febribus biliosis neglectis; — deglutita corpora acuta: acus, fragmenta vitrea, festucae osseae, spinae piscium, cultri etc.; deglutitae sanguisugae; vermes; ictus, contusiones, vulnera ventriculi; nimia ejus oppletio; vomitus vehemens, pertinax, cardialgia intensa, diu persistens; hernia ventriculi incarcerata; intumescentiae, indurationes confinium organorum, ventriculum immediate infestantes; — *b) sympathicae* (consensuales et anta-

gonisticae, metastaticae): insignes capitis laesiones, commotiones medullae spinalis; excretionum normalium, morbosarum et habitualium tam sanguinis quam humorum aliorum suppressiones; variolae, scarlatina, erysipelas, rheumatismus, arthritis, efflorescentiae, aliique cutis morbi chronici regressi, repulsi; inflammationes partium vicinarum vel remotarum catarrhales, rheumaticae, erysipelatosae, arthriticae, aliaeve ventriculo communicatae. *c) Symptomatica* gastritis quandoque typhi contagiosi, febris biliosae, flavae Americanorum, variolarum comes est.

Gastritis *chronica* generari solet et sustineri continuato spirituosorum, aromaticorum potuum abusu; victu largiter condito; nutrimenta adhuc ferventia deglutiendi consuetudine, dyspepsiae chronicae, status saburralis curatione non congrua, stimulante; thoraculorum stringentium pressione; efflorescentiarum chronicarum, rheumatismi, arthritidis, haemorrhoidum, menstruorum etc. anomaliis.

§. 391. Gastritis communes aliarum phlogosium differentias exhibet omnes; *acuta* nimirum est vel *chronica*, lenta, occulta; *phlegmonosa*, *catarrhalis* vel *rheumatica*; *substantiva* vel *symptomatica* (utplurimum chronica; arthritica, herpetica etc.); *idiopathica* vel *sympathica* et *metastatica*.

Gastritis lenta, *chronica*, nisi ex acuta suam duxerit originem, initio symptomatibus vehementibus supra recensitis destituta, manifestari consuevit sensibilitate solum morbosa ad aliquam ventriculi plagam fixa, continua, per contrectationem fortiorem, per ingesta acria, irritantia, calefacientia in dolorem intendenda; sensu ponderis perstantis, pressionis et anxietatis in epigastrio, rubore et siccitate linguae, anorexia, siti; tardius accedentibus frequentiore vomituritione, vomitu praesertim post nutrimenta assumta, et indurationum ventriculi,

quas id genus inflammationum producere amat symptomatibus §. 388. enarratis.

§. 392. Qui symptomata recensita, decurrendi rationem, exitusque magis consuetos gastritidis tum acutae tum lentae, indolem et intensitatem febris sociae, qui proprietates visceris inflammati aeque ac aegri constitutionem, indolem, efficaciam etc. causae occasionalis simul consideraverit, difficultatem vix inveniet, in singulis casibus de dignitate morbi, decursu proximo et eventu ferendi judicium probabilitati innixum. Specialiora sunt sequentia: Acuta gastritis semper periculo plena. Non datur altera, quae per gangraenam, summam dolorum vehementiam, convulsiones universales et spasmos tam cito lethalis fiat, inflammatio. Atrocissima est, quae magnam ventriculi partem, speciatim pylorum aut cardiam occupat; quae venenis acribus, subito stomachi refrigerio, exanthematibus: variolis, scarlatinae etc. regressis originem debet; quae typhum, febrim biliosam, capitis laesiones symptomatica concomitatur. Intensitas dolorum, vehementia vomitus et frequentia, pulsuum parvitas et acceleratio, frigus extremitatum, lipothymiae, convulsiones, faciei defiguratio, etc. periculi gradui respondent.

Nec acuta nec chronica gastritis, puram aut complicatam spectes, frequens nobis est morbus. Adsertum a *Broussais* promulgatum, vix non omnibus morbis acutis subesse gastro-enteritidem, errori gravi apertissimo, arbitrario inflammationis conceptui nimis lato adquiescit, a veritatis tramite toto coelo aberrans.

§. 393. *Cura* in praesentes fortasse causas excitantes aeque ac in ipsam inflammationem ejusque symptomata, et quidem absque mora, et adaequata cum intensitate, dirigatur oportet. Quare venena acria v. gr. illico evacuari debent, vel mitigando, decomponendo, neutralisando innocua reddi, et quidem methodum ac remedia adhibendo, quae partim veneni eliminandi aut ener-

vandi natura exposcit, partim gastritidis indoles, sedes, magnitudo ac aetas absque exasperatione saltem concedunt. Hunc in finem evacuatio per emeticum, speciatim per zincum sulfuricum, nonnisi brevi post ingestum venenum et quousque gastritidis signa adhuc desunt, secure instituitur, modo, in therapia gasteralgiae (Tomo II.) penitius indicando. Inflammatione vero jam inducta vomitum symptomaticum initio per aquam tepidam, infusum althaeae aut potulentum quodvis fatuum aegro largissime porrectum saltem expedire, tardius, et gastritide jam vigente, substantiam venenosam potius oleo olivarum, amygdalarum purissimo, mixtura oleosa, emulso amygdalino, lacte pingui, butyro recente non salito, decoctis rad. althaeae, salep, vel hordei, orizae, farinae triticae, secalinae, melle, saccharo multo in aqua vel lacte soluto etc. mitigare, decomponere necesse est.

§. 394. Inflammatio ipsa juxta principia therapeutica generalia tractari debet. Diagnosi constituta cavendum, ne frigus artuum, lipothymiae, pulsus parvus, ad speciem debilis (suppressus), in infantibus convulsiones etc. a necessariis phlebotomiis et hirudinum adplicatione deterreant. Magna ventriculi irritabilitas insuper exposcit, ut medicamina et potulenta nonnisi blandissima, mucilaginoso-aquosa et mucilaginoso-oleosa, uti decocta rad. althaeae, salep, mixturae gummosae, oleosae, emulsum amygdalinum, linctus et similia, eaque copia exigua (½—1 cochleari cibario), et tepida capiantur, ut generatim ventriculo in his quoque pro possibili parcatur; vices eorum enemata leniter alvum ducentia, fomenta et cataplasmata levia, si feruntur, balnea, pediluvia emollientia, sub cautissimo solum corporis speciatim musculorum abdominalium motu, nec non vesicantia suo tempore et sinapismi agant oportet. Pro inflammatione, aut rarius et febris indole mutata non interna adeo quam externa adaequate mutentur remedia.

Gastritis *lenta, chronica,* iisdem internis et externis,

diaeta parcissima ac blandissima, mere vegetabili: cremore hordei, orizae, jusculis sago, salep, radice scorzonerae, fructibus horaeis dulcibus coctis, succo expresso dauci sativi, raparum etc., tardius jusculis carnium non salsis, gelatinis et s. p. curatur. Venaesectiones minores, utplurimum et repetitae, postea iterata sanguisugarum adplicatio, et phlogosi fracta parvae opii, aut extracti hyoscyami doses, remediis ante memoratis nuptae, requiruntur. In gastritide lenta symptomatica debitam morbi, qui subest, principalis rationem esse habendam, ex principiis therapiae inflammationum in genere intelligitur. Conf. §. 281.

§. 395. Curationis methodus demulcens et pacans in *convalescentiae* stadio adhuc continuanda est, simul ac ventriculus ab omni gravamine, intensione, irritamento custodiendus. Pharmaca tonica, nutrimenta aromatibus condita, praesertim vina aliaque spirituosa praepostere adhibita, aut non indicata, recidivam faciunt, vel paraphlogosin chronicam alunt. Id quod ab erroribus in diaeta etiam levissimis, a refrigerationibus, animi adfectibus etc. metuendum.

Irritabilitati ac sensibilitati ventriculi diu remanenti jam non inflammatoriae, penes sedulam ventriculi custodiam, narcotica dosibus exiguis cum mucilaginosis, deinde leviter aromaticis copulata, balnea emollientia, saponata, vel quidpiam aromatica, inunctiones similes epigastrio factae, pedetentim medentur.

Spec. IX. Inflammatio intestinorum.
Varietas: Dysenteria.

§. 396. *Intestinorum inflammatio (enteritis,* Darmentzündung) pro sede in intestinis tenuibus, largo nervorum et vasorum absorbentium adparatu gaudentibus, vel in crassis minorem quidem nervorum, maximum vero glandularum muciparum gerentibus numerum, et qui-

dem vel in tunica eorum interna villosa seu mucipara, vel in substantia tota, pro minore vel majore ambitu, nec non pro decursu acuto vel lento varia praesefert symptomata. Inflammatio intestinorum tenuium frequentissime occurrit.

Symptomata enteritidis maxime essentialia sunt: frigus febrile vel primum intrans vel praeviis jam intestinorum doloribus accedens, deinde calor febrilis cum pulsu valde frequente, duro, contracto (suppresso), parvo inconstante, et artuum frigore; dolores continui per vices aucti, urentes aut constringentes (inflammatis intestinis tenuibus non ad eundem abdominis locum fixi), jam in umbilici regione, de inflammatione intestinorum tenuium, jam ad os ileum dextrum, de illa intestini coeci testantes, jam in variis coli ascendentis, transversi aut descendentis locis, jam in recto haerentes; qui, nisi colica spasmodica fuerit praegressa, initio minorem ad plagam restricti, minusque graves, cito tamen extensione ac intensitate increscunt adeo, ut abdomen totum sub motibus corporis imprimis, inspiratione profunda, tussi, sternutatione, vomitu etc. perquam sensibile reddatur, aegerque integumentorum molem levissimam, moderatum attactum non ferat, successive ad vehementiam tandem intolerabilem ingravescunt. Abdomen simul intense calet, meteorismo expansum; aeger inquietudine, anxietate abdominali agitatus, ructibus frequentibus, inanibus et, si inflammatio intestina tenuia occupat, vomitu assiduo summe dolorifico materiae viridis, imo, gradu altissimo et pertinace sub continuatione, faecum ipsarum (ileo inflammatorio nonnullis vocato), alvo pertinaciter clausa, dysuria, singultu, siti urgente in potus subfrigidos et acidulos, quin assumta tam cito, ac in gastritide, vomitu reddantur, lingua sicca, rubra, in medio saepe striam albam aut bruneam gerente, delassatione maxima vexatur. Enteritidi intensae vivida adhuc deliria, oculi minantes, fixi, pupilla contracta, musculorum facialium

spasmi, defiguratio faciei, et in infantibus praecipue, convulsiones superveniunt. — Ast exiguis etiam sub intestinorum doloribus, febrique nulla aut solum leviuscula mortem quandoque ex inopinato irruere, et in cadaveribus intensae enteritidis vestigia inveniri, *Morgagnii* et *Stollii* exemplis evictum est. (*Stoll* rat. med. P. I. p. 266 etc.)

Enteritis *lenta*, *chronica*, sub dyspepsiae, alvi initio retentae postea diarrhoicae, frequentiumque torminum specie non raro fallit aegrum; qui et sitim, delassationem, supervenientes hinc inde horripilationes cum aestu subsequo, post pastum, corporis motum et sub vesperam percipiendo, dysphoriam in abdomine, flatulentiam et alvum laxam pro meris illius solum dyspepsiae effectibus habet, donec medicus expertus et penetrans ex his symptomatibus nec non ex vultu simul alienato, collapso, obtutu languido, lingua praerubra et sicca, doloribus exactissima sub abdominis totius exploratione alicubi detectis, et intrante per vices vomitu dolores abdominis excitante, nil emendante, latentem rite cognoscat hostem.

Van Swieten, M. Stoll, P. Frank, S. Vogel, Quarin, ab Hildenbrand, I. R. Bischoff, Richter, W. Hennings opp. cit.

§. 397. Enteritis primo momento pro musculorum abdominalium rheumatismo, vel eorundem aut peritonei inflammatione, pro febri gastrica saburrali, hepatis, lienis, renum aut vesicae inflammatione, colica spasmodica; phlogosis tandem intestini recti pro intensis gravaminibus haemorrhoidalibus possunt haberi. Et revera inflammationes nominatae non nunquam ad intestina extenduntur, et adfectio gastrico-saburralis sicut enteralgia spasmodica neglectae, per stimulos perperam curatae in enteritidem facile convertuntur. Haec attamen ab illis certe dignoscitur symptomatibus eorumque ortu, decursu, duratione etc. rite ponderatis, omnibusque diagnosi

opitulantibus momentis congrue usitatis. Speciatim ex febris, symptomatum ejus essentialium, dolorum, vomitus dicto supra modo se habentium continua duratione, ex abdominis calore insigni, meteorismo, tensione et sensilitate maxima, ex inquietudine et anxietate cognoscitur enteritis.

§. 398. *Decursus* illius consuetim, primariae et substantivae semper, acutissimus est, nam quinque aut septem dierum spatio fauste vel infauste judicata esse solet. Symptomatica segnius decurrere, diutiusque saepe durare, quandoque *chronica* fieri observatur, intensitate exigua minusque exstantibus phaenomenis fallax, ac ideo cognitu difficilior.

§. 399. Resolvitur enteritis: vel in exsudationem lymphae coagulabilis, indurationes, suppurationem vel gangraenam abit. — *Resolutio* vomitu et doloribus successive silentibus, multumque fracta febri sub communibus crisium phaenomenis, intrante imprimis diarrhoea modica puriformi, biliosa aut et cruenta manifestatur; tractamine tempestivo et apto, bona aegri constitutione, causarum indole intestina nec mechanice nec chemice laedente faventibus, speranda. — Mediante *lympha coagulabili*, vel in canalem vel ad superficiem intestinorum, cavum abdominis respicientem secreta, jam membranae tubiformes, obturationes luminis, concretiones parietum aut intestinorum inter se, aut cum omento, peritoneo variis in locis, diversis abdominis visceribus formantur, vel intestina floccis albidis, flavicantibus, caseo similibus obducuntur, vel effusio fit praeceps fluidi albicantis, albo-flaventis turbidi in cavum abdominis, hydropem ascitem acutum constituens. — *Indurationes* vario loco, praesertim glandulis referto, post chronicas enteritides communius quam post acutas residuae, canalem intestinalem angustando, enteritidi chronicae generandae ac identidem reiterandae favendo, quandoque suppurationem inducendo multifaria gignunt gravamina diuturna,

et vel per completam obturationem sub continuo vomitu stercoroso, vel per febrim tabificam sub dolore singultu assiduis etc. mortem adferunt. — *Suppuratio* varios habet effectus, prout abscessus vel in canalem intestinorum aut cavum abdominis rumpitur, vel pus intra intestinorum membranas proserpendo, vel in viscera cum inflammatis antea intestinorum partibus connexa, renes nimirum, vesicam urinariam, uterum etc. viam sibi parando, sinus aut perfectas format fistulas. — *Gangraena* praesertim intestinorum tenuium inflammationes, a venenis acribus, corrosivis ortas, aut typho putrido supervenientes claudens, utplurimum quidem citissime (intra 24—48 horas) lethalis evadit, attamen exemplis (*A. G. Richter*, spec. Therap. B. I. S. 590) constat, praesentibus intestinorum invaginationibus, herniis incarceratis partes intestinorum sphacelosas vel per alvum, vel per abscessum extrorsum patentem secessisse, aegrosque sic fuisse salvatos.

Inter enteritidis sequelas memoriam *paralyses* merentur extremitatum inferiorum, ab inflammationibus intestinorum vehementibus jam breviore jam longiore tempore nonnunquam remanentes.

§. 400. *Differentiae* enteritidis cum illis gastritidis (§. 391.) conveniunt. Distinguitur itaque enteritis in *phlegmonosam, catarrhosam* et *rheumaticam*, in *substantivam* et *symptomaticam; primariam* et *secundariam; idiopathicam, sympathicam* et *metastaticam: acutam* et *chronicam;* tandem febri inflammatoriae, vel rarius nervosae vel putridae junctam. Varietatem summi momenti *Dysenteria* sistit, infra penitius exponenda.

§. 401. Diathesis inflammatoria in genere, magna speciatim sensibilitas ac irritabilitas intestinorum, spasmi frequentiores, praegressae inflammationes earumque in illis sequelae ad enteritides *disponunt.* — *Provocant* has sicut gastritides (§. 399): *a)* quaecunque majorem aut minorem intestinorum tractum immediate vel mediate,

modo mechanico aut chemico potenter irritant, vel imo laedunt, in specie nutrimenta ac potulenta perquam acria vel acredinem in primis viis nacta; venena acria; purgantia drastica, bilis acris, vermes, corpora pungentia, scindentia sic et hirudines deglutitae; diarrhoea major protracta, colica intensa continuans cujusvis originis; substantiae calefacientes contra diarrhoeam, colicam aut alvi obstipationem perperam adhibitae; intestinalis tractus angustiae ab induratione, scirrho, steatomate, obturatio alicubi pertinax a concretione, invaginatione, incarceratione intestinorum, a corpore peregrino etc.; compressio, laesio sub herniotomia vel a causis aliis traumaticis; *b)* refrigeratio ab extus vel intus inducta; suppressio mensium, lochiorum, fluxus haemorrhoidalis, sudoris habitualis, diarrhoeae, efflorescentiarum cutanearum tum acutarum tum chronicarum, invasionis arthriticae; metastasis lactea, alia multiplex; inflammatio aliorum abdominis viscerum ad intestina transgressa; tandem *c)* modo nunc symptomatico nunc metastatico: typhus contagiosus, scarlatina, variolae, febres nervosae et putridae, quemadmodum in tractatu de his jam commemoratum est.

§. 402. Quod de gastritide enteritidi juncta contra Parisiensem *Broussais* §. 392. dictum fuit, de enteritide sola quoque valere, eamque nec omnium fere febrium fontem, nec generatim valde frequentem esse, quotidianis evincitur observatis.

Enteritis periculo nunquam caret; saepe per gangraenam cito mortem infert. Chronica facta indurationes facile producit, ex quibus functionum tubi intestinalis turbae, speciatim alvi obstipationes, dolores colici etc. proficiscuntur, et quae ipsae serius ocyusve in suppurationem, ulcera, carcinomata cum diarrhoea dolorifica et phthisi intestinali, abire consueverunt.

Urget periculum in illis, quarum origo a venenis acribus, corrosivis, ab intestini parte incarcerata, a

coarctatione chronica repetitur; quarum curatio neglecta vel perversa instituta est; quarum febris comes inflammatorium cum nervoso commutat characterem; quae febribus nervosis, putridis, typho contagioso, aliisve morbis exanthematicis accedunt.

Signa periculi non dolores adeo exhibent, utpote in mediocri organorum tantopere sensibilium phlogosi saepe admodum acerbi, quam cum his vomitus potius frequens et intensus, pertinax alvi obstipatio, inflatio abdominis tensi, anxietas magna, vehemens singultus, lineamentorum faciei insignis defiguratio, artuum frigus; pulsus parvi, debiles, irregulares, intermittentes; maculae cutis lividae, nigricantes; aphtae; vomitiones faecum; diarrhoea colliquativa ichorosa, cruenta, exhauriens offerunt.

Remissio dolorum subitanea et cessatio suspectae sunt, nisi caetera cuncta pro meliore loquuntur exitu. Sed et successivo dolorum vehementium decremento nonnunquam suppuratio incipiens, aut gangraena ad plagulam adhuc circumscripta, pedetentim progressura, tandem lethalis futura, designatur. Quare cavendum, ne dolorum silentium et aegri quies, imo hilaritas *sola* ad faustam praepostere ducant prognosim.

§. 403. *Cura* enteritidis in essentialibus ea est, quae gastritidi congrua explanabatur. Causas itaque occasionales adhuc praesentes abigere, enervare oportet; hinc v. gr. saburras eccoproticis lenissimis, manna, tamarindis, prunis, calomele, enematibus emollientibus, solventibus evacuare, vel remediis aliis indoli illarum acri, acidae etc. adaequatis attenuare, solvere, mitigare, eliminare; incarceratam intestini partem taxis aut herniotomiae ope reducere; profluvia cruenta restituere vel supplere; transpirationem interceptam revocare etc. etc. opus est. Quum vero omnia, quae mechanico vel chemico modo intestina irritant, enteritide durante omnino nocitura, evitari debeant, primam hanc indicationem,

ne augeatur inflammatio, jam nonnisi cum altera simul, jam fracta prius inflammatione, adimplere licet.

§. 404. Juxta indicationem alteram medela enteritidis indoli ac magnitudini, febrisque characteri ac intensitati, generalium principiorum ductu, adaptanda est. A salibus aliisque irritamentis interne sumendis, partes inflammatas immediate lacessentibus, uti mox dicebatur, summopere cavendum. — Prout enteritis phlegmonosa est, aut rheumatica, aut catarrhalis, febrimque inflammatoriam, aut rheumaticam, aut catarrhalem, aut catarrhoso-gastricam habet comitem, methodus requiritur antiphlogistica, debilitans, pacans, vel febri mitissima statim, alias postmodum leviter diaphoretica. Remedia in hunc finem necessaria cito, et quin fallax debilitatis species, adfectio nervorum mere symptomatica, speciatim pulsus parvus, contractus, irregularis, artuum frigus, spasmi, convulsiones etc. terreant, administranda sunt: phlebotomiae, topicae si opus, (in abdomine) sanguinis depletiones; potus emollientes, mucilaginosi, tepide, parvis portionibus, frequentissime bibendi; pharmaca mere emollientia et pacantia: decocta rad. alth., salep, mixtura gummosa, oleosa, emulsa ex amygdalis solis aut cum seminibus papaveris albi parata, tenuia, pariter tepida; emollientia fomenta, cataplasmata nequaquam ponderosa, unguenta sine vel cum mercuriali mixta, abdomini aut lumbis adplicata, pediluvia, semicupia; enemata emollientia, alvum lenissime ducentia. Ubi enteritis tali sub tractamine lente et non aequa ad febrim ratione in resolutionem progreditur, et ubi depletiones sanguinis topicae non amplius indicantur, epispastica, sinapismi, vesicantia egregiam exerunt virtutem. — Ubi criseos tempore transpirationem diaphoreticis expedire indicatur, mitissima solum ex illorum genere congruunt.

Tractamen enteritidi cum febre in nervosam vel putridam versa conveniens ex generalibus de inflammatio-

num therapia institutionibus illucescit; — inflammationi speciali jejuni et ilei praecipue in ulcera ruenti, febribus nervosis ac putridis admodum funestae opponendum, in tractatu de his febribus (§. 125 et 146.) invenitur.

Enteritidis *chronicae* cura eodem modo iisdemque remediis, quibus gastritis chronica §. 394, absolvitur.

§. 405. Stadio *criseos* enteritidis tum acutae tum lentae principia therapeutica generalia sunt adplicanda.

Convalescentia eandem, ac post gastritidem (§. 395.), sibi exposcit medelam. Errores in dieta, potus irritantes, calefacientes, refrigerium quodvis per septimanas adhuc cautissime fugiantur.

Varietas: Dysenteria.

§. 406. *Dysenteria* (die Ruhr), primaria, simplex ac pura, excretionibus alvi frequentibus, dolore et tenesmo stipatis, initio serosis, postea mucosis et cruentis, concomitante febri, et decursu acuto essentialibus manifestatur. Aegrorum tamen constitutiones, causae excitantes, genius praeprimis epidemicus, morbi gradus et stadium, complicatio, character febris, therapiae ratio, potentiae laterales et formam et decursum mali multifariam valent mutare ita, ut mox adfectionem acutam febrilem, catarrhalem, vel rheumaticam, vel rheumatico-biliosam dysenteria se offerat, mox veram intestinorum, crassorum in specie et vel maxime recti, inflammationem catarrhalem, rheumaticam, vel phlegmonosam, febri inflammatoriae vel biliosae minori aut majori junctam, sub decursu plus minusve celeri nonnunquam characterem nervosum vel colliquativum nacturae. Frequentissima *epidemica* est, regnante constitutione annua biliosa, aestate adulta et autumno, per refrigerium generata.

Th. Sydenham, Obs. circa morb. acut. etc. Sect. IV. c. 3. et 4.
J. G. Zimmermann, v. d. Ruhr unter dem Volke im Jahre 1765. Zürch 1767. 8.

M. Stoll, rat. med. P. I. p. 123 et seq. P. III. sect IV.
J. Ph. Vogler, Abhandlung von der Ruhr und ihrer Heilart. Giessen 1797. 8.
Dr. G. Freyh. v. Wedekind etc. üb. d. Ruhr. Herausg. v. Dr. *Dannenberg*. Frankf. a. M. 1811. 8.
S. G. Vogel Handb. d. pr. A. Th. VI. Cap. V.

§. 407. *Praecedunt* non raro symptomata catarrhosa aut rheumatica, dolores intestinorum, praesertim ad umbilicum, scindentes, alvus communius fluida biliosa, aut bilioso-mucosa, rarius obstipata, pondus in ventriculo cum dysphoria, vomituritiones; sed et absque his et absque omni prodromo dysenteria irruit. *Characteres* ejus, praeter communia febris symptomata, sunt: *tenesmus* ad alvum frequens et violentus, praeviis et comitantibus in recto nec non in reliquo intestinorum crassorum imo et tenuium tractu diris doloribus, sub quo dysenteria incipiente et leviori faeces cum humoribus serosis, ulterius progressa *cum vera faecum retentione* parum materiae albidae, flavicantis aut viridescentis, mucosae, mucoso-biliosae, aut puriformis (unde *dysenteria alba* nuncupata), saepe sanguine mixtae, vel meri quandoque sanguinis (unde dysent. *rubra*) extricatur, maximam autem vehementiam assecuta prorsus nihil (unde dysent. *sicca*) excernitur; tenesmus ad matulam vel ischuria dolorifica vesicalis; haemorrhoidum intumescentia tensa, dolens; in infantibus nonnunquam, et morbo protracto prolapsus ani et intestini recti; summo gradu, in subjectis dispositis, tractamine perverso etc. cuncta etiam enteritidis symptomata §. 396. Cum tenesmo cruciante intrare simul solent ructus, nausea, anxietas abdominalis, vomituritio, in nonnullis in lypothymiam, aut in convulsionem propensio. In dysenteria gradus altioris tam alba dicta quam rubra, maxime in illa, cum faucium, pharyngis, laryngis et tracheae etc. inflammationibus catarrhosis aut rheumaticis quoad essentialia conveniente, coagula lymphatica filamentorum, grumorum,

floccorum, frustorum, aut tuborum imo membranosorum formam referentia, qualia in cynanche membranacea dicta ejiciuntur, saepe secedunt. Tenesmus torquens morbo minore horarum aut bihorii intervallis, graviore autem omni dimidio, quadrante horae imo frequentius adhuc revertitur; in casu priore tempora intercalaria utcunque toleranda, in altero doloribus acerbis totum per abdomen diffusis molesta decurrunt; quemadmodum febris quoque comes, catarrhalem utplurimum, rheumaticam, aut catarrhoso-gastricam, speciatim biliosam aemulans, moderata ibi luculenterque remittens, hic intensa vixque remittens observatur.

§. 408. *Duratio* dysenteriae in felicem resolutionem tendentis septem, quatuordecim circumscribitur diebus, hinc inde tamen ad quatuor, quinque septimanas extenditur. Acuta si non sanatur, *chronica* evadit, aut in tenesmum, dysenteriam quasi topicam *(Stoll)*, in diarrhoeam, gravamina haemorrhoidalia, tenesmum vesicae urinariae, in adfectiones oculorum, aurium, organorum respirationi dicatorum, membrorum, articulorum catarrhales vel rheumaticas, aliquando in hydropem transit. In phlogosin adaucta communes cum enteritide agnoscit *exitus* (§. 399.), e quibus in gangraenam facillimus eminet.

§. 409. *Origo* dysenteriae, ut jam dictum, sicut catarrhi et rheumatismi longe frequentissima ex *epidemico* atmosphaerae influxu, rarior ex noxis sporadicis repetenda est. Subitaneae temperaturae vicissitudines, repentinus praesertim caloris diu praegressi in frigus transitus consuetim tantoque facilius generant dysenteriam, quo minus homines adaequato contra has noxas muniuntur vestitu, quo exaltata magis est canalis intestinalis sensibilitas ac irritabilitas, et quo magis secretio bilis atque transpiratio eminent. Hinc dysenteria praesertim aestate ad finem vergente et autumno prodit epidemica, si dies calidos vesperae sequuntur frigidae, noctesque

adhuc frigidiores; et si tempori aestivo calido frigidum repente succedit aut frigido-humidum; hinc eo tempore dysenteria corripiuntur ruricolae praesertim, qui circa messem occupati soli fervido maxime exponuntur, et eo atque labore adhuc exaestuati, sudore madidi, saepe aquam recentem avidis ac iteratis potando haustibus, in solo humido et frigidulo cubando etc. refrigerationem internam et externam citissime contrahunt. *Altera causa* simultanea nisi dysenteriam sola efficiens, ad eam generandam saltem concurrens in immodico fructuum horaeorum imprimis immaturorum usu invenitur. *Sporadice* dysenteriam excitare complures observantur potentiarum, fortem in tractu intestinali irritationem, nec non inflammationem causare valentium, et quidem *a)* idiopathicae: potulenta insufficienter fermentata, non defaecata, saburrae gastricae acrimoniam gerentes, praecipue biliosae, vermes, purgantia fortiora, enemata acria in abusum tracta; *b)* sympathicae: gravamina haemorrhoidalia, calculi urinales vesicam vehementer lacessentes, dentitio infantum difficilis. — Unde liquet, pro diagnosi, prognosi ac therapia differentiam dysenteriae epidemicae a sporadica plurimi esse valoris.

§. 410. *Prognostica* momenta enteritidem concernentia (§. 402.) fere omnia ad dysenteriam transferre licet. De hac speciatim notentur sequentia: Dysenteria originis sporadicae quandoque, epidemicae vero nunquam levem sistit morbum, consuetim potius gravem, saepe periculosum, saepe, ubi negligitur aut perverse curatur, gangraena lethali terminandum.

Febris comitans catarrhalis, et rheumatica simplex, caeteris non contradicentibus, faustum sperare sinunt exitum; inflammatoria vero genuina, nervosa, putrida sortem aegri valde ancipitem ostendunt.

Dolorum, tenesmi et febris decrementum, rarior in alvi excretiones nisus, evacuationes faeculentae sat copiosae, urinae largiores, lingua humida cutisque madens

crisin denotant bonam, faustumque eventum praenunciant.

§. 411. Quae in enteritidis *therapia* circa implendam indicationem generalem primam et circa vitanda irritantia quaeque interna (§. 403.) dicebantur, in dysenteria quoque curanda locum inveniunt. In hac insuper irritato multum vel inflammato intestino recto ab enematibus blandissimis etiam mucilaginosis cavendum, quum mechanico siphonis irritamento plus tunc noceant ac virtute medica prosint. Reliqua therapia cum illa enteritidis (§. 404.) eo magis convenit, quo propius ad inflammationem accedit dysenteria, vel eandem vere exhibet. Eodem ac ibi modo contra imminentem aut ortum jam febris characterem nervosum vel putridum procedere opus est.

Simplex vero dysenteria catarrhalis aut rheumatica emollientibus curatur, pacantibus et diapnoicis; — biliosa simul methodum exposcit antibiliosam et, saburris sursum vel deorsum turgentibus, adaequatam evacuantem. Praedilectus nimis usus *opii* salutaris modo est in dysenteria mere catarrhali, aut rheumatica inflammationis aeque ac complicationis biliosae experte; in inflammatoria nonnisi phlogosi et indole febris inflammatoria per therapiam antiphlogisticam prius fractis; in catarrhoso- aut rheumatico-biliosa saburris antea congrue evacuatis. Circumspectus tamen semper sit, et cum caeteris emollientibus ac pacantibus indicatis copuletur. Excretionum frequentia, tenesmus alvi, dolores intestinorum nimis facile ad opium incautos seducunt, quod vero praemature, et in genere sine indicatione porrectum damna adfert non spernenda. Praesente charactere nervoso accessorio opium notis cum incitantibus, epispasticis, balneis, uti in febre nervosa, combinandum. Characteri putrido pulsanti, sicut dysenteriae in *chronicam* fatiscenti radix colombo, rad. arnicae ab *Henr. Collin* et *M. Stoll* multum celebrata, cortex imo peruv., cort. rad. simarubae etc. prout

res postulant, mucilaginosis, camphorae etc. nupti egregie conveniunt.

§. 412. Sub *crisi*, qua dysenteria in diarrhoeam mitescere ac transformari solet, communibus therapiae normis adhaerendum est.

§. 413. In *convalescentia* penes summam protractam ab omni noxa cautelam saepe tonicis levioribus et blandis utendum, mucilaginoso-amaris, amaris puris; speciatim lichen island. laudari meretur. Laxitas intestinorum, imprimis recti in sanatis casu rariore diu remanens insignis praeter haec adstringentibus uti: salicaria, glandibus quercinis, radice tormentillae, alumine, vel salvia et analogis, tam interne quam enematum forma oppugnatur.

Spec. X. Inflammatio hepatis.

§. 414. *Hepatis inflammatio* (hepatitis, Entzündung der Leber), symptomatibus partim constantibus, partim pro sede variis stipatur. Grande nimirum viscus, hepar non tam frequenter in toto parenchymate et per omnem circumferentiam, quam singulis in partibus ac plagis, et quidem in facie superiore convexa, in inferiore concava, in lobo dextro majore, sinistro minore, in margine anteriore tenui, aut posteriore crasso etc. inflammatur, limitibus tamen istis haud semper exacte servatis.

Van Swieten, M. Stoll, P. Frank, S. Vogel, C. Sprengel, J. Chr. Reil, Conradi, A. G. Richter, ab Hildenbrand in opp. citat.

Clark Beobacht. üb. d. Krankh. auf lang. Reisen nach heissen Gegenden. Kopenh. 1778. p. 184. et seq.

I. G. Bovel, diss. de hepatitide. Edinb. 1797. 8.

J. Klein, diss. inaug. de hepatitide. Vienn. 1816.

§. 415. *Symptomata* hepatitidis essentialia sunt: dolor obtusus, pressivus, raro acutus, punctorius, sub exacta hepatis exploratione (aegro in dorso decumbente,

elevatis genubus, musculisque abdominis relaxatis) per manus, sub extensione femoris dextri, situ in latere sinistro nonnunquam et dextro, et inspirio profundo augendus, vel primum provocandus; dolor in humero dextro, rarius in sinistro, ad nucham et occiput protensus, imo circa claviculam et per brachium dextrum, quod tunc torpere solet, non raro vexans; sensationes in femore et sura dextra consimiles; calor auctus et tumor in hypochondrio dextro, per epigastrium inde ad regionem lienis usque saepius tangendus; albuginea et teneriores cutis plagae flaventes, urinae ex saturate bruneo flavidae, turbidae, chartam albam et linteamina croceo tingentes colore; alvi obstipatio vel materiae biliosae, acris sub torminibus excretio frequens; oppressio ventriculi, vomituritio, vomitus; plenitudinis et anxietatis in hypochondrio dextro et in epigastrio sensus; dyspnoea; febris non semper magna, sitis tamen urgens, lingua admodum sicca, cephalaea cum delirandi facilitate, pervigilium.

§. 416. Inflammationem *in parte hepatis convexa*, diaphragma respiciente specialius *residere*, concludendum ex dolore hypochondrium et humerum dextrum occupante, et per inspirationem profundam etc. intendendo; ex punctorarum sensu fugacium, pectus nonnunquam ab infimis costis ad claviculam sursum perfodientium; ex tussicula sicca cum dolorum augmento, et iterato singultu; ex symptomatum icteri vel defectu vel levissimo solum gradu, et vomitus absentia. Haec inflammatio, valida consuetim febri stipata pro pleuritide biliosa haberi facile potest, verum et in istam, facilius adhuc in diaphragmitidem transire.

Partem hepatis concavam inflammatione praeprimis obsideri monstrant: symptomata icteri luculenta, sapor amarus, nausea, vomituritio, vomitus non levans; alvus obstipa cum diarrhoea biliosa alternans; sensus pressionis, tensionis et anxietatis in hepatis regione absque

palpabili, saltem absque proportionali tumore, per contrectationem et pressionem in dolorem imo augendarum; pulsus jam normalis fere, jam parum febrilis, nunc mollis nunc spastice contractus, durus; accedens quandoque ventriculi irritatio vehemens, in gastritidem ipsam nitens.

Inflammato *lobo hepatis dextro* molestiae recensitae in latere dextro percipiuntur, situsque in opposito denegatur. — *Sinistro hepatis lobo* inflammato, qui in India orientali longe frequentius quam nostro cernitur climate, tensio, dolor, sensibilitas insignis in epigastrio, et palpabilis ibidem tumor, hypochondrium sinistrum non raro attingens, durus, ad attactum et pressionem levem dolens, formam dicti lobi referens adsunt, deficientibus ventriculi validius irritati aut plane inflammati signis.

§. 417. *Inflammationem cystidis felleae, cholecystilidem,* aut solam aut inflammationi faciei hepatis concavae sociatam produnt: dolores acuti in illius regione, fixi, constantes, jam ad exiguam limitati circumferentiam, jam cum inflammatione aliam simul hepatis partem occupante ulterius expansi, sed ibidem fortiores, pressione adaugendi; et icteri majoris minorisve phaenomena.

§. 418. *Velamenti hepatis* a peritoneo venientis *inflammatio* variis locis variaque extensione obtinet. Non semper absque difficultate cognoscitur: ex dolore ad plagam aliquam manifesto, nunc mitiore nunc intensiore, saepe punctorio, ad vicinas quoque plagas, imo ad diaphragma nonnunquam, vel ad peritoneum lateris dextri extenso, sub contrectatione, inspiratione profunda, tussi, sternutatione, motu trunci etc. exasperando, et ex symptomatum biliosorum absentia, nisi hepatis parenchyma insimul sit inflammatum. Dispositionis porro individualis, nec non symptomatum praegressorum rheumaticorum, catarrhalium, arthriticorum, aliorum, imprimis cutem organaque membranosa concernentium, et cor-

respondentium causarum excitantium perscrutatio, aestimatio, certam reddent diagnosim.

§. 419. Leviores hepatitides acutae vel facillime praetervideri, et cum quibusdam pectoris aut abdominis morbis possunt *confundi;* cum pleuritide videlicet, uti §. 416. jam dictum, cum febre biliosa, gasteralgia, enteralgia, aut gastritide, enteritide, cum hepatalgia rheumatica, cum symptomatibus hypochondriacis, et haemorrhoidalibus. Sed hepatitis etiam chronica, non infrequens diuturnorum digestionis vitiorum genitrix, facile praetervidetur, istorumque ratio proxima in simplici ventriculi debilitate et atonia quaeritur, errore sane nocivo. In symptomata igitur praeterita cuncta penitius inquirere, praesentia colligere, omnium decurrendi modum, durationem rite perpendere, atque cum malorum singulorum nunc nominatorum nosographiis attentissimo comparare animo et circumspecto oportet, ut diagnosis vera illustretur.

§. 420. Hepatitis nec tam acute nec tanta cum vehementia, ac multae aliae viscerum phlogoses, *decurrit;* quid? quod chronica multo frequentior sit, quam vulgo creditur. Acuta, prout mitis aut vehemens, febrique inflammatoriae minori aut majori juncta est, intra diem septimum et vicesimum primum judicari consuevit; chronica in menses, imo annos excurrere observatur.

Resolvitur autem acuta hepatitis, circumstantiis optime faventibus, die plerumque septimo vel nono sub sudoribus copiosis, quandoque linteamina flavido maculantibus colore, urinis largis, sedimentum obscure flavum vel rubicundum, vel albescens furfuraceum dimittentibus, haemorrhagia e nare dextra vel ex haemorrhoidalibus vasis, alvo pultacea vel et diarrhoica biliosa, vomitu bilioso, nonnunquam comparente ictero, vel erysipelate, vel efflorescentia psorae simili prodeunte. Moderatus lienis dolor atque tumor resolutionem hepatitidis praecurrere non raro visi sunt.

Casu infausto, et nisi chronica fiat, in suppurationem abit, in ulcerationem, indurationem, vel gangraenam lethalem.

§. 421. *Suppuratio* hepatitidem acutam haud secus ac chronicam insequitur. Facta partim ex communibus suppurationum internarum signis *cognoscitur*, partim ex propriis, dolore nempe hepatis pulsatorio, horrore iterato inde emanante, colore faciei terreo, digestione vitiata, flatulentia, alvi retentione, situ in latus sinistrum vel in utrumque denegato etc. Pus non laudabile, potius ichor bruneus, discolor, acer ac foetens consuetim secernitur. Suppurationis effectus variant; uberior suppuratio et recluso vomicis pure, *phthisim* inducere *hepaticam* solet; minus copiosa et pure per tubulos et ductus biliferos in tractum intestinorum delato, vel in abdominis vel per diaphragma erosum in thoracis cavum, effuso, vel per abdominis parietes cum superficie hepatis conglutinatos ad exteriora profluente multiplicia generat symptomata; pure autem resorpto et per vias urinarias evacuato, vel metastatice ad partes externas, speciatim ad crura translato hinc inde, utut longam post durationem, magnamque symptomatum variationem imo in sanitatem feliciter terminatur; — quemadmodum aliquot ipse vicibus observavi.

Transsudatio lymphae coagulabilis, pseudomembrana inde formata hepar obducens, visceris istius cum diaphragmate, peritoneo, intestino colon, duodeno, ventriculo, ipso etiam liene concretio, ad exitus hepatitidis non infrequentes spectant; sic et hepatis ab humoribus in parenchyma effusis *intumescentia*, humorum serosorum, et gelatinosorum hoc intra et peritoneum vestiens collectio, generatio *hydatidum*.

Induratio hepatis quemadmodum frequens inflammationis acutae et praesertim chronicae effectus est, ita nonnunquam et causam nunc proximam ejus sistit, nunc saltem disponentem. Jam totum fere hepar, jam singulas

modo partes tenet cum sparsis hinc inde tuberculis; jam cum aucto jam cum imminuto notabiliter visceris volumine conjuncta. Duritiem quandoque cartilagineam offert, imo osseam. Indurationes tales tactui qua nodos magnae non raro circumferentiae duros, et sensiles sese exhibent, cum turbata bilis secretione et conductione, sensu plenitudinis, pressionis, tensionis a nutrimentis sumtis antequam sedata sit fames, cum dyspepsia, bradypepsia, variisque incommodis inde pendentibus, cum alvo inordinata, habitu cachectico, terreo colore, lenta nonnunquam inflammatione ejusque symptomatibus incedunt; et sub hepatalgia, gasteralgia, vomitu, ictero, hydrope etc. chronicis in tabem desinunt, tandem lethiferam.

Gangraena rarioribus nostro in climate terminationibus hepatitidis accensenda, vix nisi oborto febris charactere putrido intrat. Febri flavae Americanorum quandoque accedit. Mortis semper nuncia.

§. 422. *Modificationes* hepatitis non alias, ac caeterae inflammationes, subit. *Primaria* occurrit et *secundaria; substantiva* et *symptomatica; acuta* et *chronica; phlegmonosa* et *rheumatica; epidemica, endemica* et *sporadica; simplex* et *composita, pura* et *complicata;* febrique juncta *inflammatoriae*, nonnunquam in *nervosam* aut in *putridam* transeunti.

§. 423. *Hepatitis chronica* saepe clandestine diu nimis progreditur. Praesentiam, praecipuamque sedem ejus variam designant: aestus, pondus, plenitudo vel dolor obtusus pressivus in hepatis regione ab aegro accusatus, saepe non nisi pressione ad locum inflammatum sub exacto examine adplicata, aut nutrimentis ingestis persentiendus, saepe iisdem intendendus; tumor hepatis, nonnunquam permagnus; situs in latere sinistro vel in utroque difficilis; dolor pressivus in humero dextro saepe recurrens, sic in sura sinistra; habitus vel ictericus vel pallidus, tereus; gravamina ventriculi varia et dyspepsia ut in hepatis indurationibus, alioquin hepatitidem

chronicam mox comitantibus, mox excipientibus; morositas, tristitia, pusillanimitas, hypochondriasis; symptomata haemorrhoidalia; pertinax alvi obstipatio; oris fauciumque siccitas continua, sitis magna; febricula medico solum summe attento et exacte observanti patens; et pertinacia aliquando crurum ulcera.

Hepatitis symptomatica, typhum contagiosum non raro concomitans, speciatim ictero celeriter orto, anxietate ab hepatis et ventriculi regione egrediente, regionis ejusdem tumore ac sensilitate, bilis aut sanguinis obscuri, nigricantis, grumosi per vomitum evacuatione, diarrhoea biliosa, manifestatur, facitque ut morbus ad *flavam Americanorum febrim* prope accedat. Praeter hanc hepatitides *chronicae* memoratu dignissimae, quae in tenerrima passim aetate infantili ex scrophulis et rachitide, postea ex arthritide proficiscuntur.

Hepatitidem *epidemicam* tempore febrium biliosarum dominantium, aestate nimirum et autumno saepius observare, *endemicam* in zonae fervidae (Indiae orientalis et occidentalis) regionibus paludosis maxime, et oris maritimis invenire licet.

§. 424. *Dispositi* sunt in hepatitidem homines temperamenti cholerici, quemadmodum iracundi in genere et morosi; homines aetatis mediae prae junioribus ac senibus, mares prae foeminis. Magnam dispositionem tempestas fervida praecipue simul humida diu perstans, aër valde calidus et humidus, largus potuum spirituosorum usus adferunt.

Causis occasionalibus adnumerantur: *a)* ictus, percussiones, lapsus regioni hepatis illati; hepatis vulnera, commotiones sub violentis corporis motibus v. gr. saltibus, lapsu ex alto in solum durum; ulcera hepatis; calculi fellei vesiculae felleae aut ductibus biliferis inhaerentes; vermes, hydatides; bilis acris, degenerata; inflammationes vicinarum partium vigente synocha forti; vomitus intensus et frequens; spirituosorum abusus;

b) validae commotiones et vulnera capitis; adfectus animi vehementes ac pathemata, imprimis ira, invidia, indomita disceptandi, rixandi, ulciscendi cupido etc.; profluviorum cruentorum, haemorrhoidalis speciatim et menstrui; sic et transpirationis cutaneae per frigus, maxime aestate fervida et inchoante autumno, nec non sub exaestuatione quavis majore, tandem sudorum habitualium aliorumque morborum cutaneorum, erysipelatis, scabiei, herpetum etc. etc. suppressio.

§. 425. Ex dictis jam omnis fere *prognosis* fluit. Hepatitis gravibus omnino morbis semper accensenda est, non ob instantaneum adeo periculum, quo saepissime caret, quam ob pronitatem in decursum lentum durationemque chronicam, ob facilitatem eminentem in intumescentiam, stases, indurationes cum cachexia, multiplicique malorum diuturnorum caterva.

Hepatitis febre inflammatoria stipata minus anceps concedit praesagium, quam sub cujus decursu indoles febris nervosa aut putrida explicatur, vel quae alterutri adsociatur febri, complicationem sistens. — Partem hepatis convexam obsidens non adeo, quam potius concavam tenens periculosa est, utpote vesiculae ductibusque biliferis, intestinis, ventriculo facile communicanda.

Periculum indicant dolor in hypochondrio et humero dextro atque epigastrio vehemens, continuus, vomitus assiduus, respiratio molesta, tussis fortis, et singultus. De symptomatibus gangraenae intrantis idem valere, per se intelligitur; — suppurationis symptomata ancipitem reddunt prognosim.

Hepatitidem perfecte resolutam facile sequitur recidiva, nisi a minimis quoque caveatur noxis.

§. 426. In hepatitide acuta *curanda* juxta generales normas therapeuticas causae illius, genius morborum epidemicus, inflammationis magnitudo, sedes praevalens et stadium, febris (lenitatis facie nonnunquam decipientis) intensitas ac indoles, omnesque aegri individui re-

lationes probe respiciantur. Speciatim notare convenit, phlogosin methodo antiphlogistica jam generosiore per evacuationes sanguinis tum universales tum locales, et diluente ac solvente per emollientia et nitrosa aliaque salina antiphlogistica remedia prius frangendam esse, deinde vero, vel hepatitide solum levissima statim, moderatum antiphlogisticorum solventium mitissimorum, ipsius quoque hydrargyri muriatici mitis usum internum, ut cataplasmatum, unguentorum mercuriali remixtorum, balneorum emollientium, tardius, si opus, epispasticorum notorum externum, eminenter proficere.

Medela hepatitidis *chronicae* principia, ad curandas in genere chronicas inflammationes §. 286. statuta, sequatur.

§. 427. Cura *convalescentiae* eodem, quo post inflammationes generatim, modo facienda est. Solventia cum amaricantibus, serum lactis, gramen, taraxacum, cichoreum, fumaria etc. cum refractis rhei dosibus egregie conducunt. Diaeta autem restricta, digestu facili vegetabili, fructibus horaeis in specie dulcibus aut acidulo-dulcibus, oleribus recentibus teneris ac succulentis etc. sustententur.

§. 428. *Cholecystitidis*, absque concavae hepatis faciei phlogosi alioquin rarissimae, *therapia* iisdem, ac hepatitidis hucdum exposita, definitur regiturque principiis.

Spec. XI. Inflammatio lienis.

§. 429. *Lienis inflammatio (lienitis, splenitis,* Entzündung der Milz), *alia* parenchyma visceris quoad propriam functionem necdum abunde cogniti, ad inflammationes minime dispositi, obsidens (*parenchymatosa*) rarissimus sane morbus est; *alia* vero velamentum a peritoneo mutuatum tenens (*membranosa* dicta) sat frequenter observata.

J. P. Frank, *S. Vogel*, *A. G. Richter*, *Sprengel*, *ab Hildenbrand* etc. opp. cit.

F. A. Marcus, Entw. einer spec. Therapie Th. II. §. 1474—1493.

Heusinger, Betracht. u. Erfahr. üb. die Entz. u. Vergrösserung der Milz. Eisenach 1820. 8.

§. 430. Doloribus manifestatur in hypochondrio sinistro *prior* obtusis, pressivis, *altera* plus minusve intensis punctoriis, urentibus, lancinantibus, quandoque pectoris latus sinistrum cum respiratione cohibita pervolantibus, saepe ad humerum et ad os ilium sinistrum protensis, per inspirationem profundam, tussim, motus trunci exasperandis, situmque in latere dextro nonnunquam et in sinistro non concedentibus; tumore in hypochondrio eodem formam lienis exacte praesentante, calido, duro, sensili ad attactum dolente; sensu pulsationis in illo, plenitudinis in epigastrio cum anxietate; vomituritionibus continuis, nausea et vomitu jam materiae mucosae, biliosae, jam cruoris variegati, corrupti; colore cutis peculiari griseo-flavicante, bile in primis viis non deficiente; synocha cum suppresso nonnunquam et intermittente pulsu in brachii sinistri arteriis, et sanguinis e nare sinistra stillicidio. Accedunt saepe singultus, et rebus male cedentibus, vomitus frequens, et diarrhoea cruenta, faciei defiguratio, color pallidus et terreus, convulsiones, sub quibus mors sequi solet.

§. 431. Peritonitis in lienis regione, dolores coli in flexura sinistra, praesertim expansi, nec non musculorum abdominis in illa regione inflammatio *pro lienitide imponere* possunt minus attentis. Lienitidis praesertim involucrum membranosum tenentis praesentiam determinare, arduum saepe fit, ubi haec cum regionis illius peritonitide circumferentiam lienis multum excedente componitur. Difficilis insuper cognitu splenitis est *chronica*, parenchyma tenens, cujus symptomata idiopathica parum eminent, quaeque lienis tumore, frequentibus ibidem

puncturis, arduo in lateribus situ, colore faciei cachectico proprio, griseo-flavente, turbis digestionis, flatulentia, animique dispositione perversa indigitatur.

§. 432. Splenitis substantiae (parenchymatosa) lente, velamenti (membranosa) celeriter *decurrere*, hinc illa saepius *chronica*, haec *acuta* observari solet.

In utraque *resolutio* sub communibus phaenomenis criticis, et sanguinis speciatim e nare sinistra, vel ex vasis haemorrhoidalibus profluvio, vel et haematemesi obtinet. Citra hanc splenitides morbosas humorum in cavum abdominis *effusiones*, conglutinationes cum organis vicinis efficiunt, aut cito et ex inopinato in *suppurationem* cum sequelis, hepatis suppuratione proferendas (§. 421.) aemulantibus, raro in *gangraenam* lethalem, frequentius in intumescentiam chronicam et indurationem terminantur. Hac formata lien jam tumidus, quandoque in ingentem expansus molem, jam collapsus, parvus nunc totus nunc singulis hinc inde locis durus tangitur, sub pressione dolens; vitia digestionis, totius abdominis expansio, macies, habitus cachecticus, aegritudo animi, hypochondriasis, febris lenta, hydrops successive adsociantur. — *Indurationes* partiales carcinomatosae factae dolores diuturnos habent comites, quibus uti et vomitu ac diarrhoea ichoroso-cruentis tandem interimunt.

§. 433. Lienitis communes cum caeteris inflammationibus habet *differentias*. *Phlegmonosa* (parenchymatosa) et *membranosa* (consuetim rheumatica), *acuta* et *chronica*, referente *Grotanelli* in Hetruriae littoribus endemica, jam seorsim nominabantur. Mentionem adhuc merentur: *substantiva* et *symptomatica* (in typho contagioso, febre flava, nonnunquam in intermittentibus obvia); *idiopathica* et *sympathica*; febri inflammatoriae, raro nervosae vel colliquativae juncta. In febre flava forsan splenitis praecipuam vomitus nigri rationem offert. (Richter spec. Therap. B. I. S. 575.) — Lues brutorum

splenica lienitis esse videtur cum febre putrida, saepe per gangraenam lethifera.

§. 434. Praecipue tentat *individua*, turbis in systemate venae portarum, stasibus in eodem, speciatim in liene post febres intermittentes maxime, haemorrhoidibus laborantia. — *Excitatur a)* violentiis traumaticis; trunci commotionibus; inflammationum a vicinis visceribus, peritoneo, ventriculo, diaphragmate in lienem progressu vel transitu; *b)* cursitatione valida et protracta; corporis calentis refrigeratione; suppressis haemorrhoidali, menstruo aut aliis profluviis cruentis, nec non morbis cutaneis chronicis, rheumatismis, insultibus arthriticis; paroxysmis febrium intermittentium, metastasibus post istas aliasve febres in lienem factis; intermittentium infarctibus lienis junctarum adverso tractamine, calefaciente.

§. 435. *Prognosis* in splenitide partim ex nunc de illa prolatis, partim ex apta generalium principiorum prognoseos adplicatione facile eruitur.

§. 436. *Cura* splenitidis non aliter ac aliarum in visceribus abdominalibus inflammationum, in specie hepatitidis instituenda est, cum ea solum modificatione, ut necessariae phlebotomiae in brachio sinistro fiant, remediaque externa sinistro pariter hypochondrio adplicentur. *Marcus* nonnullique veterum virtutem medicam potuum acidulorum et eccoproticorum antiphlogisticorum extollunt insignem.

In *crisi*, *resolutione*, sic ut in *convalescentia* curandis normas exacte sequi oportet, in tractamine phlogosium mox memoratarum traditas.

Spec. XII. Inflammatio pancreatis.

§. 437. Inflammatione quandoque corripi pancreas, mutationes ejus, speciatim tumores, indurationes, ulcera, degenerationes in cadaveribus saepe, et jam a *Bonnet*, *Morgagni*, *Graaf*, dein a *J. R. Rahn*, *Reil*,

S. Vogel, ab Hildenbrand, et a me ipso inventae omni eripiunt dubio. Attamen inflammatio haec, *pancreatitis* (Entzündung der Bauchspeicheldrüse), haud facile cognoscitur, partim quia multo frequentius lentum quam celerem decursum, mitem frequentius quam magnis stipatam symptomatibus ostendit faciem; partim quia organum tenet inferioris dignitatis vitalis, paucis instructum nervis, functioni non admodum manifestae dicatum, ita simul situm, ut morbus ejus pro organorum vicinorum, omenti praecipue, duodeni, imo ventriculi aut hepatis morbo haberi facile possit.

Dr. Chr. Fr. Harless, üb. d. Krankheiten des Pancreas etc. Nürnb. 1812. 4.

Pancreatitis chronica. Beob. und behandelt v. Dr. *Eyting* in Embden, mitgeth. von Dr. u. Prof. *Heinecken* in Bremen. In *Hufeland's* Journ. d pr. H. 1822. B. 54. St. 4. S. 3—15.

Sprengel, ab Hildenbrand opp. cit.

§. 438. Symptomata constantiora pancreatitidis plerumque chronicae, sunt: dolor obtusus, pressivus aut tensivus infra et retro ventriculum versus columnam vertebrarum, sub forti pressione, et trunco pronato increscens; anxietas in epigastrio; alternantes jam oris fauciumque siccitas cum diarrhoea serosa, jam frequentes ructus, vomituritiones, hinc inde vomitus fluidi insipidi, aut saporis salsi, aciduli, acidi, amari cum alvo clausa; anorexia; nausea frequens; dyspepsia, bradypepsia; febris levis luculenter remittens.

§. 439. Pancreatitidis tam acutae quam chronicae *resolutio* sub consuetis phaenomenis abunde cognitis, et evacuationibus in specie criticis sequitur. Diagnosis hujus inflammationis nondum stabilita satis, et natura visceris resolutioni minime favens principem *durationis* illius *chronicae* et frequentium malorum posthumorum culpam gerunt, e quibus tumor, induratio, degeneratio scirrhosa, ulceratio cum tabescentia (phthisis pancreatica) noscuntur.

§. 440. *Causae* nondum aliae pro certo nominari possunt quam violentiae traumaticae; emeticorum, cathartico rum, mercurialium abusus; inflammationes a partibus vicinis ad pancreas transgressae. Immodicus fumigationum tabaci usus, imprimis cum prava multum sputandi consuetudine, inculpandus etiam esse videtur. (*ab Hildenbrand* l. c. §. 800.)

§. 441. Quae de pancreatitidis differentiis ac *varietatibus* inde prodeuntibus, quae de *prognosi* cum certitudine quadam dici possunt, ex hucusque expositis facile depromuntur.

§. 442. Pancreatitis acuta aeque ac lenta, si ex symptomatibus supra memoratis, deficientibusque inflammati visceris alicujus vicini characteribus cognoscitur, *medelam* exposcit indicationibus generalibus superstructam, singulorum autem casuum circumstantiis exacte adcommodatam.

Spec. XIII. Inflammatio renum.

§. 443. Inflammatio haec, *nephritis*, Entzündung der Nieren, rarius utrumque renem, sinistrum prae dextro, substantiam prae membrana vestiente invadit. Comitantur illam ac designant *symptomata* febris inflammatoriae consuetim intensae essentialia, dolores in alterutrius raro utriusque renis regione fixi ac continui, urentes, pungentes, nonnunquam obtusi, pressivi, per fortem modo pressionem externam, per concussionem a tussi, sternutatione, vomitu, et per lecti calorem ingravescentes, sursum diaphragma versus, deorsum ad cristam ossis ilei imo in femur usque, per decursum uretherum ad vesicam urinariam protensi, unde femoris ejusdem torpor, insistendi ac ingrediendi impotentia, magnaque regionis pubis sensibilitas; aestus in regione renum et quandoque intumescentia palpabilis; situs in lateribus difficilis, dolorificus; ischuria renalis inflammatis

renibus ambobus; alias urinae parcae, guttatim modo sub tenesmo frequente secedentes, ipsaeque intense rubrae, flammeae, bruneae, quales vix in altera inflammatione cernuntur, imo nonnunquam sanguineae, serius puriformes, turbidae, crassam formaturae hypostasim; dolores colici; meteorismus, vomituritio atque vomitus continuus; alvi retentio. Accedunt spastica testiculorum in aegris masculis ad annulum abdominalem attractio (praeprimis si nephritis a calculis urinalibus est), tussis, singultus, sternutatio, et vehemente morbo convulsiones etiam et animi deliquia.

Van Swieten, P. Frank, S. Vogel, Conradi, A. G. Richter, Sprengel, ab Hildenbrand opp. cit.

Troja, üb. d. Krankheiten der Nieren, der Harnblase etc. A. d. Ital. Leipz. 1788.

Desault auserl. chirurg. Wahrnehm. B. I. S. 94 u. ff.

§. 444. Nephritis *decursum* plerumque celerem ac vehementem facit, *acuta;* sed et lenta datur, *chronica.* Illa nisi rheumaticae sit indolis aut cum vitio gastrico complicata, absque luculentis exacerbationibus decurrit, et intra quinque aut septem dies, seu fauste seu infauste, judicari consuevit. Pulsus initio plenus, durus ac tensus ea ratione, qua ventriculus et tractus intestinorum in magnam trahuntur compassionem, minor evadit, durus, et spastice contractus, indolesque morbi phlogistica frigore membrorum, symptomatibus nervosis variis, convulsionibus imo et lipothymiis ingruentibus facile larvatur.

Nephritide in *resolutionem* tendente symptomatibus pathognomonicis omnibus successive imminutis rarius die quinto quam circa septimum, leviore solum phlogoseos sub intensitate tardius, sudor universalis utplurimum copiosissimus, et urinae largae minus rubrae, subbruneae cum sedimento largo, levi sequuntur. In inflammatione ab haemorrhoidibus aut mensibus suppressis mariscae

nunc prodeunt turgidae, fluxus haemorrhoidalis, menses restituuntur.

§. 445. *Suppuratione* autem contingente effectus et sequelae variant; *vel* enim pus in pelvim renis effunditur et cum urina subito omne, vel partitim successive longius per tempus excernitur: aeger inde utut non raro post annos demum sanatur, aut ex contabescentia, *phthisi renali*, moritur; — *vel* pus in rene manet reclusum, qui pedetentim dissolvitur, totusque tandem in saniem commutatur: aeger sub phaenomenis marcoris, quin phthiseos renalis signa certa semper exhibeat, et nonnunquam praecipite saniei et sanguinis per vias urinarias sub evacuatione exstinguitur; — *vel* pus in viscera durante phlogosi cum rene conglutinata v. gr. intestinum quoddam, lienem, hepar, imo per diaphragma in thoracis cavum penetrat, rarum in primo casu et singulare phaenomenon, vomitum urinarum, producere valet, sanationem rarissime, mortem potius jam citius jam serius subsequam habet; — *vel* tandem in regione lumbali ad exteriora erumpit, aut tumorem format fluctuantem, hoc aperto effluens fistulam renalem sistit, saepius concrementa urinalia continens, et faustis sub circumstantiis in- et externis, rationali aptoque tractamine chirurgico sanabilis.

Induratio nephritidem acutam rarius quam chronicam insecuta, cum insigni nonnunquam voluminis augmento ac duritie exterius quoque palpabili, insanabiles aut hydropem universalem, aut tabem, aut ulcerationem carcinomatosam post se trahit.

Gangraena raro et tunc potissimum accedit, ubi nephritis a calculis renum orta est et sustentata, summe dolorifica, gravibusque stipata symptomatibus nervosis.

§. 446. Ex multis nephritidis *varietatibus* memoratu imprimis dignae sunt: *acuta* et *chronica; substantiva* et *symptomatica; primaria* et *secundaria; idiopathica* et

sympathica; superficialis, membranosa (utplurimum rheumatica), et *profunda*, parenchymatosa (phlegmonosa).

Nephritis *chronica* confunditur facile cum rheumatismo chronico musculorum psoas, partis peritonei eosdem ac iliacos obducentis, cum intestinorum spasmis, gravaminibus a calculis, quibuscum saepe revera coëxistit. Characteres diagnostici fidi in turbis supra allatis urinarum se- et excretionem, et mutationibus qualitates istarum spectantibus, atque in sympathicis ventriculi, tubi intestinalis et diaphragmatis adfectionibus praesto habentur.

Superficialis in renum capsulis residens, raro simplex, utplurimum cum peritonitide composita nephritis, a *parenchymatosa* quodammodo distinguitur in eo, quod dolorem aliqualem in regione renum per pressionem saltem provocandum, ejusdem regionis calorem auctum, sensibilitatem insolitam et quandoque pulsationes ibidem habeat comites, altera vero urinarum se- et excretione potius turbatis aut suppressis, qualitate missarum dicto modo vitiata, et sympathicis uretherum, vesicae, testiculi, femoris ex latere adfecto symptomatibus insigniatur.

§. 447. *Causatur* nephritis: *a)* calculis renum praesertim motis, renibusque per strata lapidosa, inaequalia vehendo, equitando, saltando concussis; verberibus, ictibus, lapsu regionem renum ferientibus; vulnere renis; costarum inferiorum fractura; inflammationis ac suppurationis vicinae propagatione; diureticorum acrium, cantharidum imprimis, olei terebinthinae aliorumve balsamorum abusu, urinae in renum pelvibus retentione longa sub situ dorsali necessario protracto, qualis v. gr. in femorum, crurum fracturis, luxationibus requiritur; *b)* refrigeratione lumborum et dorsi, fluxus haemorrhoidalis, menstruorum, arthritidis, rheumatismorum, morborum cutis chronicorum suppressione.

§. 448. In ferenda *prognosi*, ex hucdum communicatis jam maximam partem construenda, in causas occa-

sionales, sympathiae viscerum abdominalium vigorem, et in sequelas faustissimam quoque resolutionem quandoque excipientes praecipua convertatur oportet attentio.

Nephritis a calculis, frequentissima omnium, ob impossibilem causae hujus amotionem periculosissima est, admodum pertinax, imo vix sanata facillime revertens, morborum posthumorum in renibus pessimorum fertilis.

Periculi indices sunt: ischuria renalis completa; urina parca et pallida, diri dolores et vomitus vehemens, magna anxietas, artuum frigus, deliria vivida, convulsiones, lipothymiae.

Grumus sanguinis aut lymphae coagulum inflammatione sublata in rene alterutro aut in vesica remanens facile nucleum suppeditat calculo urinali futuro.

§. 449. *Cura* nephritidis implendo indicationes notas generales absolvitur.

Ubi calculi renum culpam gerunt, indirecte solum, contra effectum eorum, inflammationem scilicet, agere conceditur, venaesectiones, depletiones sanguinis topicas, mixturas demulcentes mucilaginosas, mucilaginoso-oleosas, emulsiones omni irritamento salino, alio carentes, potus similes, enemata emollientia leniter alvum aperientia, fomenta, cataplasmata, unguenta, balnea etc. emollientia administrando, regimen simul ordinando antiphlogisticum. — Cantharidibus, si in causa sunt, mixturae similes v. gr. gummosa aut oleosa, aut emulsio ex amygdalis vel papaveris albi seminibus, extracto hyoscyami vel opii nuptae, potulenta aquoso-mucilaginosa affatim tepide sorbilanda, et, quousque congruum, tractamen simul antiphlogisticum reliquum opponuntur. — Causa traumatica externa praegressa initio confestim epithemata frigida adplicentur etc. etc.

§. 450. Inflammationi *medendi methodus* contra inflammationes hucusque expositas laudata convenit, modificationi, magnitudini, stadio morbi, constitutioni aegri etc. ubique adaptanda. Cuncta vero salia antiphlogistica,

ne nitro quidem excepto, hic penitus fugiantur; et, ubi character fors nervosus invitaret, vesicantium vices sinapismi aut armoracea rasa cum sale et aceto expleant, necesse est.

§. 451. Sub *crisi* et durante *convalescentia* curatio, quae in aliis phlogosibus, quadrat. A diureticis vel minime irritantibus penitus abstinendum, ne recidiva artefacta crisin interturbet. Praescripto nunc tractamine folia uvae ursi, provectiore in convalescentia a non nullis ad vias uropoëticas roborandas, forma decocti, aut pulveris in electuario dosi gran. 15—20 ter quaterve per diem, commendata saepissime superflua redduntur.

§. 452. *Suppurationis* renum cura differt pro praesentibus adhuc phlogosi et febre vel inflammatoria vel tabifica, vel vero utraque absente. Casu priore emulsa, serum lactis, eccoprotica frequenter interpolata, tractamen generatim et regimen antiphlogisticum; altero casu: aqua Selterana, Joannea, aq. calcis cum lacte, lichen island., cort. Peruvianus etc.; casu tertio: folia uvae ursi, remedia gummiresinosa, balsama parvis dosibus, in specie myrrha, balsam. peruvianum aut copaivae, martialia debiliora, conducunt.

Spec. XIV. Inflammatio vesicae urinariae.

§. 453. *Inflammatio vesicae urinariae* (*cystitis*, Entzündung der Harnblase) tam acuta quam chronica occurrit. Penes synocham sequentia secumfert symptomata: dolorem continuum urentem, punctorium imo et pulsatorium supra symphisin ossium pubis, ad perinaeum et os sacrum, morbo valde intenso ad urethram, testiculos et femora extensum, sub pressione ex- et interna, concussione quavis, nixu ad mingendum, et omni trunci motu magnopere increscentem; abdomen totum perquam sensibile; regionis vesicae et perinaei aestum, tumorem, tensionem, excretionem urinae laesam et quidem mox

ischuriam dolorificam, mox dysuriam et stranguriam cum urina guttatim extricata calida, flammea, intense rubra, non raro sanguinolenta, serius crassa, tenace, sedimentum formante mucosum aut puriforme, vomituritiones, vomitum; singultum; anxietatem magnam; enteralgiam; tenesmum cum alvi retentione; in maribus consuetim membri erectiones.

Solet inflammatio ab una alterave vesicae parte inchoare, unde symptomata quoque per tempus non eadem, donec per vesicam totam aut magnam saltem ejus partem diffusa sit. Sic inflammatio colli vesicae doloribus vehementibus, aestuque magno in perinaeo, tumore circumscripto investigatione per intestinum rectum detegendo, dysuria, stranguria, imo ischuria vesicali insignitur; — parietis vesicae posterioris inflammationem alvi obstipatio aut tenesmus et haemorrhoidum intumescentia in maribus, metritidis phaenomena in foeminis, — illam anterioris parietis sensibilitas summa, aestus et tumor aliqualis supra symphisin ossium pubis notant; — inflammationi fundi vesicae dolores colici, symptomata enteritidis, et tenesmus ad matulam frequens adhaerent; laterum vesicae tandem phlogosis adfecto simul alterutro urethere vel utroque, et quidem doloribus ejus tensivis versus renes directis, nonnunquam expansione palpabili, renum alterutrius vel amborum tensione, dolore, symptomatibus inflammatoriis, et hoc in casu completa urinae in uretheribus ac renibus retentione, cum lethalibus illorum ruptura, horumque gangraena, brevi metuendis.

J. P. Frank, *S. Vogel*, *A. G. Richter*, *ab Hildenbrand* in opp. cit.

Troja l. c.

Wilib. Schmid, üb. diejen. Krankheiten der Harnbl., Vorsteherd. u. Harnröhre, denen vorzüglich Männer im höheren Alter ausgesetzt sind. Wien 1806. 8.

S. Th. Sömmerring, üb. d. schnell u. langs. tödtlichen Krank-

heiten der Harnbl. u. Harnr. im hohen Alter. Frankf. a. M. 1809. 4.

Rob. Bingham's pract. Bemerkungen üb. die Krankheiten und Verletzungen der Blase. Eine gekrönte Preisschr. Aus dem Engl. übers. v. *G. E. Dohlhoff.* Magdeb, 1823. 8.

§. 454. *Decursus* cystitidis plerumque acutissimus est, luculentis tunc remissionibus carens, et symptomatibus nervosis majoribus, speciatim pulsu parvo, duro, admodum frequente, artuum frigore, animi deliquiis, deliriis etc. stipatus. Cystitis rheumatica, magis adhuc catarrhalis, arthritica, syphilitica, et quae ex regressis efflorescentiis cutaneis chronicis profecta, saepe mitiores decurrunt, facile tamen *chronicae* fiunt, et tales deficiente attentione necessaria et penitiore modi decurrendi ponderatione neglecta praetervideri facile possunt, et confundi.

Cystitis acuta intra septem et quatuordecim dies ut plurimum, chronica tempore haud definiendo cursum *absolvunt.* Duratio chronicae longa, et symptomatum inflammationis consuetorum ac eminentium lenitas per vices intrans, imo plenaria, ad aegrorum saltem sensum, absentia in causa sunt, cur illa medicum obiter ac festinanter indagantem facile, ut mox dixi, fugiat, vel turpiter fallat.

§. 455. *Resolvitur* imminutis sensim symptomatibus inflammatoriis sub sudore critico, evacuatione non dolente urinae copiosae, admodum opacae, crassae, hypostasin puriformem facturae, multum olentis, quandoque fluxu haemorrhoidali aut erysipelate comparente.

Suppuratio, utut exitus cystitidis minime frequens, exorta multiplices adfert sequelas, a loco, viis et eliminatione puris pendentes. Pus enim in cavum vesicae dimissum cum urinis excernitur quidem, ast raro sanationem, communiter vero *phthisin vesicalem* post se trahit; in abdominis et pelvis cava effusum gangraenam lethalem habere solet pedissequam; — in viscera vicina, intesti-

num rectum scilicet et vaginam viis exesis progressum, vel ad exteriora proruens fistulas producit urinales, et recto perforato etiam stercorales, molestissimas, pertinaces, vix non semper insanabiles.

Induratio cystitidem frequentissime, imprimis lentam, a rheumatismo, arthritide, syphilide pendentem, a calculis urinalibus inductam et sustentatam, sequitur. Sede gaudens diversa jam ad singulas vesicae plagas et regiones restringitur, jam per omnem extenditur substantiam ejus; callositates oriuntur, immutationes cartilaginosae, ipsaque ulcera carcinomatosa, cum variis mictus molestiis et multifariis urinarum vitiis.

Vesicae mediante lympha coagulabili *concretiones* cum peritoneo, aliqua intestinorum tenuium parte, recto, utero cystitidem caeterum perfecte exstinctam frequentissime sequuntur, effectu vario.

Gangraena frequentioribus cystitidis terminationibus accensenda, saepe paucorum jam spatio dierum lethifera. Ad angustam vero plagam solum limitata dissolutiones hujus partis, infiltrationem urinarum, tandem fistulam urinalem sequelas habere potest, quin adeo celerem inferat mortem.

§. 456. Potiores cystitidis *differentiae*, ut caeterarum phlogosium, a causis excitantibus, sede, magnitudine, decursus ratione etc. nec non ab indole febris petuntur. Quare in *primariam* et *secundariam; substantivam* et *symptomaticam* (arthriticam, syphiliticam, impetiginosam); *phlegmonosam*, *rheumaticam* et *catarrhalem; acutam* et *chronicam* etc. colli, fundi vesicae etc. cystitis distinguitur.

§. 457. *Causis occasionalibus* adnumerantur: *a)* calculi acuti angulosi, acuminati; punctio vesicae; operatio ad calculum extrahendum, et laesio quaevis; vesicae pressio, contusio, commotio v. gr. per ictum aut lapsum in vesicae regionem, per violentam catheteris aut cereolorum inductionem, uterum gravidum aut re-

troversum, partus difficiles instrumentorum auxilio perficiendos, sub vesicae prolapsu et hernia, sub ossium pubis fracturis et carie etc.; retentio urinae protracta; diureticorum acrium, in specie cantharidum abusus; pus et ichor e renibus suppuratis depluens; *b)* inflammationum vicinarum, urethrae, prostatae, vaginae, intestini recti, peritonei in vesicam progressus; refrigerium; haemorrhoides, menses, lochia, blenorrhoeae, arthritis, rheumatalgia, scabies aliaeve efflorescentiae cutis chronicae suppressae.

§. 458. *Prognosis* momentis generalibus indigitatur. Cystitis acuta semper plena periculi, nam ex gangraena, vesicae vel et uretherum a lotio retento ruptura aut paralysi, ex urinis resorptis indeque nata febri nervoso-putrida cum contingente facile in cerebrum metastasi, brevi lethalis fieri potest. — Completa ischuria et sopor symptomata sistunt periculosissima. — Lenta in incrassationem tunicarum vesicae, indurationem, scirrhos, ipsasque degenerationes carcinomatosas nititur.

A refrigerio profecta tractamine tempestivo et congruo caeteris fere facilius sanatur; difficilius ex haemorrhoidum vel arthritidis recessu orta, difficillime calculis vesicae producta; haec enim calculis ope chirurgica tempestive non sublatis chronica evadit, incommodisque huic propriis ac periculis circumdata.

Cystitis a calculo omnium frequentissima; caeterum symptomatica frequentior est quam idiopathica et substantiva.

Inflammationem faustissime resolutam diuturna in recidivam pronitas sequitur.

Durante phlogosi nonnunquam basis calculorum futurorum in vesica formatur.

§. 459. *Therapiam* cystitidis acutae et chronicae praecepta generalia regunt, casibus singulis confestim adaptanda. Inflammatio pro re nata phlebotomias, postea hirudines ad perinaeum aut supra symphisin ossium pubis,

reliquamque methodum antiphlogisticam, emollientem et pacantem, quemadmodum nephritis, cum regimine concordante exposcit. Ischuria vero instantaneo urgens periculo, nisi curationi eidem simulque cataplasmatibus, enematibus, semicupio emollientibus cito cesserit, speciali insuper symptomatica cura tollatur necesse est. Urina scilicet cauta subtilique catheteris tenuis elastici adplicatione, vel collo vesicae ob inflammationem aut aliam qualemcunque causam auferri nesciam impermeabili, per puncturam vesicae evacuetur.

Cystitidi *chronicae* eadem, quae caeteris hucdum pertractatis inflammationibus, medendi ratio opponenda est.

§. 460. Pro *crisi* dirigenda, et promovenda convalescentia indicationes generales, saepe jam enarratae valent.

Spec. XV. Inflammatio uteri.

§. 461. *Uteri inflammatio (metritis*, die Entzündung der Gebärmutter), aut a febris symptomatibus, frigore, aestu, siti etc., aut a doloribus in uteri regione orditur, hisque symptomata febrilia accedunt.

Signa metritidis sunt: dolores in pelvi ad uteri regionem fixi, et continui, urentes, punctorii, lancinantes cum ponderis sensu conjuncti, pressione augendi, caeterum inflammata facie uteri anteriore consuetim in regione symphisis ossium pubis accusati, et mictu difficili, dolorifico, tenesmo mingendi, imo ischuria vesicali stipati; — facie posteriore inflammata ad os sacrum et coccygis protensi, cum ardua ac dolente alvi excretione, tenesmo, nonnunquam intumescentia haemorrhoidum manifesta; — inflammatis uteri lateribus et ovariis in regione inguinali haerentes, ad iliacam inde, ad femora ipsosque pedes propagati, istorumque stupori, motus difficultati nec non oëdematibus juncti; — collo ac orificio

uteri phlogosi detentis ima in pelvi residentes, comitantibus eorum tumore, duritie, calore aucto, sensibilitate, siccitate, sub exploratione per vaginam detegendis; quovis in casu calor in epigastrio major, artuum non raro simul minor, imo frigus ad tactum; mammarum sensibilitas; delassatio magna; nausea, dysphoria, vomituritiones, vomitus; quandoque lipothymiae, convulsiones aliave symptomata nervosa; pulsus plerumque duri, tensi spastice contracti, admodum citati, cum essentialibus caeteris synochae symptomatibus. Crescente metritide symptomata quoque intenduntur, dolores non sub levissimo solum attactu exacerbantur, sed ulterius etiam diffunduntur, accedit meteorismus, menstrua forte praesentia, aut lochia et secretio lactis sistuntur, pallor et frigus faciei admodum tristis, respirium breve, anxietas, suspiria, deliramenta ingruunt.

Metritidis *acutae* non intensitas modo major est, sed *decursus* etiam magis continens, quam *chronicae* luculentissime remittentis; acuta intra septem et quatuordecim dies fauste vel infauste, chronica, valde frequens, longe tardius, post menses imo, et saepe infauste judicatur, tumore, duritie, induratione, profluvio morboso etc. relictis. Chronica, ni plurimum attendatur, facillime praetervidetur, et pro spasmo, colica catameniali, aut mera blennorrhoea, constante illius comite, sumitur.

Van Swieten, J. P. Frank, S. Vogel, C. Sprengel, ab Hildenbrand opp. cit.

§. 462. Acutae metritidis *resolutio* sub sudoribus et urinis criticis, lochiorum suppressorum reditu, sanguine e genitalibus, haemorrhoidibus, rarius e naribus stillante, morbo mitiore ac lentius decurrente sub profluvio mucoso, puriformi, olente ex vagina, — chronicae absque vel parum manifestis sub evacuationibus, successiva symptomatum localium aeque ac universalium cessatione, aut, si ex profluvio quodam, exanthemate chronico etc.

suppressis originem duxerat, sub illorum ad loca prius adfecta recursu obtinet.

Suppurationem in metritide acuta magis quam in chronica, maxime in phlegmonosa vehemente metuere licet. Sequela ejus fausta erit vel infausta, prout abscessus in cavum uteri ruptus per vaginam libere depletur, vel pus suum in pelvis cavum, per sinus varios ad inguina extrorsum, in vesicam urinariam, rectum aliudve intestinum cum utero morbose connexum effundit, vel in ulcus abit cum succedentibus pedetentim *phthiseos uterinae* symptomatibus, post breve quandoque tempus lethalis.

Induratio metritidis chronicae comes frequens est, pedissequa constans. Variis peritonei uterum vestientis, nec non tunicae internae muciparae, et nectentis textus cellulosi locis, frequentissime autem in uteri ore et collo occurrit. Signa indurationum talium praeter indiciorum resolutionis aut suppurationis defectum saepe obscura sunt, nisi in collo aut ore uteri haereant illae, sub exploratione ex tumore duro ac multum sensibili omnino cognoscendae. Alias ad illarum praesentiam concludere medicum sinunt sensatio obscura doloris, ardoris, vel pressionis in aliqua uteri regione, sub certis corporis motibus ac versionibus, exaestuationibus a cibo, potu, saltu, praeprimis insurgente instinctu sexuali, et sub quovis coitu percepta, et per pressionem hypogastrii quidquam tumidi excitanda; leucorrhoea indolens; dolor aut tenesmus, quasi quid per vaginam prolaberetur, jam continuus, jam sub coitu solum, alvo et urinis mittendis intrans. Harum indurationum aliae, utut admodum considerabiles, praeter mensium anomalias, abortus, aut et sterilitatem nullis stipatae symptomatibus diutissime, tota saepe vita perstant; aliae vero in *scirrhum* et *cancrum* degenerant, quin specialis ubique dispositio concurrat scirrhosa. Pars indurata hoc in casu augeri solet volumine, inflammatione identidem corripitur, detinetur, se-

rius vel ocyus in ulcerationem cancrosam transitura. Degenerationem hanc factam et *carcinoma praesens* patefaciunt: dolores de novo exorti in imo pelvi urentes continui, vesperi tamen exacerbati; puncturae vehementes saepius recurrentes in parte indurata, sensibilitas hujus insignis et impatientia digiti explorantis; aliqualis genitalium externorum intumescentia; profluvium e vagina antehac blandum nunc variegatum, striis sanguineis notatum, consistentia et acredine saniem referens, et foetens; pro sede durities quoque palpabilis, tuberositas, aspredo, plaga ulcerata, excrescentiae fungosae; laesae intestini recti et colli vesicae functiones; dolores diri sacrales in femora, tandem crura et pedum plantas usque descendentes, urentes, lancinantes, denique quasi ossa rodentes ac terebrantes, anomale periodici. Accedunt his habitus cachecticus proprius, color faciei viridi-flavens, febris depascens, haemorrhagiae parvae iteratim revertentes, donec aegra sensim, raro sub larga haemorrhagia et convulsionibus subito, exhausta cruciatuum vere immanium attingat metam.

Effusio morbosa fluidi serosi, lymphatici, puriformis, lacti similis in abdominis vel uteri cavum, sicut *concretiones* morbosae fieri in metritide praesertim membranam uteri externam (a peritoneo acceptam) aut internam (cutis propaginem) occupante, et in illa puerperarum observantur.

Gangraena terminatio metritidis lethifera haud rara, nonnunquam epidemica visa. Praesentem eam indicant, mortemque annunciant pulsantem repentinum dolorum silentium, delassatio magna, facies hippocratica, frigoris sensus in abdomine, meteorismus, pulsus parvi, debiles, inordinati, intermittentes, fluidum brunescens olidum e vagina manans, os uteri explorando laxum inventum et frigidum.

§. 463. *Differentias* cum aliis phlogosibus communes metritis habet. Observatur itaque *primaria* et *secun-*

daria, *substantiva* et *symptomatica*; *epidemica*, *endemica*, *sporadica*; *acuta* et *chronica* etc. Speciali vero distinctione dignae censendae sunt: metritis puerperarum, gravidarum, caeterarum; metritis *membranosa* s. velamenti externi seriferi, tunicae internae muciparae, et *parenchymatosa* s. substantiae uteri, utut altiore gradu neutra maneat sola; m. cum *synocha*, et quandoque in progressu cum *nervosa* aut *synocho putri* conjuncta; m. *pura* et *complicata* v. gr. cum statu gastrico-saburrali, bilioso etc. De *febri puerperali* in tractatu de Peritonitide dicam.

§. 464. Ad metritidem, et ad uteri morbos generatim *disponunt* eminenter: periodus pubertatis, tempus menstruorum, graviditas, partus, puerperium, et instinctus sexualis fervens. Menstruorum quoque cessatio annis climactericis metritidi chronicae multum favet. — Momentis *excitantibus* comprehenduntur: *a)* causae traumaticae ab extus vel per vaginam ferientes uterum, uti ictus, verbera, pressio, fasciae aliaque ligacula stringentia; coitus nimis frequens ac violentus, tentamina abortiva, masturbatio mediis traumaticis exercita; exploratio inepta, rudis; uteri laesiones, contusiones sub partu, secundinarumque extractione, imprimis capite firmiter impacto, versionibus et instrumentorum usu, prolapsibus, inversionibus uteri; pessaria turundae, aliave corpora peregrina vaginae immorantia tam volumine quam duritie prementia, irritantia; perversum polyporum uteri tractamen; leucorrhoeae, dysmeniae, metrorrhagiae adversa per injectiones nimis irritantes, calidas, aut adstringentes curandi ratio; *b)* phlogoses vicinae vigente synocha in uterum propagatae; menstrua, lochia, haemorrhoides fluentes, efflorescentiae chronicae variae suppressae; refrigeria; purgantia drastica; sabinae, spirituosorum abusus; corporis valida per motus nimios speciatim saltum excedentem exaestuatio; animi adfectus concutientes ira maxime et terror; cupidines effrenes.

§. 465. *Prognosis* momentis acquiescit abunde notis. Metritis puellarum juvenum, robustarum, plethoricarum tempore menstruorum primorum, sic et puerperarum, periculo terrere consuevit. Idem de metritide febri nervosae aut putridae juncta, genio morborum generatim dominante malo, de metritide non superficiali modo sed ipsum quoque parenchyma tenente, magnamque hujus partem occupante dictum sit. Prognostica reliqua metritidis acutae et chronicae ex historia fluunt mox exposita.

§. 466. *Therapiam* principia generalia, omniumque adjunctorum et aegrarum singularum specialis respectus definiunt, dirigunt. Notare solum opus est, necessitatem tum phlebotomiarum tum hirudinum hic consuetim urgere, illas itaque sine mora institui, pro re nata repeti, sanguinisque debitam copiam evacuari debere, ne malae sequelae, ipsa imo gangraena lethalis intrent; in puerperarum metritide tamen, quemadmodum de febri puerperali infra dicetur, tempus pro indicatis venaesectionibus utplurimum cito elabi.

Metritis *chronica* methodum antiphlogisticam prudenter circumscriptam, eamque generatim therapiam poscit, quae in generalibus §. 286., et in specie contra pneumonitidem chronicam §. 369. statuebatur.

Haec eadem medendi ratio cum regimine congruo, simulque semicupia emollientia, et pro re nata cataplasmata, injectiones, vapores ejusdem virtutis contra *indurationes* uteri adhuc *inflammatorias* plurimum efficiunt, ut transitus in scirrhum et cancrum pro possibili arceatur, saltem procrastinetur. Quibus vel insufficientibus vel neglectis solventia quaeque decantata postmodum vix nisi narcotica simul, aut narcoticis nupta dolores palliando cruciantes paria inveniuntur. Talia sunt: praeparata mitiora mercurii, antimonii nec non auri, baryta muriatica, sapo medicinalis, sabina, digitalis purp., conium maculatum, aconitum, belladonna, opium, aq. laurocerasi etc. etc.

Spec. XVI. Inflammatio ovariorum.

§. 467. *Inflammationem ovariorum (oophoritidem*, Entzündung der Eyerstöcke) et metritidi junctam, et solam videre licet, ibi plerumque *acutam*, hic *chronicam*.

Acutam citra synochae symptomata patefaciunt dolor in alterutrius vel raro utriusque ovarii regione fixus et continuus, urens, punctorius, tensivus, per pressionem sub exploratione adaugendus; tumor plus minusve distincte tangendus, ovalis, durus circumscriptus, sensatio caloris et tensionis in illo, saepe ad lumbos et os sacrum producto, cum correspondentis vel utriusque femoris stupore; gradu altiore vomituritio, vomitus, delirium, in puellis quandoque spasmi, salacitatis indicia, et nymphomania.

In oophoritide *chronica* febris levis, vesperi solum et post exaestuationes major, dolores obtusi, tensivi, pressivi, ad sensum non continui, caetera symptomata mitia sunt, singulaque sensim explicantur. Quare ut rite cognoscatur, attentione peculiari, assidua observatione, ac prae omnibus accurato hypogastrii examine opus est.

§. 468. Ratio *decursus*, *duratio* et *crisis* oophoritidis tam acutae quam lentae a decursu etc. metritidis essentialiter non differunt. Conf. §. 461 et 462.

Mala *posthuma* concretiones cum intestinis, intumescentiae perstantes saepe cum substantiae mutatione morbosa, induratio cum vel sine nisu in scirrhum et cancrum, suppuratio, hydrops observantur.

§. 469. *Disponuntur* in hanc inflammationem partim puellae, quarum instinctus sexualis praemature aut frequenter nimis excitatur, quae veneri vulgivagae, masturbationi sunt deditae, partim puerperae post partus laboriosos, et foeminae cessantium menstruorum epocha. — *Excitant* eam: causae traumaticae, quales in metritidis aetiologia nominaban-

tur; incitationes venereae validae aut frequentes phantasia fervente; conversationes libidinosae, masturbatio, coitus nimius, terrore etc. interruptus; menses, lochia, leucorrhoea, haemorrhoides etc. suppressae; inflammatio uteri, peritonei, alius visceris vicini in ovaria progrediens; tandem chlorosis, scrophulae, arthritis, syphilis.

§. 470. *Prognosis* ex nosographia potissimum capienda.

Therapia oophoritidis acutae et lentae quoad indicationes essentiales, indicata, et medendi methodos cum metritidis cura (§. 467.) penitus convenit.

Ordo II. Inflammationes membranosae.

§. 471. Vigore animadversionum supra (§. 301. et seq.) factarum ordo logicus exposceret, ut inflammationes hoc titulo comprehensae pro diversis, quas occupant, membranis in *sectiones* tres, membranarum videlicet serosarum dictarum et fibrosarum, mucipararum, et integumentorum communium inflammationes dispescerentur, et ut singularum sectionum *genera* pro diversis, quibus producuntur, causis mechanicis, chemicis, dynamico-organicis etc. statuerentur. Hac ratione in sectione prima phlogoses rheumaticae, in secunda catarrhales, in tertia erysipelas citra complures alias v. gr. traumaticas, miasmaticas etc. qua genera collocandae forent. Ast minus utile duco, hanc juxta indigitationem plura statuere inflammationis genera, eaque ipsa repetitis pertractare vicibus, quam sub vulgatissimis ideoque dignissimis generibus paucis caetera rariora intuitu diagnostico, prognostico, et therapeutico simul perlustrare. Quam ob rem inflammationes huc referendae sub titulis *generum trium: rheumaticarum, catarrhalium* et *erysipelatis* simul pertractantur.

De omnibus animadversio valet gravis momenti practici, eas non obstante indole speciali rheumatica, catar-

rhali, erysipelatosa, nec origine propria traumatica, miasmatica, metastatica etc. in majorem evectas gradum vere *phlegmonosas* fieri, *febrique continua* obscure remittente (synocha) stipatas decurrere; praeterea phlegmones intensitatem non assecutas, sicut ab hac in phlogosim levem aut in irritationem tantum phlogisticam reversas, rheumaticas praecipue et metastaticas, fugaces esse, facileque in organa alia membranosa jam vicina jam remota transilire, quousque morbus totus completa crisi sublatus non fuerit.

Genus I. Inflammationes rheumaticae.

§. 472. Inflammationum istarum proprietates jam §. 307. et 308. designabantur. Nexus naturalis facit, ut hic de *rheumatismo* generatim et de *febre rheumatica* quoque apte agatur.

Rheumatismus a ῥεειν, ῥευμα, *fluxio*, Fluss, Flusskrankheit, Rheumatismus, morbum vi vocis denotat, ad quem gignendum materia peculiaris fluida partem confert essentialem. Qua talis materia perspirabilis refrigerio repulsa designata fuit. Haec tamen de rheumatismi genesi opinio lateralis est et manca; sicubi enim transpirationem suppressam symptomata sequuntur rheumatica, non retentarum solum, quae excernendae fuissent, materierum, sed et frigoris simul qua causae excitantis, et totius morbi, sive plagam cutis sive omnem expansionem concernentis, effectum sistunt. Conceptus itaque rheumatismi ex causa determinata, sede et symptomatibus ejus definiri debet. Sedem autem rheumatismus agnoscit omnes membranas organaque membranosa, quae humores serosos continent et secernunt. Symptomata characteristica in doloribus trahentibus, lancinantibus, punctoriis aut scindentibus, cum vel absque caeteris symptomatibus inflammationi essentialibus, consistunt. *Rheumatismus* igitur est *irritatio* (primario inflammatoria) *organi*

membranosi seriferi dolorifica, specialis ex functione cutis omni per refrigerium laesa, speciatim transpiratione inhibita originem ducens.

Syphilis, scorbutus, dyscrasia cancrosa, aliique morbi complures, praesertim a morbis cutaneis: scabie, herpete, tinea capitis, plica polonica, ulceribus chronicis, blenorrhoeis etc., suppressis orti, dolores quoque comites exhibent, rheumaticis non absimiles. Quos, ut a rheumaticis discernantur, *rheumatismos spurios* vocare, et a morbis principalibus cognominare placuit; inde rheumatismi syphilitici audiunt, scorbutici, cancrosi etc. Res in eo fundatur, rheumatismum aeque ac *dolores* syphilidis, scorbuti, dyscrasiae cancrosae etc. *symptomaticos* in membranis seriferis haerere, harumque jam irritationem, jam inflammationem causam subesse proximam omnibus communem; rheumatismum vero specialem hujus irritationis vel inflammationis modificationem sistere, ex turbata omni per frigus siccum vel humidum functione cutis, suppressaque speciatim transpiratione profectam.

§. 473. Rheumatismus in omnibus membranis, per Physiologos recentiores (*Bichat, Burdach etc.*) ad serosas et fibrosas numeratis, adeoque, utut frequentissime, non exclusive tamen in iis, quae musculos vestiunt, fasciculos eorundem involvunt, atque tendines obducunt, occurrit, sed in aponevrosibus etiam, ligamentis, periostio, meningibus cerebri et medullae spinalis, nevrilemate, in pleura, peritoneo et utriusque ad viscera in cavis pectoris et abdominis sita propaginibus, in tunica vaginali testiculorum, conjunctiva oculi etc. *sedem* figit.

§. 474. Rheumatismus ubicunque et quocunque sub cognomine obveniens *acutus* est aut chronicus; *recens* aut *inveteratus; inflammatorius*, calidus dictus, aut *non inflammatorius*, frigidus; *febrilis*, et quidem febri communiter plus minusve phlogisticae junctus, aut *non febrilis; fixus* aut *vagus; simplex* aut (cum catarrho utplurimum) *compositus; purus* aut *complicatus; epidemi-*

cus, endemicus aut *sporadicus.* — Specialius considerari scopo practico merentur ex his *1)* rheumatismus *afebrilis* tam recens quam inveteratus; *2) febrilis* sive *febris rheumatica;* et *3) inflammationes rheumaticae* in genere, nec non *articulorum* in specie, *malum ischiaticum, lumbago,* et *prosopalgia.*

Th. Sydenham, obs. med. etc. Sect. VI. c. 5.
Van Swieten, Commentar. T. V. §. 660. etc.
Stoerck annus med. II.
Stoll rat. medend. P. III. Sect. 4. de natura et indole dysenteriae.
Cullen, S. Vogel, A. G. Richter, Sprengel, ab Hildenbrand opp. cit.

§. 475. *1) Rheumatismus afebrilis recens* sine prodromis, plerumque brevi post refrigerationem speciatim ab aëre perflante ortus, levior dolore pruriente, ardente, trahente, non ad eundem locum fixo, gravior punctorio, lancinante, scindente, magis fixo jam in singulis jam in pluribus simul partibus, in capite, collo, humeris et artubus frequentius, manifestatur. Partes doloribus detentae admodum sensibiles sunt, mox ad normam calentes aut sane frigentes, mox vero morbose calidae, ac tumidae, durae et rubrae; dolores periodis irregularibus subito saepe exacerbantur multum et remittunt, quiete et calore sicco moderato et aequabili mitigantur, pressione autem, motu etc. intenduntur. — Faventibus rerum adjunctis, quibus tractamen promptum ac congruum atque regimen debitum imprimis accensenda, cito utplurimum *sanatur,* magna tamen in recidivum opportunitate diu relicta; illis vero minime secundis vel in *inflammationem* abit *rheumaticam,* vel *chronicus* evadit.

§. 476. *Rheumatismus afebrilis inveteratus* (chronicus, habitualis) aut mox memorati continuationem, aut acuti febrilis sequelam sistens, absque tumore partis, saltem absque rubore et aestu adesse, et non in

inflammatione chronica quam in nevropathia, *rheumatalgia*, potius consistere solet. Doloribus stipatur nec fixis consuetim nec stricte continuis, sed magnopere vagantibus, nunc mitibus, nunc vehementibus, tempore incerto multum remittentibus, imo intermittentibus. Hac sub facie septimanas, menses, imo annos excurrit, et si febris adsociatur, complicante excepta, vel ex rheumatismo v. gr. per tempestatem frigido-humidam, ventosam exacerbato profecta, accidentalis, vel lenta est, depascens. Utroque in casu morbus nonnunquam arthritidem fallax aemulatur. Partes aegrae intervallis quoque dolore vacuis erga aërem humidum, frigidum, ventosum, perflantem maxime sensiles sunt, et resurgentes in illis sine alia ansa dolores non raro nuncii imminentium tempestatis vicissitudinum sat certi habendi. — Rheumatismus inveteratus *vel* fauste finitur, repetitis nimirum sudoribus moderatis, aut oedematosa partium adfectarum intumescentia facile discutienda, aut furunculis, vesiculis aliave eruptione cutanea comparentibus resolvitur; *vel* infauste in indurationem, rigiditatem, paralysin, raro in suppurationem, aut (et sine ista) in tabem abit.

§. 478. 2) *Rheumatismus febrilis* seu *febris rheumatica* est febris acuta adfectioni rheumaticae essentialiter juncta. Quae originem ex una eademque causa cum rheumaticis doloribus etc. eodemque tempore trahit, quin semper eodem cum istis momento explicetur, sed saepe hisce increscentibus evolvitur, alias quandoque, utut brevi solum, antecedit. Symptomata febrilia localibus rheumaticis luculentiora eminent, non minori itaque horum intensitati, quam extensioni majori correspondent.

Orditur haec febris a frigore non adeo intenso quam valde molesto, quemadmodum initio febris catarrhalis, per aliquot horas durante, versus finem cum calore alternante, et ad minimam temperaturae vicissitudinem illico recurrente; sequitur calor auctus continuus cum essentialibus febris consuetim inflammatoriae vel subinflamma-

toriae symptomatibus; explicantur simul vel brevi posthac, nisi jam praecesserint, dolores trahentes, lancinantes aut pungentes in uno alterove aut pluribus organorum membranosorum superius enumeratorum, constantes aut alternando fugaces, cum febri aequabiliter exacerbati ac remittentes, increscentes ac decrescentes, nec tamen semper simul cessantes. Rheumatica cum catarrhalibus saepissime composita symptomatibus occurrunt; unde morbus nomine *febris rheumatico-catarrhalis* insignitur.

§. 478. Febris rheumatica decursu *continuo* et luculenter *remittente* dies septem, ad quatuordecim et ultra durat, et *vel* sub sudoribus universalibus, ad partes adfectas largioribus, levamen ferentibus, urinisque turbidis, mox hypostasim rubram lateritiam, aut pallide roseam, aut flavicantem levem formantibus fauste judicatur, *vel* in febrim inflammatoriam gravem intenditur, aut ob veram debilitatem morbo, tractamine perverso, aliaque causa inductam raro in nervosam, rarissime in putridam abit. Casu priore dolores rheumatici augentur, ad singulas concentrantur partes, et in veram (rheumaticam) usque phlogosim ingravescunt; altero ac tertio casu sub initium, et exacerbationis solum tempore, adhuc accusantur, serius per affectionem universalem nervosam aut colliquativam penitus abigendi et quasi suffocandi, alterutra autem decrescente consuetim reversuri. Ultra crisim saepe eodem modo, ac catarrhalia symptomata in febre catarrhosa, perstant, nonnisi pedetentim evanescunt, aut chronici protrahuntur.

§. 479. 3) *Inflammationes rheumaticae* nunc initiante morbo rheumatico jam adsunt, nunc eo decurrente primum explicantur. Febre stipari solent aut praegressa, aut simul intrante, aut evolutis et increscentibus accedente; doloribus dirissimis punctoriis, lancinantibus, urentibus, nonnunquam pulsatoriis, partium inflammatarum igitur motu denegato, earumque nisi profunde sita-

rum tumore perceptibili, rubore, duritie, calore intenso. Quo inflammationes ingravescunt magis, eo minus symptomata earum, imprimis dolores, periodice remittunt, eoque manifestius phlegmonosarum formam ac indolem subeunt.

Distincte considerari merentur: *a) inflammatio rheumatica articulorum, b) malum ischiaticum; c) lumbago; d) dolor faciei Fothergillii.*

§. 480. *a) Inflammatio rheumatica articulorum (rheumatismus articulorum inflammatorius*, arthritis rheumatica, rheumatische Gelenkentzündung), jam articulum essentialiter constituentes, jam vicinas quoque membranas, ligamenta, tendines etc. occupans, nunc singulos nunc plures simul prehendit articulos, manuum saepissime, pedum, genuum, rarius cubitorum, humerorum, ischiorum, vertebrarum dorsalium, rarissime occipitis et cervicalium superiorum.

Acuta omnes inflammationis notas, dolores speciatim indolis descriptae vehementes, continuo - remittentes, imprimis vesperi multum auctos, inde motum articuli prorsus inhibitum, febrimque variae intensitatis inflammatoriam secumfert. Tumore ac rubore ob profundum partium inflammatarum situm quandoque non manifestis signa reliqua sedem inflammationis certe indicant. Celeris quidem decursus, durationis tamen non brevis est; licet enim unius alteriusve articuli phlogosis cum febri simul intra 3, 5, 7 dies secedente urina critica conspicue decrescat, nova tamen febris exacerbatio cum horripilatione aut frigore majore mox accedere, et cum hac vel illico post recens unius aut aliquot articulorum formari consuevit inflammatio. Iteratis id vicibus conspicitur; quid? quod non raro inflammatio pluribus absolutis ad prius adfectos iteratim revertatur articulos. Decrescunt tamen simul, si res favent, inflammationes succedentes intensitate ac duratione, intra 3—5 septimanas sub solitis tum febris tum phlogoseos phaenomenis criticis perfecte

resolvendae. — Praeterea acuta facile in chronicam abit articulorum inflammationem, vel et eventu infausto hydropem articulorum acutum, oedema circumferentiae, partium inflammatarum incrassationem, indurationem, suppurationem, ulcera cum vario effectu: anchylosi nempe, fistulis, carie, relinquit; vel mediate, imprimis diu durans, saepius recidiva, cum mala aegri dispositione etc. concurrens, viscerum abdominis infarctus, cachexiam, veram arthritidem, febrim hecticam post se trahit. Vehemens utut resoluta debilitatem adhuc membri diuturnam, sensibilitatem morbosam, imminutam igitur ejus ad motus aptitudinem, ipsam quandoque tabem subsequam habere observatur.

Chronica quoad symptomatum rationem cum aliis inflammationibus chronicis convenit. Dolor moderatus, continuus tamen, corporis aut membri modo adfecti motibus, intensionibus, concussionibus, sicut cibis ac potulentis stimulantibus, calefacientibus ingestis, tempore humido-frigido, pluvioso, ventoso, multum variabili etc. graviter augeri solet; tumor manifestus caeterum, rubor, et febris incremento ac decremento doloris exacte, respondens, jam comites adsunt, jam deficiunt. Inflammatio ipsa plures tenens articulos intensitate in his saepe variat, vel mitigata in uno, nisi totus decrescat morbus, vehementius alteram invadit, hoc modo fere omnes nonnunquam corporis articulos permeans. — Magnam offert *cum arthritide similitudinem*, cum hac frequenter confunditur, a nonnullis imo pro eodem habetur morbo. Aliquali formae similitudine non negata rheumatismum tamen chronicum, ipsorum quoque articulorum, et arthritidem morbos esse graviter differentes, nemo concedere haerebit, qui attente consideraverit, plurimum differre corpoream ad alterutrum malum dispositionem, differre aetatem, qua hae dispositiones ipsique evolvuntur morbi, differre causas occasionales locumque immediatae earum in organismum actionis, adeoque propriam alter-

utrius scaturiginem; nec non gravem in cujusvis exordio, decurrendi modo, symptomatibus, duratione, terminationibus, adeoque in prognosi aeque ac prophylaxi et curatione intercedere differentiam. De quibus infra in tractatu de arthritide fusius loquar. — *Crises* ac *terminationes* inflammationis articulorum rheumaticae lentae cum illis acutae essentialiter conveniunt; addere tamen transitus in tumorem dictum album s. fungum articuli, in atheroma, steatoma, e re erit.

§. 481. *b) Mali ischiatici* nomine vago non inflammatio solum acuta vel chronica, sed dolores etiam chronici non inflammatorii partium articulum ischii constituentium aeque ac vicinarum colliguntur. Nec illae nec isti semper rheumaticae sunt indolis, sed a potentiis traumaticis saepe, a metastasibus, profluviis sanguinis, suppressis etc. orti; caeterum dolore et extremitatis claudicatione semper, febri utplurimum, non aeque tumore, duritie, rubore constanter stipati.

Spectant huc:

1) Claudicatio spontanea dicta, coxarthrocace, das freywillige Hinken, nostro aevo praecipue a *Rust, Ficker, Kern* aliisque egregie pertractata, foro pathologiae et therapiae specialis chirurgicae adscribenda.

2) Ischias dicta *nervosa Cotunnii,* das cotunnische Hüftnervenweh, prioris proprie varietatem exhibens, affectio est primario inflammatoria, comunissime chronica, plerumque rheumatica nevrilematis vel nervi ischiatici: *ischias postica,* vel nervi cruralis: *ischias antica* seu *skelalgia* vocata. Dolores proinde in illa nervi ischiatici, in hac cruralis decursum sequentes, ibi ab osse sacro et trochantere majore externum prope femoris latus in fossam popliteam, ad malleolum imo externum et plantam pedis usque descendunt; hic ab anteriore ischii parte et regione inguinali in facie femoris interna ad suram protenduntur; statu acuto continui remittentes, febri juncti et aperte phlogistici, successu temporis autem febris ex-

pertes, minus phlogistici, tandem nonnunquam pure nervosi, fiunt et qua tales magis magisque luculenter remittunt imo intermittunt. Vesperi sub lecti calore exasperari solent. Morbus non sanatus membri tabem, brevitatem, paralysim subsequas adfert. — Intra nevrilema materia serosa aut gelatinosa, nonnunquam quantitate notabili, in sequelam inflammationis, collecta semper inventa est.

D. Contunnii, de Ischiade nervosa commentarius. Vienn. 1770. 8. Deutsch Leipz. 1792. 8.

§. 482. *c) Lumbago* membranas et ligamenta regionis lumbalis aut sacralis, unde *dolorum lumbalium* aut *sacralium* titulo venit, quandoque infimae ossis sacri partis, et ossis coccygis occupat, ubi *spasmus Paracelsi fixus* audit. Dolores ad dorsum, regiones ischii et femora nonnunquam extenduntur, et aegrum considere, sedentem assurgere, ingredi impediunt, omnemque pelvis et extremitatum inferiorum motum ipsi denegant. Lumbago initio acutam, chronica vero facta validisque conjuncta doloribus depascentem febrim comitem exhibet.

§. 483. *Dolor faciei Fothergillii, trismus dolorificus, prosopalgia* (a πρόσωπον, facies et ἄλγος, dolor) dicitur dolor intensissimus plerumque chronicus, cursum praecipue nervi infraorbitalis, vel facialis in pedem anserinum expansi sequens, utplurimum cum musculorum variorum faciei convulsione accedens, et per intervalla revertens.

Morbus jam saeculo undecimo a Graeco Simeone *Seth* et Arabe *Rhazes*, serius ab *Avizenna* descriptus, *Aretaeo* etiam et *Fr. Hoffmann* utut alio nomine (ad spasmum enim cynicum relatus et trismum) notus erat; *André* Parisiis saeculo elapso majorem ei navavit operam, *Fothergill* vero Londini 1781 praecipue nosologiam et semioticam ejus excoluit. *Faciei morbum nervo-*

rum cruciantem vocat. A quo tempore in illum sedulo inquirere medici praestantissimi non destiterunt, quemadmodum opera sequentia testantur:

Complete Collection of *Fothergill's* works by *Lettsom.* Lond. 1781. 8. Vol. II. Deutsch in d. Samml. auserl. Abh. f. pr. Ärzt. B. III. S. 152.

C. Selle neue Beyträge zur Natur- und Arzneyw. Berl. 1782. B. I.

Pujol essai sur la maladie de la face nommée *le tic douloureux.* à Paris 1787. 8. übers. v. *Ch. H. Schreyer.* Nürnb. u. Altd. 1788. 8.

Forstmann et *Leidenfrost*, de dolore faciei Fothergillii. Duisb. 1790. 8.

C. J. M. Langenbeck, tractat. anatom. chir. de nervis cerebri in dolore faciei considerandis. Goetting. 1805. Tab. II.

Lentin in s. Beytr. zur Ausüb. d. Arzneyw. B. I. u. III. — in *Hufeland's* Journ. d. pr. H. B. IX. St. I.

Masius daselbst B. XX. St. I.

I. Ch. Reil memor. clin. V. I. Fasc. 2.

Conradi, *Haase* opp. cit.

E. L. Mayer, diss. inaug. med. de prosopalgia. Vindob. 1822.

§. 484. Dolor faciei jam continuus, exacerbationibus luculentissimis notatus, jam periodicus est, typo irregulari. Ibi exacerbationes, hic invasiones vel cum vel absque prodromis accedunt. Ad *prodromos* spectant: inquietudo, anxietas aegri, dyspnoea, suspiria, dolores tensivi in capite et extremitatibus, tensio, pro nervo adfecto, vel in naso, vel supra aut infra margines orbitae, tremor palpebrarum, formicatio in locis nominatis, et pruritus invincibilis ad scalpendum invitans. Dolor ipse vehementissimus est, lancinans et quasi partem dilacerans, puncturis a cultro vel ictibus electricis simillimus. Non ab eodem semper egreditur loco, a majoribus tamen ramis nervorum faciei prospicientium, trigemini et facialis, et quidem ad egressum nervi infraorbitalis, vel frontalis ex orbita, vel ad pedis anserini radicem, ad alam nasi, vel ad ganglion spheno-palatinum plerum-

que orditur, et per nervorum istorum ramulos ultro ad circumferentiam plerumque non latam diffunditur. Musculi adflicti contremiscunt, et malo fortiter saeviente convelluntur; facies interea rubet et turget, striis quandoque singulis notata ruberrimis, funduntur lacrymae, muci narium lacrymis diluti, salivae consuetim augetur secretio, venae jugulares expanduntur, carotides et temporales arteriae fortiter pulsant, imminutis autem ex doloris atrocia ad sexaginta et rariores intra minutum primum ictibus; alias pulsus frequens, contractus, durus, rhythmo et tempore inaequalis, respiratio difficilis, inaequalis, cutis pallida, frigida, anserina esse solet. Dolor jam post aliquot secunda vel prima temporis minuta, jam mediam aut integram demum post horam vel subito et cum sensu peculiaris interdum fragoris, quasi rotularum horologii subito decurrentium, intra aures sonantis, vel antea mitior redditus cessat, concomitante ac ultra continuante lacrymarum et salivae profluvio, et oedematosa partis adfectae intumescentia nonnunquam comparente. Sensibilitas partium prehensarum tantum excedit, ut attactus levissimus, musculorum faciei sub sermocinatione, masticatione, deglutitione motus, etsi minimus, insultum praesentem summopere intendant illico, instantem advocent, reducant desinentem, cum ex opposito pressio fortior non aegre feratur, imo dolorem per momenta saltem mitiget, obtundat.

§. 485. Ab exordio morbus unicum faciei latus, dextrum prae sinistro corripit, insultibus vero saepe recurrentibus ad utrumque non raro extenditur, ferocia adaucta potius quam imminuta. Malo continuo exacerbationes quotidianae singulae vel iteratae, typo autem periodico consuetim irregulari, accedunt; maloque chronico facto insultus singuli nunc rarius nunc frequentius, post septimanas nempe (morbo declinante) aut dies aliquot, vel quotidie (morbo increscente), aliquoties de die, imo intra breve horae spatium, noctu rarissime, recurrunt.

Morbus ipse indeterminato insultuum numero constans nonnunquam mensis aut anni, veris nimirum vel autumni redeuntis adhaerere periodis observatur. Nunc accessibus finitur paucis, nunc plurimis citius aut segnius se insequentibus in menses protrahitur et annos.

Pertinax morbus et sanatu difficilis, insurgente oedematoso faciei tumore quandoque mitescere, arthritide anomala ad normam reducta tumentibusque inde articulis, haemorrhoidum, profluvii e naribus, auribus, ulceribus, scabiei, suppressae etc. reditu, ulcere cancroso exorto etc., unica vice absque similibus phaenomenis et absque remediorum usu, *in sanitatem* transiisse visus est. Unde nexum variis cum morbis causalem defendere fas erit. — Malo autem diutius cruciante summa nervoso systemati debilitas cum erethismo in sectione cerebrali et torpore in gastrica inducitur, unde tremores et convulsiones aut distorsiones musculorum faciei insanabiles, continuum fere lacrymarum et salivae profluvium, hysteria aut hypochondriasis, animi dejectio imo melancholia, amnesia, dyspepsia, alvi obstipatio, infarctus viscerum, dysuria, tabes cum febre lenta, virium tandem exhaustio lethalis sequuntur.

§. 486. *Disponunt* in morbos *rheumaticos* cutis tota aut singulis modo locis tenera, tenuis, alba, valde sensilis, in transpirationem uberiorem et sudores pronissima. Congenita saepe dispositio talis, consuetim vero delicatulae educationis et regiminis effectus est, nimia a temperaturae ac tempestatis vicissitudinibus custodia, vestitu et lectis nimium foventibus, cubiculorum calore, largo potulentorum calidorum usu, fuga aëris atmosphaerici habituali adquisitus. — Causa *occasionalis* communis et vera est refrigeratio universalis aut localis praecipue corporis exaestuati et sudore madentis, modo multiplici inducenda, indeque facta functionis speciatim transpirationis cutaneae turba. Tempus vernale ac autumnale communiter humidum, frigidum, variabile, simi-

lis alia quavis anni periodo tempestas, aër frigidus vespertinus, nocturnus dies calidos excipiens, rheumatismos *epidemicos*, clima humidum, frigidum, ventosum, situs montes altos inter et silvas, ad fluviorum aut lacuum ripas, ad stagna, cum frequentibus utplurimum, magnis ac repentinis tempestatis vicissitudinibus, quales v. gr. Vindobonae observantur, *endemicos* generare consueverunt.

Prosopalgia, morbus rarior, foeminas prae viris, easque media plerumque aetate annorum quadraginta et ultra, rarissime senes infestare; subjecta arthritica potissimum, deinde haemorrhoidum, menstruorum anomaliis, infarctu viscerum, hypochondriasi, hysteria, syphilide laborantia tentasse hucusque observatus est. — Constat caeterum, *excitari* illam rarius *idiopathice* a refrigerio capitis, praeprimis faciei sudantis, a corporibus peregrinis cuidam nervorum supra nominatorum impactis, ab erosione ejus, ulcere, *sympathice* a dentium, maxillae, praesertim antri *Highmori* aliorumque capitis ossium carie, exostosi, a dente molari ultimo latente aut difficulter nunc prorumpente, a profluviis normalibus aut habitualibus suppressis, impetiginibus, scabie praesertim repulsis; longe frequentius *symptomatice* a morbis mox nominatis quaqua ansa a tramite recto detrusis, nec non ab adfectionibus universalibus rheumaticis, praesertim constitutione epidemica vernali vel autumnali profectis.

§. 487. *Prognosis* rheumatismorum in genere per sedem eorum, extensionem ac intensitatem, indolem simplicem aut inflammatoriam vel nervosam, puritatem aut complicationem, nec non per febris praesentiam, absentiam, characterem et gradum determinatur. Pro parte potiore ex iis intelligitur, quae de rheumatismi varietatibus prolata sunt; addantur sequentia:

Rheumatismi quamdiu organis externis inhaerent et absque febre manent, utut fors plurimum cruciantes, periculo vacant. Regressi autem, sicut validam exhibentes phlogosim synocha intensa stipati, aut febri nervosae

vel putridae secundario evolutae juncti ancipites fiunt, nonnunquam cito periculosi.

Dolores phlogosium rheumaticarum symptomatici vehementes, in se spectati et aucta per eos febre, ad illas intendendas morbumque totum protrahendum essentialem conferunt symbolam. Pervigilium sustinent; inquietudinem in infantibus praecipue magnam, spasmos, convulsiones generant; characterem febris nervosum praeparant; diu perstantes debilitatis et emaciationis insignis effectivae fundamenta ponunt, nec non erethismum morbosum universalem in organis ante inflammatis majorem, adeoque eminentem in recidivas facilitatem diutissime durantem relinquunt.

Rheumatismo vago semper diffidendum; meninges enim, velamenta medullae spinalis, nevrilema nervorum majorum, pericardium, tunicas vasorum digniorum etc. vel ventriculum, intestina, vesicam urinariam etc. invadens per irritationem eorundem aut inflammationem, ejusque symptomata et effectus immediatos ac mediatos, mox vel serius periculum, mortemque ipsam inferre valet.

Rheumatismus externus recedens interna petere solet organa, per irritabilitatem ac debilitatem sive naturalem, sive morbo aut alia quacunque causa adquisitam prae caeteris disposita.

Organa rheumatismis saepe diuque adflicta non raro febri accidentali rite judicata simul ab illis liberantur.

In rheumatismis chronicis, habitualibus symptomata catarrhalia uti coryzam, tussim, cynanchen, diarrhoeam etc., in individuis hystericis, hypochondriacis varios spasmos saepe cum rheumatalgia externa alternare, praxis suppeditat.

Rheumatismi vehementes aut multum diffusi neglecti, perperam tractati, aut saepius reversi debilitatem partim topicam partim universalem, cachexiam, oëdemata, hydropem anasarcam aut universalem, stases in visceribus

abdominis, arthritidem, paralyses, articulorum rigiditatem, tabem solent generare.

Prosopalgia in specie molestissimis adnumeranda morbis, si negligitur aut tarde et incongrue curatur, rebellis evadit, effectibus supra recensitis formidanda, non raro insanabilis. In viris, et aetate adhuc vegeta sanationem facilius ac oppositis rerum adjunctis polliceri licet. Reliqua et potiora prognoseos momenta causas mali occasionales, morbos principes, dolorisque tunc symptomatici indolem vel irritativam aut inflammatoriam, vel nervosam, vehementiam, durationem, periodos concernunt. Adnotare solum juvat, prosopalgiam nervosam intensitate, duratione, iteratione celeri ac frequente in inflammatoriam converti posse.

§. 488. *Therapia* rheumatismi, ad quatuor indicationes generales instituenda, ut rite fiat, attente examinandum, an inflammatorius ille sit vel non inflammatorius, an febrilis vel febris expers.

§. 489. Rheumatismus *recens* nec inflammatorius nec febrilis qua status irritativus in phlogosim pronus, ortus a refrigerio, curatur. Si plagam nec largam nec sensibilem multum ac irritabilem occupat, brevi auferri solet partis quiete et custodia ab humiditate et frigore, fotu calido per lintea sicca calefacta, vel stupam lineam aut cannabinam, vel sericum ceratum, vel cucuphas furfuribus aut farina secalina aut fabarum bene siccatis, aut pulvere flor. sambuci refertas; frictionibus lenissimis ope panni lanei aut vulgaris calefacti etc.; regimine universali moderate calido, et tractamine leviter diaphoretico per infusa fol. alth., flor. verbasc., sambuc. etc. sine aut cum roob sambuci etc. tepida, diligentissime sorbilata. His et diaeta simul prudenter restricta inflammationi aut febri rheumaticae quam certissime praecavetur.

§. 490. *Febris rheumatica* therapiam exigit, indoli plus minus phlogisticae, magnitudini, stadio, symptomatibus urgentibus, praesertim doloribus, nec non compli-

cationi congruam, individuo simul aegro, tempestatis et genii morborum regnantis sub respectu, debite accommodatam. Quoad febrim juxta indicationes pluries repetitas statui debet ac dirigi. In memoriam autem revocare juvat, sanguinis depletionibus, a charactere generico graviore inflammatorio postulatis, specialem rheumaticum haud absolute adversari, cautela tamen opus esse, ne a symptomatibus singulis, in specie a solis doloribus indicatio phlebotomiae instituendae aut iterandae depromatur. Febris subinflammatoria cum doloribus mitioribus quietem maximam, teporem lecti et integumenta levia non prementia, potus emollientes tepidos et hac solum ratione diaphoreticos affatim sumendos, diaetamque antiphlogisticam, — cum doloribus vero fixis, majoribus, aperte inflammatoriis fomenta insuper aut cataplasmata emollientia exposcit. Lintea nimirum complicata aquae calidae simplici aut lacte remixtae, vel decocto herbae alth., malv., verbasc. etc. immerguntur, et expressa adplicantur, brevibus intervallis renovanda, aptius vero in genere cataplasmata emollientia adhibentur. Caveatur, ne haec vel illa mutando vel minimum admittatur refrigerium, ne usus eorum, ad articulos praeprimis, ultra indicationem veram continuetur, utque cum fomentis siccis calidis (§. 284.) commutentur. Doloribus alicubi post febrim judicatam perstantibus, id quod hic rarius quam post inflammationes rheumaticas accidit, medendi ratio causae contraria atque ea opponitur, quae rheumatalgiae convenit, mox explicanda.

Crisis et *convalescentia* febris rheumaticae non alium, quam stadia eadem febris inflammatoriae simplicis (§. 108. et 109.), curandi modum sibi expetunt. Casu solum evoluti forsan nervosi aut putridi characteris ad indicationes incedendum foret, in therapia criseos et convalescentiae e febri nervosa aut colliquativa statutas. — Morbo feliciter devicto organon cutaneum aëre libero, puro, sicco et miti, atque successiva vicissitu-

dinum ejusdem adsuetudine roborare, sicque opportunitatem in rheumatismos remanere solitam auferre, summe necessarium quidem est, ultra modum tamen in his festinando recidivae facillime producuntur.

§. 491. *Inflammationes rheumaticae acutae* et *chronicae* ad principia et normas pro inflammationum cura in genere valentes, saepius jam prolatas, sequente solum cum discrimine tractandae veniunt: In acutis rheumaticis temperatura aëris ambientis non frigidula, quemadmodum in inflammationibus phlegmonosis, sed aeque ac potulentorum et remediorum internorum tepida sit; fomenta, lotiones etc. frigidae omnino noxiae vitentur, fomenta, cataplasmata tepida emollientia (nisi sanguinis depletionibus universalibus aut topicis solum institutis, vel propter levissimum modo inflammationis gradum, penitus supervacanea) cum praecautione antehac commendata, eoque majore adhibeantur, quo organa inflammata cuti adeoque immediatae adplicationis locis propius subjacent, et quo minus phlegmonosarum characteres praeseferunt inflammationes. Ad rheumaticae jam plurimum imminutae residuum auferendum fotus tepidi sicci, non aromatici, generatim non exaestuantes, atque methodus adaequata diaphoretica, tandem pacanti nupta imprimis conducunt; et nonnisi ad dolores ab inflammatione extincta diu persistentes fugandos inunctio linimenti volatilis cum vel absque unguento hydrargyri, tandem vesicantia vel sinapismi requiruntur. Methodo autem diaphoreticae nunc laudatae citra infusa tepida althaeae, florum verbasci, sambuci praesertim infusum flor. sambuc. cum aceto ammoniacali, aut sale ammoniaco, aut refractis tartari emetici dosibus, aut infusis simul caulibus dulcamarae; pulvis Doweri; ipecacuanha cum extr. hyoscyami; sulphur aur. antim. cum eodem hyoscyami aut aconiti extracto sine aut cum calomel inserviunt. Opii usum quocunque in connubio quod attinet, ad systematis circulatorii aeque ac primarum viarum statum

probe attendendum est, ne concitatio febrilis in illo, obstipatio in his inducatur. Quousque adhuc viget phlogosis, etiamsi dolores vexent plurimum, cum *Sydenhamo* narcoticorum administrationem minime suadeo.

§. 492. Inflammationes rheumaticae acutae *articulorum* in specie, sicut *nevrilematis nervi ischiatici*, *cruralis* vel *facialis*, *trigemini* etc. sub debita ad earum intensitatem et phlegmonosam fortasse indolem, nec non ad febrim ejusque characterem attentione, in tractamine universali nullam, in topico eam solum desiderant modificationem, quam organorum dictorum locus, caeteraeque organisationis, functionis, consensus etc. proprietates sibi vindicant. De aliarum inflammationum hujus generis, *pleuritidis* nempe, *pericarditidis*, *peritonitidis* etc. therapia speciatim infra agetur.

§. 493. *Crisis* inflammationum memoratarum secundum nota regatur oportet praecepta. Tota jam decursu priore, maxime vero nunc hydropis acuti praevertendi, et ubi praepediri non poterat, citissime tollendi ratio habenda est.

§. 494. *Convalescentia* eodem modo, ac superatis in genere inflammationibus (§. 285.) curanda. Sollicite imprimis adlaborandum, ut organa prius inflammata et organismus totus ab humido, frigore, aëre perflante, ventis, a motibus ac intensionibus defendantur, utque debilitas residua et sensibilitas aëre libero, puro, sicco, blande calido, successiva vicissitudinum atmosphaerae ac tempestatis toleratione, balneis calidis initio simplicibus, saponatis, tempore sulphureis, martialibus, et, ubi opus, remediis internis pacantibus ac roborantibus emendetur.

§. 495. Inflammationes rheumaticae *chronicae* curantur ad normas notas generales (§. 286.), et speciales, in therapia pneumoniae chronicae (§. 369.) praescriptas. Topice tamen humidi loco siccum exigunt calorem, et epispastica derivantia, imo ulcera artefacta. Remedia

efficacissima in balneis calidis emollientibus, abacta phlogosi in saponatis, dilutioribus kalinis, et sulphureis habentur.

§. 496. In *rheumatismi chronici non inflammatorii* (rheumatalgiae) cura eo adlaborandum est, ut omnes influxus ac circumstantiae, morbo alendo, intendendo pares tollantur et ultro arceantur; ut sana totius cutis conditio et functio restituatur; utque sedentur dolores, et morbosi rheumatismo forsan producti effectus universales deleantur. Indicationes istae non aequali semper obtinent ratione; hinc magis urgentibus dato casu praecipue satisfiat. Remediorum commendatorum, quae mox numerosa recensebuntur, selectum status morbi omnimode ponderatus, et individualis aegri conditio definiant necesse est.

Ad has indicationes partim singulas partim junctas implendas opus est: 1) non aegras modo partes sed cutem universam moderato et aequabili fovere calore, et ab humidis, aëre perflante, vento custodire; 2) activitatem systematis cutanei extollere, ac internis promovere transpirationem; et 3) partium dolentium totiusque systematis nervosi sensibilitatem moderari. — Priorem in finem (1) partes adfectae panno laneo tenui, serico cerato, aut pelle leporina, cuniculina etc. tegantur, corpus totum vestitu congruo, imo vestimentis ex dicto panno laneo (Flanell) confectis cuti immediate adhibitis muniatur, et tempestati jam designatae noxiae caute domi subtrahatur. Scopo alteri (2) respondent assiduus in aëre libero, si serenus, purus, siccus fuerit, motus; frictiones frequentiores totius superficiei non fortes adeo quam protractae leni manu calida, vel linteaminum mollium aut pannorum aut setarum subtilium ope instituendae; fumigationes leviter aromaticae; balnea calida simplicia, deinde parum aromatica, nec non saponata, kalina, muriata, et sulphurea artefacta praecipue vero thermalia; haustus seduli decoctorum radicum

graminis, bardanae, saponariae, cichorei, sarsaparillae, ligni juniperi aut guajaci cum caulibus dulcamarae, seri lactis sinapisati; usus internus antimonialium, mercurialium, singulorum aut nuptorum, saponis antimonialis, Debrezinensis, Veneti, antimonii crudi, sulphuris puri, gummiresinae guajaci nativae, aceti ammoniacalis, alcali volatilis, camphorae, moschi, rad. calami aromatici, polygalae Senegae, flor. arnicae; rhododendri chrysanthum L., et quidem florum et pedunculorum in pulvere (gr. 3 successive ad gr. 25 ter de die), vel in decocto (ex dr. 2—3 ad colat. unc. 9 parato, cochl. major. 2—3 aeque ter de die); tandem pro re nata ipsorum quoque emeticorum. Scopo tertio (3) citra balnea emollientia conveniunt inunctiones oleorum pinguium blandissimorum, linimenti volatilis simplicis aut opio nupti, electricitas, galvanismus, balnea vaporis animalis; interne extracta aconiti, conii maculati, hyoscyami, pulvis Doweri, opium. — Ex hac longa remediorum catalogo jam singula adhibentur, jam prout casus postulat multifariam combinata. Cachexia nonnunquam evoluta simul remediorum tonicorum, amarorum, corticis Peruviani, tandem ferri, usum indicat.

Quo magis topica manifestatur rheumatalgia chronica, eo meliorem dolores in locis propinguis, inflammatio, ipsaque suppuratio derivantium auxilio inducta, pollicentur effectum. Sunt talia: sinapismi, armoracia rasa, vesicans, cortex mezerei, tinctura cantharidum, acetum radicale, unguentum cum tartaro emetico, urticatio, fonticulus, setaceum, imo cauterium potentiale, aut moxa, pro rerum adjunctis seligenda.

§. 497. In *ischiade* et in *lumbagine chronicis* remediorum internorum, ipsius speciatim olei terebinthinae, a *Martinet* scrupulo uno ter de die contra priorem, ubi puram sistit nevrosim, celebrati usus minora sperare sinit, quam externorum, suppurationis videlicet diu sustentatae (in ischiade nervosa *Cotunnii* ope vesicantis

sex pollices longi quatuor lati, oblique a cavo poplitis super capitulo fibulae deorsum tibiam versus adplicandi, et iterandi), cauterii potentialis, moxae, balnei vaporosi animalis, electricitatis, galvanismi, et consilio *S. Vogel* epithematum frigidorum adplicatio.

§. 498. In *prosopalgia* lenta et afebrili ut generali indicationi primae satisfiat, causae singulari ubivis aut morbo, qui subest, principali adcommodanda est cura. Praestatur methodo ac remediis alibi jam expositis. — Pro altera indicatione implenda cura singularum doloris invasionum et totius morbi seorsim spectanda. Durante doloris accessu regimen corporis ac mentis omni intuitu cum antiphlogistico conveniens optimum est. Nervi adfecti compressio fortis dolorem obtundere saepius visa universim commendari non meretur. In cura morbum totum concernente, ubi characterem adhuc subinflammatorium aut inflammatorium ostendit, observandae sunt regulae, de inflammationibus chronicis tam substantivis quam symptomaticis generatim valentes. Methodus antiphlogistica mitior plurimum prodest cum regimine concordante. Merito hic, et ubi labes syphilitica latet, usus mercurialium internus, a *Lentin* commendatus, meretur laudari, cum inunctione simul ung. merc. ciner. aut cum calomel parati ad processum mastoideum etc. Nota phlogistica ablata, et dolore in stadium alterum et characterem nervosum vergente secretio intra nevrilema morbosa praepedienda est, et sensibilitas excedens ad normalem reducenda. Scopo priori diaphoretica, eccoprotica, alterantia, habito semper ad statum universalem et aegri conditionem respectu, satisfaciunt; alteri externe potenter irritando revellentia, ante recensita ad nucham etc. adplicanda, interne sopientia, serius nervina inserviunt. Quare mox antimonialia, guajacina a *Stark* laudata cum mercurio, aconitum, mox cicuta a *Fothergill* maximis dosibus quasi specifica, serius a *Selle* pariter commendata, mox belladonna a *Stark*, tinctura strammonii a

Lentin depraedicatae, hyoscyamus, opium, pulvis Doweri, balnea tepida, mox tandem nervina vel mitiora uti moschus, camphora, alcali volatile, castoreum, valeriana, asa foetida seorsim et juncta, vel et fortiora et diffusibilia, quemadmodum liq. Hoffmanni, naphtae, olea aetherea etc. suo quaevis loco proderunt. Kali muriaticum oxygenatum a D. *Herber* (*Hufeland's* Journ. d. pr. H. 1813. St. 6. S. 82 etc.) gr. sex bis terve in die foeminae 36—38 annorum, a D. *Meyer* (v. Froriep's Notiz. Bd. 15. S. 304) gr. tribus sexies quotidie per 14 dies in casu rebelli cum successu optato porrectum fuit; sic et chininum sulphuricum (*Piedagnel*), et ferrum carbonicum (*Hutchinson*) larga dosi certis in casibus utile visum.

Hocce tractamine, et inunctionibus ac lotionibus aethereo-oleosis, spirituosis tum linim. saponato-camphor., ung. nervino, petroleo, ol. terebinthinae, naphta, laud. liq. Sydenh. etc. frustra institutis supersunt electricitas a *Thouret*, aut galvanismus, aqua frigida aut glacies ad nervum adfectum adplicanda a *S. Vogel* et *Consbruch*, moxa a *Guincourt* commendata, et ipsa tandem nervi perfecta dissectio, saeculo praeterito a chirurgis Gallis *Louis*, *Thouret*, *Sabatier*, aevo nostro a *Lentin*, *Langenbeck*, *Klein* aliisque multum laudata. Nervi non incisi tantum sed dissecti vulnus pro dato casu vel prima intentione sanetur vel in suppurationem deducatur. Illud dolore post operationem omni cessante, istud eo solum mitescente suadetur. Ipsam perficiens operationem a damnosis arteriarum aut ductuum salivalium laesionibus caveat. Observatis constat, illam, ut alia quaevis remedia, quandoque absque effectu institutam, nec non ulcera chronica, foedas cicatrices, et musculorum faciei, influxu vis nerveae orbatorum, paralysin insecutas fuisse.

Convalescentiae cura, ex principiis generalibus notis definienda, stricte diuque continuari debet.

§. 499. Rheumatismum *sede sua externa relicta* in meninges, pulmones, pleuram, pericardium, peritoneum, intestina etc. transgressum, symptomata ibidem subito vehementissima et gravissima, inflammationes imo morbosasque secretiones, et productis per has apoplexia, suffocatione etc. mortem inferendo parem, ad exteriora citissime derivare et ad pristinam revocare sedem, medentis plurimum interest. Partim itaque symptomata recens orta inflammationis, congestionis, apoplexiae, suffocationis etc. illico methodo antiphlogistica adaequata, adeoque pro necessitate venaesectionibus, hirudinum aut cucurbitarum scarificatarum adplicatione, cataplasmatibus emollientibus, enematibus alvum ducentibus auferre, aut quam citissime ad gradum saltem periculo carentem imminuere adlaboret, partim habita causae ratione in priorem rheumatismi introrsum versi sedem agere, uti scopo convenit. Quare frictiones totius cutis, partium praesertim ante adfectarum protractae, sinapismi, vesicantia, lotiones potenter irritantes iisdem cito adplicatae, pediluvia, manuluvia acriora confestim adhibita, e re erunt.

Inflammatio aurium.

§. 500. Distinguitur *externa* et *interna*. Illa concham auris maxime occupat, plerumque erysipelatosa, et levis est; altera partes organi auditus internas tenens, utplurimum non tamen exclusive rheumatica, altiorem assecuta gradum phlegmonosa evadens, strictiore sensu sola *otitidis* (otalgiae inflammatoriae) nomine venire solet. De ista modo sermo hic fiet.

J. Burserius, *P. Frank*, *Conradi*, *Richter*, *Sprengel*, *ab Hildenbrand* opp. cit.

Dan. Malatides diss. inaug. de otalgia. Vienn. 1820. §. 35—68.

Die Krankheiten der Ohren u. des Gehörs, nach ausländ. Beobachtern bearb. von *D. I. L. Casper*, pr. A in Berl. In *Rust's* Magaz. f. d. ges. H. Bd. X. XI. u. XII.

I. M. G. Itard, die Krankheiten des Ohres u. des Gehörs. A. d. Franz. Weimar 1822. 8.

§. 501. *Symptomata*, quibus *cognoscitur*, sunt: dolores intensissimi urentes, tensivi, lancinantes, pulsatorii in aure, sine rubore ac tumore externo (nisi meatus auditorius vel pars conchae simul inflammata sit); tinnitus, susurrus, summa sonorum intolerantia, vel auditus obtusus, signa synochae plerumque altioris gradus, cephalea gravis, inquietudo et anxietas insignis, pervigilium, non raro deliria vivida, convulsiones imo, lipothymiae. Quae vehementissima sunt, ubi inflammatio imam obsidet aurem, labyrinthum, cui et durae matris ipsiusque cerebri phlogosis facile adsociatur. Confer. §. 316 et 319.

§. 502. Otitis acutissime decurrere consuevit. Symptomata recensita citissime sibi succedunt, et, nisi artis auxilio promptissimo adaequato, aut epistaxi spontanea frangantur, evolutis adhuc, quae encephalitidem denotant, paucos jam intra dies lethalia fiunt. Alias vero et quidem sub symptomatum intensitate minore, successiva explicatione, et remissionibus luculentis intra dies septem, octo, saepe epistaxi, communiter profluvio ex meatu auditorio vel tuba Eustachii seroso aut puriformi, urinis et sudoribus criticis feliciter judicatur. Nonnunquam tamen et moderato sub decursu in *suppurationem* abit. Abscessus vel per meatum auditorium aut tubam Eustachii depletur successu fausto, vel susurrum continuum, baryecoiam facit, iteratis favet recidivis, atque ad durationem otitidis chronicam plurimum confert. Degenerato in ulcus abscessu patente seu clauso tympani cavum aut labyrinthus carie ac fistulis corripiuntur facile, et destructo tympano ichor bruneus aut nigricans foetens jam solus jam cum ossiculis auditoriis effluit, vel multifariis meningum ipsiusque cerebri sub adfectionibus subito aut lente intra cranium effunditur, effectibus variis

ibi doloribus et paralysi omnium, quibuscum nervus acusticus fovet nexum, capitis partium, temporum puta, genarum, oculorum, nasi, linguae et labii inferioris, hic hemicraniis, convulsionibus, paralysibus unius lateris insanabilibus, apoplexia. — Tandem inter otitidis non resolutae *sequelas* tympani quoque incrassatio, induratio, variae in aure concretiones, anchyloses ossiculorum, degeneratio, paralysis nervi acustici etc. cum *baryecoia* aut *acoia* insanabili recensendae sunt.

§. 503. Ad easdem, ac aliae phlogoses, rationes otitis in *primariam* et *secundariam*, *substantivam* et *dependentem* s. *symptomaticam* etc. distingui potest. Intuitu practico *substantiva* et *symptomatica*, morbi alius uti catarrhi, rheumatismi, arthritidis etc. effectus, decursus ejus *acutus* aut *lentus*, chronicus, febrisque comitis character praecipuam merentur attentionem.

§. 504. Citra *disponentia* momenta morbis inflammatoriis et speciatim membranarum (§. 486.) communia nonnisi fortasse haereditaria noscuntur, quae otitidi gignendae imprimis faveant. — Excitantia sunt: *a) idiopathica:* ictus, contusio, percussio v. gr. a tormentorum bellicorum fragore, vulnerationes auris capitisque generatim; rudis, incauta digitorum, instrumentorum in meatum auditorium intrusio, torsio, impetuosa fluidorum acrium, fervidorum, frigidorum injectio; corpora peregrina v. gr. nuclei cerasorum, pisa etc. illapsa, impacta; insecta, vermes ibidem haerentes; ventus frigidus aurem specialius percellens, refrigerium capitis aurisque subitum, praesertim exaestuationem excipiens; *b) sympathica:* difficilis dentium maxime molarium eruptio in infantibus, caries eorundem in adultis; inflammationes tonsillarum, parotidum; erysipelas faciei; irritamenta gastrica fortiora; profluvia normalia vel habitualia, speciatim epistaxis, efflorescentiae cutis chronicae aut acutae suppressae, repulsae. *Symptomatica* tandem otitis in catarrho, cynanche facium catarrhali stipato, rheumatismo, quandoque febri

inflammatoria universali, in scrophulis, arthritide, syphilide observatur. In casibus ultimis tribus chronica esse solet.

§. 505. Quae de otitidis decursu, terminationibus, effectibus, nec non de causis prolata sunt, debite consideratis *prognosis* facile formatur. Otitis eo periculosior est, quo magis adficiuntur partes labyrinthi, eo minoris vero momenti, quo magis ad exteriora auris restringitur, quoque levius ista patiuntur.

Facilis in recidivam est, et producto ulcere aut carie, sicut qua scrophularum, arthritidis, syphilidis etc. symptoma plerumque chronica evadit.

Inflammatio meatus auditorii externi, utut minime gravis, iterata tunicam obvestientem infarciendo, incrassando angustiam illius inducit, baryecoiae hujus auris fontem.

§. 506. In *therapia* otitidis generales indicationes saepius nominatas relate ad aurem inflammatam implere, medentis est.

Quoad causas excitantes v. gr. corpora peregrina in meatu auditorio haerentia, auferenda, innocua reddenda sunt. Quare hujus meatus exploratio nunquam praetermittenda. Corpora autem peregrina apto extrahantur instrumento; insecta, nisi sub aegri situ laterali elabuntur aut exeunt, pariter ope forficulae aut specilli curvati, bombice melle aut alio fluido glutinoso obducta circumvoluti, in meatu auditorio per tempus caute rotandi, vel ope bombicis auri immittendae, vel injectionum tepidarum tenera manu faciendarum eximantur, eluantur, aut irritis hisce tentaminibus, vel et insecta profundissime residentia enecentur. Oleo olivarum, amygdalarum, melle, cremore lactis, aut spissa mucilagine gummi arabici, tragacanthae etc. id praestatur. Lac cum allio decoctum, camphora oleo pingui soluta, succi expressi absinthii, rutae, ledi palustris etc. auri tepide instillati aut bombice excepti, ipse tabaci fumus interficiendis quidem insectis sunt pares, phlogosi autem jam exorta ob

vires eorum irritantes non amplius adhibendi. Indicationi itaque primae inflammatio saepe obstat, prius tollenda, nec non aliae adhuc opponuntur quandoque difficultates v. gr. cerasi nucleus, pisum, faba jam multum turgida meatui auditorio per intumescentiam tunicae vestientis inflammatoriam angustato firmiter impacta. Regimine praeterea antiphlogistico irritamenta quaevis et universalia et aurium in specie studiose sunt arcenda.

§. 507. Noxis talibus amotis aut infractis, vel quamcunque ob causam non abigendis aut enervandis, vel jam non activis ad ipsam otitidem curandam sese accingat medicus. Principiis therapeuticis generalibus ducatur, eaque ad otitidis indolem, magnitudinem, decursum, originem, sedem, atque statum aegri universalem congrue adplicet. Praemissis, ubi requiruntur, phlebotomiis, adhibitisque caeteris antiphlogisticis solventibus et ecco-proticis internis et clysteribus tractamen topicum, ob morbi organorumque dignitatem promtissimum et generosum adjungendum est, per sanguinis depletionem ope hirudinum aut cucurbitarum scarificatarum pone aurem, per vapores, fomenta, collutoria emollientia, relaxantia ex aqua, lacte, infusis tepidis malvae, althaeae etc., cataplasmata ex farina seminum lini etc. cum parca, si dolores multum cruciant, herbae hyoscyami dosi admista, quandoque et per pediluvia modicum irritantia, sinapismos ad suras.

Otitis *symptomatica* v. gr. rheumatismi, curam exposcit, et morbo principali et inflammationi locali congruam, ad normas in inflammationum rheumaticarum therapia (§. 491.) praescriptas faciendam.

Otitis *erysipelatosa*, qualis externa esse consuevit, curatur modo in erysipelatis therapia inferius exponendo.

Quae medendi ratio otitidi debilitati universali et statui nervoso consociatae sit opponenda, ex generalibus circa hanc combinationem dictis illucescit.

§. 508. Otitide in *resolutionem* inclinante methodum

antiphlogisticam universalem restringere, localem emollientem et pacantem continuare oportet, eoque adniti, ut criticarum per sudorem, urinas, et epistaxin evacuationum obstacula quaevis arceantur, caeteroquin ad normas notas generales dirigendarum. — In hoc etiam stadio, si inflammationi debilitas universalis sine vel cum statu nervoso sociaretur, aliam non antiphlogisticam requiri methodum medendi, sponte intelligitur.

§. 509. Debita *convalescentiae* cura principiis notis superstruenda est. Auris ab irritamentis idiopathicis et sympathicis cunctis, quibus nimium sensilis adhuc male afficeretur, studiose custodiri debet. Convenit gossipio puro defendere meatum auditorium. Superstes ceruminis tenuis et puriformis profluvium nisi, quemadmodum assolet, redeunte virium vigore cesset, meatum auditorium fluidis blandissimis tepidis instillatis, subtili potius manu injectis eluere, mundumque servare oportet. Cedunt in hunc finem aqua pura tepida simplex, lacte remixta, infusa, decocta althaeae, malvae, verbasci, hordei etc. cum melle; quibus ingredientia leviter incitantia et siccantia, uti sunt tenue infusum scordii, salviae etc., aqua calcis, solutio sacchari saturni, sublimati tenuis etc., serius et tunc solum addere parca licet manu, si profluvium inflammationis expers, quin scrophulis, arthritide etc. alatur, chronicum minatur fieri.

§. 510. Orta vero suppuratio, quam ex inflammationis decursu ac duratione, novo doloris incremento, aestu, pulsatione, ponderis majorisque tensionis sensu cognoscere datur, continuato emollientium usu promoveri debet, abscessus, si attingi potest, cito aperiri, pus attenuari, elui, aurisque mundities, quoad possibile sine irritatione, semper curari. Ad pus e meatu auditorio vel e tuba Eustachii depluens diluendum et eliciendum, sic et ad depurandum meatum illum fluida mox recensita quadrant, injectionum, gargarismatum, vaporum forma. Suppuratione diu durante, irritationis symptomatum ex-

perte, et pure per meatum auditorium erumpente, illorum loco injectiones leniter irritando et adstringendo siccantes, pariter ante nominatae, addita plerumque myrrhae tinctura, conveniunt. Praeterea aeger, ut in latus auris adfectae frequenter inclinet, ab insectis, pulveribus etc. praesertim aestivo tempore aurem gossipio, saepius renovando, defendat, summamque ejus curet munditiem, jubendus est.

Inflammatio pleurae.

§. 511. *Inflammatio pleurae (pleuritis,* Brustfellentzündung, incongrue et nomine nimis vago dolor lateris punctorius, Seitenstich, dicta) haud minus frequens est ac pneumonitis, et cum hac saepe composita. *Endemica* in regionibus, quibus atmosphaera sicca cum humida, calida cum frigida saepe ac repente alternat, nostro autem in climate tempore veris et autumni *epidemica* occurrere solet.

Pleuram, qua late expanditur, agnoscit sedem; nunc vero hanc nunc illam, majorem minoremve illius plagam ad costas, mediastinum, pulmones, diaphragma occupans.

Th. Sydenham, Obs. med. etc. Sect. VI. c. 3.
Van Swieten commentar. etc. T. III. §. 875—906.
Dan. W. Triller's Abh. v. Seitenstich, u. der Heilung desselben. Deutsch u. s. w. herausgeg. v. *J. Ch. Ackermann*. Th. I. Frankf. u. Leipz. 1786. 8.
M. Stoll, aphor. 193—235.
A. G. Richter, a. a. O. B. I. S. 372—409.

§. 512. Exordium, ut pneumonitis, a *frigore* sumit, minus valido quam saepe (ad 4—6 horas) protracto, cui catarrhalia aut rheumatica symptomata consuetim aut utraque praecedunt; sequuntur *aestus* cum frigore alternans, deinde continens cum cunctis symptomatibus *febris*

essentialibus, dolores jam in alterutro vel utroque thoracis latere (*pleuritis lateralis*), jam in anteriore jam in posteriore illius facie (pl. *anterior*, *posterior* s. dorsalis) plus minusve intensi pungentes, lancinantes, urentes, continui et ad locum fixi, a quo tamen mox antrorsum aut retrorsum, mox sursum aut deorsum expanduntur, dyspnoeam causantes, inspirium profundum inhibentes, sternutatione, tussi, motibus, situ vel in adfecto vel in opposito latere, nonnunquam et attactu et pressione extus adhibita plurimum exasperandi, cum tussicula sicca, cephalaea gravi, pulsu frequente plerumque duro, forti et pleno, quandoque tamen contracto, tenso et parvo. Sitis, inquietudo, pervigilium, alia symptomata, plus minusve vexant, deliria accedunt, convulsiones imo, prout pleuritis major minorve, speciatim dolores et febris intensiores aut mitiores sunt, et prout plus minus favet individualis constitutio. Novis pariter circumdatur symptomatibus pleuritis, cum pneumonia, pericarditide, aesophagitide, myositide intercostali aut pectorali etc. composita; vel cum morbo gastrico, arthritico, scrophuloso, alio complicata.

§. 513. *Composita cum pneumonitide*, pleuro-peripneumonia, mixtis utriusque symptomatibus palam fit. (Conf. §. 356.) Pneumonitidem adsociatam in specie phaenomena congestionum sanguinis in pulmonibus, collo, facie et capite, et circuli humorum per atrium ac ventriculum cordis sinistrum debilioris designant, quibus rationes ex aegri dispositione, causa excitante, genio morborum epidemico petitae accedunt. Compositio ista generatim admodum frequens est. Utraque inflammatio vel simul intrat, vel in unius decursu vehementis, aut neglectae aut perperam curatae altera demum evolvitur. Mutua symptomatum ratio alterutrius praepondio definitur.

Pleuritis cum pericarditide juncta ex dolorum loco, per ictum cordis quemlibet augmento, pulsu inordinato,

intermittente, valida cordis palpitatione, anxietate, lipothymiae instantis sensu, quandoque simul aphonia cognoscitur.

Pleuritidi adsociatam aesophagi inflammationem propria hujus symptomata ostendunt, inferius describenda.

Pleuritidis cum *musculorum* intercostalium aut pectoralium inflammatione compositio, vulgo *pleuritis spuria, externa* aut *muscularis* dicta, doloribus imprimis superficiei propinquioribus, motu thoracis quocunque, contrectatione, pressione loci adfecti adaugendis, et nonnisi situm in eodem latere incurvatum concedentibus manifestatur.

§. 514. Pleuritis pura casu felici diebus quinta, septima, nona aut decima quarta sudoribus universalibus, et urinis largis hypostasin levem rubellam aut flavicantem facientibus, rarius epistaxi simultanea, *resolvitur;* pneumoniae aut catarrho juncta sputis quoque criticis judicatur. Casu infausto *chronica* evadit, vel ad alia migrat organa, vel varias efficit *metastases*, vel in hydrothoracem acutum, in concretiones cum pulmonibus aut pericardio, in indurationes, suppurationem, gangraenam terminatur, — vel maxima vehementia, et ad pulmones, cor, pericardium, diaphragma expansione immediate, aut morbis nunc nominatis posthumis mediate serius ocyus in *mortem* abit.

§. 515. Pleuritis *substantiva* datur et *symptomatica; primaria* et *secundaria;* idiopathica et sympathica; *acuta* et *lenta, chronica*, quandoque symptomatibus minus manifestis stipata, *occulta Baglivii; simplex* et *composita, pura* et *complicata;* et quidem nunc *sporadica*, nunc *epidemica* vel et *endemica*, febri communiter inflammatoriae juncta, quae hinc inde in nervosam aut putridam commutari observatur; frequentissime *rheumatica* occurrit.

Nota. Magnam cum pleuritide analogiam primo intuitu offert dolor laterum thoracis mere symptomaticus, status sabur-

ralis progenies. Causae occasionalis aestimatio diagnosin plerumque facilem reddit, cum causa excitans utrique malo simul producendo par locum habere possit, v. gr. haustus frigidae largae pleno ventriculo etc.; quare momentis diagnosticis omnibus rite utendum.

§. 516. *Dispositio* in pleuritidem eadem, quae inflammationibus generatim favet, corporis animique conditio est, cum insigni organi cutanei teneritudine ac sensibilitate copulata. — Causae momentis *occasionalibus* accensentur: *a) idiopathica:* potentiae traumaticae externae mediate vel immediate ferientes pleuram, quemadmodum contusiones per ictus, lapsus etc., vulnera omnis generis, costarum fracturae; *b) sympathica:* functionum cutis turbae, transpirationis suppressio in specie a repentina corporis exaestuati et sudantis refrigeratione per subitam vestimentorum depositionem, incautum balneorum plus minus frigidorum, potuum gelidorum usum, per aëris perflatum, repentinam magnamque temperaturae atmosphaerae vicissitudinem, unde pleuritides vere et autumno saepe epidemicae oriuntur; suppressio variorum malorum chronicorum tam cutis quam membranarum internarum, scabiei nempe, herpetis, tineae, arthritidis, rheumatalgiae, ulcerum chronicorum, exanthematum febrilium, diarrhoearum, blenorrhoearum, haemorrhoearum chronicarum.

Pleuritidem cum pneumonitide primario oriundam refrigeratio, validum corporis, et speciatim pulmonum, exercitium gravemque exaestuationem excipiens, adeoque incessum celerem, cursitationem, saltum, equitationem, declamationem protractam, conciones etc. insequens generare valet. Addatur causa traumatica multiplex.

§. 517. Pleuritis in genere non adeo communiter ac pneumonitis periculosa est. Periculum sicubi adest, minus ex illa ipsa quam ex ejus crisibus erroneis, mor-

bis posthumis, et ex compositionibus cum pneumonia, pericarditide, diaphragmitide proficiscitur.

Ex prioribus pleuritis chronica et hydrothorax acutus maxime metuendi. Illa saepe ex symptomaticis ac metastaticis v. gr. ab habituali scabie, herpete, inchoante podagra, chiragra etc. suppressa oriundis, pleurae inflammationibus proficiscitur; hic pleuritidem intensitate ac extensione magnam, praetervisam, negligenter aut perverse tractatam habet fontem, vel et morborum secretionibus largis habitualibus stipatorum v. gr. sudorum localium, ulcerum, diarrhoearum etc. chronicorum suppressione exortam. Illa per suppurationem, phthisim lente, hic non raro citissime per suffocationem lethalis evadit.

Febris comitantis indoles inflammatoria faustiorem ac nervosa et putrida, pleuritis simplex et pura faustiorem ac v. gr. cum pneumonitide composita, et morbis dignioribus complicata, prognosim formari sinit.

Pleuritidem in specie rheumaticam concomitans febris autumno provecto, praegressa diu tempestate humido-frigida, aliisque circumstantiis, uti senio, cachexia, statu pituitoso faventibus, in pituitosam quandoque fatiscit.

Caetera prognosis, quemadmodum in aliis phlogosibus, ex pleuritidis magnitudine, duratione, decursu, causa excitante, constitutione aegri, genio morborum epidemico, nec non ex tractamine hucdum instituto hauritur.

§. 518. Juxta *indicationem* therapeuticam *primam* causa occasionalis fortasse adhuc activa amoveri, aut morbus principalis, siquis subest, tolli, aut suppressus pleuritidis natae culpam gerens revocari debet, modo haud minus scopo huic respondente, ac inflammationi congruo, saltem minime nocivo.

§. 519. In implenda indicatione *secunda* pleuritidis gradus, relatio substantiva vel symptomatica, puritas

vel complicatio, stadium, nec non febris communiter inflammatoriae intensitas ducunt medentem. Pleuritidi *acutae* regimen antiphlogisticum strictissime servandum, et methodus medendi antiphlogistica, refrigerans nimirum ac debilitans cum emolliente et relaxante, debita extensione ac energia opponantur, et in casibus singulis juxta principia generalia aegrorumque individuorum constitutionem statuantur oportet. His dolores quoque symptomatici modo radicali leniuntur, sedantur. Venaesectiones aeque largas ac pneumonia acuta plerumque, pleuritis nec expetit nec fert, non ob rheumaticam solum, qua saepissime notatur, indolem ejus, sed ob singulares etiam pleurae ipsius proprietates, cum potius hirudinum applicationem praemissis phlebotomiis non raro adhuc urgeat. In reliquis pleuritidis therapia curae pneumonitidis ex asse conformis est.

Complicationes rationem medendi utut sibi congruam, cum morbi principis tamen medela concordantem exigunt.

§. 520. *Crisis* et evacuationes criticae adjuvantur, diriguntur, sic et *convalescentia* promovetur easdem ad normas, quae in pneumoniae therapia (§. 361. etc.) praescriptae fuerunt.

§. 521. Pari modo in morborum posthumorum facilius praecavendorum quam sanandorum cura ad principia ibidem (§. 372.) indigitata incedendum est.

§. 522. *Pleuritis chronica* rarius sola, saepe pneumoniae chronicae (§. 367.) juncta observatur. Iteratas plerumque sequitur pleuritides, et per symptomata his pathognomonica, supra recensita, moderatum tenere solita gradum, per durationem longam, decursum apertissime continuum remittentem, et per febrim lentam proditur.

Sanatu perquam difficilis, si non rheumatica, habitu phthisico vel scrophuloso sustentatur. Ad sanationem autem impetrandam, quemadmodum in pneumoniae chronicae tractamine, momenta ejus causalia, indoles, gradus,

febris, tota aegri constitutio etc. attendantur oportet, et actionum in systema cutaneum antagonisticarum virtus multum laudabilis non praetermittatur.

Inflammatio pericardii.

§. 523. *Inflammatio pericardii (pericarditis*, Entzündung des Herzbeutels) testibus vitiis organisationis per cadaverum sectiones saepe detectis non infrequens est morbus. Raro quidem sola, in connubio autem cum pleuritide, pneumonia, aut carditide saepius obvia, quapropter praetervideri facile potest, et procul dubio saepe praetervidetur.

P. Frank, S. Vogel, C. Sprengel, L. Kreysig, ab Hildenbrand opp. cit.

§. 524. Utut simplex quandoque, cor tamen et organa circulo humorum praefixa in magnum semper trahit consensum. Frigore ut in aliis inflammationibus introitum designante, dein calore utplurimum intenso febrili cum pulsu admodum frequente, inordinato, jam duro jam molli, siti clamosa, cephalaea, dolore continuo punctorio, lancinante, scindente vel urente in cavo thoracis sinistro a sterni margine sinistrorsum ad cordis regionem fixo, per quemvis ictum cordis et situm in latere sinistro increscente, frequentiore cardiopalmo, inquietudine et anxietate magna, nonnunquam instantibus lipothymiis, et aphonia palam redditur.

§. 525. Quoad *decursum*, *durationem*, *crisin* ut pleuritis sese habet. Non resoluta communes cum illa post se trahit *morbos secundarios:* incrassationes et indurationes, concretiones cum corde, pulmonibus, pleura, suppurationem, hydrocardiam.

Quibus malis ultimis duobus mediate, sicut ad cor, pulmones propagata, admodum vehemens, et neglecta

aut perverse curata immediate serius ocyus *lethalis* fieri potest.

§. 526. Pericarditidi generandae idonea momenta tum *disponentia* tum *excitantia* non noscuntur alia, quam quae inter pleuritidis causas (§. 516.) referebantur.

§. 527. *Prognosis* quoque ad rationes ibidem prolatas et pericarditidis historiam nunc expositam formanda est.

§. 528. *Therapia* pericarditidis, qualis pleuritidi gravi conveniret, debita cum energia et sine temporis jactura suscipi debet; et casu infelici malorum posthumorum cura ductu normarum (§. 287. etc.) traditarum institui.

Inflammatio peritonei, omenti, mesenterii; et *febris puerperalis.*

§. 529. *Peritonei phlogosis (peritonitis,* Entzündung des Bauchfells) frequentior ac propaginum et duplicaturarum, omenti videlicet et mesenterii, cernitur.

Burserius, P. Frank, S. Vogel, Richter, Sprengel, ab Hildenbrand opp. cit.

§. 530. Lata peritonei extensio, intimus cum plerisque abdominis visceribus, partim illo obductis partim vestitis, nexus, quo fit, ut variis aegrotans locis jam hoc jam illud in compassionem abripiat viscus, multiplicem peritonitidi impertiuntur formae varietatem. Haec formae inconstantia, functionis eminentis peritonei, quae laesa in signum cedere posset, defectus, ipsaque peritonitidis rarissima simplicitas, vulgaris potius cum unius alteriusve visceris inflammatione compositio difficilem reddunt signorum pathognomonicorum enumerationem. Ad *simplicem* nihilominus ac *puram peritonitidem* concludere licet, ubi febris inflammatoria adest et dolor ali-

cubi in abdominis circumferentia fixus et continuus lancinans, pungens aut urens, seu ante seu cum febri simul, seu in ejus decursu exortus, non penitus superficialis, ab attactu et pressione moderata ingravescens, et ubi inflammati insimul visceris cujusdam abdominis signa (ex hucusque expositis nota) deficiunt.

§. 531. *Peritonitis* cum musculorum abdominalium inflammatione (peritonitide externa s. spuria dicta), *myositide abdominis*, cognoscitur ex abdominis non aequabiliter expansi loco inflammationis ad attactum quoque externe multum calente, summe sensibili, contrectationis impatiente; dolorum vehementium per quamlibet musculorum abdominalium intensionem, adeoque per trunci aut femorum motus, sternutationem, tussim, imo inspirationem profundam recrudescentia insigni; cutis nonnunquam rubedine, et sub hac, vel et hac deficiente, intumescentia parum elata, dura, plus minus circumscripta, fibrarum muscularium directionem quandoque sequente. Superioris musculorum rectorum partis inflammatio a gastritide, cum qua confundi facile posset, tum per haec ipsa dignoscitur signa, tum per dolorum urentium, anxietatis magnae, vomiturition um a minimis pharmacorum ac potuum blandissimorum portionibus excitandarum, nec non vomitus continui et alvi obstipationis pertinacis defectum.

§. 532. *Peritonitidem cum* musculi psoas inflammatione, *psoitide*, compositam designant febris non semper valida; dolor in regione lumbali sursum per dorsum eodem in latere ascendens, et deorsum ad inguen et per femur descendens, cursu acuto vehemens, lento moderatus, obtusus, saepe torporis in femore sensu stipatus, et jam intensus jam remittens; pressionis impatiens regio lumbalis et facies interna superior femoris prope Bupartii ligamentum; exacerbatio doloris a tentaminibus, femur ad abdomen attrahendi aut extendendi, elevandi, extrorsum rotandi sese in lecto vertendi, insistendi

ingrediendi; ipse ingressus claudicans et nonnisi magno cum nixu et corpore pronato praestandus. Raro tumor simul externus in musculorum psoae et iliaci directione detegitur; vix unquam urinarum turbata est se- et excretio, unde psoitis a nephritide distinguitur.

§. 533. *Inflammationis omenti (omentitidis, epiploitidis*, Entzündung des Netzes) certa diagnosis difficilis est. Praesentem comitantur: dolor in umbilici regione fixus, continuus, cum magna hujus loci ad attactum sensilitate, tumor ibidem sub musculis abdominis et durities diffusa, mutatum aegri situm sequens, non infrequens etiam vomitus. Aliarum inflammationum, quae hanc regionem occupare possent, specialius intestinorum tenuium inflammatorum signa desunt; gastritis tamen morbo ingravescenti facile adsociatur.

§. 534. Etiam *mesenterii inflammationis (mesenteritidis*, Entzündung des Gekröses) diagnosim difficultates premunt. Signa ejus sunt: dolor continuus, profundus a columna vertebrarum lumbalium per abdomen ad regionem umbilicalem protensus, et per incurvationes dorsi, regionis umbilici pressionem, tussim, sternutationem, motus ac concussionem corporis adaugendus; tumor nonnunquam in regione descripta palpabilis et durities; alvi obstipatio. Facile mesenteritis in enteritidem transit. Inflammatio glandulas imprimis tenens meseraicas *symptomatica* esse consuevit et *chronica*, ob symptomatum lenitatem facile praetervidenda.

§. 535. *Decursus* tam peritonitidis quam epiploitidis ac mesenteritidis, sicut in aliis organorum membranosorum inflammationibus, communiter continuus est remittens. — *Duratio* ad dies septem aut quatuordecim circumscribitur, vel, in glandularum meseraicarum inflammatione potissimum, in septimanas etiam ac menses protrahitur.

§. 536. Inflammationes expositae vel resolvuntur, vel in hydropem ascitem acutum, aut in suppurationem,

indurationem, concretionem, gangraenam transeunt, qua sicut hydrope acuto in mortem cito possunt terminari.

Resolvitur faustis sub rerum adjunctis, et auxilio praesertim tempestive lato congruo, circa septimum, nonum, undecimum vel decimum et quartum diem procedentibus consuetis evacuationibus criticis per sudores et urinas, quandoque per sanguifluxus, in mesenteritide saepe et per alvum frequentem, pultaceam, coctam.

Hydrops ascites acutus inflammatione anterioris peritonei partis, et duplicaturae, in foeminis ligamenta uteri lata constituentis, frequentius producitur.

Concretiones peritonei inflammati cum hepate, omento etc., omenti cum peritoneo, intestinis etc. minime rarae, fontem potius multiplicium sistunt symptomatum, saepe non perspectum.

Caeteroquin peritonitis in genere, et psoitidi juncta in specie ad suppurationes, omentitis ad gangraenam, mesenteritis ad decursum lentum, durationem chronicam, et glandularum indurationes, frequentem in infantibus tabis meseraicae scaturiginem, maxime proclives observantur. *Suppuratio* cum communibus specialia secumfert symptomata a loco pendentia. Quandoque nimirum abscessus intra peritoneum et musculos abdominales, aut lumbales et iliacos, aut columnam vertebrarum formantur vastissimi, qui ob incrassatum simul peritoneum non introrsum adeo, in abdominis scilicet cavum, aperiuntur quam extrorsum tendunt. Casu primo puris effusio hydropem ascitem purulentum dictum sistit, et evacuatione non citissime facta mortem inducit, casu altero pus collectum tumorem attollit fluctuantem, sub inspiratione profunda, tussi, sternutatione elatiorem redditum ac magis tensum, per canales fistulosos proserpit, et cariem cum effectibus, pro sede variis, gravissimis gignere valet, quales sunt: vertebrarum lumbalium, ipsius imo spinalis medullae, vel ossium ilei, acetabuli cum articulo destru-

ctio, unde dolores diuturni, paralyses, claudicatio, tabes, mors tandem post cruciatus ingentes chronicos.

Omenti suppuratio nonnunquam latissima, imo totum consumsisse omentum visa est, vita superstite.

In *mesenterio suppurato* abscessus fiunt saepe praegrandes, vel intestina comprimendo, tendendo pertinacem alvi obstipationem, vel in canalem eorum aut in abdominis cavum depleti diarrhoeam purulentam aut ascitem purulentum, hunc et illam utplurimum cito lethalem, generantes. Suppuratio minus larga *phthisim meseraicam* constituit, hinc inde ad intestina ipsa proserpit, et lente mortem infert.

§. 537. *Differentias* peritonitis, epiploitis et mesenteritis offerunt, quales pleuritis subit. Singularem attentionem et specialem ideo memoriam ea peritonitidis varietas meretur, quae *febris puerperalis* nomine venit. Mox infra pertractabitur.

§. 538. Ad peritonitidem *disponentia* momenta eadem sunt, quae morbos inflammatorios in genere, et specialius rheumaticas aliasve organorum membranosorum phlogoses invitant; — excitantia cum illis pleuritidis (§. 516.) conveniunt, uti sunt: potentiae traumaticae atque laesiones variae; inflammatio vicina in peritoneum transgressa; functionis cutis normalis, morborumve illi competentium tam febrilium quam non febrilium turba, suppressio etc.

Causae speciales *psoitidis* in violentiis externis, nixu magno, repentino, inconsueto, ponderum nimiorum elevatione, gestatione inveniuntur.

Epiploitis laesionibus utplurimum, incarceratione cum herniis, refrigerio, morbis cutaneis suppressis producitur.

Omentitis, nisi ex enteritide aut peritonitide communicata originem duxerit, symptomatica esse solet scrophularum soboles.

§. 539. *Prognosis* inflammationum memoratarum ex

earum delineatione ac historia illucescit. Ut in casu speciali prognosis feratur solida, auxiliorum prognosticorum generalium ad singularum magnitudinem, decursum, stadium, durationem, puritatem aut complicationem, ad aegrorum constitutiones etc. adplicatione opus est.

§. 540. In *therapia* normas sequi oportet pro pleuritide curanda (§. 518. etc.) praescriptas. *Crisis* et *convalescentia* medendi rationem exposcunt, ex generalibus petitam principiis, inflammationi speciali, aegro etc. adaptandam.

Febris puerperalis.

§. 541. *Febris puerperalis* (Kindbettfieber) propriam sistit jam peritonitidis aut metritidis, jam utriusque junctae varietatem, cujus proprii characteres in puerperio suum agnoscunt fontem.

C. White, von d. Behandlung der Schwangeren u. d. Kindbetterinnen. A. d. Engl. Leipz. 1775. 8.

Th. Kirkland, Versuch üb. d. Kindbettfieber. A. d. Engl. von *Scherf*. Gotha 1778.

Luc. Boër Abh. u. Vers. zur Begründung einer neuen, einfachen u. naturgemässen Geburtshülfe. B. II.

— — Libri de arte obstetricia. Vienn. 1830. 8.

Dr. F. C. Nägele Schilderung des Kindbettf., welches v. Juny 1811 bis z. April 1812 in d. grossh. Entbindungsanst. zu Heidelberg geherrscht hat. Heidelb. 1812. 8.

J. N. Neubauer diss. inaug. med. de febri puerp. Pragae 1812.

D. Fiegl, etwas zur näheren Bestimmung d. Natur d. febr. puerperalis. In *Horn's* Archiv f. m. Erf. Jahrg. 1813. May- bis Dezemberheft.

Actenstücke zur Geschichte des bösart. Puerperal-Fiebers, welches im J. 1819 in der Gebäranstalt zu Wien herrschte. In den med. Jahrb. d. k. k. öst. Staates. Neue Folge B. I. St. 2. S. 244—271.

D. Goeden, die zwey Formen des Kindbettfiebers (Peritonitis u. Meningitis) etc. In *Hufeland's* Journ. d. pr. H. 1822. St. 2. S. 96 u. f.

§. 542. *Puerperio essentiales* sunt: polyhaemia universalis, assimilationis et sanguificationis durante graviditate perfectioris effectus, partis fibrosae in sanguine exsuperantia; secretio lactis; erethismus universalis, plethora et aucta irritabilitas viscerum abdominalium, in specie uteri, graviditate et partu mutationes status sui maximas expertorum; necessarius uteri ad volumen et functionem (extra graviditatem) normalem reditus, partim per lochia, partim per uberiorem sanguinis pro lacte parando ad mammas adfluxum praestandus; prioris indolis massae humorum et proportionis partium eam constituentium, conditionis circuli, se- et excretionum restitutio, ad quam citra lactis secretionem et lochiorum fluxum, exaltata cutis functio transpiratoria plurimum facit.

§. 543. *Essentiales febris puerperalis notas* constituunt: causalis cum puerperio nexus morbi totius; status phlogisticus patens viscerum abdominalium, specialius et communissime peritonei vel uteri, vel utriusque simul, et quidem peritonei partis, quae uterum vestit, aut ligamenta lata format, ovaria et tubas continet, vel quae faciem internam ossium ilei musculorumque abdominalium obducit, vel quae ad intestina, ventriculum, hepar etc. propagatur, eorum involucrum sistens; indoles febris primaria inflammatoria; inflammationis in repentinam humorum effusionem in cavum abdominis, febris in metastases lacteas variis tum internis tum externis locis nisus fortis, sic et in characterem nervosum aut nervoso-putridum.

Quibus febris puerperalis a quacunque alia febri puerperarum accidentali v. gr. gastrica, catarrhali, rheumatica etc. pro certo dignoscitur.

§. 544. Febris puerperalis saepe eo, quo febris lactea solet, tempore, quandoque citius imo mox a partu, quandoque serius prima post eum, secunda, tertia adhuc septimana supervenit. Haud frequentior post partus quam post abortus cernitur.

Prodromos jam nullos habet, jam communes modo, morbum febrilem generatim annunciantes, et breves, jam vero et quidem epidemica nonnullos certos offert. Ultimis tribus, sex graviditatis mensibus isti jam se insinuant qua dolores in hypogastrio intra symphiseos ossium pubis et umbilici regionem, plus minusve continui, moderati, urentes aut lancinantes, qua leves motus febriles, sitis aucta, delassatio. Dolores a gravidis rheumatici aut spasmodici habiti nec sudoriferis nec nervinis incitantibus debellantur. *Intrat* cum frigore nonnunquam admodum vehemente; sequitur calor cum symptomatibus essentialibus febris varii gradus, imprimis pulsu plus minus frequente, forti, duro, vel debili, contracto, irregulari, inconstante, cephalaea, inquietudine magna etc.; adsociantur mox, consuetim intra paucissimas jam horas, dolores insignes, cito increscentes, continui, primo utplurimum in et sub umbilici regione, qua intensiores esse, et unde cito per abdomen totum inflatum, tensum erga attactum summopere sensile expandi consueverunt; vomitus dolorificus non levans; delassatio magna; secretio lactis imminuta vel cohibita cum mammarum tumore, tensione, dolore, postmodum relaxatione; lochiorum turba, cum genitalium externorum quandoque notabili phlogosi, et subsequo utplurimum largo humoris tenuis, sanguinolenti, acris profluvio. Decursu ulteriore saepe sudores largi, serum lactis redolentes, haud semper salutares, uti et miliaria quandoque prorumpunt, mere symptomatica, levamine destituta. — Symptomata alia, quemadmodum femoris alterutrius torpor, dolor tensivus, lancinans; talis atque punctorius lumborum, dorsi intra scapulas, extremitatum superiorum, laterum thoracis; sapor amarus, ructus, vomitus, diarrhoea, etc. partim ab inflammationis sede in uteri velamento, aut substantia, aut membrana interna mucipara, aut in ovario, partim ab ejus cum peritonei propaginum, intestinorum, hepatis etc. inflammationibus com-

positione, partim a complicatione forsan praesente v. gr. cum frequente adeo statu gastrico-saburrali aut bilioso etc., partim tandem a causae occasionalis conditione dependent.

Characteris inflammatorii febris in *nervosum* transitum, qui facile et plerumque cum morbosis in abdominis cavum exsudationibus, vel metastasibus, vel nisu in gangraenam contingit, concomitantur vario gradu, et designant: pulsus admodum frequens et debilis, calor intensus molestus, anxietas, ardor in abdomine continuus, meteorismus, vomitus frequens utplurimum biliosus, singultus, respiratio brevis, citata, difficilis, suspiria, lipothymiae, facies collapsa, rubor genarum saturate profundus circumscriptus, oculi demersi, obtutus languidus, tristis, physiognomia alienata, deliria quandoque ferocia, spasmi, convulsiones.

Prodeunte charactere *putrido* phaenomena febrim putridam denotantia, petechiae praeprimis, miliaria, evacuationes colliquativae accedunt.

§. 545. *Decursus* febris puerperalis peracutus, symptomata vehementia, luculenter tamen remittentia esse solent.

Cursu moderato intra dies septem, novem, aut quatuordecim, raro tardius sub alvo, sudore, urinis criticis, nonnunquam metastasibus vel lacteis vel aliis, quandoque imo gangraenescentibus, ad partes externas non nobiles, in convalescentiam transit. Acutissima tertio, quarto, quinto die, quandoque jam intra nycthemeron lethalis evadit. Secta cadavera praeter inflammationis viscerum ante nominatorum vestigia extravasatum offerunt fluidum in abdominis quandoque et thoracis, pericardii, imo cranii cavis et cerebri ipsius ventriculis, pallide flavens, jam puri, jam lacti, jam lactis sero simile, cum floccis caseosis partim innatantibus, partim viscerum superficiei adhaerentibus, nunc paucas nunc multas aestimandum libras. — Alias et metritis aut pe-

ritonitis vix evoluta in gasteritidem, pleuritidem, vel meningitidem etc. commutatur; sic metastases quoque lacteae variae, internae et externae, jam priore febris puerperalis decursu, jam tempore criseos contingunt, cum eventu rarius optato quam infausto. Charactere febris nervoso vel putrido vigente viscerum inflammatorum, praesertim uteri gangraena solet induci. (Conf. descriptiones a *me* et a Prof. *Boër* in *Aktenstücke* etc. l. c.)

§. 546. *Disponunt* ad febrim puerperalem momenta phlogosibus in genere faventia, atque status puerperio (§. 542.) proprius partim organismum universum, partim viscera abdominalia, uterum speciatim et peritoneum, nec non ubera concernens. Qui status febri puerperali adeo essentialis est, ut morbi indoles primaria inflammatoria, forma, decursus, ac terminationes per illum definiantur.

Occasionem praebent praeter causas pleuritidi generandae pares (§. 516.): parturitio intensa et diu durans, rude genitalium tractamen, violenta placentae solutio, partes ejus vel grumi sanguinis retenti; arcta abdominis post partum deligatio; quaelibet mutationum post partum necessario obtinentium, supra (§. 542.) commemoratarum, in decursu normali turbatio per terrorem, iram, tristitiam, oppletionem ventriculi, cibos aromate multo conditos, juscula vinosa, potus spirituosos, alios stimulantes, per exaestuationes, refrigerationem, obstipationem alvi protractam, graves labores; lochiorum suppressio; secretio lactis per irritantium, calefacientium remediorum ad mammas adplicationem cohibita, lactatio repente intercepta lacte sufficiente. De inducenda *in gravidis* jam *opportunitate* ad febrim puerperalem non absque ratione inculpantur: ventriculi oppletiones frequentes; vita deses, sedentaria; alvi oppilatio pertinax; abdominis per ligamina et thoracula pressio, constrictio; labor durus; victus multum nutrientis et calefacientis

abusus; animi adfectus vehementes, iterati. His procul dubio major febris puerperalis in foeminis delicatulis et generatim urbium incolis, quam in caeteris frequentia imputanda est. — Constat tandem, constitutiones tempestatis nonnullas, quin liqueat ratio, febri puerperali epidemicae et praeparandae et producendae imprimis esse pares. Tales epidemias hic Viennae aliquot observare mihi contigit, passim valde terreficas.

§. 547. Quanti facienda sit febris puerperalis, nosographia ostendit. *Prognosis specialis* ubivis prudente momentorum notorum ad casus singulos adplicatione formatur.

Malis adnumerantur signis: excedens abdominis sensibilitas, meteorismus eminens, dolores in illo vehementes et continui, inquietudo magna et anxietas, faciei defiguratio, alvus diarrhoica aut vomitus nec levantes nec meteorismum minuentes, dyspnoea maxima, singultus, animi deliquia, horror, frigus extremitatum etc. etc.

§. 548. Periculi gratia febrim puerperalem circumdantis plurimum interest, durante graviditate et post partum per regimen debitum occasionales evitare causas. Siquae tamen locum habuerint, omnibus conandum viribus, ut ratione conveniente quam citissime auferantur, earumque effectus in germine suffocentur. Quo casu v. gr. saburrae gastricae nimis saepe culpam gerentes citissime eliminari, transpiratio, secretio lactis, lochia refrigerio, ira, moerore etc. suppressa, per regimen quietum moderate calidum, diaetam restrictam, potus et pharmaca tepida emollientia, diapnoica, per cataplasmata, fomenta, pediluvia, vapores, injectiones in vaginam emollientes etc. restitui debent.

Febre puerperali jam evoluta praeter causarum amotionem, gradus et sedes inflammationis, indoles ac intensitas febris cum sedulo nisus in transsudationem et metastases memoratas, et in febris characterem adynamicum respectu, therapiam indicant. Vigente febre in-

flammatoria, uti initio consuevit, therapia antiphlogistica adaequata, speciatim phlebotomia illico utut prudente cum circumspectione ac moderatione, deinde hirudinum applicatio, vix unquam praetermittenda, et consuetim manifeste proficua instituantur oportet; praeterea ad periculosas omni stadio metuendas effusiones et metastases pro viribus praevertendas colatoria singula aperiantur, et lochia speciatim ac secretio lactis, transpiratio, urinae, alvus promoveantur methodo antiphlogisticae consentanea, et intensitate caute definienda. Huic indicationi pharmaca, potus, epithemata etc. mox recensita emollientia et diapnoica, porro antiphlogistica eccoprotica, enemata alvum sollicitantia, solventia interna, speciatim sales antiphlogistici mitissimi, cum diaphoresim blande moventibus ac sustinentibus, liquore Mindereri, phlogosi sublata refractis tart. emetici dosibus, sale ammoniaco, sulphure aur. antimonii, pro re nata, sine vel cum calomele, aut extracto hyoscyami nupta respondent. — Imminente charactere nervoso vel jam evoluto, sub continua ad inflammationem in abdomine ejusque nisum deleterium in effusiones, metastases, gangraenam attentione, methodus in febribus nervosis proficua indicatur. Praemissis, ubi adhuc conceduntur, parvis depletionibus nisi universalibus saltem topicis, externe sinapismi, vesicantia, balnea, enemata, inunctiones ung. simpl. cum camphora, linimenti volat., interne infusa ipecacuanhae aut flor. chamom., aut inf. rad. angelicae etc., camphor. c. nitro, sal. ammon. aut calom. et dosibus exiguis extr. hyoscyami vel opii; gradu debilitatis altiore, camphora c. moscho, enemata c. camphor. aut as. foetid., cucurbitae siccae, fomenta, linimenta aromatica abdomini adhibenda requiruntur. — In characterem putridum eodem, qui inflammationibus febri putridae sociatis convenit (§. 279.), modo incedere opus est.

§. 549. *Crisis* et *convalescentia* ad normas generales, casibus singulis adcommodandas, debent curari.

Facta in abdominis cavum effusione aegris ex paracenthesi confestim instituta, atque cura secundaria conveniente spes salutis aliqua et tunc solum adfulget, si casu rarissimo morbus omnis cursu subacuto per effusionem illam metastaseos salutaris adinstar fuerit perfecte judicatus. Ast ex dictis jam patet, causam transsudationis proximam in febre puerperali fontem quoque mortis esse, sine et cum operatione nominata secuturae, vires vitae scilicet exhaustas, et viscerum inflammatorum gangraenam.

Gen. II. Inflammationes catarrhales.

§. 550. *Catarrhus* (a κατα et ῥεω, defluo) sensu latissimo morbum membranae muciparae significat, cujus symptoma praevalens secretio quantitatis et qualitatis vitiatae constituit. Morbus princeps ejusmodi secretionem efficiens vel status est inflammationi accedens, irritativus, vel ipsa inflammatio. Illum *catarrhum*, hunc *inflammationem catarrhalem* vocare moris est. Hoc sensu catarrhus ventriculi, intestinorum, vesicae urinariae, urethrae, vaginae sumendus. — *Sensu stricto* autem ad eum *catarrhus* restringitur *statum irritativum*, *qui membranas organorum respirationi et deglutitioni dicatorum muciparas obsidet*, et ab aëris ac temperaturae vicissitudinibus *(a refrigerio) ortus est.* Unde significatio catarrhi narium, faucium, pharyngis, tracheae, pulmonum intelligitur.

§. 551. Catarrhum inter et catarrhalem inflammationem idem, ac inter irritationem et inflammationem (§. 262 et 268.) obtinet discrimen. Catarrhus statum transgressus in membranae muciparae inflammationem sistit.

§. 552. Essentialia ac propria inflammationum catarrhalium (§. 310.) jam explicata, huc revocentur oportet.

In inflammationes *organorum respiratoriorum*, et

in illas *deglutitioni dicatorum* distingui solent. Prioribus inflammatio membranae Schneiderianae narium, laryngitis, tracheitis, et bronchitis, posterioribus cynanche faucium, pharyngitis et aesophagitis accensentur.

Hanc sequens divisionem repeto, species nunc nominatas nec tam exacte semper circumscribi, ut organi vicini membrana mucipara ab inflammatione immunis enunciari possit, nec tam pure catarrhales manere, ut intensum assecutae gradum non ad organorum parenchyma membrana mucipara vestitum protendantur, adeoque phlegmonosae fiant.

Inflammationes catarrhales organorum respiratoriorum. Febris catarrhalis.

§. 553. Tractatum hunc cum catarrho tam non febrili quam febrili aperire juvat, quia multiplici sub gradu et forma, speciatim 1) qua catarrhus simplex, 2) qua febris et 3) qua inflammatio catarrhalis ad morbos spectat maxime vulgares, et quia respirationis frequentius quam deglutitionis organa infestat.

§. 554. *1)* Catarrhi sensu strictissimo (§. 550.) symptomata nunc ad singulas membranae muciparae, organa respiratoria vestientis, circumscribuntur regiones, imminentem plerumque aut praesentem phlogosim sat clare designantia, nunc per totam qua late patet membranam illam aequabiliter diffunduntur. Jam levia sunt, nonnisi de statu membranae dictae irritativo loquentia, in subjectis robustioribus, durioribus *sine*, in aliis *cum febre* ad vesperam imprimis manifesta, typum igitur luculentissime *remittentem* (imo intermittentis quandoque aemulum) ostendente, obvia; jam vero majora, et statim initio vel non multo tardius *febri continuae* luculentis remissionibus matutinis et exacerbationibus vespertinis insigni, *febri catarrhali* vocatae, nec non phaenomenis irritatae in aliis organis, uti naribus,

palpebris oculorum, ore, faucium isthmo, pharynge, auribus, membranae muciparae sociata.

Catarrhi *simplicis* et *lenissimi* symptomata sunt: raucedo vocis plus minusve impurae, et tussis; nares obstipae vel siccae, vel fluidum stillantes tenue, acre; caput grave, imprimis in sinuum frontalium regione tentatum; dysphoria, lassitudo; cum aliqua odoris et saporis alienatione, et dysorexia.

§. 555. 2) *Catarrhus fortior, febrilis* i. e. *febris catarrhalis* sequentibus notatur symptomatibus, eorumque decursu: ab horrore orditur non valido sed perquam molesto, intercurrente calore per integrum saepe diem vexante, capite tentato, et ponderis ac pressionis ad sinus frontales sensu; succedunt calor auctus continuus cum solitis febris symptomatibus, praesertim vesperi multum increscentibus; narium siccitas vel fluxus tenuis, limpidus, irritans; sternutatio frequens; oculorum obfuscatio, illacrymatio, rubor dilutus; cutis sicca, os siccum cum sapore mucoso, aut amaro, aut salino, et lingua muco albo tecta; ingrata in larynge titillatio, tussicula frequens sicca, successive invalescens cum sono forti, rauco, et partim sine partim cum sputis, initio tenuibus serosis, mucosis, pedetentim crassis, puriformibus, vehementia sua haud minus quam frequentia vesperi et mane, ibi sicca hic humida, molestans; vox insonora, rauca, vel, membrana laryngis mucipara plurimum tumente, aphonia completa; gravitas pectoris sine dyspnoea notabili et sine inspirationis profundae obstaculo; dolor tensivus et lacerans faucium ac membrorum frequenter recurrens; sitis ad febris rationem non valida; urinae initio aquosae, limpidae non parcae, postea nec tam parcae nec tam flammeae ac in febribus inflammatoriis; alvus segnis; cutis nonnisi in capite fortassis submadida, hic uti in manibus plurimum calens. Symptomata haec intensitatis multum variae ad diem septimum, turbata nonnunquam ad undecimum, decimum et

quartum continuant, donec crisis febris cum solutione irritationis inflammatoriae (catarrhalis) simul procedat, et statutum a nonnullis *stadium* catarrhi *primum, inflammatorium*, finiatur. Febris videlicet cum symptomatibus essentialibus cunctis decrescit, et sub sudoribus largis repetitis, et urinis copiosis hypostasim levem, furfuraceam coloris rosei formantibus cessat; tussis rarior evadit, minus concutiens, tandem facilis, sputa expectorans crassa, albo-flaventia, puriformia, primum copiosiora ac stadio primo, dein tussi pedetentim decrescente ac desinente pauciora, tandem nulla. Tempus, quo haec peraguntur, simulque somnus hinc inde, appetentia reviviscens, digestio, meliorque omnium ante turbatarum et alienatarum functionum ordo redeunt, *stadium* catarrhi a nonnullis *secundum*, seu *secretorium* vocatur, proprie *stadium criticum* sistens, quo febris celerius, irritatio membranarum mucipararum inflammatoria, ob istarum indolem, lentius judicatur.

Conradi Schneider, de catarrhis libr. VI. Witeb. 1660.
Van Swieten, Commentar. etc. T. I. p. 625—634; T. II. p. 625 etc.; T. IV. p. 2, 56, 57, 316 etc.
J. P. Frank, S. Vogel, Richter, Sprengel, J. Frank, ab Hildenbrand, Bischoff in opp. cit.
Fr. ab Hildenbrand, de catarrhis, iisque subdolis et perniciosis. Vienn. 1812.

§. 556. *3)* Irritatio in tractatu de febri catarrhali commemorata haud semper per membranas muciparas narium, faucium, laryngis etc. aequabiliter distributa occurrit, sed saepe in uno alterove horum organorum praevalens, et in veram *inflammationem* aucta.

§. 557. *Catarrhus narium (coryza, gravedo,* Schnupfen, Nasen-Katarrh) a siccitate, calore, obturatione, titillatione narium, sternutatione iterata, mungendi tenesmo, cum cephalaea imprimis ad sinus frontales obtusa, pressione in orbitis, oculorum rubore, splendore

illacrymatione incipit. Nares imperviae proprium voci sub loquela impertiuntur sonum obtusum. Symptomata augentur vesperi, et quandoque febriculae sociantur. Sequitur secretio superius descripta, nonnisi magno sub inflammationis gradu suspensa. Caeterum catarrhus *sinus* praecipue *obsidens frontales* cephalaea majore, quandoque vehemente, et in infantibus deliriis stipari solet; *in choannis narium posticis* potissimum haerens sensu plenitudinis in faucibus, screatu frequente, baryecoia, susurru auris in latere gravius adfecto vel utroque molestat.

Membrana mucosa narium intense inflammata (coryza, gravedine inflammatoria) non solum phaenoma memorata gradum assequuntur majorem, febrimque habent comitem, sed ophthalmiis etiam catarrhalibus, validae cerebri irritationi, adeoque cephalaeae vehementi, inquietudini magnae, deliriis vividis etc., nec non faucium, laryngis, tracheae etc. inflammationibus junguntur.

§. 558. *Catarrhus laryngis* cognoscitur ex vocis obtusae raucedine, frequente post titillationem in laryngе perceptam tussi, plenitudinis in illa sensu, et spiritu parum difficulter eandem permeante.

Laryngitidis (anginae, cynanches laryngeae, Entzündung des Kehlkopfes) symptomata sunt: calor, ardor, dolorque in larynge, sub inspiratione sentiendus, sub tussi vero, loquela, deglutitione et externa organi adfecti pressione adaugendus; vox rarissime non insigniter alterata, consuetim rauca et alta, fistulans aut sibillosa, aliquando rauca et obtuse sonans; tussis frequens jam mitis jam fortis, et irruente simul suffocativo sensu angens, initio sicca, postea cum sputis mucosis, puriformibus, aut sanguine, aut frustis lymphae membranularum forma coagulatae remixtis; respiratio plus minusve molesta, citata, crescente phlogosi anhelosa, stertorosa, per vices suffocativa, aegrum, ut respiret,

ad situm erectum magnamque cogens intensionem; inquietudo magna, anxietas; facies sudore perfusa turgens, calens, rubens aut livens, cum venarum in fronte turgore, oculi rubicundi prominentes; cordis, arteriarum carotidum et temporalium pulsatio insignis, delassatio eminens cum apparente debilitate; febris valida vesperi exacerbata. Aegri quandoque in soporem, aut convulsiones, aut in periculum suffocationis incidunt, qua revera, nisi congruum citissime feratur auxilium, exstinguuntur. Alias et casu felici laryngitis die quinto, septimo, vel nono una cum febri decrescit sub sudoribus, urinis, sputis etc. criticis, et pedetentim resolvitur.

§. 559. *Tracheitis* (angina s. cynanche trachealis, Entzündung der Luftröhre) symptomata fere eadem exhibet, minus tamen vehemens est, decursu minus rapido, rariusque tam cito lethalis ac laryngitis. Dolor speciatim inferius, loco quodam vel per totam tracheae longitudinem sentitur, et vox minus acuta est. — Vix tamen tracheitis et laryngitis singulae adeo purae et adeo perfectis separatae limitibus occurrunt, ut illa laryngis, haec tracheae saltem irritativam adfectionem (catarrhum) non habeat comitem.

§. 560. *Bronchitis* (inflammatio bronchorum, Entzündung der Luftröhrenäste; angina pectoris *Selle*, Brustbräune) manifestatur pressione infra sterni manubrium, continua ad tracheae bifurcationem titillatione, tussi frequente, sicca initio, post humida cum sputis puriformibus imo sanguine striatis, respiratione citata, parum difficili, generatimque symptomatibus pneumoniae analogis, in quam aeque saepe transit, ac pneumonia cum minimorum saltem bronchorum inflammatione consociari consuevit. A pneumonitide tamen per minorem pectoris oppressionem, per concessam utut non absque momentanea ad tussim irritatione inspirationem profundam, et perfectam thoracis dilatationem, per doloris in pectore

omnis defectum, consuetam, cum ipsa catarrhalis esse soleat, symptomatum catarrhalium aliorum societatem. et febris remissiones et exacerbationes luculentas, dignoscitur. Bronchitidem febris catarrhalis phaenomena semper comitantur.

P. et *Jos. Frank*, *S. Vogel*, *Conradi*, *Richter*, *v. Hildenbrand*, *Hastings* opp. cit.
Badham, Versuch üb. d. Bronchitis. Brem. 1815.

§. 561. Catarrhus et inflammationes hucusque descriptae catarrhales praeterquam quod et *phlegmonosae* nonnunquam observentur, uti jam monui, *differentias* cum phlogosibus caeteris communes offerunt. Imprimis *epidemicae*, *endemicae* et *sporadicae* occurrunt; *acutae* et *chronicae*; *simplices* et *compositae*, *purae* et *complicatae*; *substantivae* et *symptomaticae*; *apertae*, patentes et *occultae*. Easdem et febris catarrhalis subire differentias cernitur.

Catarrhus epidemicus nomine *Influenzae* vel *Grippe* notus, prima vice anno 1409, abhinc multoties et nuperrime a. 1833 totam fere peragravit Europam. Repente utplurimum invadere, plurimos simul ejusdem regionis, urbis, domus corripere incolas omnis sexus ac aetatis, febre, capite obnubilato, et gravissima inprimis virium dejectione, cum communibus catarrhi phaenomenis, stipari, cito in crisin evacuatoriam per sudores, sputa, epistaxin, urinas niti, intra 3—5 jam dies in convalescentiam, utut quandoque longam, transire, raro mala relinquere posthuma, dispositionem vero phthisicam, haemoptoicam intendere, phthises invitare, phthisicis ipsis nonnunquam deleterius, imo cito lethalis fieri observatus est. — Ex oriente orsus, occidentem versus per radios quaquavorsum iter constantissime prosequi, epidemias graviores alias aut contagiones hinc inde antecedere aut insequi, ipse de contagio suspectus est visus. (*A. Wawruch* l. c. — *J. N. Eiselt*, üb. d. Grippe

Epidemie des Jahres 1833 etc. In d. med. Jahrb. des k.k. österr. Staates Bd. 14. St. 4. p. 610.)

Peculiaris laryngitidis et tracheitidis *varietas* in *angina sic dicta membranacea* habetur, infra seorsim perlustranda.

§. 562. *Decursus, duratio* et *terminationes* inflammationis phlegmonosae membranae muciparae narium, laryngis, tracheae, bronchorum cum illis catarrhosae non ex toto conveniunt. *Phlegmonosa* enim acutius decurrit, promptiusque judicatur; laryngitis et tracheitis altero, tertio jam die jugulare, alias quarto, quinto in suppurationem cum ulceratione et inde phthisi laryngea, tracheali subsequis, in intumescentiam chronicam, incrassationem, indurationem abire, sed et die quinto vel septimo resolvi possunt. Id quod auxilio promptissimo et congruo sub communibus febris phaenomenis criticis, et larga speciatim ac facili evacuatione e naribus, aut expectoratione muci cocti, puriformis, imo sanguine tincti, et hinc inde lymphae coagulatae particulis remixti, frequentissime contingit. — *Catarrhosa* nec tam vehemens nec tam acuta, vix ante septimum diem, ast plerumque sub phaenomenis mox memoratis, speciatim copiosa muci crassi puriformis excretione fauste judicatur, quae successive imminuta per dies septem vel quatuordecim adhuc continuat; quandoque *chronica* evadit, phthisim pituitosam tunc minitans, ejusque germina reapse fovens. Inflammatio catarrhosa rarissime in indurationem, facilius vero, neglecta aut incongrue tractata, in suppurationem abit, raucedine vel et aphonia, respiratione difficili spasticas in organis adfectis contractiones suscitante, et, si larynx suppuratur, dysphagia quoque stipatam. Raro abscessus hisce in organis evacuato pure sanantur; in bronchorum ramificationibus in specie ulcerationem post se trahunt phthisimque pulmonalem. Iteratas membranae muciparae nares ac fauces vestientis phlogoses polypi nonnunquam insequuntur.

Mortem inflammationes descriptae vel immediate et cito, si admodum vehementes, phlegmonosae, neglectae aut perverse sunt curatae, et quidem utplurimum suffocativam, vel mediantibus morbis secundariis lentius, et nonnisi in aegris junioribus ac teneris sat celeriter, inducunt.

§. 563. Catarrhus *non febrilis* et *cum febri* manifesta, decurrendi modo, duratione, terminationibus inflammationes fere aemulatur catarrhales. Regimine ac tractamine congruis, tempestive adhibitis solutio catarrhi et, si adest, simul febris et adfectionis universalis dictis tum localibus tum universalibus sub excretionibus incipit caeterisque phaenomenis criticis. Utut autem sublata febri tussis rarior, mitior, facilior, sputorumque coctorum expectoratio sensim parcior evadat, utraque tamen sub maximo solum circumstantiarum, aegri nimirum constitutionis, personarum ac rerum ambientium, regiminis, anni temporis ac tempestatis, medelae etc. favore ad decimum quartum, septimum, aut vicesimum primum usque diem perfecte abigitur. Commissus quocunque intuitu error vel minimus decursum morbi sistendo, stadium criseos diutius protrahendo, et recidivas nunc graves, nunc leves quidem sed facile praetervidendas, et revera saepe eheu! praetervisas inferendo par est. Hoc e fonte mala posthuma funestissima: tussis chronica, polyblennia pulmonum, phthisis pituitosa, inflammatio viarum respiratoriarum, ipsorumque pulmonum chronica, suppuratio, phthisis cum satellitibus horrendis, proficiscuntur.

§. 564. *Dispositio* in catarrhos et in catarrhales aeque ac phlegmonosas narium, laryngis, tracheae et bronchorum inflammationes partim in generali totius organismi et organorum hic considerandorum conditione, morbis inflammatoriis et inflammationibus topicis plurimum favente, partim et proxime in membranae organorum illorum muciparae et proprie dicendo totius systematis

cutanei eminente teneritudine, sensibilitate ac irritabilitate invenitur. Quare infantes, adulti compagis tenerae, educationis nimis mollis, ex morbis acutis convalescentes, malis systematis cutanei et lymphatici chronicis, efflorescentiis cutaneis diuturnis, adnotante *Poupart* imprimis herpete detenti, rheumatalgia, scrophulis etc. vexati prae aliis in catarrhos, et phlogoses catarrhales frequenter incidunt. — *Causa occasionalis* communissima refrigerium est, corpore toto et speciatim viis respiratoriis per sermocinationem protractam, declamationem, cantum, exercitationem instrumentorum flando dirigendorum, per cubiculorum calorem, per cursum, equitationem praecipue adversus ventum frigidum exaestuatis, captum. Refrigeratio autem per aërem frigidum aut frigido-humidum, praecipue per asperos ventos boream, austrum, utrique intermedios et eurum boreae proximum aeque ac per potum, balneum universale aut topicum frigidum, celerem vestimentorum, integumentorum calente atque sudante corpore depositionem, denudationem capitis, pedum etc. non adsuetam potest contrahi. Alia momenta excitantia sunt: *constitutio* atmosphaerae *epidemica* peculiaris nedum omnimode cognita, imprimis subita, frequens et magna caloris et frigoris, siccitatis et humiditatis, electricitatis positivae et negativae in illa vicissitudo; vapores acres v. gr. in laboratoriis chemicis, cubilibus recenter calce dealbatis etc. inspirati; sermocinatio, cantatio nimium intendens etiam absque refrigerio; excretionum normalium aut habitualium, sudorum praesertim universalium ac topicorum suppressio, arthritidis, morborum cutaneorum in evolutione turbatio; contagium typhi, morbillorum, variolarum; corpora peregrina tracheae immissa, illapsa; laryngis, tracheae irritatio mechanica aut laesio multiplex.

§. 565. Membranae Schneiderianae narium phlogosis levem longe frequentius quam gravem sistit morbum. Neglectu tamen, curatione perversa, speciatim secre-

tione perperam cohibita, suppressa et illa ipsa phlegmonosam nancisci indolem, et organorum vicinorum, isthmi faucium, pharyngis, aurium, oculorum, imo meningum cerebri inflammationes incendi possunt.

Laryngitis, tracheitis et bronchitis graves semper morbi censeantur. Periculo terrent phlegmonosae, sibi consociatae, aut ad laryngem praesertim concentratae, pneumonitidi junctae, synocha forti stipatae. — Quo molestior respiratio, quo major inquietudo et anxietas, quo gravior sopor aut alia encephali adfectio, quo insignior verus virium vitalium per nimiam incitationem, suppressionem, aut inductam humorum dispendiis etc. debilitatem defectus, quo pulsus tangitur frequentior, minor, mollior, irregularior etc., eo majore aegri, imprimis infantes, in periculo versantur. — Ad speciem leves per suffocationem nonnunquam, paralysim pulmonum, apoplexiam, convulsiones subito interimunt. — Laryngitis gravitate tracheitidem ac bronchitidem de regula superat.

Prognosis in catarrho febrili, non febrili, et inflammationibus commemoratis catarrhalibus ferenda ex prolatis circa has et illum sufficienter dilucidatur. Aegrum semper, febris gradum ac indolem, compositiones et complicationes, causam occasionalem et omnes, quibus aeger exponitur, influxus, genium morborum in specie epidemicum tam stationarium quam intercurrentem continuo respici debere, sponte intelligitur.

Tussis valida et sicca, cum pressionis et constrictionis in pectore sensu, raucedo eminens de transituro in pneumonitidem catarrho metum faciunt.

Irritationem atque inflammationem catarrhalem in phlegmonosam augeri posse, dictum fuit; illam in infantibus pedetentim in anginam membranaceam posse converti, infra adhuc memorabitur.

Ob viarum respirationi dicatarum debilitatem, teneritudinem, irritabilitatem, aut haerentes in illis vel in

pulmonibus indurationes, catarrhis frequentibus, iisque consuetim pertinacibus obnoxii, tandem incidere in phthisim consueverunt.

Febres catarrhales admodum intensae, neglectae, aut male tractatae in pneumoniam, tracheitidem, laryngitidem, aut meningitidem vel encephalitidem imo transire, vel nervosum solent induere characterem, unde periculo circumdantur.

§. 566. In catarrhi, febris et inflammationum catarrhalium hic simul spectatarum *tractamine* primum indicatur, causam excitantem, si agere pergit, tollere vel enervare. Hunc in finem requiruntur: aër aegrum ambiens temperaturae moderate calidae, aequabilis, vigentibus modo febri majore aut inflammationibus frigidulae, ab omni haeterogeneo v. gr. effluviis aromaticis, spirituosis, acidis, vaporibus prunarum, fumo, pulveribus etc. purus; a sermocinatione, risu, cantu etc., ab omni generatim organorum respirationi, et voci dicatorum intensione abstinentia summa; quies et regimen universim exacte antiphlogisticum. Diversae caeterum causae pro earum indole, sub continua in sedem, naturam ac magnitudinem morbi illis producti, attentione tractentur oportet. Sic sudores v. gr. chronici pedum, manuum, axillarum, etc. suppressi emollientibus et, si inflammationes nominatae in germine adhuc sunt et febris expertes, irritantibus fomentis, cataplasmatibus, balneis topicis, inunctionibus, sinapismis, vesicantibus revocentur.

§. 567. Deinde in morbos expositos ipsos, pro eorum gradu et stadio, nec non aegri constitutione, initio methodus antiphlogistica simul emolliens, relaxans, pacans adhibenda est. Quae dum *mitior* convenit, in potulentis blandis, demulcentibus, mucilaginosis, et, siti solum magnopere urgente, aceto, oximelle, succo citri, cremore tartari, acido tartrico modicissime acidulis redditis, qualia sunt infusa herbae alth., flor. verbasci, malvae, decocta rad. alth., salep, hordei, furfurum, cremor hor-

dei, orizae etc., affatim et tepide sumendis, in linctu blando v. gr. ex syr. simpl. aut alth. cum ol. amygdal., mucilagine gumm. arab. subacto etc., in pulveribus gummosis, mixturis similibus aut gummoso-oleosis, enematibus alvum ducentibus, fomentis, cataplasmatibus, et si opus, vaporibus, pediluviis, manuluviis, unguentis emollientibus, pacantibus administrandis consistit. Ubi autem *fortior* indicatur, per nitrum infusis, decoctis, mixturis, nunc nominatis additum, per enemata eccoprotica, et sanguinis depletiones expeditur. Quae ultimae in catarrhalis febris inflammatoriae et inflammationum mere catarrhalium cura non sine circumspectione et cautela instituendae sunt ac iterandae, quum sanguinis profusio non necessaria vel debito largior exitus inflammationum infaustos, aut febris longiorem durationem, crisim segnem, mancam, vel characterem nervosum hic alioquin facile accedentem, inferre valeat.

§. 568. Febris *crisi*, et irritationis topicae vel inflammationum catarrhalium aut phlegmonosarum *solutione* instante, a methodo antiphlogistica generosiore, siquidem hucusque necessaria erat, recedere et mere emollientem amplecti oportet, quae crisi et solutione praesente diapnoica simul fit et expectorans, et in casibus communibus sola crisi faustae et perfectae resolutioni sufficit assidue continuata. Cedunt in hunc scopum infusa, decocta emollientia superius designata sola vel et infuso flor. sambuci, roob samb., aut liquor. Mindereri nupta.

Ubi debilitas vera accessoria, status adynamicus universalis, approximatio aut initium characteris febris nervosi remedia incitantia cum diaphoreticis simul exigunt, mucilaginosa mox nominata cum infuso flor. chamom., herb. melissae, aut rad. valerian., aut herbarum vel radicum aliarum aromaticarum, vel cum camphora, moscho, praeparatis antimonii, sale volat. corn. cerv., liquore corn. cerv., scilla marina, gummires. ammoniacc, floribus benzoës, combinanda sunt.

Judicata febri superstites irritabilitas organorum respiratoriorum morbose exaltata, magna ad levissimam quamlibet aëris ac temperaturae mutationem etc. sensilitas, atque inde pendens molesta in larynge aut trachea aut bronchis titillatio, tussis vexans, per prudens dictorum emollientium et diapnoicorum cum narcoticis, speciatim opio, pulvere *Doweri*, connubium quam optime domantur, tolluntur. Nunc vinum, potus spirituosi et stimulantes in genere, cibi aromatibus conditi, ventriculi oppletiones, exaestuationes, in garriendo, ridendo, cantando etc. intensiones, sic et refrigerationes maxime nocent, morbum in hoc stadio ultra protrahendo, recidivas in stadium inflammatorium plus minusve notabiles (saepe contemtas) et exitus infaustos causando.

§. 569. Indicationibus in *convalescentiae cura* implendis, generatim notissimis, utplurimum sufficit, sedulo evitare noxas et mox et supra (§. 564) recensitas, victu parco uti, blando, digestu facili, regimine moderate calido, aequabili, moram et motum in aëre libero, dum serenus est, mollis et absque ventis, cum cautela tentare, successive protrahere, balnea, si possibile, adhibere. Insignis modo debilitas, et restauratio justo lentius procedens necessarium tonicorum, imprimis amaricantium: lichenis islandici, polygalae vulgaris, summitatum centaur. minor. etc. usum indicant.

Cynanche membranacea.

§. 570. *Cynanche* s. *angina*, ob proprium morbi productum *membranacea* seu *polyposa* (häutige oder polypöse Bräune), ob peculiarem sub tussi sonum *stridula* (pfeifende Bräune, Hühnerweh), Anglis *the Croup*, vocata, eam sistit *laryngitidis solius aut tracheitidi junctae, jam catarrhalis jam phlegmonosae, varietatem*, quae solam fere infantilem aetatem ad decimum, duodecimum circiter annum usque infestat, acutissime decurrit, et

tantum in secretiones lymphae coagulabilis nisum secumfert, ut quandoque primis jam diebus in interna laryngis et tracheae facie coagula lymphatica variae figurae ac magnitudinis formentur, specificum vocis alienatae et tussis sonum, anxietatem summam, imo suffocationis periculum sub tussi efficientia.

Untersuchungen üb. d. Natur, Ursache u. Heilung des Croup von *Fr. Home*. Edinb. 1765. A. d. Engl. von *F. D. Mohr*. M. Vorr. u. Anmerk. v. *I. A. Albers*. Brem. 1809. 8.

Chr. Fr. Michaëlis, de angina polyposa s. membranacea. Goetting. 1778. 8.

Lentin, Beyträge z. ausüb. Arzneyw. B. I u. III.

Autenrieth, Versuche f. d. pract. Heilkunde. B. I. H. I. u. II. Tübing. 1807—1808.

Wilh. Sachse, das Wissenswürdigste üb. d. häut. Bräune. B. I. Lüb. 1810. B. II. Hannov. 1812. 8.

A. Goelis, tractat. de rite cognoscenda et sananda angina membranacea. Vienn. 1810. 8.

Von der häutigen Bräune. Bericht an Se. Excell. d. Reichsgrafen, Minister des Innern, üb. die eingesandten *Preisschriften* etc. A. d. Franz. Wien 1813. 8.

Formey, krit. Bemerkungen üb. die in Paris gekrönten Preisschriften u. s. w. In *Horn's* Archiv. 1812. Novemb. u. Decemb.

Sprengel, *Conradi*, *Richter*, *v. Hildenbrand*, *Jos. Frank* opp. cit.

Abhandlung üb. den *Croup*, v. Dr. Royer-Collard, Inspector der Univers. zu Paris u. s. w. A. d. Fr. v. *Dr. N. Meyer*. M. Vorr. u. Anm. v. *Dr. I. A. Albers*. Hannov. 1814. 8.

Jurine, Preisschrift üb. d. Croup. A. d. Franz. v. *Heineken*. Leipz. 1816.

I. A. Albers, de tracheitide infantum, vulgo Croup vocata, commentatio etc. Lips. 1816.

§. 571. Anginam dictam membranaceam morbum non esse novum, ex *Ballonii*, *Bonneti*, *Tulpii* scriptis evincitur. *Baillou* epidemiam ejus descripsit, *Parisiis* anno 1570. grassatam. Ab anno 1746. ad 1749. in variis Europae ditionibus epidemica observata est, et talis Cremonae

a *M. Ghisi* delineata. *Rosenstein* quoque illam novit, ast *Fr. Home* primus monographiam illius sub nomine *Croup* supra adductam anno 1765. edidit. Aevo nostro monographiae et tractatus de illa numerosissimi in lucem prodierunt, statuto praecipue per Galliae Imperatorem a. 1806. praemio proliciti.

§. 572. Morbus, multoties a me et in prolibus quoque meis observatus, quandoque subito irruit, consuetim tamen symptomatibus catarrhalibus supervenit per unum aut aliquot dies praegressis: coryzae, raucedini, tussi, imo febriculae vesperi manifestae; sub quavis tussi parvuli fundendo lacrymas, majores infantes quandoque aliqualem jam in larynge et superiore tracheae parte dolorem accusando malum futurum augurari quodammodo faciunt. Quae tussis dolorifica et subrauca, dum insigni jungitur raucedini, suspicionem adauget. Tristitia aliqua, lassitudo, segnities, catarrhis in genere communes, si solitos lusus et occupationes prosequuntur infantes, attentionem non figunt. Nunc vero *tussis* initio per majora recurrens intervalla et sicca proprium edit sonum raucum plerumque altum, raro demissum, quasi latrans evadit, latratum caniculi aemulans, et dolorem in organis adfectis excitat; simul *vox* specifice alteratur, rauca nimirum fit, acuta, stridula, strepenti pullorum gallorum cantantium sono non absimilis, vel acute sonora, quasi per fistulam metallicam efflata; *inspiratio* difficilis sibilosa, fistulans, et strepens evadit; anxii jactantur aegroti; facies eorum tumidula fit, rubens aut caerulescens imo livescens; oculi lacrymis suffusi splendidi protruduntur, turgent venae frontales et jugulares, cor fortiter pulsat, arteriarum pulsus frequens, durus, saepius contractus atque suppressus, quam liber est et plenus. Oris cavum et fauces inspectae aut morbosi nihil, aut tonsillas nonnunquam leviter tumidas, rubras et muco obductas offerunt, de respirio difficili nequaquam inculpandas. Crescente morbo, sive sero sive inepte sive insufficienter

impugnato, dyspnoea, inquietudo, anxietas quavis hora conspicue augentur, et diutius perseverant; dolor hucdum obtusus et tussiendo solum, sermocinando, flendo excitandus nunc major vexat; pressione ad laryngem, contrectatione tracheae, et capitis retroversione intenditur. Ad laryngem et tracheae decursum quandoque externus tumor nunc animadvertitur exiguus. Tussi breviora post intervalla revertenti, et validiori adsociatur saepe vomitus, quo non contenta solum cum pituita et bile e ventriculo, sed fluida etiam serosa, mucosa spumantia, serius autem flocci et massae membranaceae e viis respiratoriis extricantur, cum levamine manifesto consuetim autem transitorio. Massae membranaceae vel fasciolas angustas aut latas sistunt, vel frusta difformia aut globosa, vel coagula polyposa aut canaliculata, formam canalis tracheae ac bronchorum referentia, quae mollia sunt, medullosa, vel tenacia, splendentia, alba aut rubella, punctulis aut striis sanguineis, aut vasculis imo sanguiferis notata, quandoque grisea, aut brunea, aut nigro-viridicantia. Casu infausto febris major fit, obscure remittens, pulsus frequentior, successive in aegris parvulis plerisque debilis, mollis, ictibus fere non numerandis, et intermittens; — quibus sicut symptomatum caeterorum syndrome initium verae debilitatis designatur, qua nervosus quoque character saepe inducitur. Spasmi inflammationis organorum adeo irritabilium ac tenerorum, et convulsiones febris inflammatoriae comites in infantibus tenellis jam initio consuetim adjuncti, in aliis nunc accedunt. Aegri vel in soporem incidunt, ex quo nonnisi per invasiones tussis minus intensae et apparenter resolutoriae excitantur, vel summe anxii sese jactitant vario quaerentes situ levamen, nonnisi capite multum reclinato quandoque obtinendum, manibus pedibusque fixis profunde spirare conantur, manum vel laryngi admovent sub qualibet inspiratione protrudendae et sursum attrahendae, vel ori, ex quo non-

nunquam adeo violenter, ut sanguinem fundat, linguam protrahunt, mordent digitos, capillos evellunt, amplectuntur adstantes, gemebundi et anxii clamitant, donec plurimum saepe exhausti in lectulum relabantur. Sub quovis tandem respirandi conamine musculi abdominis, cartilaginosi costarum inferiorum fines una cum inferiore sterni parte et cartilagine xyphoidea introrsum trahuntur, multum diducuntur os et narium orificia, vox fere extinguitur, excipit inspirationem parvam, brevem, sibilosam exspiratio gemebunda, tandem respiratio stertorosa evadit; facies pallida inflata sudore frigido ac viscido perfunditur; labia caerulescunt, livent; figuntur oculi, saepe rotantur; arteriae capitis fortiter pulsant, tremit cor, venae jugulares, palpebrarum et oculi conjunctivae turgescunt, donec suffocatio consuetim, vel apoplexia sub convulsionibus, reversa plerumque, per momenta licet, plena conscientia, miserandam claudat scenam.

§. 573. Angina membranacea communiter acutissime ac vehementer, nonnisi in adultis ac individuis generatim laxis, phlegmaticis lentius ac mitius decurrit. Hinc primi generis in casibus jam secundo ab introitu signorum characteristicorum die in mortem terminari potest. Infertur haec partim tracheae et bronchorum per lympham coagulabilem et coagulatam obpletione, obturatione, vel rimae glottidis coarctatione vel spastica contractione; partim spasmis et convulsionibus; partim debilitate per febris vehementiam, per intensiones ad respirandum et respirationem inhibitam producta; partim vasis sinubusque cerebri ac pulmonum oppletis. Sed et secundario ex praeviis laryngis et tracheae suppuratione, angustatione, induratione, pulmonum inflammatione, ulceratione etc. proficisci potest. — Casibus vero faustis intra diem quintum et septimum, et quidem febris sub cognitis excretionibus longe facilius, celerius ac perfectius, quam laryngis et tracheae adfectio judicari solet; cujus resolu-

tio sub coagulorum membranosorum, quorum supra memini, per os et hinc inde per alvum ejectione, nec non humorum tenacium, pituitosorum, puriformium expectoratione, sub peculiaris in voce soni cessatione, atque tussis sensim rarioris et mitioris continuo decremento contingit. Coagulorum ac humorum illorum evacuatio rariore casu in septimanas aliquot protrahitur. Alias symptomatum singula: tussis, magna laryngis et tracheae sensilitas cum pronitate in spasmos, raucedo, vocis debilitas, imo aphonia breviore longioreve remanent tempore. Pseudomembranae recentis cum trachea concretio dispnoeam perpetuam, respirationemque sibilosam efficit insanabilem.

§. 574. Cynanche membranacea nonnunquam morbo nervoso rarissimo, *asthmati acuto*, *spasmodico*, *acuto Millari* dicto, analoga apparet. Haec vero similitudo in cynanches membranaceae initio, ante febrim et morbosam coagulandae lymphae secretionem quandoque obtinet, et manifesta solum, si phaenomena cynanches inflammatoria admodum exigua spasticis, e contra, et periodica speciatim dyspnoea spastica praedominante, obfuscantur; quemadmodum in epidemiis observata sunt. Ex hac ratione et quia morborum alter in alterum transire potest, *Autenrieth*, *Hecker*, *Jurine*, *Albers* aliique omne inter utrumque discrimen, et asthma *Millari* qua separatam morborum speciem negant. Recentissime tamen *F. Bock* (*Rust's* Magaz. f. d. ges. H. Bd. 23. H. 3.) et *Muhrbeck* (*Hufel.* Journ. 1829. Mai.) observatos hujus mali casus communicarunt; et revera hunc inter et anginam membranaceam discrimen intercedit adeo essentiale, ut eo praetermisso et non tempestive cognito therapia instituatur perversa, damnosa. Cynanche membranacea, ut ex hucusque expositis patet, inflammatio est, asthma autem *Millari* nevrosis, quae absque symptomatibus catarrhalibus, anginae illi praecedentibus, repente intrat, febris expers, accessus facit periodicos, inter-

vallis raucedine immunibus, spastica vero symptomata nonnunquam offerentibus. Accessus tussi nulla aut brevi, sicca, sono duro, rauco juncta, nullis ad laryngem et tracheam doloribus, verum tamen constrictionis in toto pectore sensu, nullo externo ad laryngem tumore, nec urinis saturate flavis aut flavo-rubris, flammeis, sed pallidis potius et aquosis stipantur. Morbus natu minores, teneros, debiles, sensibiles infantes prae vigorosis et plethoricis eligit, non nisi sporadice occurrens.

§. 575. *Dispositio* in catarrhos in genere (§. 564) etiam anginae membranaceae in infantibus favet, qui ad septimum, nonum usque aetatis annum, raro serius, adulti rarissime illi obnoxii observantur. Eminens autem in aetate infantili dispositio dicta non in majore organorum memoratorum teneritudine, irritabilitate, sensibilitate solis, sed in organismi infantilis sanguine etiam, largiorem gelatinae et lymphae copiam gerente, nec non in praevalente nisu formativo simul essentiales agnoscere fontes videtur. Testantur observata, infantes vivaces, vigorosos et plethoricos prae debilibus ac lentis angina membranacea infestari. — *Causa occasionalis* frequentissima, uti catarrhorum, refrigeratio est, per rudem imprimis boream vel austrum tempore autumnali, hiemali et vernali, sicut per tempestatem humido-frigidam et ventosam inducta; unde morbus in regionibus udis, paludosis, ad fluminum ripas, lacuum mariumque littora frequentior observatur. Sed et aliis noxiis v. g. vaporibus calcis murorum recenter dealbatorum originem debuisse suam visus est. Praeterea nonnunquam cum vel mox a morbillis, variolis, aliisve exanthematibus acutis, cum vel ab inflammationibus tonsillarum et veli palatini, pharyngis, pulmonum oritur. Anginam membranaceam contagio propagari, certo non est evictum.

§. 576. Pleraque circa *prognosim* catarrhi et inflammationum catarrhalium exposita (§. 565) huc referri possunt. Cynanche membranacea plena periculo; ultra

medium enim adfectorum numerum e vivis hucusque sustulit.

Repentina absque prodromis catarrhalibus invasio morbi, febris vehemens, decursus celerrimus cum remissionibus vix animadvertendis, eminens statim ab introitu sub loquela et tussi alienatio soni, respirium et citra tussis accessus molestum, horumque accessuum repetitio frequens cum anxietate ingente et symptomatibus suffocativis, urgens patefaciunt periculum.

Infantes natu minores in majore versari periculo solent, quoniam status inflammatorius cito in illis absque resolutione decurrit, vires facile exhauriuntur, febris inde nervosum induit characterem, tussis vehementibus organorum respiratoriorum spasmis suffocationem minitantibus sociatur, aliaeve organismi partes spasmis et convulsionibus corripiuntur exhaurientibus.

Pueri prae puellis robusti, vividi, plethorici prae imbecilibus ac teneris cynanche membranacea frequentius et vehementius, graviore igitur cum vitae discrimine plectuntur.

Cynanche membranacea vere a vento frigido nata, intensius inflammatoria plus periculi, quam autumni soboles, secumferre consuevit.

Malo prima et secunda die praeterviso, neglecto, et non congrue solum tractato ulterior sero medicina paratur; haec saltem crisi tardae, difficili, imperfectae, aut metastasibus, reconvalescentiae protractae, aut malis posthumis avertendis plerumque jam impar erit.

Tussis valde frequens, spasmis et convulsionibus juncta, loquendo, bibendo, lacrymando aliisve ansis externis facile provocanda; membranae ejectae crassae, solidae, tubiformes, manifeste organisatae; facies turgida, rubra; inquietudo, anxietas, aut propensio in soporem magna; pulsus arteriarum valde frequentes, molles, parvi, irregulares, intermittentes pessimi sunt ominis. — Circumstantiae oppositae cum therapia apta et

tempestiva faustum promittunt eventum. Optimum tunc signum strepitus sub respirio non difficili, solutionem lymphae et coagulorum designans, et deglutitio omnem tussim concomitans sistunt, si sufficiens sequitur expectoratio.

In casibus adversis remissiones facile decipiunt, tanto validioribus enim exacerbationibus excipiuntur.

Quod reliquum in prognosi est, ex nosographia superius (§. 572) facta facili depromitur negotio.

§. 577. In anginae membranaceae *therapia* citra causam excitantem, siquidem adhuc ageret, auferendam plurimi certe interest, vehementiam mali frangere quam citissime, ne ad inflammationis phlegmonosae gradum, adeoque ad lymphae coagulabilis (per continuum aëris contactum facillime cogendae) secretionem adscendat; ad hanc usque enim progressa ardue admodum domatur, et nec calomel ab *Autenrieth* aliisque decantatum, nec pol. Senegae radix, nec sulph. aur. antimonii, nec emetica, nec hepar sulphuris alcalinum, zincum sulphuricum etc. infallibilia censenda sunt remedia. Hinc in catarrhalibus infantum morbis attentio maxima in vocis ac tussis sonum, et in laryngis sub tussi ac pressione modica dolorem eo certius convertenda est, quo magis constat, statum laryngis et tracheae phlogisticum aeque inexpectato ingruere nonnunquam, ac celerrime decurrere. Primis itaque pathognomonicis signis observatis ratio medendi antiphlogistica, emolliens et derivans confestim instituenda est. Illico nempe potus et pharmaca emollientia tepida omni quinto, septimo temporis minuto primo propinanda, cataplasmata emollientia, hinc inde vapores quoque ex spongia aqua vel infuso theato cum lacte calido imbuta leniter inspirandi, et enemata evacuantia adplicanda sunt. Phlogoseos ac febris intensitate atque celeri incremento, conditione infantis aegri etc. exigentibus sanguinis depletio vel per phlebotomiam, vel per hirudines facienda est. In infantibus tenerae infra

annum cum dimidio aetatis, sicut inflammatione primum incipiente et modica, febrique exigua aequam ad symptomata topica rationem non tenente convenit et sufficit, sine phlebotomia hirudines duas, quatuor, plures pone laryngem et tracheam, vel pro evitandis inquietudinis, renitentiae ac ejulatus, refrigerii, et deligationis incommodae damnis ad brachium alterutrum adplicare, et sanguinis stillicidium pro necessitate sustinere. Infantes natu majores quam admittunt, inflammatio febrisque intensiores ac progressae exposcunt, venaesectio in brachio ad duas, tres, quatuor uncias praemittenda. Topica sanguinis subtractio efficacissimum hic remedium raro potest evitari, saepe potius iterari debet. Methodo ista tempestive statuta, remediis nominatis una cum regimine diaetetico concordante diligentissime adhibitis, et exactissime continuatis malum formidandum infringere, et sine calomele etc., tractamine mere emolliente, diluente diapnoico, et eccoprotico ulterius administrato ad decrementum atque crisim perducere resolutoriam completam, plerisque in casibus felicissime contingit. Memoratarum conditionum defectu ad antiphlogistica interna quoque, solventia et eccoprotica, confugiendum, post et inter sanguinis evacuationes porrigenda; qualia sunt: hydromel infantum, infus. laxat. D. V., electuar. lenitivum, sic et calomel. Hocce penes emollientia ante memorata infantibus in tertium usque aetatis annum dosibus grani dimidii, majoribus duarum tertiarum grani partium, grani integri cum saccharo, omni hora solet exhiberi, atque ita continuari, donec plures alvi dejectiones pultaceae, mucoso-faeculentae, viridescentes aut brunescentes sequantur, quibuscum notabile quandoque phlogoseos decrementum intrat, ejusque per sputa pluries memorata incipit solutio. Balnea simul manuum pedumve emollientia, ubi refrigerationi locus non datur, in usum vocantur. — Hepar sulphuris alcalinum recentissime a *Double*, *Wesener*, *Senff* (med. chirur. Zeitung

1812, 1815 et 1817) et Prof. *Bischoff* (libr. cit. pag. 513 et 514) celebratum saporis et odoris ingrati nauseosi causa ab infantibus, utut syrupo mixtum, communiter recusatur; caeterum stadio solum inchoantis transsudationis quadrare, atque levioribus modo cynanches membranaceae in casibus posse exspectationem adimplere videtur.

§. 578. Contingente lymphae coagulabilis secretione respiratio saepe per lymphae coactae massas, lacinias membranosas, aut frusta tubiformia summopere inhibetur, atque sic infantis vita periculo exponitur. Ut nunc cohibeatur secretio ipsa, ut, quod secretum jam adest et coagulatum quodque secerni pergit, antequam coagulum subeat, eliminetur, ingenio practico opus est acutissimo, quo et inflammationis aut irritationis solum in larynge et trachea superstitis gradus, et febris indoles, status virium universalis, nec non spasmorum communissime ingruentium vera significatio rite aestimentur. Pro indicationibus mox adlatis apte implendis magni momenti est notare, infantes tenellos et antehac nec validos nec plethoricos hoc in stadio plus minusve debilitatos consuetim esse, et majores solum, vigorosos, plethoricos ac vivaces, nisi primo (inflammationis) stadio methodo antiphlogistica nimium generosa fuerint tractati, satis adhuc vigere, imo quandoque saltem hujus stadii (secretionis, transsudationis) initio reactionem adhuc offerre debito fortiorem.

Remedia hoc in stadio, quatenus sanguinis evacuationes non amplius requisitae forent, plerisque casibus congrua sunt epispastica, vesicantia nempe vel sinapismi laryngis et tracheae regioni, aut nuchae, aut pectori, dorso intra scapulas, brachiis, aut suris adplicandi. Ubi autem conditione individui vigente viribusque laudabilibus, aliqua adhuc inflammationis febrisque symptomata, aliqualis speciatim dolor in larynge, tussis frequens, hinc inde vehemens, fere sicca, secretio morbosa se-

gnis, copia secreti parca tenacis, spissi, calor et sitis majores, pulsus frequens sat fortis, respiratio citata et difficilis animadvertuntur: sine mora per methodum antiphlogisticam et emollientem, diluentem debent prius auferri. Postmodum pharmaca mere emollientia et diluentia, diapnoicis et bechicis nupta indicantur: vapores, pediluvia, semicupia emollientia, infusa theata ex althaea, verbasci, sambuci floribus; calomel cum sulph. aurat. antimon. aut kermet. mineral. aut ipecacuanh.; rad. polygal. Seneg., squilla, et probabiliter hepar sulph. alcalinum. Cum iisdem, si frequens ad tussim irritatio urget, ipsaque potissimum est spasmodica, pacantia et antispasmodica, uti extr. hyoscyami, laudanum, — si vera supervenit debilitas, excitantia uti camphora, moschus, assa foetida (forma enematum), vel utriusque generis remedia combinata in usum trahuntur v. gr. calomel cum extr. hyoscyami, c. camphora vel moscho; sulph. aur. antim. c. extr. hyoscyami et camphora etc.; liq. corn. cerv., aut sal volat. corn. cerv. cum camph. aut moscho; lotiones ac balnea aromatica.

Ubi vero peculiaris sub tussi strepitus lympham et coagula soluta designat, ubi ob expectorationem eorum nullam aut insufficientem stertor increscit, et suffocationis imminet periculum: emetico opus est. Sic et sternutatoria pro crassamentis illis expellendis commendari merentur. Lympha tamen cito nimis, et in moles majores, vel in tubulum membranae internae laryngis et tracheae adglutinatum coacta omne eheu! artis conamen eludit; aeger vel morti succumbit suffocativae, vel dyspnoeam posthumam patitur cum respirio sibiloso et raucedine (jam §. 573 memoratam), prorsus immedicabilem.

Tracheo- recte *laryngotomia*, urgente suffocationis periculo commendata, prodesse modo potest, ubi a frustis coagulatis aut membranis laryngi laxe inhaerentibus hoc unice pendet periculum. Id quod rarum; coagula enim membranacea in tracheam imo nonnunquam in

bronchos et eorum ramificationes usque pertingere, istae materie lymphatica impleri, pulmones vel jam nunc plurimum debilitati, fere paralytici, humoribus obpleti, vel simul inflammati esse, et ad respirium angustissimum haud raro spasmi gravissimam conferre symbolam consueverunt. Operatio praeterea in infantibus non solum ob laryngis parvitatem et perpetuum sub in- et exspiratione difficillima motum perardue instituitur, sed intendendo etiam irritationem et phlogosin revocando non obesse nequit. Tandem peracta laryngotomia pergit morbosa muci saltem secretio, qui, aegro tussire et expectorare nunc vix valente, tanta in viis respiratoriis accumulatur mole, ut suffocet.

§. 579. Durante convalescentia ex cynanche membranacea debilitatem universalem aeque ac topicam sensibilitatem nimiam et irritabilitatem, quae supersunt, tam victu et pharmacis adcommodatis demulcentibus et tonicis, quam aëre puro, sereno ast blando et tepido, atque regimine concordante auferre, simul causas mali occasionales supra recensitas, refrigerationem in specie, solertissime fugiendo recidivam praevertere, necesse est.

Inflammationes catarrhales organorum deglutitionis.

§. 580. *Inflammationes* huc referendae, quondam titulo nimis vago „*anginae* seu *cynanche*, ab αγχω, συναγχω, stringo, constringo, germ. Bräune“ simul cum laryngis, tracheae, imo parotidum inflammationibus pertractatae, sunt: *1. faucium*, *2. pharyngis*, et *3. aesophagi*. Quae utut separatae morborum species, ob communes tamen nonnullos characteres essentiales, alios analogos, et frequentem singularum consociationem non inepte sub una considerantur inscriptione.

Van Swieten, commentar. etc. T. II. p. 618—700. *Burserius*, *P. Frank*, *S. Vogel*, *Sprengel*, *Reil*, *Quarin*, *Richter*, *ab Hildenbrand*, *Bischoff* opp. cit.

W. Rowley, Abhandl. üb. d. bösart. Halsentzündung od. faulende Bräune, nebst ihrer verbesserten Heilart. A. d. Engl. v. *Chr. Fr. Michaelis*. Breslau 1789.

§. 581. *1) Inflammatio faucium* (*angina* s. *cynanche faucium*, Rachenentzündung) singula concernit vel omnia organa in isthmo faucium sita, unde *isthmitis* nonnullis dicta, speciatim tonsillas (ang. s. cyn. *tonsillaris*), velum palatinum cum arcadibus (ang. s. cyn. *palatina*), uvulam (ang. s. cyn. *uvularis*), mucipararam faucium membranam ad musculos usque pharyngeos. Tonsillaris angina non raro linguae radicis phlogosin sociatam exhibet, saepe tubae Eustachianae et narium choannis communicatur.

§. 582. Notanda praevie distinctio est pro sede et intensitate in cynanchen faucium *superficialem* seu *catarrhalem*, seu catarrhum faucium inflammatorium, et in *parenchymatosam* seu *phlegmonosam*, cynanchen faucium simpliciter, vel inflammatoriam, phlegmonoden vocatam. Ex symptomatibus et effectibus, et, si linguae radice deorsum pressa fauces inspiciuntur, sede eorum et extensione facile cognoscuntur ambae, et sequentibus distinguuntur signis: *Catarrhalis* rubore tumoris dilutiore, pallidiore insignitur, dolore non intenso, sub deglutitione solum magis molesto, non continente sed luculenter remittente, titillante ad screatum muci ibidem secreti initio parcioris postea largi et tenacis irritante; concomitantibus consuetim alibi symptomatibus catarrhosis et, morbo majore, febri quoque luculenter remittente et exacerbante. *Phlegmonosa* calore organorum intenso, rubore saturato, tumore magno, dolore per omnem motum, praecipue deglutitionem multum exasperando, siccitate vel, ulteriore sub decursu, muco tenace, glutinoso, puriformi partes tegente, nec non synochae varii gradus symptomatibus stipatur.

§. 583. Frequentissima cynanche *tonsillaris* est,

jam alterutram jam utramque tonsillam tenens, catarrhalis aut phlegmonosa; nunc simplex, nunc cum adjacentium organorum inflammatione composita. Praeter phaenomena nunc inter characteres distinctivos exposita eam, imprimis phlegmonosam graviorem, significant: *deglutitio* praecipue fluidorum *difficilis*, partium inflammatarum dolorem augens, quandoque adeo inhibita, ut ingesta potulenta, pharmaca, quin in pharyngem et aesophagum perveniant, per os et nares regurgitentur; *vox* specifice *alterata*, saepe rauca, eminenter *nasalis; respiratio* pro tumoris magnitudine et intensitate febris plus minusve molesta; *salivae mucique* tenacis *secretio larga*, partim ore constanter effluentium, partim aegros ad screatum et sputationem vel et deglutitionem continuam cogentium, sub gravi dolorum augmento magnaque dyspnoea, anxietate et suffocationis metu tussim, nauseam, vomituritiones provocantium; *faciei turgor*, rubor aut livescentia, cum oculorum splendore et protuberantia, et carotidum pulsatione forti; *dolores* postea vel obnubilatio magna *capitis*, sopor, deliria, *tumor* quandoque *colli* externus notabilis. — *Inflammatam* insimul *tubam Eustachii* aurium tinnitus aut susurrus, quandoque praecipue sub deglutiendo dolor punctorius et strepitus, baryecoia notant.

§. 584. *2) Inflammatio pharyngis (pharyngitis, ang.* s. *cyn. pharyngea*, Schlundentzündung), quemadmodum illa faucium, jam catarrhalis jam phlegmonosa, saepe comes illius est vel pedissequa. Quousque fauces inspicere licet, visu cognoscitur, porro symptomatibus et effectibus profundius sitis, et musculos imprimis pharyngeos spectantibus. Deglutitio videlicet majore cum dolore ac difficultate, quam in cynanche faucium, perficitur, quandoque prorsus praepeditur, quo in casu ingesta praesertim fluida ad pharyngem usque perducta sub tussi vehemente et angente utplurimum per os et nares repelluntur.

§. 585. *3) Inflammatio aesophagi (aesophagitis,* Entzündung der Speiseröhre) prioris (2) socia vel sola occurrens, phlegmonosa consuetim, non visu cognoscitur, sed dolore urente aliquam, inflammatam nempe, aesophagi partem et correspondentem spinae dorsalis regionem nunc superiorem nunc inferiorem tenente, continuo et fixo, sub deglutitione, servato imprimis situ dorsali, adpellentibus ad locum inflammatum ingestis, plurimum augendo, istorum vel maximis sub cruciatibus deorsum transpressione, vel spasmo excitato et summo doloris augmento incarceratione, impactorum retentione, vel per oris nariumque cava rejectione; siti communiter clamosa, febri haud semper aeque valida.

§. 586. Inflammationes (1—3) descriptae, si catarrhales, *decursum* amant continuum aperte remittentem, *durationem* dierum quinque, septem ad quatuordecim, phlogosibus plerisque generatim competentem. Interea ad hoc usque temporis punctum sub solitis phaenomenis criticis, sudoribus praecipue et urinis, saepius et epistaxi, catarrhales larga quoque muci cocti ejectione, plerumque faustam subeunt *resolutionem.*

Alias vero, tonsillares praeprimis anginae, in *suppurationem* abeunt, phlogoses iteratas facilius insequentem. Quae modo se habet sequente: Inflammationibus tonsillarum levibus exigui formantur abscessuli, saepe nec animadversi, quorum sponte ruptorum pus largo remixtum muco exspuitur; gravioribus autem phlogosibus unus fit abscessus amplior, qui cito plerumque maturatus rumpitur, pus suum, si sub somno in laryngem et tracheam, in infantibus non sine periculo imo eventu lethali possibili, effundens. Rarior a pharyngitide est suppuratio. Cognoscitur ex resolutionis phaenomenorum defectu, introitu solitorum suppurationis symptomatum generalium, dysphagia, nonnunquam et respirationis difficultatibus, regurgitatione ingestorum, frequentiore puris evacuatione, abscessu quandoque visui patente. Sup-

puratione in ulcerationem conversa, febris adjungitur depascens, et favente musculorum tenuitate caries vertebrarum cervicalium potest produci. Huic inferendae imprimis pharyngitis syphilitica et scrophulosa, imo catarrhalis quoque pares observantur. — *Induratio*, nisi a scrophulis, inepto ac intempestivo gargarismatum adstringentium usu, adverso regimine etc. invitata, rarum sistit exitum. Tonsillarum simul tumidarum induratio majorem minoremve dysphagiam, vocem insonoram facit, et in duras quandoque degenerat excrescentias. Indurationes in pharynge alicubi, aut aesophago ortae, deglutionis difficultates, tandem impossibilitatem causant; aegri nimirum sub deglutiendo dolores aliquo pharyngis vel aesophagi loco experiuntur vehementes, ingestos inde regurgitant cibos, quare nutrimenti denegatione laborant, pedetentim marcescunt, tandem terribili succumbunt morti famelicae. Tonsillarum solum induratio casu rariore in cancrum degenerat; in aesophagi parietibus callositates potius, chondrogeniae, ossificationes, rarissime concretiones completae inventae sunt. — *Gangraena* pariter ad rariores inflammationum hic consideratarum exitus spectat. Vigentibus vitae viribus ad exiguam circumscripta plagam haud semper lethalis est. Alias vero mors per hanc, vel (utut hodiedum jam rarissime) per suffocationem, febris comitantis vehementiam et malam indolem, nec non per morbos posthumos antea recensitos inducitur.

§. 587. Faucium et pharyngis inflammationibus infantes maxime et junioris aetatis homines, teneri ac sensibiles, erga vicissitudines tempestatis non durati, sic et individua scrophulosa, tandem inflammationes dictas jam passa *obnoxia* cernuntur. Quibus in subjectis cynanche facilius gangraenosa evadat, ex iis, quae circa conditiones singulis phlogosium terminationibus generatim faventes (§. 258.) prolata fuere, commode aestimatur. — Ad causas *occasionales*, citra inflammationum

communes, referendae sunt: a) refrigerium calente imprimis corpore, collo denudato et sudanti admissum, celeriter ingrediendo et equitando contra ventum ore hiante, multum elata voce diu loquendo, declamando etc. contractum; refrigeratio a potu frigido, glacie condita calente corpore ingesta; a pediluviis frigidis, tali pedum humectatione, praepostera vestimentorum depositione post exaestuationem; vicissitudo temperaturae atmosphaerae magna et frequens, tempori vernali et autumnali utplurimum conveniens; aër admodum calens et siccus cum protracta potulentorum penuria; constitutio atmosphaerae singularis non satis cognita, non rara anginarum malignarum, putridarum, gangraenosarum scaturigo; b) venena aliaque mechanice vel chemice acria, immediate fortiter irritantia, corrodentia, aut urentia, uti: festucae osseae, spinae piscium; acus, acida mineralia, cibi potusve fervidi etc.; vomitus intensus speciatim materierum acrium; declamatio, vociferatio, cantatio intensa, protracta; laesio colli externa; ossis hyoidei luxatio; caries vertebrarum jugularium; cura mercurialis etc. etc. Tandem angina faucium essentiale scarlatinae ac rubeolarum, frequens morbillorum, variolarum, aphtharum, syphilidis, scrophularum *symptoma* est.

§. 588. Ex quibus patet, inflammationes organorum deglutitionis iisdem ac viarum respiratoriarum (§. 561.) differentiis gaudere; *acutas* scilicet et *chronicas* occurrere; *substantivas* et *symptomaticas; epidemicas, endemicas* et *sporadicas; puras* et *complicatas; catarrhales veras* et *apparentes*, potius *specificas*, quibus v. gr. variolosae, scrophulosae, syphiliticae adnumerandae.

§. 589. *Prognosis* prudenti momentorum notorum, inflammationis sedem, magnitudinem, indolem, modificationem, stadium, febrisque characterem et gradum maxime concernentium, adplicationi adquiescit.

Tonsillarum, praesertim alterutrius inflammatio regimine congruo etiam absque artis auxilio multoties feli-

citer sanatur, dummodo nulla naturae medicanti ponantur impedimenta. — Tonsillae utriusque et radicis linguae phlogosis et intumescentia magna periculo non carent; therapia conveniente sicut cautelis infra tradendis neglectis in suffocativam vel apoplecticam possunt mortem terminari.

Cynanchis faucium, pharyngitidis, in encephalitidem, laryngitidem aut pneumoniam, aesophagitidis in gastritidem transitus periculosi sunt.

Isthmitis et pharyngitis eo graviores censeantur, quo non deglutitio solum sed respiratio etiam difficilior, quo major humorum ad caput et in eodem congestio, quo eminentiora aut soporis aut encephali irritati symptomata, quo febris character apertior nervosus aut putridus, quo demum organorum inflammatorum in gangraenam insignior propensio animadvertuntur. — Gangraenosa facta et putridae sociata febri isthmitis aut pharyngitis periculum, non raro mortem adfert.

Inflammationes gradus aequalis in infantibus, ob difficilem praecipue medelae necessariae administrationem, majoris momenti ac in adultis habeantur.

Collum externe intumescere bonum, decrescentibus simul essentialibus tum isthmitidis aut pharyngitidis, tum febris symptomatibus. Idem de erysipelate in collo, pectore vel aliis cutis plagis prodeunte censendum.

Subjecta juniora inflammationes istas semel passa saepius iisdem vexari solent.

Cynanche faucium et pharyngitis frequenter et sine ansa notabili recurrentes insignem plerumque in pulmonum morbos opportunitatem indicant.

Prae caeteris minus acutae sunt catarrhales, rheumaticae, arthriticae, scrophulosae, syphiliticae; istae in suppurationem et ulcerationem maxime nituntur. — Rheumaticae et arthriticae, exiguo licet cum tumore, longe intensius caeteris dolere consueverunt.

Juxta observationes *S. G. Vogel* (l. c. T. IV. c. 6.)

et meam a cynanche faucium in suppurationem terminata per septimanas vox nasalis quandoque remanet, quin ullam in faucibus, quaqua patent, morbosam detegere liceat mutationem superstitem. In casu, quem *Vogel* refert, malum successive sua sponte cessavit, in meo gargarismatum leviter adstringentium ope post duos debellatum est menses. — Inflammationes descriptae semel in suppurationem transgressae, in posterum reversurae eundem ad sanationem circumflexum inire solent.

Complementa prognoseos partim ex nosographia inflammationum hic pertractatarum, partim ex momentis prognosticis generalibus ad hasce phlogoses in casu speciali quovis relatis, facile desumuntur.

§. 590. *Therapia* ad regulas generales instituenda, *primo* in causarum excitantium et forsan sustinentium abactionem tendat. Quare v. gr. acus, spinae piscium etc. impactae confestim eximantur, suppressae se- et excretiones normales vel morbosae restituantur, morbi principales: lues, scrophulae etc. adaequate curentur, a sermocinatione, cantu, motu etc. abstineatur, regimen atque diaeta ordinentur antiphlogistica.

§. 591. Quod inflammationis ipsius therapiam attinet, ducentibus normis generalibus ad modificationem phlegmonosam, catarrhalem aut rheumaticam, magnitudinem, stadium etc. tum illius, tum febris consuetim activae aut vere inflammatoriae respiciendum; proinde curandi methodus antiphlogistica universalis et localis variae intensitatis communiter adhibenda est. Cynanche faucium et pharyngea plerumque catarrhosa phlebotomias raro, aesophagitides plerumque phlegmonosae saepe exigunt. In illis vènaesectio tempestive facta utplurimum una sufficit; post therapia antiphlogistica mitior, qualis febri catarrhali (§. 567.) congrua, est instituenda. Fracto sic charactere febris phlogistico, perstante ea levissima et decrementi in stadio, phaenomenis phlogoseos necdum aequabiliter imminutis, depletiones adhuc san-

guinis locales indicantur, per hirudines consuetim infra maxillam inferiorem et mentum adhibendas, vel his insufficientibus et minante ob ingentem tonsillarum ambarum intumescentiam periculo suffocationis per istarum incisiones pharyngotomi ope impetrandae. Effluxus sanguinis ibi fotu per spongiam aqua tepida impraegnatam, hic collutoriis tepidis, vaporibus emollientibus pro necessitate sustineatur. Hisce autem intumescentia cito multumque solet imminui. Nunc, quemadmodum in phlogosibus catarrhosis levioribus febriculae aequabili nuptis statim initio, et absque sanguinis evacuationibus, interne emollientia nota et antiphlogistica blandissima, nisi deglutitionis difficultas aut plane impossibilitas obstet, et in pharyngitide linctus quoque demulcentes, externe cataplasmata ad collum, collutoria, vapores, pediluvia emollientia, nec non enemata alvum ducentia adplicanda sunt. Quae quidem enemata eo potiorem hic occupant locum, sale nonnunquam acuenda, quo cautius a remediorum salinorum antiphlogistico - solventium et eccoproticorum, utpote organa inflammata sub deglutitione noxie irritantium, et sub magna dilutione et mitigatione nimis tarde aut non agentium, usu abstinendum est. Gargarismata et injectiones durante adhuc inflammatione nocent. In potum infusa decoctave emollientia ex althaea, verbasco, malva etc. cedunt, tepide haurienda.

§. 592. Sublata febre et resolutione aperta sensim procedente cataplasmatum emollientium vices fotus explet siccus calidus; lentissima vero et nimis segni sub resolutione linimentum volatile, ung. commune cum pauxillo camphorae, vel pro re nata vesicans aut sinapismus ad collum aut nucham proficiunt. Utroque in casu tractamen internum regulis, pro curanda morborum acutorum febrilium crisi expositis, adcommodetur oportet.

§. 593. Ut *laxus* ab inflammatione exstincta quandoque adhuc superstes alacrius resolvatur *tumor*, aut *debilitas cum irritabilitate* (ab inflammatione chronica

rite discernenda) in recidivas maxime disponens, citius certiusve tollatur, collutoriorum et gargarismatum absque irritamento roborantium et adstringentium cautus commendari meretur usus. In finem hunc aqua egelida, infusum fol. salviae, decoctum corticum salicis, aut quercus aut hyppocastani etc. cum vel sine alumine, egelida, frigidula quadrant.

§. 594. Cynanchen faucium et pharyngeam catarrhalem, saepius reversam, in individuis praesertim laxis, inertibus absoluto jam inflammationis curriculo saepe tumor partium adfectarum iners excipit, largum mucum tenacem secernere continuantium. Curatur gargarismatibus iisdem, additis adhuc oximelle scillitico, sale ammoniaco, aut sinapi etc. acuendis, vel et masticatoriis ex corticibus nominatis, aut foliis salviae, myrrha, rad. pimpinellae, angelicae et similibus.

§. 595. Inflammationes dictas *indolis rheumaticae* initiantes, cum diaeta et regimine antiphlogisticis, temperatura moderate calida et aequabili, potu largo diluente et diapnoico, pediluviis tepidis, specialius epispastica, vesicantia nempe vel sinapismi, collo aut nuchae imposita quandoque adhuc cohibere et quasi in germine valent suffocare. Ulteriore autem earundem stadio, si validae sunt, therapia ab antehac exposita duplici intuitu et quidem in eo abludit, ut *a.* depletiones sanguinis minus largiores, ac in phlegmonosis, fiant, remedia externa emollientia, cataplasmata in specie, citius seponantur, cum sicco per cucuphas leviter aromaticas, collaria lanea fotu, cum linimento volatili, vesicante, sinapismo etc. commutanda; et *b.* ut methodo antiphlogisticae citius tardiusve diaphoretica, quandoque et pacans prudenter uniatur.

§. 596. Inflammationes memoratae quo curandae sint modo, si debilitati universali, sanguificationi ac nutritioni imminutis et eminenti systematis nervosi adfectioni supervenientibus junguntur, ex generali circa tales cir-

cumstantias expositione (§. 278. et 279.) abunde intelligitur. Juxta hanc *anginae malignae* ab auctoribus speciatim consideratae, i. e. *febri nervosae vel putridae junctae, et in gangraenam pronissimae vel jam gangraenosae*, therapia essentialiter ea sit, ut universalis debilitatis gradui et nervoso vel colliquativo febris characteri respondeat, localis simul vires partium gangraenescentium et vicinarum debite erigat, quibus gangraena aut ejus propagatio praepediatur, quod sphacelosum est separetur, tollatur, quod aegrotum, postea saretur. Cum therapia igitur universali in febrim nervosam aut in putridam commendata topice adhibeantur: infusa, decocta emollientia et pacantia, si instans primo metuitur gangraena, partibus in circumferentia adhuc inflammatis, admodum sensibilibus, dolentibus; vel, si id non obtinet, fluida eadem cum oximelle, cum melle aut syrupo mororum, exiguis acidi sulphurici diluti, vel muriatici, vel nitrici dosibus acidula reddita. Circumferentia vero nec inflammata nec amplius dolente, habituque partium adfectarum gangraenam aut imminentem aut jam praesentem testante, optime respondent scopo: infusa rutae, scordii, flor. chamom., rad. angel., calam. aromat., serpentariae; decocta corticum salicis, quercus, chinae cum aceto rutae aut aromatico, acido sulph. aut muriat. diluto, alumine, aut cum vino, spir. vin. camphorato, tinctura myrrhae. Quae gargarismatum, vel, aegro gargarisare nescio aut non valente, injectionum forma in usum veniunt. Utile admodum est, partibus gangraenosis si attingi queunt, penicilli ope illinire mel purum, m. rosarum, syrupum mororum cum acido quodam minerali, aut acido pyrolignoso rectificato, aceto aromatico, aut succo recenter presso nasturcii, scordii, aut tinctura myrrhae etc., quae pro rerum statu juxta principia generalia seligantur oportet. Saepe plagae gangraenosae incidendae prius, dein illinendae sunt. Ad collum epithemata, fomenta aromatica, liniment. saponato-campho-

ratum, sinapismi etc. adplicentur. Aeger ne saniem deglutiat gangraenosam, monendus. Abstruso, quod sphacelosum erat, ad remedia blandiora ea ratione, qua plagae subjacentes puriores fiunt et sensiliores, redeundum.

§. 597. *Convalescentiae* cura ex cynanche faucium, pharyngitide et aesophagitide ad principia et normas generales facienda est. Ut morborum istorum tollantur effectus restantes, et praecaveantur recidivae, statum totius organismi, et organorum ante inflammatorum conditiones probe considerare necesse est.

§. 598. Ubi vero inflammatione non resoluta *abscessus* formatur, suppuratio modo generatim praescripto promovenda, abscessus autem maturandus et sponte rumpendus, non aperiendus est arte, nisi praegrandis per subitaneam puris effusionem sub somno suffocationem minaretur; id quod in infantibus praecipue et aegris generatim junioribus sollicite attendere oportet. Qui, cum oncotomiam raro institui sinant, sub somno nunquam in dorso decumbant, et continuo fideliter observentur necesse est. Hoc excepto casu spontanea per naturam ruptura abscessuum in tonsillis tunc maxime exspectanda est, si phlogoses tonsillarum iteratae intumescentiam reliquerant duram. — Abscessus aperti depuratio et sanatio citra regimen congruum collutoriis et gargarismatibus ex inf. vel decocto emolliente cum melle, oxymelle, m. rosarum et pauco aceti vel boracis etc. adjuventur.

Ulcerum subsequorum tractamen tam horum charactere, quam morbi universalis, qui forsan subest, principis indole definitur.

Indurationum emollitionem et resolutionem tentare oportet regimine et medela partim universali, diathesin morbosam v. gr. scrophulosam etc. fortasse praesentem debite respiciente, partim locali, vaporibus in specie, gargarismatibus, unguentis, emplastris, emollientibus et relaxantibus, pedetentim modice irritantibus, ex aqua

mera, infusis decoctisve mucilaginosis cum conio maculato, belladonna, aut spir. sal. ammon., linim. volat., ung. hydrarg., empl. hydrarg. c. empl. cicutae. Indurationes his non cedentes, nec tamen deglutitioni aut loquelae adversae, committi possunt naturae; illi vero obstantes per irritamenta mechanica aut chemica in inflammationem ac suppurationem deducendae sunt, qua duricies solvatur; casu rebelli tonsillae exstirpandae. Indurationes pharyngem aut aesophagum angustantes, nisi cereolo simplici vel lapide infernali attingi possint, vix et sale ammoniaco maximis dosibus porrecto debellantur; hucusque saltem insanabiles fuere, et cruciatuum diuturnorum mortisque miserrimae fontes.

Genus 3. Inflammationes erysipelatosae.

§. 599. Erysipelatis nomine sensu lato omnes colligi solebant organi cutanei inflammationes, quae ejusdem superficiei potius inhaerent ac per eam proserpunt, quam profundius atque ad organa subter cutem sita descendunt, et non exacte quidem circumscriptae, ad singulas tamen cutis plagas sunt limitatae. Hac ratione erysipelas et ab exanthemate acuto, et a qualibet cutis phlegmone sat distinctum esse supponebatur. In tractatu de erysipelate nihilosecius non de ea modo cutis chronica adfectione, quae mere topica, febris expers, rubore ac sensibilitate auctis, quandoque pruritu manifesta, phlogoseos potius sequelam quam vigentem adhuc phlogosin sistit, *erythematis* titulo nota, sed de inflammationibus etiam cutis vere phlegmonosis agebatur, quarum origo ex irritamentis variis idiopathicis, atque therapia ab erysipelatis tractamine multum diversa cognitae erant, et sat apte descriptae. *Rust* (Magaz. f. d. ges. Heilk. B. VIII. H. 3. S. 498 etc.) non sine egregio merito proprios erysipelatis, adfectioni systematis gastrici, imprimis hepatis essentialiter juncti, et febre stipati characteres stricte se-

paratos delineavit, omnemque attentionem magno vindicare conatus est discrimini, quod illud inter et *pseudo-erysipelas* intercedit. Quo nomine superficiales insignit cutis inflammationes, habitu quidem suo erysipelas aemulantes, ab eo tamen maxime differentes *partim* per originem: ex idiopathica cutis irritatione v. gr. a frigore, aestu, acri chemico, laesione leviore etc., vel ex organorum sub cute sitorum adfectione v. gr. ab inflammatione aponevrosium, a metastasi ad textum cellulosum, periostium, glandulas (*Kluge* ibid. p. 526) in morbis gastricis, rheumaticis, arthriticis, febribus puerperalibus facta, *partim* per earum non in desquamationem sed (in casu ultimo) in ulcerationem potius nisum. Has caeterum phlogoses pro parte idiopathicas et substantivas esse, pro parte sympathicas et symptomaticas, ex dictis elucet.

Cum pseudo-erysipelata, utut sympathica et symptomatica non in chirurgiae releganda sint forum, ad alios spectent tractatus, hic de genuino solum erysipelate agitur, cum illis hinc inde opportune conferendo.

§. 600. Est autem *erysipelas inflammatio cutis*, temperaturae vicissitudinibus utplurimum progenita, in singulis modo superficiei plagis comparens, per hanc sese propagans communius quam in adiposam et ad organa sub cute locata descendens, et cum systematis gastrici, speciatim hepatis adfectu nexum causalem agnoscens. Erysipelas hoc *verum*, citra symptomata gastrica, ex rubore diluto flavescente, digito prementi cedente, tumore cutis splendente, per planitiem expanso potius quam centrum elatum formante, non exacte circumscripto, aestu, pruritu et ustionis sensu cognoscitur.

§. 601. Adfectus systematis gastrici hic memoratus, quoad patet, digestionis, chylificationis et alvinarum excretionum turbis palam fit, quae in viscerum abdominalium, systematis venae portarum in specie et hepatis plethora, in uberiore secretione, aequo parciore vero bilis in duodenum deductione et ad digestionem adplicatione

fundantur, et graves probabiliter functionum cutis laesiones comites habent et sequelas.

W. Cullen, P. Frank, S. Vogel, Conradi, Richter, ab Hildenbrand opp. cit.

Lawrence üb. d. Natur und Behandlung des Erysipelas. Med. chir. Transact. Vol. 14.

§. 602. Sedes inflammationis in vasis capillaribus per corii superficiem expansis, et probabiliter in reti mucoso *Malpighii* atque folliculis mucosis est. Haec sedes, et essentialis cum indigitato systematis gastrici morbo nexus specialium, quas erysipelatis origo, symptomata, decursus, duratio, criseos ratio, exitus et mala posthuma offerunt, proprietatum fontem sistunt, atque specialem ideo therapiam necessariam reddunt. Ordine naturali erysipelas inter inflammationes puras et exanthemata suum invenit locum.

§. 603. Nulla est per superficiem cutis plaga, in qua erysipelas observatum non fuisset. Praegressa consuetim per unum duosve dies *febri* symptomatibus gastricis vel his et catarrhosis stipata, *erysipelacea* seu *erysipelatosa* dicta, ipsum intrat erysipelas, in facie frequentissime, modoque evolvitur sequente: Sentiuntur initio angusta in plagula ardor, pruritus et calor auctus, associatur rubor, cum his brevi ulterius proserpens, pallidior ac aliis competit inflammationibus, roseo subsimilis, in marginibus non exacte circumscriptis, post in tota quoque extensione in lutescentem vergens, sub digiti examinantis pressione evanescens (maculam tunc albam ostendens), ea vero cessante illico revertens. Successive ibidem formatur simul tumor explanatus potius quam elatus, sine centro fixo margines versus fere aequabiliter excurrens, subdurus, laevis et splendens, in quo dolores continui non punctorii aut pulsatorii, sed urentes, prurientes ac tensivi percipiuntur.

Phaenomena quandoque ad pollicum paucorum quadratorum circumferentiam limitantur, per duos, tres, quinque dies aucta sensim recedunt, ipsaque phlogosis ad septimum, nonum usque diem resolvitur; frequentius vero illa priorem pedetentim relinquentia locum ulterius ad vicinas proserpunt plagas, decursum eundem iteratura, donec erysipelas ita procedendo faciem totam, aut capillitium, aut pectus, dorsum, aut extremitatem permeaverit. Hoc modo fit, ut pars adfecta possit singula erysipelatis offerre stadia; dum enim plagae primo tentatae resolutione contingente desquamantur, proximae decrementum, ulteriores acmen, his vicinae incrementum, recenter correptae initium primamque evolutionem erysipelatis exhibent.

Decursu irregulari symptomata erysipelatis, nonnunquam subito, disparent, alioque loco vicino vel remoto erumpunt; casu rariore ominoso organa membranosa interna, membranas imprimis muciparas, piam matrem, arachnoideam etc. invadunt.

Febris praecedens indolis est activae, communiter subinflammatoriae, variaeque intensitatis; in passivam raro delabitur nervosam aut putridam. Comitatur erysipelas; tantum vero abest, ut pari passu cum eodem increscat, ut prodeunte potius erysipelate mitescat, perfecte evoluto, jam ante resolutionem, judicetur. Nova erysipelatis propagatio, sicut ejus recessus novo designantur horrore febrili.

§. 604. Vario erysipelas respectu distinguitur: in *simplex* et *compositum*, *phlegmonosum* videlicet et *oedematosum*; in *laeve* et *bullosum* s. vesiculare; *idiopathicum* et *sympathicum*, *substantivum* et *symptomaticum*; febri inflammatorio-catarrhali, gastricae etc. sociatum; erysipelas *faciei* et *extremitatum*; erys. *neonatorum* et *adultorum*. *Modificationum* inde proficiscentium *praecipuae* sunt: 1. erysipelas phlegmonosum; 2. oedematosum; 3. bullosum; 4. er. faciei et 5. extremitatum; 6. er.

neonatorum; 7) er. febri nervosae, et 8) febri putridae junctum. Quorum hic exactior definitio atque descriptio sequitur.

§. 605. *1) Erysipelas phlegmonosum* s. *phlegmonodes*, altiorem simplicis gradum sistens, cum inflammatione *in* imo *infra* cutem, in textum cellulosum, penetrante conjunctum est. Frigus, aestus subsequens, systematis gastrici adfectio, omniaque febris praecedentis symptomata valida sunt; erysipelas deinde vel aeque intensum orditur, vel successu tale evolvitur. Rubor profundior est quam in erysipelate simplici, in bruneum saepe vergens, sub digiti pressione haud ita facile fugiens; tumor splendens manifestior, saepe valde insignis, durus, utcunque circumscriptus, in centro magis elevatus, non tamen acuminatus; aestus ac tensio maxima, dolor vehemens, nonnunquam imo pulsatorius. Haec erysipelatis species in facie, in individuis junioribus, robustis vividis, constitutione atmosphaerae ac tempestatis morbis inflammatoriis favente imo epidemica, observari solet; bullosa saepe cernitur, acute et cum nisu in suppurationem, ulcerationem, gangraenam decurrit. Glandulae lymphaticae in viciniis saepe tument, dolent, vasa ad illas directa chordarum instar tanguntur tensa, striisque cutis rubris signantur.

2) Erysipelas oedematodes, oedemati junctum, ex partium oedematose tumentium v. gr. scroti, labiorum pudendorum etc. jam expansione ac tensione, jam laesionibus (v. gr. per vesicantia, scarificationes etc.) profectum, tumore notatur molliore, pultaceo aut pastoso, rubore profundo in caeruleum vergente, dolore vehemente simulque magna in gangraenam propensione. Ad pseudo-erysipelata superius memorata pertinet.

3) Utut erysipelas plerumque aequabilem laevemque offerat superficiem cutis, nonnunquam tamen vesicis minoribus majoribusque occupatam ostendit; unde *vesiculare*, *bullosum*, incongrue *pustulosum*, audit. Ve-

sicae aut bullae vel initio statim vel postea effectu secretionis fluidi serosi in superficie cutis inflammata, epidermidem attollentis formatae, magnitudine lentis, pisi, amygdalae, imo ovi columbini aut gallinacei occurrentes, fluido repletae sunt limpido, flavente, lento et acri, discretae vel confluentes; brevi rumpuntur, humorem lymphaticum diutius adhuc secreturae, vel crustis obteguntur flavis aut bruneis, quae incerto temporis intervallo decidunt, cutemque subtus sanam exhibent, quandoque tamen et ulcerationem serpentem fovent, imo gangraenam. Caeterum frequentius phlegmonosum quam simplex, decursus saepius acuti quam acutissimi est; frequens in facie cernitur.

4) *Erysipelas faciei*, omnium frequentissimum, tempore regnantium morborum catarrhoso-gastricorum, catarrhoso- vel rheumatico-biliosorum non raro *epidemicum*, citra pathognomonica, sequentibus adhuc stipatur phoenomenis, ab adfectionis universalis magnitudine et inflammationis intensitate ac expansione pendentibus. — Gradu *levi* febris per diem aut saltem vesperam et noctem praecedit, erysipelate autem consuetim altera jam die mane ad quamcunque faciei plagam manifesto mox fatiscit, et ex toto fere evanescit. Sic exanthemata aemulatur. (Conf. *Richter* spec. Therap. B. II. S. 189 etc.) — Gradu *majore* praegressis delassatione magna, artuum dedolatione, anxietate epigastrica, nausea, vomituritione, ipso vomitu, febris cum horrore intrat, vesperi luculenter exacerbatur, duos imo tres continuat dies, priusquam prodeat erysipelas, quo increscente sub sudore urinisque criticis decrescit, perfecte evoluto cessat. Erysipelas ab uno faciei latere ordiri solet, sat forte esse, et varia directione ad alias plagas v. gr. a gena ad oculum, nasum, frontem, aurem, capillitium, nucham ejusdem vel alterius quoque lateris propagari. Tali sub progressu plaga prius inflammata successive sublevari, aut penitus liberari conspicitur. — Gradu

altissimo prodromos breviores longioresve synocha excipit valida, cephalaea vehemente, delirio vivido, sopore continuo stipata, sine remissione luculenta continens, erysipelate plerumque mox prodeunte minime decrescens, saepe potius ingravescens. Inflammatio faciem fere totam aequabiliter occupat, ex tumore praegrande admodum deformem; oculorum, nariumque praeclusio, intumescentia labiorum, tensio tumoris insignis, doloresque urentes, punctorii aegrum graviter adfligunt, visumque, deglutitionem, respirationem multum impediunt. Encephalon ex consensu plurimum patitur; imo erysipelati faciei nonnunquam meningitis sociata esse videtur, quemadmodum febris intensa inflammatoria protracta, cephalaea quandoque dirissima, delirium constans, clamosum, imo furibundum, oculorum rubedo summaque lucis fuga, pulsatio carotidum, transitus eorum in soporem non infrequens indicant. Saepe pharynx ac tuba Eustachii graviter simul adficiuntur.

Hujus gradus altissimi erysipelas excepta facie nullibi unquam occurrit; etiamsi inflammationis symptomata localia alibi quandoque vigeant, longe tamen inferior universalis manet adfectio.

5) Erysipelas extremitatum jam simplex jam phlegmonosum, mox laeve mox bullosum, insigni cum partium tumore adesse, glandularumque lymphaticarum pro sede sua subaxillarium, femoralium, intumescentiam efficere inflammatoriam consuevit. In cruribus, pedibus, imo in manibus *pseudoerysipelata* varia suam frequentissime figunt sedem.

6) Erysipelas neonatorum (volatica, maculae volaticae, Rothlauf Neugeborner) recentiore primum aevo in Angliae et Galliae nosodochiis ac brephotropheis frequentius observatum, singularis est speciei. Rariore casu connatum, communius intra primas duodecim vitae septimanas adquisitum visum fuit. Saepe subito, saepe eruptione miliformi, trismo, et ictero praegressis diver-

sas utut corporis partes, frequentissime tamen regionem umbilici et genitalia invadit. Initio exigua solum plaga rubefit ac incalescit; rubor vero et calor auctus per abdomen vel per totam imo corporis superficiem expanduntur, cum partium magno tumore, tensione, rubedine profunda et livescente, dolore ad levissimam pressionem vehemente. Digitus premens maculam per momentum causat albam, quin foveam relinquat. Bullosum quandoque est, minusque periculosum. Cum inflammatione febris intrat, pro illius magnitudine et decursu mitior aut fortior, nunquam pure inflammatoria, nervosa potius, symptomatibusque cum gastricis, doloribus colicis, alvo diarrhoica, viridi, olente, raro obstipa, consociata. Membra illo correpta mox rigida, immobilia fiunt, eaque evanido rubore post obitum adhuc persistunt. Incisionibus in cadavere factis multum humoris seroso-lymphatici effluit, vel in textu celluloso haeret, cutis ipsa semper normali durior crassiorque, adeps subjacens densior invenitur. Morbo in funestum tendenti exitum symptomata nervosa gravia, trismus speciatim et tetanus, accedunt.

Erysipelas hoc ad septem, quatuordecim, viginti dies et unum, imo ultra excurrit, si partiali desquamatione facta ulterius proserpit, vel ad plagas remotiores transilit. Ad abdomen et genitalia, imprimis in infantibus teneris, in gangraenam, ad membra haerens in ulcerationem malignam, corrosivam magnum semper ostendit nisum. Priore in casu nonnunquam altero, tertio jam die in mortem terminatur.

J. C. L. Reddelin, Samml. kleiner Abhandlungen u. Beob. üb. d. Rose neugeb. Kinder, und die Verhärtung des Zellgewebes. Lüb. u. Leipz. 1802. 8.

Osiander, Denkwürdigkeiten f. Aerzte u. Geburtsh. B. II. St. II. S. 370; u. neue Denkwürdigkeiten etc. B. I. S. 56.

Kortum, *Jani*, *Hufeland*, üb. d. Rose neugeb. Kinder; in *Hufeland's* Journ. B. IV. S. 609; B. VII. St. III. S. 53; B. X. St. IV. S. 161.

7) Erysipelas vulgare, simplex, febri activa, subinflammatoria stipatum, supra (§. 603.) descriptum, in subjectis multum debilitatis, irritabilibus, influxu tempestatis humido-frigidae, febri nervosa epidemice regnante, sic et neglecta, incongrue, perverse tractata etc. eam quandoque subit mutationem, ut, quae initio inflammatoria et in specie catarrhalis, rheumatica, aut biliosa fuerat, absque fausta crisi consueta continuans serius ocyus *characterem* induat *nervosum*. Hoc contingente rubor plagae inflammatae pallidior fit, flavescens, dolor remittit, tumor vero perstat, imo augetur. Charactere febris nervoso adjuncto erysipelas haud raro *recedit*, quin causa externa semper inveniri possit, et periculosissimos in viscera nobilia facit impetus.

8) Etiam *putridae febri* jungitur *erysipelas*, perstante tempore calido humidoque plerumque epidemicum. Cum generalibus febris putridae symptomatibus rubor erysipelatis bruneus, rubro-lividus, discolor, ipsumque gangraenosum redditur. Nomine *ignis Sti. Antonii*, *hieropyr*, veniens erysipelas est bullosum, febri putrida stipatum. Titulo *ignis sacri* morbus anno 996. innotuit, acutissimus, organa tum interna tum externa ortis citissime gangraena et sphacelo devastans, summe deleterius, admodum contagiosus. Ex eo tardius ignis Sti. Antonii, ac tandem erysipelas vulgare nostrum propullulasse creditur.

Erysipelas non febrile, quatenus momentis mere localibus generatum, hujus non est loci.

9) *Erysipelas chronicum* s. *habituale*, frequentis, nonnunquam certis periodis v. gr. menstruorum adstricti reditus causa ita adpellatum, in viscerum abdominalium morbo supra definito suum agnoscit fontem, saepe perennem.

§. 606. *Decursus* erysipelatis consuetim *acutus* est, intra quinque, septem, novem dies finitus; febris pro indole et intensitate sua jam fere aequabiliter continens,

jam vero et plerumque manifestissime remittens observatur. Nonnunquam tamen et *lente* decurrit erysipelas, sicque chronicum evadit; diu nimirum gradu moderato ad eandem perseverando plagam, quemadmodum in subjectis gravi systematis venae portarum turba laborantibus, in arthriticis, scrophulosis saepe videre est, vel ad plagas serpendo propinquas, aut ad remotas transsiliendo.

§. 607. Ut phlogoses aliae ita erysipelas vel resolvitur, vel in hydropem (oedema) acutum, suppurationem, ulcerationem, gangraenam, aut in indurationem abit.

Resolutio fit sub febris comitis phaenomenis criticis, et successivo ruboris, caloris, doloris, tensionis ac tumoris decremento, speciatim *sub epidermidis desquamatione*, quam saepe pruritus partis molestus comitatur. Desquamatio praegressae inflammationis gradui exacte solet respondere; leve itaque erysipelas exigua quandoque vix perceptibilis, pulveris instar furfuribus aut farinae similis, grave autem manifestissima excipit desquamatio, inflammatae limites plagae excedere solita. Eandem, qua erysipelas in cute progressum fuerat, viam exacte sequitur. Deficiente desquamatione omni, vel nimis exigua, aut transitus erysipelatis ad plagam aliam instat, aut alius metuendus est exitus.

Hydrops localis in individuis cachecticis praecipue ad pedes ab erysipelate remanet, remediis humidis calidis, relaxantibus male tractato.

Suppuratio in erysipelate simplici non metuenda, nisi humidis et unguinosis tractetur, magis vero in phlegmonoso, praesertim cachexia et cacochymia, aut speciali constitutione epidemica favente. Ulcerationem sistere solet phagedaenicam, quae textum cellulosum destruit, intra cutem et subjacentes musculos longe lateque procedit; sinus, cariem, fistulas mali moris, difficulter ac tarde sanandas, imo febrim depascentem inducit; et ob immediatam cutis consumto textu celluloso concretionem cum musculis foedas semper cicatrices relinquit. Rara

in erysipelate bulloso suppuratio, superficialis modo esse consuevit et mox sanari. In erysipelate faciei solae quandoque suppurantur palpebrae, maxime superiores, plurimum tumentes.

Gangraena facile sequitur erysipelas febri nervosae aut putridae junctum, oedematosum subjecta senilia, exhausta, cachectica, hydropica infestans, atque crura praecipue, scrotum, praeputium, pudendorum labia occupans majora; nec non erysipelas neonatorum umbilici et genitalium regionem obsidens. Gangraena ad aliqua solum cutis puncta restricta, perstante reliquae plagae inflammatione, superficialis plerumque manet minusque periculosa, per totam vero partem inflammatam et ulterius adhuc extensa profundius quoque destruendo penetrat, periculo circumdatur, et in infantibus aeque ac adultis cachecticis, multum debilitatis, in senibus decrepitis facile evadit lethalis.

Induratio haud secus erysipelatis iterum iterumque reversi, crura imprimis partesque glandulosas, in specie mammas tenentis sequela frequens, ac inepti per frigus atque remedia adstringentia tractaminis effectus est.

§. 608. Eminentem in erysipelas *dispositionem* subjecta exhibent, quae cute admodum irritabili, sensibili, turgida humoribus, per aërem cubiculorum, vestitum densum calidum, et sedulam vicissitudinum atmosphaerae fugam delicatula ac molli reddita donantur; individua temperamenti cholerici; plethora abdominis speciatim hepatis, et stasibus in systemate venae portarum, hinc dyspepsia, bradypepsia, alvo irregulari, turbis aut suppressione haemorrhoidum fluentium, arthritide, polysarcia, leucophlegmasia laborantia. — *Momenta excitantia* sunt: *a.* refrigerium corpore exaestuato, quare erysipelas febrim catarrhalem vel rheumaticam frequentissime sociam habet; singularis atmosphaerae et tempestatis constitutio, erysipelatis praesertim aestate et autumni initio, sed et hieme in ver abeunte epidemici scaturigo; aestus

solis; *b.* irritamenta sympathica imprimis gastrica a statu bilioso, saburrali, indigestione, a ciborum nonnullorum esu idiosyncrasia repugnante, rerum nempe tenacium, pinguium, rancidarum, valde acrium, mytilorum, ostrearum, cancrorum, fragorum, carnis vervecinae, anserinae etc.; ab ira, moerore aliisque adfectibus animum succutientibus; potuum spirituosorum abusus; inflammationum internarum ad cutis superficiem transgressus; morborum acutorum variorum crises per erysipelas.

Erysipelatis neonatorum in specie causae noscuntur excitantes: aër corruptus, effluviis putridis onustus, humidus, hinc malum vix nisi in brephotropheis ac nosodochiis occurrit; funiculi umbilicalis, ipsiusque umbilici tractamen rude; valida hujus introrsum actio pro hernia praecavenda; linteamina humida calidaque ad involvendos infantes adhibita, lotio, faecibus immunda diutius non commutata; spurcities in genere; refrigeratio; meconii evacuatio imperfecta; hepatis et systematis venae portarum morbi; victus neonatorum incongruus, malae indolis; diaeta et regimen irritans, calefaciens, varii errores diaetetici; iracundia, terror etc. nutricis.

§. 609. *Prognosis* quatenus varias erysipelatis species, varium earum gradum, febris intensitatem ac indolem respicit, ex supra dictis (§. 605) fere fluit.

Erysipelas simplex, febri moderata subinflammatoria stipatum, per se periculo caret; quod vero ob propriam ipsi volubilitatem per regressum i. e. inflammationis ad organa membranosa interna v. gr. meninges, ventriculum, intestina, pericardium etc. inferre valet. Hac e ratione erysipelas faciei, et ex gravi alioquin jam comitante meningum compassione, summi est momenti. Erysipelas vagum, etsi levis foret gradus, malum anceps semper habendum est. — Febri nervosae, putridae, cachexiae universali, oedemati junctum, et erysipelas neonatorum maximum incutiunt metum. Nervosum uti et oedematosum facile recedit; hoc insuper, et erysipelas fe-

bri putrida, cachexia universali stipatum, et neonatorum facile gangraenosa fiunt. — Hocce eo periculosius, quo tenerior est infans neonatus, quo acutius erysipelas et latius propagatur, quo major febris aperte nervosa. Icterus intensus, convulsiones, praecipue trismus, accedentes fere semper annunciant mortem.

Ardor intensus, excedens aestus, rubor profundus saturatus, aut in bruneum vergens, extensio magna, signa erysipelatis sunt vehementis.

Erysipelas dispositione interna exigua per externas potius noxas causatum esse benignum consuevit; ex adfectione interna profectum, symptomaticum, facile chronicum, habituale evadit, periodis certis vel inconstantibus revertitur, quandoque tamen et graviorum morborum: arthritidis, asthmatis, cephalaeae, enteralgiae chronicae etc. explet vices, quae, nisi habituale comparuerit erysipelas, explicantur.

Erysipelas chronicum, saepe revertens, morbum systematis gastrici indolis jam memoratae, in sexu sequiore etiam organorum genitalium internorum, profunde radicatum indigitat.

§. 610. In erysipelatis *tractamine* perstantes adhuc causae occasionales v. gr. aër mephiticus, spurcities, nimis arcta umbilici neonatorum deligatio, saburrae gastricae etc. *primo* corrigantur, tollantur oportet. In hac uti in therapia contra erysipelas ipsum facienda causarum occasionalium indolem, illius conditionem substantivam aut symptomaticam, sedem, extensionem, modificationes supra delineatas, nec non febris comitis characterem ac intensitatem sollicite respicere opus est.

§. 611. Erysipelas non adeo favente definito hepatis, systematis venae portarum etc. morbo, quam subitanea potius partis calentis ac sudantis refrigeratione productum, consuetim febri catarrhali vel rheumaticae inflammatoriae jam mitiori, jam (si faciem tenet) fortiori, et in hoc casu adfectioni gastricae per consensum ad-

auctae junctum cernitur. Sufficit partem inflammatam ab aëre et frigore defendere, atque calore moderato aequabiliter et continuo fovere, interne methodum antiphlogistico-solventem circumspecte, et diaphoreticam adhibere. Externe itaque partem panno simplici lineo, sicco et calido leviter ac absque ulla pressione obtegere, scopo respondet et sufficit, pariter et stupam lineam vel cannabinam, calore bene siccatam, vel cucuphas leves farina secalina, aut fabarum, aut furfuribus rite siccatis calide adplicare convenit; — interne citra diaetam tenuem potus aquoso-, vel mucilaginoso-aciduli, pharmaca antiphlogistica, solventia, eccoprotica, ni enemata refrigerantia et evacuantia suffecerint, postea potus theati emollientes tepidi cum vel sine roob sambuci, denique infus. flor. samb. aut fl. tiliae cum acet. ammoniacali indicantur. — Venaesectiones, post has depletiones topicae, et largiores alvi solutiones nonnisi in erysipelate faciei phlegmonoso et synochae consociato requiruntur, si febris valida est, et meningitis aut encephalitis imminet. Sed et haec erysipelatis species non tantas in genere, ac aliae inflammationes phlegmonosae, sanguinis fert depletiones, quin retrocedat. Medela antiphlogistica evacuans ea ratione, qua febris symptomataque gastrica luculenter decrescunt, restringenda, penitus omittenda est, per diaphoreticam solam supplenda.

Casu rariore si febris inflammatoria in adynamicam nervosam aut putridam vergit, vel in alterutram commutata jam est, remediis externis mox nominatis pulvis flor. samb. aut chamom. et camphor. admiscendus, in caeteris externe ac interne quemadmodum instante vel jam patente febri nervosa aut putrida, incedendum est. Egregium in camphora praesto habetur remedium. Emeticum, ubi febri licet exigua symptomata tamen gastrica, praesertim biliosa adhuc eminent, praemissum summae virtutis est.

De regula in descripta erysipelatis specie a topico

emollientium humidorum, pinguium, sic et frigidorum, stipticorum, spirituosorum, plumbeorum, variorum unguentorum et emplastrorum usu caveatur, cum hujusmodi remedia facile repellant erysipelas, aut exasperent, et suppurationem ejus, ulcerationem, gangraenam, indurationem, aut oedema invitent, sollicitent. In phlegmonoso tamen erysipelate, comitantibus tensione ac dolore vehemente, item in erysipelate in gangraenam inclinante, humida omnino, et quidem ibi cataplasmata aut fomenta emollientia ad infracta usque phlegmones symptomata, hic fomenta aromatica cum pauco vini, spiritus vini, spir. vin. camphor., aceti vin., acet. aromatici cum emolumento usitantur.

§. 612. Ubi erysipelas *idiosyncrasiae* ventriculi et tubi intestinalis erga nonnulla esculenta v. gr. fraga, ostreas etc. effectum sistit solum aut praecipuum: substantiae istae per emeticum aut purgans cito eliminari debent, dein erysipelas, habito continuo ad residua forsan symptomata gastrica, febrisque gradum et characterem respectu, interne ac externe uti erysipelas a refrigerio, curari.

§. 613. Erysipelas ab insigni hepatis aut systematis totius venae portarum adfectione pendens, et cum polycholia, hepatis aut aliorum viscerum abdominis tumore, dysmenia aut amenorrhoea suppressionis etc. nexum fovens causalem, externe ut ante illustratum, interne vero simul cum morbo causali et adtentione ad febrim comitantem ita debet tractari, ut iste antibiliosis, solventibus, evacuantibus tollatur. Qui si auferri nequit, opportunitatem in erysipelas alit, quod ipsum solito diutius protrahitur, segniter et imperfecte resolvitur, facile recurrit, habituale saepe evadit. Therapia ejusdem cum prudenti semper circumspectione fiat necesse est, ne id in senibus praesertim et cachecticis evolvi praepediatur, evolutum ne retrocedat, ejusque loco graviores organorum internorum morbi explicentur.

§. 614. Erysipelas *bullosum* interne ad normas hucusque traditas, externe ad modum erysipelatis a refrigerio (§. 611.) curandum; bullae tamen ampliores forficula incidi possunt, fluidum contentum acre emitti, ultro secretum ope spongiae purae aut lintei mollis iteratim excipi, crustae succedentes, si tensione vexant, nec sponte dehiscunt, infusis tepidis herbae althaeae, malvae etc.: subtiliter fomentari, vel cremore lactis, oleo amygdalino etc. tepido obliniri, ut emollitae ad celerem disponantur secessum.

§. 615. Erysipelas *neonatorum* rationem medendi, inflammationis causae excitanti, sedi, magnitudini, indoli et cognito decursui, nec non febris gradui atque characteri perfecte ubique adcommodatam exposcit. Quare penes therapiam topicam notam universalis jam caute solvens et evacuans, jam sudorifera, jam incitans, in systema nervosum et cutaneum specialius directa, indicabitur.

§. 616. *Crisis* febris, speciatim evacuationes alvinae et adeo essentialis aucta diaphoresis, juxta praecepta diriguntur, saepius jam repetita. — Desquamatione erysipelatis contingente tegmina simplicia vel fomenta sicca calida superius nominata continuare, resolutione autem tumoris nimis inerte virtutem addito pulvere flor. sambuci, aut pauxillo camphorae intendere convenit.

§. 617. Tempore convalescentiae pro recidiva praecavenda liberrimam cutis functionem, transpirationem in specie modice largiorem sustinere, partemque ante inflammatam non a frigore solum, intumescentiam chronicam et indurationem facile inducente, strenue defendere, sed ad tumoris usque discussionem calefaciendo etiam et leviter incitando curare, summi est momenti. Cutis porro et loco prius inflammato et qua late patet firmari, roborari, atque morbus ad erysipelas disponens, sive in cutis totius debilitate ac magna receptivitate chronica, sive in adfectione systematis gastrici, uteri etc. consistat,

quoad fieri potest, auferri debet. Priorem in finem atmosphaera libera tepida initio et sicca, non ventis agitata, praesertim aër ruralis, cauta successiva vicissitudinum temporis ac tempestatis adsuetudo, successivus ab integumentis, vestibus nimis calefacientibus, plumosis stragulis etc. recessus, subtilissima cutis, excepta plaga erysipelate tentata, frictio ope linteaminis aut panni mollis quotidie iteranda, balnea initio tepida simplicia, serius leviter aromatica, tandem successive et lotiones et balnea egelida, frigidula imo inserviunt. Chronici viscerum abdominalium morbi curam casus specialis quivis penitius indicat. — Caeterum modus convalescentiam promovendi, pro charactere quoque febris superatae inflammatorio, aut nervoso vel putrido, variat.

§. 618. Erysipelati ulcerato, gangraenoso, indurationibus subsequis etc. therapia opponenda, qualis contra mala inflammationum posthuma in genere (§. 287. etc.) commendata est.

Classis III. *Efflorentiae cutaneae.*

Cap. I. *De efflorescentiis cutaneis in genere.*

Sect. I. *Definitio, descriptio, causae, natura, differentiae, prognosis, therapia efflorescentiarum cutanearum in genere.*

§. 619. Morbi cutanei sensu latissimo adfectiones audiunt omnes, quae vel solis competunt integumentis communibus, vel propria horum conditione speciatim modificantur. His et *efflorescentiae*, *eruptiones cutaneae*, *exanthemata* (ab ἐξ, et ἀνθέω, floreo) continentur. De quibus jam *Fernelius*, postea *van Swieten*, *Burserius*, *P. Frank*, *Conradi* tractarunt. Istorum virorum sensu et ego *efflorescentiarum cutanearum* nomine *omnem* designo *eruptionem in cute, sive elata ea sit et nodulorum, papularum, pustularum aliave forma exstans, sive plana, et non tactu adeo quam visu, ex colore cutis alterato, cognoscenda.* (Conf. §. 37.)

Nota. P. Frank efflorescentias cutaneas acutas a chronicis distinctas, et exanthematum titulo illas, impetiginum istas, duabus in classibus sejunctas, pertractat. Epitom. L. III. et IV. Hic vero classes ambae titulo ante dicto collectae considerantur.

§. 620. Efflorescentiae cutaneae quum hujus definitionis vigore non ejusdem primario sint naturae, non *unam*, febrium et inflammationum in modum, *naturalem* constituunt *morborum classem.* Quare de diagnosi illarum, de prognosi ac therapia in genere nonnisi pauca, omnes spectantia, proferre licet; hinc et a variis noso-

logis disjunctim diversis insertae classibus inveniuntur. Sic *Sauvages* easdem tribus vitiorum, phlegmasiarum, et cachexiarum classibus distribuit, — *Linnée* duabus classibus morborum exanthematicorum et cachexiarum, — *R. Vogel*, *Cullen*, et *Swediaur* tribus pyrexiarum, cachexiarum et vitiorum s. morborum localium, — *Sagar* tandem quatuor classibus vitiorum, cachexiarum, exanthematum, et phlegmasiarum dispersas collocarunt. Ast talis efflorescentias cutaneas dirimendi modus omnibus numeris absolutus non est, et classificatio mea sub conspectum eundem colligens omnes, indolem tamen earum variam in subdivisione non negligens, ad diagnosim, prognosim ac therapiam facilitandas ac firmandas securius ducere videtur.

Hujus opinionis absque dubio et auctores fuerunt, de morbis, aut et de efflorescentiis cutaneis speciatim tractantes. Eminent inter istos:

Mercurialis, de malis cutaneis. Venet. 1572.

Bonacursius, opusc. de malis extern. Bonon. 1656.

Hafenreffer, nosodochium, in quo cutis eique adhaerentium partium adfectus omnes singulari methodo curandi fidelissime traduntur. Ulm. 1660.

Turner, Abh. v. d. Krankheiten der Haut. A. d. Engl. Altenb. 1766.

Ann. Car. Lorry, tractat. de morbis cutan. Paris. 1777. 4.

I. I. Plenk, doctr. de morb. cutaneis. Edit. 2. auct. Vienn. 1783. 8.

Burserius, *P. Frank*, *S. Vogel*, *C. W. Hufeland*, *Fr. Marcus*, *W. Conradi*, *A. G. Richter*, *J. Chr. Reil* opp. citat.

Die Hautkrankheiten u. ihre Behandlung. Systemat. beschr. von *R. Willan*. A. d. Engl. übers. v. *Fr. G. Friese*. 4 Bde. m. color. Kupfern. Bressl. 1799—1817.

Alibert, descr. des maladies de la peau. A Paris 1806. — Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. A Paris 1810.

Th. Bateman's prakt. Darstellung der Hautkrankheiten, nach Willan's System bearbeitet. A. d. Engl. übers. von *Hanemann*, mit Vorrede und Anmerkungen von *K. Sprengel*. M. 1 Kupf. Halle 1815. 8.

Jos. Frank, prax. med. univ. praecept. P. I. V. II.
Fr. W. Nusshard, Skizze einer Dermato-Pathologie m. physiol. Vorbemerkungen etc. M. 1 ill. Kupf. Prag 1816. 8.

§. 621. *Diagnosis* efflorescentiarum cutanearum completa multis premitur difficultatibus, pro parte nedum semovendis. Vastissimum enim illarum agmen obiter lustrantibus formae objiciuntur tam multifariae et differentes, ut de una omnium natura dubitare omnino fas sit. Varia itaque illorum *natura* insuper in paucissimis modo patet, in multis necdum satis recondita, in pluribus prorsus ignota est. *Forma* characteristica quandoque penitus desideratur, uti in febre variolosa sine variolis, in morbillosa, scarlatinosa sine morbillis, sine scarlatina; — forma evoluta ejusdem eruptionis cutaneae non cum stadiorum solum progressu plurimum saepe variat, sed constantior etiam unius speciei ab alterius habitu quandoque vix differt, imo causis lateralibus modo insensibili saepissime inducitur aliena, quae cum propria facile confunditur. *Decursus* ejusdem eruptionis pro dispositione, momento excitante, influxibus lateralibus in- aut externis, complicatione, imo therapia instituta etc. jam rapidus jam segnis est, jam vehemens jam moderatus, jam regularis jam irregularis; — *duratio* nunc brevis nunc longa; — *terminologia* auctorum nec sat logica ubivis, nec necessitati respondens, nec omnium una ac eadem. *Delineationes* et *icones* nonnullarum, nitidissimae etiam ac summe artificiales, non solum vix unquam assequuntur naturam, morbique faciem in singulis tantum stadiis reddunt, sed omnibus etiam, quae tactum aut olfactum unice feriunt, notis destituuntur.

Ut firma igitur et, quoad fieri potest, completa eruptionum cutanearum diagnosis in genere obtineatur, singulas illarum similitudines et differentias tum essentiales tum accidentales colligere, examinare, omniaque adminicula eo facientia, formam puta, magnitudinem,

decursus rationem etc. exactissime indagare et pensitare oportet.

§. 622. Efflorescentiae cutaneae forma, ut dictum, plurimum variantes multas similitudines ac differentias, maxima ex parte caeteris quoque morbis communes, exhibent quoad originem, sedem in partibus integumenta communia constituentibus, decursum, durationem, influxum in organismum totum et in alios homines, nec non cum aliis morbis connubium. Sunt enim *substantivae* et dependentes seu *symptomaticae; primariae* et *secundariae; idiopathicae* et *sympathicae; epidemicae, endemicae* et *sporadicae;* — in *reti mucoso Malpighii*, in cute ipsa, in membrana mucipara *cavi oris* totiusque *primarum viarum* tractus, sedem figentes, imo in membranosis *variorum viscerum* velaminibus et involucris conspectae; — *acutae* et *chronicae, febriles* (et quidem febri essentiali aut non essentiali junctae) et *non febriles;* — *contagiosae* et *non contagiosae; purae* et *complicatae.*

Utut similitudines istae ac differentiae majoris minorisve sint momenti practici, nulla tamen, neque communissima in efflorescentias acutas et chronicas, distinctio diagnosi statuendae et therapiae tuto indicandae sola indonea est, atque sufficiens.

§. 623. Propius ad has *differentiae* ducunt *formae*, qua eruptio quaelibet nisi ab ortu semper ac per omnem decursum, certo tamen, formationis nimirum perfectae, in stadio constanter ac eminenter notatur. Hoc respectu characteristicae quibusdam efflorescentiis cutaneis sunt *maculae* circumferentiae et figurae diversae, quemadmodum scarlatinae et morbillis; aliis *tubercula* inflammata in suppurationem, vel humorum serosorum aut lymphaticorum secretionem abeuntia, ut variolae, vaccinae, varicellae, aliis *vesiculae* aut *vesicae* humore seroso aut lymphatico turgidae, ut miliaribus, pemphygo; aliis epidermidis in *squamulas* exsiccatio ac seces-

sus, quemadmodum porrigini, ichthyosi, leprae Graecorum; aliis tandem *noduli* in cute formati, uti strophulo, prurigini, aut cutis in *nodos* vel *tubera* degeneratio, ut acnae et leprae Arabum s. elephantiasi.

§. 624. Eruptiones cutaneae frequenter non morbi sunt substantivi et speciales, sed variorum potius *morborum symptomata* sistunt, ut infra ostendetur. Harum igitur phaenomena nonnisi partem formae morbi totius constituunt.

§. 625. Nonnunquam efflorescentiae cutaneae versus malorum acutorum finem prodeunt, et partem *criseos* nunc magis nunc minus eminentem, semper maximi faciendam exhibent; hinc *criticae* adpellantur.

§. 626. Haud rarius efflorescentiis varia phaenomena morbosa, partim in functionibus et qualitatibus sensibilibus organi cutis, partim in functionibus et productis systematis vegetativi cuti intime juncti aut singulorum ejus organorum obvia, sociantur. In nonnullis et quidem in acutis et contagiosis phaenomena haec praesertim propagines cutis in interiora et systema sanguiferum; in aliis, speciatim in chronicis, singula potius vel et omnia organa chymo, chylo, lymphae, sanguini parandis, aut multiplici secretioni aut excretioni dicata concernunt. In prioribus v. gr. typho, scarlatina, morbillis, variolis adfectionem eminentius dynamicam, et quidem membranarum mucipararum varia extensione, plus minusve phlogisticam, et febrim; in reliquis v. gr. herpete, tinea capitis, lepra, adfectionem eminentius materialem exprimunt, assimilationem scilicet, sanguificationem, nutritionem quantitate et qualitate peccantes, se- et excretiones singulas vel omnes quantitative et qualitative vitiatas.

Caeterum jam efflorescentiarum causas, jam effectus, jam earundem, quae efflorescentias produxerunt, causarum coëffectus sistunt. Hasce phaenomenorum memoratorum relationes ad eruptiones cutaneas eruere, maximi pro diagnosi et therapia momenti est.

§. 627. *Adfectiones nervorum*, imprimis altioris eorum systematis, utut in acutis nonnullis v. gr. ante variolarum, scarlatinae eruptionem et sub hac ipsa, raro penitus absint, essentiales tamen comites minime constituunt; illarum, sicubi immiscentur, ratio potius (typho excepto) individuali aegrorum constitutioni, morborum magnitudini, complicationi, eruptioni ipsi, aut decursui efflorescentiarum erroneis adscribenda est.

§. 628. *Febris* paucis modo efflorescentiis essentialis adhaeret, febrilibus inde, acutis vocatis; non essentialis tum acuta tum chronica (hectica, depascens) vix non cunctis caeteris potest adsociari.

§. 629. Ut *febris* efflorescentiarum acutarum comitis *ratio ad efflorescentiam* definiatur, formam morbi exanthematici puram, decursumque simplicem, benignum ac regularem exactissime considerare, atque cum specifica mali causa conferre necesse est. Hisce et forma et decurrendi modo obtinentibus, vario post contagii aut specificae generatim noxae actionem intervallo, rarius deficientibus quam praegressis prodromis diversis, intrat *febris*, quae continua remittens unum, duo aut tria post nycthemera cum inchoante exanthematis proruptione minuitur, cum hac absque turbationibus perfecta sub consuetis phaenomenis et excretionibus criticis judicatur. Communis noxae specificae et organismi reactionis effectus, adeoque *primaria* censenda est haec febris, *exanthema* vero pro *eruptione* in cutem *critica* habendum, quae a specifica causae morbificae indole et ab actionis loco potissimum pendens, nunc ut morbus cutaneus substantivus cursum suum jam sine jam cum febri absolvit. *Sine febri* autem decurrit, si non febris solum primaria et essentialis exstincta, sed eruptio etiam cutanea nec indole sua nec intensitate aut extensione par est febri in aegro individuo suscitandae; — *cum febri*, si vel febris primaria ex causa quacunque (v. gr. morbo acuto coëxistente) ultra normalem terminum, perfectam exanthema-

tis eruptionem, perseverat, vel exanthema indole sua (v. gr. phlogistica), vehementia aut expansione larga, favente inprimis dispositione individui aut constitutione epidemica stationaria vel annua, recentem valet producere febrim. Quae symptomatica est, et non essentialis. (Conf. *Sydenham*, Obs. med. etc. Sect. III. c. 2. et *M. Stoll*, rat. medend. etc. P. II. p. 229. et seq.)

§. 630. Quaelibet efflorescentia, ut morbus omnis, *decursum* facit vel regularem, normalem, vel irregularem, anomalum. Non turbata quaelibet certam offert decurrendi rationem, *stadia* nempe prodromorum, eruptionis ac formationis, incrementi, acmes, decrementi et finis permeando; caeterum aliae haec celeri aliae lento passu, imo quandoque jam cito jam lente eaedem percurrunt. Nec tamen ista decurrendi ratio, nec morborum et stadiorum singulorum duratio in genere definiri accuratius possunt.

Prodromi febrilium ac *essentialium* manifesti, nunc unico nunc aliquot nycthemeris antecedentes, multum variant; jam cutem jam et reliquum spectant organismum; singuli nunquam, collecti rarissime pathognomici. — *Eruptio* nunc celeris est nunc lenta, et, *quousque perfecta nondum fuerit*, dubiam saepe formae diagnosim relinquit. — *Forma* efflorescentiae evolutae primaria vix non in omnibus inconstans, uni solum alterive stadio characteristica, serius vix ullum sui vestigium relinquens, generatim pro causis et stadiis varians. — *Incrementum* ac *decrementum*, ut in omni morbo, ex symptomatum efflorescentias concomitantium vel vehementia, vel extensione, numero, vel utrisque auctis ac imminutis, — *finis* iisdem penitus evanidis, innotescit.

Symptomaticarum efflorescentiarum decursus, utut morborum principalium tenens normam, stadiis tamen eorum haud semper respondet. Istorum enim quidam nonnisi certam intensitatem nacti efflorescentiam habent comitem, ultra acmes stadium non persistentem; alii cum

efflorescentia incipiunt cursum, absque hac vero (jam finita) segnius absolvunt reliquum; alii solum decrescentes efflorescentiam producunt, qua perfecte vel imperfecte judicantur.

Chronicarum complures cito quidem decurrunt, sanationem tamen necdum aut vix impetratam eruptione nova ad eandem vel contiguam plagam, vel et remotam excipiente, et hac scena multoties iterata in menses protrahuntur et annos, quemadmodum herpes, achores, tinea, crusta lactea; aliae uno in stadio diutissime remorantur phaenomenis nonnullis jam auctis jam imminutis absque conspicuo reali ad sanationem progressu, v. gr. herpetes, tinea, scabies inveterata, lepra Graecorum etc.

Certa autem, *normalis* dicenda *decurrendi ratio* efflorescentiarum tum acutarum tum chronicarum momentis variis in- et externis multifariam saepe mutatur, cursu ipso jam accelerato jam tardato, inhibito, retrogrado, irregulari; unde forma obscura, aliena redditur, diagnosis proinde difficillima, incerta, nulla. Spectat huc rarum exanthematis duplicis connubium; morbilli nimirum cum variolis aeque ac varicellis, scarlatina cum varicellis in eodem subjecto concurrere visae sunt.

§. 631. Quaedam uni corporis regioni stricte adhaerent, aliae modo hanc modo illam obsident, vel ex altera in alteram migrant; aliae perstant, aliae per vices disparent, intervallis jam fixis jam vagis reversurae.

§. 632. *Duratio* efflorescentiarum adeo variat, ut aliae paucis horis aut uno alterove nycthemero absolvantur, aliae in septimanas, menses, annos excurrant, totam imo sic premant vitam. Ipsa eadem eruptio jam brevis jam longae durationis est, ut scabies, herpes testantur. — Acutarum et contagiosarum stadia bina spatium septem dierum emetiri consueverunt.

§. 633. Aliae in *salutem* abire saltem possunt, quin remediorum usus inevitabilis sit, quemadmodum acutae omnes simplices ac purae, sub decursu miti et regulari,

regimine congruo non neglecto; aliae natura sola operante sine artis adjumento vix unquam sanantur, ut scabies, lepra, elephantiasis. — Transitus in sanitatem notari solet vel successiva solum efflorescentiarum imminutione ac exarescentia cum epidermidis exsiccatae et forma furfurum aut laciniorum secedentis restitutione, cum desquamatione, crustarum lapsu etc., vel simultanea aut jam praegressa symptomatum variorum comitantium v. gr. febrilium, gastricorum, nervosorum etc. mitigatione, cessatione. Febris acutarum contagiosarum primaria et essentialis, eruptionem antecedere solita, nisi hac perfecta jam evanuerit (§. 629.), ante ejus finem judicari amat.

§. 634. Morborum *secundariorum* indole ac sede variorum frequentiores sunt: inflammationes chronicae sed et acutae, suppurationes, ulcera, hydropes, collectiones variae metastaticae, pseudo-abscessus, indurationes et s. p. jam in integumentis ipsis, jam in eorum propaginibus ad varias, praesertim durante efflorescentia eminenter consentientes partes, quemadmodum in faucibus post scarlatinam, in larynge, trachea, bronchis, pulmonibus, ventriculo et intestinorum tractu post morbillos, variolas etc., multiplici cum eventu. Fontes malorum posthumorum, inflammationum imprimis in internis vehementium, metastasium etc. periculosarum, nec non quandoque subito lethalium, speciales suppeditant: evolutio normalis impedita, evolutarum intensitas nimia, deviatio, suppressio, complicationes, crisium turbae.

Citra memoratos morbos secundarios aliae imprimis acutae efflorescentiae *mortem* sua inferunt vehementia, aut specifica indole, febre in nervosam vel colliquativam mutata, malignitate, deleteria singulorum symptomatum natura, complicatione, — aliae praesertim chronicae duratione pertinacissima et progrediente interea totius organismi adfectione, attenuatione, consumtione

virium compagisque organorum, humorum dyscrasia, liquatione, hydrope, tabe.

§. 635. In generandis efflorescentiis cutaneis momenti *disponentis* et *excitantis* efficacia adeo inaequalis saepe animadvertitur, ut morbo producendo jam sola dispositio, jam momentum solum occasionale sufficere videatur. *Disponunt* autem ad illas in genere, quae multifariae cutis functioni, praesertim tam propriae vegetationi ejus quam absorptioni, receptivitati et conductioni, se- et excretioni alterandis favent; uti sunt: magna teneritudo, sensibilitas, mollities, polyhaemia vel solius cutis, vel caeteri quoque organismi, quales aetati infantili et puerili communes sunt, sexui sequiori prae masculo etiam provectiore vitae periodo conveniunt, aliis infelici sorte haereditariae, aliis ex prava, delicatula educatione, nimio imprimis integumentorum, cubiculorum fotu, aliis morbo vario adquisitae; sed et ex opposito laxitas, rigiditas, humorum penuria, dyscrasia (scrophulosa, scorbutica, arthritica, syphilitica etc.), virium vitalium in assimilando, reproducendo, se- et excernendo debilitas, quales in senibus, cachecticis, exhaustis inveniuntur. Hinc extremae periodi vitae humanae, juventus et senectus, morbis cutaneis, origine tamen, natura et forma differentibus, maxime subjectae cernuntur. — Conditio memorata cutis et functionum ejus, cum constitutione individuali tota intime nexa, summum in assimilationis, se- et excretionis statum universalem exercet influxum, unde nunquam dispositionem mere topicam i. e. ad organon cutaneum limitatam exhibet, haereditaria caeterum sit vel adquisita.

Dispositio ad speciales efflorescentias jam ab aetate, a dentitionis, pubertatis, menstruorum, graviditatis, partus et puerperii periodis, ab organorum cum cute plurimum consentientium morbis, jam a climate, anni tempore ac tempestate, aëris ambientis, vestitus, victus, vitae generis, curae cutis etc. conditionibus definitur. —

In efflorescentias specificas, contagiosas dispositionem non aliam, ac omni fere homini communem, annis infantilibus praecipue vigentem requiri, compertum habetur.

Ad potentias *morbificas a) idiopathicas* spectant: potens contagii multiplicis actio; spurcities a rebus contaminantibus, neglecta cutis mundandae cura; aër calidus nimis aut frigidus, aut humidus, subito multumque varians, haeterogeneis, vaporibus, fumo, pulveribus onustus; lux radiorum solis intensa; vestimenta inconsueta, aspera, irritantia quemadmodum lanea, pilosa; laesiones cutis traumaticae, chemicae, dynamicae, animales per unguenta, emplastra, lotiones, balnea acria, aromatica, spirituosa, uti kalina, sulphurea, muriatica, antimoniata, hydrargyrosa etc., vapores et succos vegetabilium quorundam acres v. gr. rhois radicantis et toxicodendri, urticae, sinapis, euphorbii, mezerei etc., humores acres et puncturas morsusve animalium nonnullorum: pediculorum, culicum, cimicum, muscarum ac vesparum quarundam, acari exulcerantis, cantharidum, gordii dracunculi s. venae medinensis; — *b)* ad *sympathicas:* irritamenta gastrica, speciatim ingestio nimis larga esculentorum potuumve admodum pinguium, salsorum, acidorum, aromaticorum, spirituosorum, generatim acrium, — in nonnullis individuis esus fragorum, piscium, cancrorum, ostrearum, mitylorum, carnis suillae, anserinae; sordes ab ingestis primariae aeque ac ab humoribus inquilinis, succo gastrico, enterico, pancreatico, bile, muco, copia et qualitate vitiatis effectivae, secundariae, ipsarum faecum accumulatio (*Stoll* rat. med. P. I. p. 44.); se- et excretiones harum et illorum, nec non urinarum, sudoris, mensium, haemorrhoidum aliorumve profluviorum normalium aut habitualium quibuscunque morbis vel noxis, quas inter onania altiorem tenet locum, turbatae, suppressae. Huc et *morbi* referendi sunt *universales* systema cutaneum, uti rheumatalgiae, vel assimilationem vitiosam concernentes, quemadmodum

scrophulae, infarctus viscerum abdominis, turbae systematis venae portarum, hysteria, hypochondriasis cum materie, arthritis, chlorosis, helminthiasis, scorbutus, syphilis, diathesis cancrosa.

§. 636. Circa efflorescentiarum cutanearum *naturam* ex hucusque expositis sequentia proferre licet: Efflorescentiae, quotquot sunt, in eo conveniunt, quod in cute et nonnullis ejus ad interiora propaginibus communem habeant sedem; quod, utut ante evolutionem mutationibus dynamicis jam manifestis jam saltem jure supponendis stipatae, conditionem cutis materialem apertius ac dynamicam laesam exhibeant efformatae, adeoque ad morbos, quos vegetationis vocant, potius quam ad eos incitationis spectent; quod proinde omnes, substantivae sint vel symptomaticae, idio- vel sympathicae, in cutis singularumque ejus partium processu vitali non tam quantitative quam qualitative vitiato proprie consistant. Hoc sensu *Reil* (l. c. §. 3) congrue declarat, exanthemata status esse abnormes, in quibus peculiaris adest anomalia processus vitalis, visibili cutis mutatione in conspectum erumpere tendens. — Ratio autem proxima hujus anomaliae non, ut *Reil* opinatur, in unica functione respirationi analoga cutis adfecta haeret, sed jam in hac potius, jam in humorum cutis copia, proportione, qualitate vitiosis, jam in motu eorum anomalo, jam in se- et excretione incongrua, jam in nutritione morbosa, nisi omnis, saltem pro maxima parte quaerenda est. Functionum istarum tum communium tum propriarum laesio cum reactionis vitalis topicae vel simul universalis nunc exorbitantia nunc defectu, et cutis sensibilitate, irritabilitate, robore, firmitate, ut superius §. 626 etc. dictum, nunc auctis nunc imminutis, incedit, quin alterutri soli innitatur.

De *formis inde prodeuntibus*, qua naturae efflorescentiarum signis, sequentia notentur: In acutis plerisque et chronicis nonnullis adfectio subinflammatoria, vel in-

flammatoria in cute per unum alterumve saltem stadium sat constans eruptionum comes observatur. Haec adfectio in aliis phlogosin formatam, irritationem modo inflammatoriam in aliis exhibet; utraque vel omnem formam et decursum morbi cutanei explere, vel qua pars solum et comes accedere, citoque praeterire conspicitur, multifariam autem momento multiplici in- et externo variata, propriam ubique modificationem offert. Eruptiones enim cutaneae (pro causis ac sede in cute diversis) jam inflammationem acutam vel chronicam sub forma macularum planarum vel nodulorum, tenuis sphaerae segmenti adinstar modice elevatorum, praeseferunt, et in resolutionem tendunt, productum morbosum in loco adfecto nec nunc generantes nec post se trahentes, quemadmodum scarlatina, morbilli, rubeola, urticaria; jam stadio inflammatorio mitiore, aut desinente validiore morbosas humoris serosi, seroso-lymphatici, lymphatici, purulenti, ichorosi secretiones ostendunt cum formatione papularum, vesicularum, bullarum, pustularum, in furfures, squamas, crustas suo tempore abiturarum; exemplo sint: strophulus, lichen, prurigo, — miliaria rubra, herpes, rupia, eczema, aphthae, — pemphygus, — varicella, variola, vaccina, psora, porrigo, — ichthyosis, lepra, elephantiasis. In utroque casu eruptio cutanea vel in cute suas figit radices nec ultra protensas, causamque excitantem externam et topicam supponere sinit, adeoque idiopathica est, vel cum morbo interno a cute remoto nexum fovet, sympathica (aut et critica), radices vel ab assimilatione incongrua, et quidem a chymi, chyli, lymphae, sanguinis elaboratione vitiata, vel a se- et excretionum turbis repetens. Fontem igitur hujus (sympathicae) atque sinum maternum vel in organorum digerentium, chyliferorum, systematis lymphatici, circulatorii ac pulmonum adfectionibus cum succi gastrici, enterici, pancreatici, bilis, chymi, chyli, lymphae, sanguinis ipsius quantitate, qualitate aut utraque vitiosa, vel

in excretionum alvinarum, se- et excretionum bilis, lotii, sanguinis menstrui, haemorrhoidalis, ipsius materiae perspirabilis etc. statu anomalo quaerere licet.

Adsertum tamen auctorum *Marcus* (Spec. Therap. B. 3. S. 25 etc.) et *Haase* (Handb. d. chron. Krankh. B. 3. §. 582), essentiam efflorescentiarum in inflammatione consistere, nimis generale est, adeoque parum statuens. Petechiae enim, squamae, tubera, naevi maculosi etc. nil inflammatorii, nil irritativi continent, imo herpes nonnunquam, miliaria etc. colliquativae occurrunt indolis; et in supra memoratis, utut notae subinflammatoriae vel inflammatoriae junctis, conceptus de inflammatione minime sufficit speciali singularum v. gr. scarlatinae, morbillorum, variolarum, vaccinae, urticariae, tineae, strophuli etc. characteri vere essentiali dilucidando. Vera harum notae inflammatoriae modificationum ratio pro certo indicari nequit; liquet modo, illam nec in sede varia efflorescentiarum, juxta *Marcus* hypothesim, in reti vasculorum capillarium infra rete mucosum *Malpighii* expanso, atque earum versus hoc ipsum aut versus corium directione, nec in varia noxarum excitantium indole, nec in actionis earum atque organismi in eas reactionis intensitate solis haerere, sed in perfecta potius omnium istorum momentorum notione et combinatione prudente solidaque inveniendam aliquando fore. Eousque nil, nisi essentialia, quae efflorescentias per decursum totum aut per singula stadia constanter comitantur, phaenomena cuncta colligendo, et rite pensitando, ad naturae earum diagnosin quam proxime accedere datur.

§. 637. Circa *prognosim* pauca proferri possunt valoris communis. Penes aegri ac circumstantiarum in eum agentium, causarum, constitutionis epidemicae etc. conditionem in omni prognosi respiciendam, specialius adhuc efflorescentiae ipsius indoles et vera origo, forma, magnitudo, eruptionis ac decursus ratio, stadium, duratio, versatilitas, complicatio, adfectionis simultaneae univer-

salis gradus ac modus, febris praesentia, absentia, intensitas, character, ad efflorescentiam relatio, porro ab ejusdem eruptione febris aliorumve phaenomenorum universalium aut complicationis dignioris facta mutatio fausta, infausta, nulla, denique symptomata per efflorescentiam protractam, aut suppressam aut regressam inducta, probe attendenda veniunt.

Quo magis efflorescentia ex dispositione quadam haereditaria aut connata suam ducit originem, eo rarior ejus sanatio. Cutis aut laxa nimis aut densa multum obest sanationi. Quo magis autem causis externis producebatur ac hucdum alitur, quo facilius hae amoveri queunt, quo minus inde hucusque reliquus patiebatur organismus, eo certius impetrari sanatio solet. — Sympathicarum et symptomaticarum eruptionum duratio ac sanabilitas conditiones morborum idiopathicorum et principalium sequuntur. — Metastaticae et criticae, quandoque per universam superficiem diffusae, justo sub tractamine morbum principalem respiciente, utplurimum brevi sanari, inhibitae vero, cito suppressae effectus inducere pessimos conspiciuntur. (Conf. §§. 625. 633.)

Majori epidermidis ipsiusque cutis degenerationi difficilior respondet therapia, majorque in cachexias propensio.

Omnis efflorescentia chronica et habitualis ad relativam individui sanitatem jam spectans, ardue sanatur, curamque exposcit admodum circumspectam, quia non solum ab uno pulsa in altero erumpit integumentorum communium loco, sed vel maxime quia morbosa cutis adfectio facile in membranosa viscerum nobilium organa cum periculo trajicitur. Haereditaria difficillime, si unquam, et saepe non sine damno sanatur. Ita eruptiones in senibus. Diuturnae infantum, therapiam eludentes, quandoque serius, praesertim ingrediente pubertate sponte ac sine malis cessant sequelis. Debilium, exhaustorum, cachecticorum efflorescentiae in suppurationes, ulceratio-

nes, metastases, hydropem aliaque mala posthuma transire amant.

Febrilium exanthematum eruptioni praecedentes saepe turbae systematis gastrici, circulatorii, nervosi, summum quandoque minantur periculum, eruptione autem ad normam facta illico mitigari solent, brevique componi.

Febres intermittentes, insultus arthritici, nevroses variae imo vesaniae, hydropes nonnunquam erumpente ad cutem morbo sublevantur, cessant; malo e contra omine talis cutaneus ad inferiora vertitur. Repulsio repentina pessima. — Symptomata ab efflorescentiis suppressis, repulsis, partes internas communiter membranosas spectantia, formam irritationis aut inflammationis, magno in secretiones morbosas, effusiones cum nisu, praeseferre consueverunt, saepe periculosa, quandoque subito lethalia.

Prognostica minus generalia, ad singulas potius reservanda species, suis subjungentur locis.

§. 638. *Cura* efflorescentiarum in genere juxta indicationes generales statuenda, causis imprimis, morbi indoli, formae, magnitudini praesertim adfectioni simul universali, stadio, praesenti forsan complicationi, individualitati aegri adcommodanda est.

Causa excitante idio- aut sympathica cito satis et apte sublata, enervata, morbus cutaneus saepe praevertitur, aut brevior redditur, certe mitior. Hoc de variolis v. gr., de scarlatina, morbillis, typho contagioso valet, dum contagium cuti aut membranae mucosae narium, faucium etc. adhuc adhaerens iners vel agere primo inchoans aufertur abluendo, sternutando, mungendo, screando, vomendo etc., vel decomponitur vaporibus chloricis, nitrosis, muriaticis, lotionibus, balneis saponatis, kalinis, acidis et s. p.; idem de urticaria aliisque sympathicis, dum saburrae gastricae emetico, purgante etc. eliminantur. — Efflorescentiis a se aut excretione normali vel habituali suppressa occurritur,

dum therapia ad eam revocandam, supplendam necessaria instituitur, indicationibus generalibus adaptanda. — Si morbus aliquis fontem eruptionis, adeoque *symptomaticae* sistit, v. gr. scrophulae, arthritis, chlorosis, syphilis etc., cura illius in has potissimum convertatur necesse est, uti mox tradetur.

§. 639. Quoad efflorescentiae ipsius curam, sequentia notare juvat: Saepe illa nec positive nec directe tractanda, sed, sub congruo tamen regimine, sibi relinquenda, et nonnisi cuncta naturae medicantis impedimenta arcenda sunt, amovenda, adeoque juxta indicationem alibi (Instit. general. in prax. clin. Vindob. 1829. §. 114.) fusius a me expositam, *expectandum est.* Ejusmodi casus obveniunt v. gr. in exanthematibus acutis, quousque simplicia, pura, regularia ac levia inveniuntur, absoluto stadiorum curriculo sponte in salutem terminandis; in strophulis, urticaria, aliquando in herpete levissimis; in eruptionibus iisdem salutaribus aut criticis; in variis, monente *Formey*, cum dentitione, evolutione pubertatis, menstruorum periodo nexum causalem habentibus; in habitualibus praesertim senum. His casibus exemtis, concessa igitur vel imo necessaria therapia positiva, prae omnibus definiendum est, num efflorescentia *morbum* sistat *substantivum*, vel morbi cujusdam *symptoma*, et in utroque casu, num *acuta* sit vel *chronica.*

§. 640. *Substantivae* efflorescentiae tractamen iisdem, ac morbi cujusvis substantivi, indicationibus regitur. Natura ejus impugnanda, et si quae adfuerint symptomata molesta nimis, gravia, aut periculosa, lenienda, tollenda sunt. Sive autem indoli efflorescentiae irritativae, inflammatoriae, vel colliquativae, vel inter utramque fere vacillanti opponenda sit curatio antiphlogistica, diluens, emolliens, vel antiseptica, erigens etc., semper morbi gradui et extensioni, stadio exacte adaptari debet, et cum therapia palliativa concordare. Ut curationis istius extensio rite queat definiri, in efflores-

centiis substantivis et idiopathicis examinare oportet, num efflorescentia topica adhuc sit, vel suos effectus jam ulterius, per totum forsan organismum, expanderit qualesque isti manifestentur. Examinantem praecipue efflorescentiae duratio, decurrendi modus, stadium, status aegri praegressus, atque symptomata universalia, illa durante fors evoluta, ducunt.

§. 641. Efflorescentiarum *symptomaticarum* cura iisdem, ac inflammationum symptomaticarum, principiis innititur. *Vel* enim in morbum principem solum dirigitur, cutis simul mundities colitur, omnisque nocivus tam idio- quam sympathicus arcetur ab ea influxus; *vel* morbus princeps aequabiliter cum efflorescentia symptomatica; *vel* haec prae illo imprimis curatur. Priorem medelae rationem efflorescentia levis, benigna, angustis circumscripta limitibus indicat, alteram et tertiam latius diffusa, valde molesta, anceps, aut imo periculosa. Methodi medendi remediaque in- et externa necessaria indoli, magnitudini etc. tam mali principis quam symptomaticae eruptionis adaptanda, sedulo cum cutis et totius organismi relationum dynamicarum et materialium respectu eligantur oportet. Empiria complura quidem offert remedia, multis eruptionibus praecipue chronicis debellandis partim eminenter idonea, partim reapse necessaria; horum tamen indicatio, et adplicationis modus non potest nisi in specierum tractatu congrue exponi. Sunt talia penes auram liberam, puram, mitem, munditiem in genere atque sedulam cutis depurationem, *externa:* unguenta simplicia, pinguia, sic et sulphur, plumbum, zincum, graphitem, hydrargyrum, carbonem praeparatum, acidum, saponem, kali continentia; lotiones simplices, vel decoctis variis vegetabilium, vel solutionibus saponis, kali, hepatis sulphuris, salibus plumbeis, mercurialibus etc. constantes; balnea ac thermae analogae; epispastica, vesicantia; fonticuli; — *interna:* decocta radic. bardan., cichor., saponar., sarsapar., caul.

dulcamar., lign. junip., guajac., cortic. mezer., rhois toxicodendr.; decocta *Pollini*, *Zittmanni* et similia; sulphur depurat., praeparata antimonii, et hydrargyri; emetica; purgantia et alia.

§. 642. In *efflorescentiis acutis curandis* tam febris indoles et gradus, quam exanthematis natura, copia, stadium, et mutua febris ac exanthematis relatio prope aestimentur. His vix non semper initio methodus medendi antiphlogistica et antiphlogistico-emolliens varia intensitate, uti in febribus inflammatoriis (§. 81.) et inflammationibus (§. 272.), cum attentione tamen indicatur, ne methodo antiphlogistica nimis heroica, vel protracta ille reactionis febrilis infringatur gradus, eaque directio pervertatur, quae ad efflorescentiam producendam, sustinendam, perficiendam omnino requiruntur. In decursu mitigata febre aut abacta, convenit methodus antiphlogistico-diapnoica, et nonnisi vera virium debilitate ingruente ac mutato quandoque febris charactere, medela requiritur incitans, irritans, jam in systema vasorum et in humores, jam in illud nervorum, quemadmodum in colliquativis febribus et nervosis (§. 123. et 144.) specialius dirigenda. Methodum autem initio et stadiis ulterioribus indicatam qualemcunque pro re nata mutari debere, proinde febris et exanthematis characteri, intensitati, decursus rationi, stadio, formae mutatis illico adcommodari, sponte intelligitur.

Symptomata magna aut gravia sicut complicationes pro fonte suo ac indole tractentur.

Eruptione exanthematis praecipiti et impetuosa, vel segni et imperfecta, vel anomala, investigetur primum causa, quae modo tam febri quam constitutioni aegrorum conveniente tollatur, enervetur.

§. 643. In efflorescentiarum *chronicarum* therapia, seu substantivae et idiopathicae, seu ab altero morbo profectae, symptomaticae fuerint, prae omnibus *duratio* earum inquirenda est. *Recens*, *idiopathica* et omni in-

tuitu non salutaris, absque mora curetur. Ad sanationem topica utplurimum sufficiunt remedia, si non eruptioni solum et causae et stadio etc. congrua, nunc refrigerantia, nunc excitantia, nunc emollientia, relaxantia, nunc adstringentia, nunc pacantia, nunc irritantia etc. adhibentur, sed diaeta pariter ac regimine adaequatis constantissime adjuvantur. Haec vero therapia non insufficiens modo, sed anceps etiam censenda contra efflorescentiam diuturnam, gravique humorum secretioni morbosae junctam. Talis enim vel mere symptomatica tractamen exposcit morbo principali opponendum; vel jam morbum ipsa induxit universalem, simul rite tractandum, et cura mere topica secretionem illam humorum cohibendo, supprimendo facile noceret. Ne inanis sit cura, et, quod multo severius perpendendum, ne localis sola horrendos saepe ac deleterios impetiginis suppressae, repulsae inferat effectus, *cautum* erit, localem therapiam facere lenem, *necessarium* tamen, internam simul eidem adjungere et universalem.

Quum et chronicae efflorescentiae sua permeent stadia, suasque indolis, formae, magnitudinis etc. subeant mutationes, curam his non respondentem toto decursu eandem minime ferunt, quin protrahantur, aut imo recrudescant.

Summae tandem necessitatis hic, ut in omnium malorum diuturnorum cura, *regimen* est tum physicum tum psychicum, quod omni ex parte congruum ordinetur, et ab aegro indefessa cum constantia strictissime servetur.

§. 644. Efflorescentia ad *finem* properante in febris indolem, intensitatem, in rationem criseos tum illi tum eruptioni competentem, nec non in virium vitalium statum et actiones attendatur. Quae *crisim* febris dirigendam spectant praecepta, jam in febrium tractamine (§. 86.) exponebantur; quae eam exanthematum concernunt, speciali singulorum curae aptius adnectentur. — Pari modo efflorescentiarum chronicarum ad terminum

vergentium, et *convalescentiae* universim ex his et acutis curatio in therapia speciali docebitur. Haecce quoad essentialia conformis est illi, quam convalescentia ex rheumatismis (§. 494.), catarrhis, erysipelate, sibi expetit.

§. 645. Eruptione quadam omni vel pro parte, eaque subito vel lente *regressa* aut suppressa, et morbo novo metastatico inde imminente aut jam orto, indicatur 1) hunc vel praepedire vel auferre, et 2) illam restituere atque ad pristinam in cute revocare sedem. Causalis haec eo promptius implenda est indicatio, quo graviores repulsio minatur effectus, aut jam intulit. Pro ea explenda regressus aut suppressionis tollere causam, et silentem cutis adfectionem restituere opus est, habita semper et morbi praesentis totius, febrilis seu afebrilis, et symptomatum, per metastasin aut metaschematismum recenter natorum, indolis ac sedis ratione. Tractamen in causam amovendam tendens variat pro multiplici hujus ipsius diversitate. In acutis, saepe essentialibus, efflorescentiis rationem recessus novorumque symptomatum jam in vehementia, protractione, recrudescentia febris primariae, jam in inflammatione gravi interna vel externa v. gr. per regimen justo calidius, per therapiam calefacientem, stimulantem, per animi adfectus excitantes etc. praesertim in subjectis juvenilibus, in febres ac inflammationes pronis, genio morborum phlogistico regnante recenter inducta, jam in variis complicationibus, jam in virium vitalium impedimentis, suppressione, vel vera debilitate statuque vigente nervoso aut putrido et s. p., — in chronicis vero, non raro symptomaticis, saepissime in morbi principalis mutatione invenire licet.

Tractamen in morbum noviter ortum auferendum tendens eo promptius suscipiatur oportet, quo citius is ortus est, quo ingravescit rapidius, et quo nobilius infestat organon. Methodus medendi et remedia juxta naturam ejus, formam, magnitudinem, stadium etc. definienda

et eligenda, quemadmodum in rheumatismi suppressi medela (§. 499.) exponebatur.

Indicationem hanc utramque cito et perfecte implendo malum restituere cutaneum consuetim conceditur. Id vero ut certius impetretur, in priorem mali sedem et in cutem universam directe simul agatur remediis pro rerum positione mox emollientibus et lenissime incitantibus, mox plus minusve irritantibus, phlogosin, secretionem morbosam singulis in plagis inducentibus, qualia sunt: fomenta, cataplasmata, lotiones, balnea topica et universalia jam simplicia tepida, blanda, jam varie composita et incitantia, irritantia; frictiones; cucurbitae siccae et scarificatae; sinapismi, vesicantia; unguent. e tartaro emetico; cortex mezerei, fonticuli; in nonnullis casibus, qui urgent, acetum radicale, ipsa moxa, et cauterium actuale. — Chronicis in eruptionibus artificialis plurimum saepe prodest, suppressae analoga, per unguentum stibiatum, tincturam cantharidum et s. invitata; aliquoties autem pristina renovata v. gr. per insitionem scabiei etc. absolute requiri videtur, ubi nimirum suppressa fuerat *specifica*, contagiosa, et ubi suppressionis effectus generali therapiae, nunc indigitatae, pertinacissime renituntur.

Sect. II. *Efflorescentiarum cutanearum divisio.*

§. 646. Divisionis efflorescentiarum cutanearum basim firmissimam, infallibilem simul therapiae faciendae indicem differentia naturae earum constituit. Hujus vero cognitione certa et completa deficiente alterum amplector divisionis principium, illi quidem certitudine ac valore secundum, essentiae tamen signum, formam efflorescentiae perfectae constantiorem. Qua in re cum *Plenk*, *P. Frank*, *Willan*, *Bateman* et *Nusshard* convenio, in ordinibus vero statuendis, eorum numero et serie, ab illis deflectens.

§. 647. *J. Plenk* (l. c.) classes morborum cutaneorum statuit quatuordecim, et nominavit: 1) maculas; 2) pustulas; 3) vesiculas; 4) bullas; 5) papulas; 6) crustas; 7) squamas; 8) callositates; 9) excrescentias; 10) ulcera; 11) vulnera; 12) insecta cutanea; 13) morbos unguium; et 14) morbos capillorum. — Ultimis tribus in classibus forma derelicta est, ideoque unitatis principium in classificatione laesum.

P. Frank, uti notum, eruptiones cutaneas in duas dispertit classes, acutas, exanthematum nomine, et chronicas impetiginum titulo insignitas. Utramque classem in duos dividit ordines, exanthemata nuda et scabra, impetigines maculosas et depascentes statuens. — Notae nimis generales sunt, et diagnosin nonnisi remotissime indigitant.

Willan et juxta eum *Bateman* ordinibus octo exponunt: 1) papulas, 2) squamas, 3) exanthemata (rothfleckige Ausschläge); 4) bullas; 5) pustulas; 6) vesiculas; 7) tubercula, et 8) maculas. — *Szalay* (diss. inaug. med. sistens synopsim morborum cutis secundum formas externas dispositorum. Vindob. 1818.) classificationem hanc in compendium contraxit.

Hall M. (in the Edinb. med. and surgical Journ. 1817. N. L.) classificationibus *Plenkii* et *Willani* non contentus aliam proposuit, habitus externi analogiae superstruendam, quam vero quoad acutas modo notam habeo. Distribuuntur istae (med. chir. Zeit. 1817. B. III. S. 337) in ordines tres, quorum *primus* scarlatinam, rubeolam, roseolam, urticariam, strophulum et purpuram, *alter* erythema, erysipelas, herpetem, eczema, et miliaria, *tertius* variolam, varicellam, et vaccinam qua species comprehendit.

§. 648. Mihi ordines *Willani* pro generibus habenti exanthemata (3) et maculae (8) in ordinem unum duobus tantum sub generibus apte contrahi, et pro ordinum characteribus potius notae magis generales, cutis nempe

laevitas et *aspredo*, statui posse videntur. Sic efflorescentias omnes in *ordines duos* redigo, quorum primo *laeves*, supra cutem non aut vix elevatae, secundo *scabrae*, modo visibili et palpabili supra cutem eminentes, colliguntur.

Ordo primus *generibus duobus A.* efflorescentias maculosas rubras febriles, sub *speciebus sex* 1) typho nimirum contagioso, 2) scarlatina, 3) rubeola, 4) morbillis, 5) petechiis cum morbo maculoso haemorrhagico *Werlhofii*, 6) urticaria; et *B.* efflorescentias maculosas discolores non febriles, et species tres 1) chloasma, 2) ephelidem, ac 3) naevum continet.

Ordo secundus *generibus sex A.* efflorescentias scabras pustulosas cum speciebus sex: 1) variola, 2) varicella, 3) vaccina, 4) scabie s. psora, 5) tinea, 6) trichomate; *B.* efflor. scabras vesiculares cum speciebus quatuor: 1) aphthis, 2) miliaribus, 3) herpete, 4) zostere; *C.* efflor. scabras bullosas c. specie pemphigo tum acuto tum chronico; *D.* efflor. scabras papulares cum speciebus tribus: 1) strophulo, 2) lichene et 3) prurigine; *E.* efflor. scabras, squamosas, cum spec. aeque tribus: 1) pityriasi, 2) ichtyosi, 3) lepra; *F.* efflor. scabras tuberculosas 1) cum acne, 2) sycosi, 3) elephantiasi, et 4) framboesia, complectitur.

Quemadmodum primum ordinis primae genus naturalem cum classe praecedente, inflammationum scilicet, sustinet nexum, ita sexto ordinis secundi genere transitus ad classem proximam, cachexiarum, indicatur.

Cap. II. De efflorescentiis cutaneis in specie.

Ordo I. Efflorescentiae laeves s. planae.

§. 649. Laeves s. planae s. nudae efflorescentiae sub macularum variarum forma obveniunt. *Maculae* generatim partiales coloris cutis a normali alienationes di-

cuntur. Quae jam minimae sunt, punctis parum majores, jam in latas expansae plagas, jam rubrum jam alium morbosum offerentes colorem, nunc febri essentiali aut symptomaticae junctae, nunc afebriles. Inde efflorescentiarum maculosarum divisio in *genera duo*, quorum prius rubras, acutas, febriles, — alterum discolores, chronicas, febris expertes continet.

Gen. I. Efflorescentiae maculosae rubrae acutae.

§. 650. Inter species hujus generis supra jam nominatas nonnisi morbilli, dum bene formati vesiculam asperam apice gerunt, et urticaria tuberculosa, aliqualem a definitione stricta faciunt exceptionem, quatenus aliquantum laedunt cutis planitiem.

Spec. 1. *Typhus contagiosus.*

§. 651. *Typhus contagiosus Hildenbrandii* (febr. maculosa contagiosa *Reuss.*, f. nervosa contagiosa *Auctorum*, der ansteckende Typhus, das ansteckende Fleckenfieber, das ansteckende Nervenfieber) nomen a τυφος, stupor, sopor, habet, qui symptoma ejus sistit eminens et constans. Alia denominatio ab exanthemate maculoso essentiali, alia a symptomatibus nervosis atque vi contagiosa petita est.

Convenit cum morbo, qui jam *febris nosocomialis*, *carceralis*, *navalis*, jam *castrensis*, imo *pestis bellica* audit, ipsam pestem orientalem nonnisi modificationem summe deleteriam agnoscere videtur; differt vero a febre putrida s. colliquativa, utut ex hac suam quandoque petere possit originem; differt a febre nervosa tam versatili dicta quam stupida. Incongrue itaque et non absque damnoso therapiae discrimine nimis frequenter morbi febriles cum sopore statim *typhosae* appellantur febres, adeoque contagiosae declarantur, quin symptomata re-

liqua, eorumque fons ac decursus ratio hanc evincant diagnosin.

§. 652. Est autem typhus contagiosus *propria efflorescentiarum acutarum species*, cujus symptomata essentialia febris initio catarrhoso-inflammatoria, serius nervosa, adfectio hepatis eminens, sopor cum delirio (typhomania), et exanthema proprium sistunt, utplurimum laeve, maculis pallide aut caeruleo-rubris, plus minus orbicularibus, non stricte limitatis, variae circumferentiae, facile confluentibus constans, vel hinc inde et miliaria rubra aemulans, quod tertiam intra et quintam a febris exordio diem erumpit, octavam intra et undecimam disparet, subsequa desquamatione.

§. 653. Typhum contagiosum non novum esse morbum, aeque notum est, ac *Pringle*, *Monro* et *Strack* praeeuntibus primum ab egregio observatore *Hildenbrand* optime ad naturam esse delineatum. Jam *Jos. Frank* (Erläut. d. Erregungstheorie. Wien 1806. Seite 80.) typhum a contagio oriri, et *van Hoven* (Handb. d. prakt. Heilk, Heilb. 1806. B. I. §. 433.) pestem et febrem flavam pro morbis exanthematicis declararunt.

Joh. Val. Edl. v. Hildenbrand etc. üb. den ansteckenden Typhus. Nebst einigen Winken zur Beschränkung od. gänzl. Tilgung d. Kriegspest u. mehrerer ander. Menschenseuchen. Zweyte echte Aufl. Wien 1815. 8.

Dr. Ph. K. Hartmann, Theorie des ansteck. Typhus u. seiner Behandl. Wien 1812. 8.

A. Wawruch, tentamen inaugur. philologico-med., antiquitates typhi contagiosi sistens. Vien. 1812. 4.

Übersicht der Schriften, welche in den Jahren 1813 u. 1814 *über die Kriegspest* in Deutschland erschienen sind. In *Hufeland's* Biblioth. d. pr. Heilk. Jahrg. 1814. St. 8. 9. 10. Jahrg. 1815. St. 2. 5. 10. u. Jahrg. 1816. St. 4. 5.

Dr. Joh. Jodoc. Reuss etc. *Wesen der Exantheme* mit Anleitung, alle pestart. Krankheiten einfach, leicht, geschwind u. sicher zu heilen u. s. w. I. Theil. *Das Fleckenfieber* od. die *Kriegspest* etc. Aschaffenb. 1814. 8. — Selbstständige exanthematische Form und Identität des ansteckenden Fle-

ckenfiebers mit der orientalen. Pest; Kälte das directe, gleichsam specifische Mittel. Ein Nachtrag zum erst. Th. des Werkes: „Wesen der Exantheme." Nürnb. 1815. 8.

Armstrong practical illustrations of typhous and other febrile diseases. Lond. 1817.

Edw. Percival, pract. Observations on the treatement, pathol. and prevention of typhous Fever. Lond. 1819. 8.

§. 654. *Forma* typhi sive contagio aut aliis potentiis infra nominandis producti, primarii, sive ex altero morbo evoluti, secundarii, propria est et characteristica; *decursus* vero definitus ac constans, *duratio* certis adstricta limitibus illi solum conveniunt, qui a contagio hominem antea sanum corripit, qui nec dominante constitutione quadam epidemica, nec complicatione, aut curatione impetuosa, incongrua, aut potentiis lateralibus aliis a decursu normali ac miti detruditur. Hinc forma essentialis non raro obfuscatur, decursus anomalus evadit, incerta duratio.

§. 655. Typhus sincerus et contagio productus *stadia* octo, ut *Hildenbrand* statuit, medenti momentosa exhibet, nonnunquam tamen modo insensibili confluentia, nimirum: infectionis; prodromorum s. opportunitatis; introitus febris; characteris catarrhoso-inflammatorii; nervosi; criseos; decrementi et convalescentiae.

a) Stadium *infectionis*, unum probabiliter vel paucissima durans momenta, aliquando sensationibus quibusdam notatur, saepius nullis, aut ambiguis incerte indigitatur. — *b)* Stadium *prodromorum* s. *opportunitatis* (maturationis contagii) juxta *Percival* quandoque intra 24 horas limitatum, plerumque tamen 10 dies ad tres usque septimanas protensum, juxta *Hildenbrand* a 3 ad 7, juxta *Reuss* a 3 ad 5, juxta *Kausch* 8, et juxta *Horn* et *Meier* 8—9 dies excurrens, vel vagis solum adversae valetudinis signis, lassitudine, inquietudine, prava animi dispositione etc., adeoque minime pathognomicis circumdatur, vel cephalaea obtusa cum vertigine frequente,

et pronitate in animi deliquium, epigastrii ac lumborum pondere ac pressione, flavedine adnatae, dyspepsia cum oris amarore, siti in acida et frigida, subitaneis membrorum succussionibus ictui electrico similibus, tremoribus, apertius significatur. — *c)* Stadium *invasionis*, ut in omni morbo febrili, horrore notatur sociisque symptomatibus. Percurrit horripilatio caput et spinam dorsalem, intenditur in horrorem concutientem, cui serius calor intercurrit, post 6 — 12 horas continuus evadens, et *d)* stadii *inflammatorii*, rectius *catarrhoso-inflammatorii* (irritativi, exanthematis, coctionis dicti) initium sistens. Septem dierum spatium explere solet. Adsunt nota febris inflammatoriae symptomata, cum signis adfectionis, *uti apparet*, catarrhosae, quandoque ad inflammationem auctae in membrana mucosa narium, faucium, tracheae ejusque bronchorum et ramificationum, speciatim cum conjunctivae oculi rubore, oculo lacrymis suffuso, tussi et pectoris oppressione; caput grave cum vertigine et sensu non doloris adeo acuti quam obtusi et temulentiae, non absimili sensationi, quam inebriatio a spirituosis aut narcoticis infert; sopor; musculorum voluntati subjectorum inertia invincibilis, motorum tremor et inconstantia, viribus tantum suppressis; situs in dorso continuus; hypochondrii utriusque sensilitas, dextri dolor obtusus ac tensio, dysorexia et dyspepsia, nausea, ructus amari, vomitus inanis aut bilioso-mucosus, saporque amarus lingua interim parum aut non obducta; artuum dedolatio magna cum tensionibus dolorificis in suris, digitis, nec non ad lumbos et os sacrum; faciei sed et totius reliquae cutis color terreus aut luride ruber, turgor, qui circa quartum diem universim augetur cum simultanea exanthematis supra memorati apparitione, quandoque ex obliquo tantum conspicua, et epistaxi modica, caput quidquam ast transitorie levante. Exanthema typhosum maculosum, miliformi plerumque solum immixto, longe frequentius antibrachia, collum, pectus, ab-

domen, regionem intrascapularem, faciem internam brachiorum, femorum et crurum obsidere solet, imo nec faciei parcit, cum parotidum tensione ac intumescentia eandem relationem, ac petechiae cum bubonibus et carbunculis in peste, ostendens. Prodeunte hoc exanthemate imminuuntur irritatio aut inflammatio pulmonum, imminuuntur et alia phaenomena catarrhosa, reliqua exacerbationibus vespertinis exceptis fere immutata persistunt. Pulsus frequens est, plenus, praevalente arteriarum diastole suppressus; urinae absentibus inflammationibus pallide bruneae, haud ita ac in febribus inflammatoriis sinceris parcae. Die septimo nocturnam exacerbationem diei sexti notabilem insequitur levamen universale; quod evacuationibus junctum et adeo insigne aliquoties vidi, ut pro initio crisis decisivae totius morbi facile imponeret; ast eodem adhuc die scena mutatur, et levamine dicto sub vesperam diei septimi succedit *e) stadium nervosum*, in diem decimum et quartum protendi solitum. Evanescunt symptomata catarrhalia, minuitur character febris inflammatorius, pallescit exanthema, cui tamen nonnunquam peticulae admiscentur, ad crisim fere permanentes. Nervosum characterem patefaciunt: ardor cutis siccae, aridae, collapsae, dilute flavicantis aut terreae et quasi conspurcatae; nares siccae, fuliginosae; lingua sicca, dura, contracta, ardue mobilis; abdominis meteorismus, tormina; proclivitas in diarrhoeam, imo quandoque in dysenteriam; pulsus inconstans, utplurimum moderate frequens, sat plenus, nunquam parvus ac eminenter mollis; urinae pallidae, clarae aut parum turbidae, variabiles, quam parcissimae. Musculorum inertia ingravescit atque larvam debilitatis verae altioris gradus offert; in musculis tum voluntariis tum involuntariis motus inordinati: tremores, lusus tendinum, succussiones leves, spasmi praecipue in faucibus, diaphragmate (forma singultus hoc in stadio vix unquam deficientis), sphinctere vesicae observantur;

increscit stupor sensuum externorum cum phantasiae agilitate, inde attentionis ad dicta et acta plenarius fere defectus, indifferentia, cupidinum silentium, situs in dorso neglectus, immutatus, insomnia, coma vigil, deliria cum actis incongruis, praedominante nonnunquam idea fixa jam grata, jam aegrum torquente.

Praegressam decimo tertio die exacerbationem vespertinam et nocturnam gravem die tandem decimo quarto *f) stadium criseos* excipit. Haec in casu felici adeo repentinam et solennem morbi totius emendationem secumfert, ut aeger brevi antehac summo vitae periculo adhuc immersus subito salvatus cernatur. Incedit autem crisis cum epistaxi parca at caput multum levante; emolliuntur et humectantur cutis, labia, lingua; solvuntur in his ac naribus haerentes crustae, prorumpit sudor universalis, aequabilis, vaporosus, specifice olens, summe salutaris; urinae minguntur satis tinctae, mox turbidae evadentes, ac densam in fundo nubeculam mucosam aut sedimentum formantes copiosum, albidum aut rubellum, laeve; secedunt faeces pultaceae, olidae, penes sudorem maxime levantes; conscientia redit; emendatur tota physiognomia; subsultus, spasmi etc. cessant; mitigantur aestus, sitis, delirium, coma vigil, indifferentia; pulsus minus frequentes fiunt, molles, elevati, undosi, utcunque fortes et aequales. Contingente crisi repentina consuetim post unam alteramve, alias tamen post 10—12 horas, animadvertitur emendatio, quacum *g) stadium decrementi*, dies aeque septem fere consumens, intrat. Hoc currente aeger quasi ex ebrietate excitatus perfecte sibi conscius redditur, in ea, quae circa illum aguntur, attentus, imo irritabilis ac sensibilis; aestus ad moderatum recedit calorem; mitescit ac cessat sitis; pacatur circulus, pulsusque evadunt liberi, aequales, facile tamen adhuc accelerandi, et saepe nunc vere debiles; pergunt evacuationes criticae leviores. Circumdant hoc stadium delassatio magna, capitis gravitas, facultatum mentis languor,

baryecoia cum susurru aurium, faciei collapsae pallor, saporis alienatio quaedam, lingua necdum perfecte depurata, magna systematis circulatorii irritabilitas. Tandem die 21. aut, crisi quamcunque ob causam tardata, 24. vel 28. *h) stadium convalescentiae* succedit. Stipatur adhuc magno erethismo, impulsu in venerem, debilitate, macie, musculorum extenuatorum flacciditate, cutis laxae desquamatione cum capillorum defluvio, fame urgente, alvi segnitie, in foeminis mensium defectu; et non nisi aliquot post hebdomades recuperata sanitate terminatur.

§. 656. Ast plurimae ac diversae a forma et decursu nunc descriptis *anomaliae* obveniunt, totidem typhi *modificationes*, partim a subjecto partim a variis influxibus externis productae. Concernunt vel *symptomatum* variis in stadiis numerum et indolem, vel *stadiorum* singulorum proinde et totius morbi durationem, vel rationem *decursus* et *terminationes*. Ita v. gr. typhus nunc adeo *mitis* est, ut aegrum vix lecto inhaerere cogat, nunc stadio imprimis inflammatorio et nervoso adeo *vehemens* ac impetuosus, ut in illo per synocham validam cum inflammationibus pulmonum (typhus pneumoniticus), aut cerebri (t. encephaliticus), hepatis (hepatiticus), faucium etc., per celerem nimis in stadium nervosum transitum, in stadio isto autem per enteritides facillime gangraenescentes, per inflammationes viscerum nobilium nunc primo evolvendas, aut per virium vitalium prostrationem subitaneam, symptomata nervosa multiplicata et intensa, aut per characterem colliquativum terreficus evadat, periculosus, lethalis (typh. gravissimus). — Nunc nota *inflammatoria* levis ad crisim usque salutiferam perstat, nunc status *nervosus* a primis illico diebus praedominatur. — Exanthema proprium nunc citius nunc serius prodit, nunc vividum nunc pallidum, purum aut petechiis, miliaribus, sudaminibus mixtum, raro tamen non conspicuum. — Crisis quandoque intercisa rarius die jam undecima, frequentius diebus 17., 21., 28. sequitur; non-

nunquam evacuationum criticarum singulae, rarissime tamen sudores, desiderantur. — Decrementum et convalescentia ocyus vel segnius incedunt, symptomatibus novis, malis posthumis, metastasibus, imo recidivis ex iterata infectione turbantur, intercipiuntur. — Stadio inflammatorio-catarrhali symptomata gastrica adeo hinc inde eminent, ut pro febri saburrali aut biliosa incautis imponant. — Saepe typhus cum morbo gastrico etc. complicatus invenitur etc. etc.

Gravissima *typhi modificatio* a nonnullis habetur *pestis*, inde nomine *typhi pestilentis* insignita. De qua infra speciatim.

§. 657. Typhus contagiosus dum *sanatur*, valetudo integra sub dictis antea phaenomenis criticis restituitur.

Morbi ex inordinata, imperfecta, infausta crisi *posthumi* sunt: metastasis tam interna quam externa multiplex cum cephalaea chronica, vertigine, amblyopia, amaurosi, baryecoia, cophosi, hypochondriasi, hysteria aliisque vexis nervosis; tussis chronica, phthisis; glandularum tumores; cachexiae variae; languor vitalis chronicus cum emaciatione, tabe, keneangea; suppuratio partium ipso sub morbo inflammatarum, uti pulmonum, cerebri, meningum, hepatis etc.; gangraena partium vel antea integrarum uti digitorum, manuum pedumve ipsorum, nasi, conchae auris etc., vel decubitu, vesicantibus adflictarum.

Lethalis evadit typhus aut immediate ex morbi ferocia aut malignitate in stadio inflammatorio vel nervoso, aut singulis morborum posthumorum nunc nominatorum intercedentibus. Priore in casu formae, sub quibus mors infertur, communes sunt: apoplexia cum et absque humorum extravasatis intra cranium, in ventriculis cerebri aut specu vertebrarum; raro suffocatio; — status colliquativus; gangraena viscerum inflammatorum; — status nervosus cum virium exhaustione.

§. 658. Cadaverum lustratione proinde nunc nullae,

nunc mutationes inveniuntur, quales cadavera ex apoplexia sanguinea, ex suffocatione, ex inflammationum internarum effectibus variis, aut statu putrido mortuorum exhibent, imprimis venosa nimis conditio sanguinis in dissolutionem properantis; putredo subintrans; viscerum facillime lacerandorum, prae omnibus hepatis sanguine et liquido bilioso turgidi nimia mollities, — aut sinus cerebri, vasaque meningum sanguine multo distenta, rarissime sanguis extravasatus; substantia cerebri jam solito densior jam mollior, nunquam hucdum verus abscessus. Contra *Marcus*, *Th. Mills* aliorumque nonnullorum adserta firmatur sententia *Roeschlaubii* et *Friedreichii*, non semper adesse encephalitidis aut meningitidis vestigia, verum hinc inde solum, uti nuperrimae *Armstrongii* et *Percivalii* investigationes comprobarunt, signa congestionis sanguinis in cerebro, in pia matre, effusam materiem gelatinosam aut albuminosam quandoque sanguine intermixtam intra meninges; serum varia quantitate accumulatum in majoribus cerebri ventriculis, in basi cranii; rarissime tantum arachnoideam hinc illinc opacatam, incrassatam, cum pia matre conglutinatam inveniri. — Rara est oppletio pulmonum et lateris dextri cordis sanguinolenta, de morte suffocativa testans. — Tandem cutis, primaria exanthematis morbique contagio inducti sedes, nullam offert mutationem notatu dignam.

§. 659. Quoad *dispositionem* in typhum contagiosum observatio solum docet, infantes teneros, senes, gravidas, phthisicos, hypochondriacos, et typho brevi ante mulctatos, rarius quam alios typho ex contagio prehendi; cutim teneram, mollem, irritabilem, compagem corporis debilem, debilitatem universalem cum erethismo praesertim ab humorum dispendiis, intensionibus mentis, vigiliis, fame, frigore, curis, metu, anxietate, tristitia, venere, actioni contagii admodum secundare, pro epidemiarum tamen diversitate juvenilia individua, robusta,

vivida numerosius quam adulta, sensilia, irritabilia typho corripi.

Causae *excitantes* praecipuae sunt: *a) contagium speciale* (typhosum), quod in typho ab exanthematis initio, in peste fortassis jam a febris exordio, in convalescentiam, et quidem observante Professore *Hartmann* in priore per tres adhuc septimanas a finita penitus febri producitur; materiis secretoriis mucosis et puriformibus eminenter inhaerere videtur, et tam immediate per contactum ipsius aegri, quam mediantibus vel aëre in exigua ab aegro aut illius excrementis distantia, vel variis substantiis conductricibus typhum nostrum ac pestilentem in individuis receptivis generare valet, imprimis calore plurimum favente adjutum. Substantiae autem conductrices, indeque infectioni propagandae idoneae habentur: corpora aspera et porosa cuncta generatim, in specie pelles animalium, lana, pili, sericum, plumae, gossipium, cannabina, linea omnia, imo stramen, foenu, ligna, charta etc. etc. Metalla, vitrum, terra, conducendo contagio minus paria. *b) Pringlio*, *Monroo*, *Mindererio* et praesertim *Hildenbrandio* adfirmantibus aër effluviis hominum onustus. Ex hoc typhus contagiosus in nosodochiis, carceribus, castigatoriis, navibus admodum refertis ac impuris, in angustis ac sordidis tuguriis, cavis etc., in quibus homines, utut sani, admodum numerosi, aut victu insuper parco, insalubri, frigore, metu, nimiis virium intensionibus debilitati diu coacervantur, quemadmodum typhus in Germania ab anno 1811. ad 1815. epidemicus, bellorum saevientium sequela, et recentissime observata *Percivalii* testantur; — *c)* Forsan mephitis paludum et effluvia aquarum stagnantium (*Hartmann*) in genere, nec non tempestas humida ac tepida diu perdurans (*Percival*). — *d)* Omnes morbi acuti cum charactere colliquativo ad certum usque gradum et vim contagiosam evoluto, pro fonte sat largo typhi contagiosi sporadici accusandi esse videntur. His, ni fallor, relatio

vera causalis febrium colliquativarum ad typhum, seu simplices illae fuerint aut complicatae, seu primariae aut secundariae, designatur.

§. 660. Originem typhi contagiosi primarii ex contagio et ex aëre peculiarem in modum depravato communissimam considerando; actionem utriusque noxae immediatam in corporis integumenta eorumque in cava narium, oris, faucium, viarum respiratoriarum propagines; constantiam symptomatum catarrhalium in istis, exanthematis proprii in illis, tempus evolutionis hujus exanthematis ab exordio febris, decurrendi rationem ac durationem quemadmodum in morbillis et scarlatina, attendendo; decursum acutum, febrilem, et durationem morbi totius uti exanthematicorum omnium, definitam, tandem desquamationem, sicut a morbillis et scarlatina, subsequam aestimando, cum maxima probabilitate defendere licet, typhum contagiosum esse *morbum acutum, exanthematicum, substantivum.*

Similitudine symptomatum nonnullorum ad morbillos accedit, a quibus tamen sicut ab omnibus caeteris morbis exanthematicis per peculiarem cerebri atque hepatis adfectionem nunquam absentem, et per praevalentem stadio septem dierum characterem nervosum essentialiter differt, ac simul qua *separata morborum species* constituitur.

§. 661. *Essentiam* hujus exanthematicorum morborum speciei *Marcus, Mills* aliique in encephalitide, *Percival* in cerebri et meningum inflammatione, levioribus vero casibus in simplici tantum congestione et statu ad inflammationem accedente quaerunt. Ast hae inflammationes nequaquam necessariae et non nisi symptomaticae sunt. Id quod et nuper *de Vest* (in d. Beob. u. Abhandl. österr. Aerzte aus d. Gebiete d. gesammten Heilk. B. I. Wien 1819. S. 251—261.) exposuit; caeterum eruptionem inflammatoriam in meningibus et forsan in oculorum conjunctiva, eruptionis cutaneae externae vices agentem,

pro characteristico typhi symptomate declarans. — Prof. *Hartmann* (l. c. p. 115.) typhum morbum cutaneum habet, qui ex sphacelisationis membranae mucosae et retis Malpighii processu, per contagium caeterave momenta causalia idiopathice inducto, hujusque conflictu cum processu vitali proficiscitur. — *J. Adolph Goeden* (Geschichte des ansteckenden Typhus. B. I. Bresslau 1816.) typhum pro intoxicationis processu, pro contagione, et, ut omnem contagionem, pro inflammatione propriae speciei considerat. Typhus illi est febris exanthematica, ejusque sedes proinde essentialis in cute etc. — Non quidem nego, infectionem cum intoxicatione comparari facile posse, et in typho quoad affectionem cerebri et systematis nervosi, magnam cum intoxicatione a narcoticis inducta apparere analogiam; ast, quousque natura contagiorum et in specie typhosi, ratio agendi, atque reproductionis istius in organismo non exacte noscuntur, omnis de natura typhi sententia hypothesim sistit plus aut minus probabilem. Hinc et mihi verisimile tantum est, essentiam hujus morbi haerere in retis Malpighii plurimarumque in corpore membranarum mucipararum, imo arachnoideae piaeque matris, nec non hepatis irritatione specifica, quae nonnunquam ad inflammationem adaucta, febri initio inflammatoria, serius nervosa essentialiter stipatur.

§. 662. Typhus contagiosus utut pro sua hac natura unus idemque semper maneat, pro forma tamen atque mutantibus eam dispositione, momentis generantibus, morbis coëxistentibus etc. nonnullas nanciscitur *modificationes* notatu dignas. Distinguitur proinde *a)* pro origine: in *primarium* seu ex contagio seu ex aliis noxis, et *secundarium* ex morbis profectum, in *originarium*, sponte evolutum et in *communicatum*, contagio propagatum; — *b)* in *epidemicum*, *endemicum* ac *sporadicum*; — *c)* pro charactere febris generico praevalente: in *inflammatorium*, et quidem cum inflammatione pul-

monum (*pneumonilicum*), sub finem hiemis et veris initium in individuis junioribus frequentem; cum hepatitide (*hepatiticum*), meningitide, encephalitide etc., tempore aestivo calido in juvenibus vividis aut et adultis mentem strenue intendentibus, pathemate vexatis, in potatoribus saepius obvium; cum enteritide etc. junctum; in *colliquativum;* in *nervosum;* in *gastricum* et speciatim *biliosum*, aestate et in subjectis mediae aetatis frequentiorem; in *catarrhalem*, *rheumaticum* ex genio vernali et autumnali participantem; — *d)* pro eminente symptomate: in typhum *ictericum* (icterodes), *emeticum*, *dysentericum* autumno, et senibus praecipue infensum, in *congestivum* (*Armstrong*) etc. etc.; *e)* pro intensitate: in *mitem*, *gravem* et *gravissimum*, prout *vel* qua febris exanthematica mitis catarrhoso-inflammatoria absque inflammatione formata, absque symptomatibus nervosis eminentibus sub statu virium parum laeso comparet, — juxta *Vestii* mentem nomine febris maculosae insignienda —, *vel* phlogosi visceris cujusdam aut characteri manifesto nervoso junctus, — *vel* imo colliquativo charactere terreficus adest, qui cum aut sine haemorrhagiis, diarrhoea, dysenteria, sudoribus colliquativis, aliquando sub harum evacuationum forma praedominante quasi larvatus, fere pestis sevitiem assequitur, uti *G. A. Richter* (Med. Geschichte der Belager. u. Einnahme der Festung Torgau, u. Beschreibung der Epidemie, welche in den Jahren 1813 u. 1814 daselbst herrschte. Berl. 1814. 8.) descripsit; — *f)* pro decursu: in *acutissimum*, *acutum* et *subacutum*, in *regularem* et *irregularem*, *normalem* et *anomalum*, ad quem *larvatus* pertinet; — *g)* pro connubio: in *simplicem* et *compositum*, in *purum* et *complicatum* etc. etc.

§. 663. Typhus in casibus quibusdam morborum chronicorum, nevrosium, arthritidis, imo hydrothoracis (*Hildenbrand*) salutaris fuit; in nonnullis, uti de ipsa peste constat, sine auxilio medico, deficientibus fortuito ad-

versis circumstantiis, et adjuvante saltem congruo regimine diaetetico sanatus.

Decursus mitis et regularis in genere bonam admittit prognosim, nisi alia aliter jubeant; omnis vero decursus irregularitas, omnis formae anomalia major (§. 662.) ambiguam reddunt, et pro re nata periculo plenam. Id quod de plerisque anomaliis supra memoratis tenendum. Designant autem periculum: in stadio catarrhoso-inflammatorio: valida pulmonum, hepatis, meningum, cerebri, ventriculi, intestinorum inflammatio, magna et citissima faciei defiguratio, phaenomena status nervosi aut putridi subintrantia; in stadio nervoso: symptomatum nervosorum aut colliquatorum intensitas et extensio ac numerus major, decursus impetuosus; quemadmodum in febri putrida (§. 113.) et nervosa (§. 140.), livor nasi, auriculae, digitorum manus et pedis; in stadiis criseos, decrementi et convalescentiae: indicia metastasis ad partem nobilem, morborum posthumorum exhauriendo, devastando formidabilium *(Hildenbrand)*.

Exitum faustum pollicentur: vomitus spontaneus primis morbi diebus cum temulentiae imminutione; epistaxis modica, intra quartum et septimum diem cum capitis levamine intrans; diarrhoea primis diebus exigua *(Hildenbrand)*; exanthema vivide florens; sitis moderata cum lingua non penitus sicca in stadio nervoso; pulsus parum frequens et fortis; status nervosus levior; alvus regularis, lingua humida, somnus *(Percival)*.

Symptomatum autem versatilitas et morbi malignitas non rarissima ante crisim, etiam sub facie rerum miti, prognosim bonam pro certo statuere prohibent. Imo sub ipsa convalescentia metus metastasium non evanuit, quousque susurriunt aures vel quovis alio modo gravantur *(Hildenbrand)*.

Periculum subire solent aegri tristes, pusillanimes, meticulosi, moerore, curis pressi, fame, laboribus, itineribus, onania, morbis diuturnis praesertim syphilide

etc. debilitati, potatores, senio confecti. Idem valet de gravidis ac puerperis, licet foeminae caeteroquin maribus facilius evadere consueverint.

Recidivus periculo haud unquam destituitur typhus.

Vi morbi cito satis, et stadio inflammatorio-catarrhali per medelam congruam fracta, decursus stadii nervosi mitior, et crisis debito tempore bona sperari possunt.

§. 664. *Therapia* typhi contagiosi, ad pestem pariter quodammodo adplicanda, deficiente complicatione in explendis quatuor indicationibus generalibus consistit.

Causae occasionales, si agere continuant, tentamine speciali singulis conveniente abigi debent aut enervari. — Jam autem praeprimis typho regnante plurimi interest, omnem contagii actionem praepedire. Hoc scopo prae omnibus curandum sedulo, *a)* ut ne in alios homines transferatur; et *b)* ut translatum citissime amoveatur et enervetur, adeoque plenus illius effectus, ipse nimirum typhus, praecaveatur. — Scopo priori convenit, destruere contagium in aegris sese continuo evolvens, et eos, qui commercium cum illis vitare nequeunt, a contagio suscipiendo praemunire. Ut destruatur contagium in aegro atque personis et rebus eum ambientibus, aër continuo est *renovandus*, impraegnandus vaporibus nitrosis, muriaticis, praecipue vero halogenicis (ex magnesii vitrariorum parte una, muriatis sodae bene siccati et pulverati partibus quinque, acidi vitrioli concentrati partibus tribus et aquae partibus duabus caute commistis, evolvendis) et nonnisi in casu necessitatis vaporibus aceti leni igne calefaciendi; exportanda illico excrementitia quaevis; indusia, stragula, vestimenta non ultra necessitatem relinquenda, et pro rerum positione jam repurganda aëre libero perflante, vaporibus nunc nominatis, frigore, maceratione, lotione in aqua frigida aut ebulliente simplice vel acidula vel lixiviosa, jam vero comburenda sunt. Ut aegrum ambientium receptivitas pro

contagio minuatur aut deleatur, certum praesto nobis non est remedium. Commendandum interim summopere, ut, qui in aegrorum sphaera commorantur, vitam ducant omni intuitu sobriam, ut vires vitales conservent, digestionem ac se- et excretiones, imprimis transpirationem, normales sustineant, a priore vivendi more, dummodo saluber is fuerit, nec subito nec multum deflectant, tranquilli, metus expertes imo, si possibile, hilares sint, et praecipue, quoad fieri potest, omnem immediatam et protractam cum aegris et convalescentibus communicationem, moram in effluviorum, praesertim halitus, transpirationis, urinae faecumve recenter emissarum sphaera, immediatum indusiorum, integumentorum etc. contactum fugiant. Hac ratione disseminatio contagii, malique propagatio certo certius praepeditur. — Scopo alteri, qui sola jam de translato contagio suspicione locum habet, convenit idem in cute aut ad nares, cavum oris, faucium et ulteriores propagines forsan haerens citissime amovere, destruere, ut initians adhuc illius effectus tolli queat. Quod si conceditur, typhi feliciter praescinditur evolutio. Inserviunt contagio amovendo et decomponendo: atmosphaera libera, emunctio et exscreatio frequens, collutoria, gargarismata, superficiei totius lotiones et balnea ex aqua saponata, aut acidis mineralibus praedictis impraegnata, lenta fluidorum acidulorum, aut vaporum antea nominatorum aut aceti aromatici ad nares attractio. Effectui contagii primo, phaenomenis supra adductis designato, extinguendo idonea emetica, diaphoretica, et frigus laudantur. *Emetica* juxta veterum ac recentiorum experientias, et praesertim ipecacuanha sola aut cum pauxillo tartari emetici, habito subjecti et symptomatum respectu, valde proficua inveniebantur. Minus celebranda *diaphoretica* uti infusa flor. sambuci, chamomillae, melissae etc. cum ammonio acetico, aut in individuis non plethoricis ad phlogisticos morbos minime dispositis, cum camphora, angelica, ammonia pura liquida; vinum;

punsch etc. Aër *frigidulus* tandem, perfusiones et lotiones cum aqua frigida aut cum hac et aceto, diu abhinc a fratribus *J. Godof. Hahn* (Vratisl. 1737.), et *J. Sigm. Hahn* (Schwidnic. 1743.), serius a *Wright*, *Currie*, *Cullen*, *Gregory*, laudibus elata, et nuperrime a *Milius*, *Horn*, *Kolbany*, *Reuss* et *Frölich* multisque aliis tentata, dum debita sub cautela et necessaria circumspectione adhibentur, omnino commendanda.

Quod *alterius* causae occasionalis curam concernit, aër inquinatus, corruptus admisso aëre libero, puro, atmosphaerico ast non perflante, identidem renovandus, imminutoque hominum confertorum numero, strenuissima munditie, et vaporum dictorum sedulo usu emendandus est, siquidem interest, typhum contagiosum vulgarem et pestilentem adhucdum praevertere, vel orti durationem longiorem, intensitatem magnam, imo malignitatem, praecipitemque lethalitatem praepedire.

Contra causam *tertiam*, mephitim paludum, auxilium politiae medicae implorandum; alias reagentia pro infringenda illius vi deleteria vix quidquam efficiunt. Causa *quarta* idem ac prima tractamen exposcit, contagium auferre, decomponendo, destruendo enervare valens.

Dr. M. Wagner Beytrag zur Geschichte des Gebrauches der warmen und besonders der kalten Bäder in medic. Hinsicht. Beob. u. Abh. a. d. Geb. der Heilk. von österr. Ärzten. B. I. Wien 1819. S. 169 etc.

Ant. Frölich Abh. üb. die Wirkung der Übergiessungen, oder der Bäder von kaltem oder lauwarmem Wasser in Faul-, Nerven-, Gall-, Brenn- und Scharlachfiebern u. s. w. Wien 1820. 8. — Abhandl. üb. d. äusserl. Anw. des kalt. Wassers zur Mässigung des Fiebers. Gekr. Preisschrift. *Hufeland's* Journ. d. pr. H. 1822. Supplement-Heft.

Dr. J. J. Reuss etc., et *Dr. J. A. Pitschaft*, ibid.

§. 665. *Therapia* pro sanando typho ob insufficientem naturae diagnosim dirigenda est in formam totam et in singula, si opus fuerit, symptomata, stadioque, gra-

dui characteris febris mutabilis, decurrendi modo, ac individui conditioni adaptanda.

Dum *intrat* febris, frigori aeque medendum est ac cuivis frigori febrili remediis ac regimine §. 85 expositis. Vitanda autem erunt quaecunque stimulantia et calefacientia, uti infusa aromatica, potus vinosi, spirituosi alii, ne proximum stadium catarrhoso-inflammatorium intendatur.

Stadio catarrhoso-inflammatorio vixdum inchoato, charactere inflammatorio levissimo absque locali inflammatione, et praesente complicatione gastrica cum saburris sursum turgescentibus, emetica prosunt a *Cullenio*, *Hildenbrandio*, *Hartmanno*, *Bedingfeld*, *Percival* multisque aliis plurimum depraedicata. Deficientibus his conditionibus methodus antiphlogistica generatim indicatur, habita cutis primario adfectae ratione. Haec autem methodus, prout typhus mitem se ostendit et simplicem, aut gravem et inflammationibus topicis junctum, aut varie complicatum, jam levis requiritur, jam intensior aut et intensissima, jam cum methodo evacuante (initio plerumque et ulteriore decursu hujus stadii), jam cum emolliente et diapnoica (ad stadii declinationem) combinanda. Remediorum selectus, penes regimen omni ex parte antiphlogisticum, momentis generalibus indicantibus determinatur. Sanguinis evacuationibus universalibus per validam febrim cum symptomatica pulmonis, laryngis, meningum, cerebri, hepatis etc. inflammatione indicatis semper cauta et nunquam adeo libera utendum manu, qua contra easdem phlogoses sine febre exanthematica adhibendae forent. Ipsi Angli *Armstrong* et *Percival* hanc restrictionem phlebotomiarum necessariam pronunciant. Primis hujus stadii diebus eccoprotica antiphlogistica, solutiones salinae, mannatae, decocta graminis, prunorum, tamarindorum etc., cum sale quodam antiphlogistico mitiore, ita propinata, ut intra 24 horas tres quatuorve evacuationes modicas cieant, magnam plerumque virtutem exerunt, gradum characteris

inflammatorii refrenando, mitigando hepatis et encephali passionem, atque rapidum morbi totius cursum cohibendo. Declinante hoc stadio ad nervosum usque methodus antiphlogistico-emolliens, diluens et diapnoica indicata esse solet. Alvi segnitiei et retentioni nunc per enemata occurrendum. *Calomel* tantam ab Anglis cum jalapa, a Germanis et sine ista adhibitum commendationem non omnino meretur; nam methodo antiphlogistica reliqua et, si opus, fortiore praemissa aut adjuncta qua remedium modo adjuvans aestimandum, ubi character phlogisticus mitis fuerit, heparque praecipue (sive cum, sive absque ictero) adflictum. Efficacia illius specifica in effectibus contagii delendis convincente caret argumento, et assertum nuper (Salzb. m. chir. Ztung 1818. I. 394.) repetitum, accedente per illud salivatione febrim quasi rescindi, confirmatum non habeo; et *Percival* usu calomelis ad salivationem usque facto nequidem decrevisse febrim conspexit. *Frigoris* applicatio in hoc stadio contra typhum a fratribus *Hahn*, *Wright*, *Cullen* (Handb. d. pr. Arzneyw. B. I.), *Currie*, — contra pestem a *Samoilowicz* pridem utilis laudata, a tentaminibus *Hornii*, *Kolbany*, *Reussii*, *Frölichii* multorumque *Germaniae*, *Angliae*, *Italiae*, *Russiae* medicorum tot efficaciae salutiferae testimonia nacta est, ut de imitatione circumspecta et cauta minime haerendum esse censeam. Applicandi autem frigoris varia est ratio. Actio ipsa fit *vel* aëre cubiculorum frigidulo, integumentis aegri levissimis, iterata extra lectulum commoratione, potuque aquae frigidae; *vel* penes ista epithemate per omne caput frigido; *vel* lotionibus frigidis jam partium singularum praesertim capitis, jam totius corporis; *vel* perfusionibus frigidis, *vel* tandem frictionibus cum nive et glacie; nec non particulis glaciei ingestis, unde frigus diversos omnino intensitatis, extensionis ac durationis efficaciae suae gradus nanciscitur, probe aestimandos, ut variis characteris inflammatorii gradibus adcommodentur. *Obstant*

frigoris usui sub formis dictis: *inflammationes*, quae methodo antiphlogistica reliqua prius frangantur oportet; *congestiones sanguinis* ad viscera varia, quae simili ratione et, si magnae fuerint, etiam evacuationibus prius tollantur; *horror* febrilis, *sudor*, symptomata *catarrhalia et rheumatica* non levissima, quae praetermittantur. Indicant usum frigoris potissimum recente morbo: cutis admodum calens, sicca, rubicunda aut ex flavo-brunescens; oculorum splendor, rubor cum obtutu languido; capitis gravitas, obnubilatio; sopor; delirium vividum, febris notabilis.

Lotiones universales corporis denudati et perfusiones cum aqua grad. therm. *Reaum.* +12—10—8. instituuntur, brevissimae, aegrum postea illico bene siccando, et leviter obtegendo. Bis quaterve intra nycthemerum repetuntur. Effectus earum salutiferi se produnt minutis aestu cutis et siccitate; promtiore exanthematis proruptione aut formatione plenaria; mitigatione febris; dispulsione soporis (praecipue a perfusionibus), cicuratione totius morbi et breviore sub criticis praecipue sudoribus duratione. Ast dictis lotionibus et perfusionibus contra indicationem, aut absque necessaria dexteritate et circumspectione institutis effectus deleterii refrigerationis vehementis inducuntur: symptomata catarrhosa, rheumatica, diarrhoeae, haemorrhagiae, imo phlogoses formidandae. *Percival* primis typhi diebus, in subjectis junioribus labeque viscerum organica immunibus illas ad citiorem sanationem multum contribuisse observavit. Pulmones dum eminenter essent adfecti, cautus ab illis abstinuit. Ubi concutiens non quadravit perfusio, mitiorem cum aqua et aceto lotionem fieri curavit.

§. 666. In *stadio nervoso*, sive id subintret sive tardetur, ab adhibita hucusque vel stricte antiphlogistica vel antiphlogistico-diapnoica medendi ratione desistendum, et in ejus locum tractamen totum ad normas componendum erit, pro febris nervosae therapia (§. 144.) sta-

tutas. Magnae virtutis initio et toto cursu hujus stadii laudanda sunt balnea tepida, et epispastica, vesicantia.

Cerebri, hepatis, intestinorum etc. phlogoses, si ex priore in hoc stadium protrahuntur necdum solutae, aut nunc primo explicantur, tractamen exigunt, quale ad inflammationes febri vere adynamicae, nervosae junctas (§. 278.) docebatur, topicum nempe antiphlogisticum, emolliens, relaxans, derivans, cum universali excitante, nervino prudentissime uniendum. Minitante aut jam evoluto charactere colliquativo principia therapiae valent, pro cura febris colliquativae (§. 123.) enodata. Idem de cura inflammationum forsan illi adsociatarum (§. 279.) teneatur. — Symptomata varia, uti: diarrhoea, dysenteria, meteorismus, vomitus, haemorrhagiae etc. pro charactere fundamentali praedominante, sicut in febribus nervosis aut colliquativis, pertractantur.

§. 667. Dum *judicatur* typhus, non aliis principiis adhaerendum, non aliis methodis atque remediis utendum, quam quae pro crisi febrium varii characteris tractanda generatim (§. 86. et 87.) proposita et nominata fuerunt.

§. 668. *Convalescentiae cura* ad morbi effectus relictos auferendos, vitandamque recidivam tendat oportet. Praeter fugam momentorum occasionalium tractamen cum eo potissimum convenit, quod in convalescentia ex febribus adynamicis, nervosis (§. 151.) aut colliquativis (§. 128.), indicatur, hicce speciali cum modificatione prudenter administrandum.

Varietas: *Pestis orientalis.*

§. 669. Pestem orientalem *gravissimam* sistere *typhi modificationem* nonnulli contendunt. Hanc enim morbum esse aeque exanthematicum, cum formae petechiarum, vibicum, bubonum et carbunculorum essentiales in exanthematis maculosi locum cedant, vi contagiosa pol-

lere maxima, hepar ac cerebrum non intacta offerre, originem haud secus habere jam sporadicam jam endemicam, pro argumentis adferunt. Cum tamen pestis a paucis, qui eam observarunt ac tractarunt, auctoribus declaretur proteiformis, decursu et malignitate cum typho maligno haud magis conveniat quam cum febre putrida, nervoso- ac bilioso-putrida, ubi malignae occurrunt; cum bubones et carbunculi ab exanthemate typhi plurimum differant, nec unquam in isto observentur: non desunt rationes aliorum, pestem, utut typho adfinem, *separatam morborum exanthematicorum speciem* statuendi.

Certarum modo regionum calidarum, Syriae praesertim et Aegypti, incola pestis est, climatis et potentiarum endemicarum vitae individuali inimicissimarum progenies, contagio quaqua vorsum propaganda, nobisque non nisi per contagium inferenda, unde typhus contagiosus *exoticus* adpellari posset, et ob nisum in exstinguendas vires vitales et humores dissolvendos intensissimum *deleterius* simul, aut *exitialis* determinari.

Definire itaque liceret *pestem* qua *morbum exanthematicum contagiosum* (typhum exoticum), *acutissimum, bubonibus et carbunculis* vel *petechiis ac vibicibus sphacelosis* notatum, *praecipitique virium dejectione* et *materiae organicae liquatione* frequenter exitialem.

Thucidides de bello Peloponensi historia. L. II.
Procopius de bello Persico L. II. c. 22.
Mead de peste etc. c. 1. Lond. 1774. 4.
Dimerbroëk de peste L. VI. Arnh. 1646. 4.
Chenot de peste Transsylvan. ann. 1755 usq. ad fin. ann. 1757. tractat. Vindob. 1766. 8.
Samoilowitz mémoire sur la peste, qui en 1771 ravagea l'empire de Russie surtout Moscou. à Par. 1783. 8.
Adami, Bibliotheca loimica. Vind. 1784.
Orraeus, descriptio pestis. Petrop. 1784. 4.
Minderer, Beytrag zur Kenntniss und Heilung der Pest. Riga

1790. — Geschichte der Pest in Volhynien im J. 1798. Berl 1806.

Schraud, hist. pestis Sirmiensis annor. 1795, 1796. Budae 1802

J. P. Frank, Epitome etc. L. I.

Jos. Frank, Prax. med. univ. praecepta. P. I. Vol. I.

Lernet, dissert. responsoria ad quaestiones de peste etc. Kriemenecii 1810. 8.

J. B. Laurin, diss. inaug. med. de peste in genere. Vindob. 1818.

C. Sprengel, Instit. Pathol. spec. Edit. 2. Lips. 1819.

Enrico v. Wolmar üb. d. oriental. od. Bubonen-Pest etc. In *Hufel.* Journ. d. pr. H. Jahrg. 1819. H. 12. — Abhandl. üb. d. Pest nach vierzehnjähr. eig. Erfahr. etc. M. e. Vorw. von *C. W. Hufeland*, k. preuss. Staatsrathe etc. Berl. 1827. 8.

J. D. Tully, the History of Plague as it lately appeared in the Islands of Malta, Gozo, Corfu, Cephalonia etc. Lond. 1821. In *Froriep's* Notizen a. d. Geb. d. Nat. u. Heilk. B. I. S. 61—63.

§. 670. *Gradus* pestis a rarissima morbi acuti gravis forma ad acutissimi summe lethiferi indolem numerosissimos offert.

Stadia infectionis et prodromorum saepe non manifesta; stadium invasionis quandoque cum terminatione lethali coincidisse visum est. — Minus vehemens *nuncios* habet pestis per horas aliquot aut per diem: immanes capitis et praecordiorum dolores, anxietatem summam perstantem, ardorem internum, animi deliquia, delassationem subitaneam summam citra causas apparentes. Sequuntur horrores vagi, praesertim in extremitatibus inferioribus, brevissimi cum nausea et vomitu, aestus postea intensus cum siti ingente et ardore ventriculi continuo, igiturque avido aquae frigidae desiderio; pulsus debiles, frequentissimi, vacillantes, intermittentes, interdum morbo acutissimo fere normales; facies defigurata, tristis, oculi micantes, rubri, feroces, lacrymis suffusi; deliria; vox rauca et suppressa, respiratio citata, brevis; lingua nunc humida nunc sicca, nigra, fissa; cutis arida, petechiae lividae, nigrae, vibices, ecchy-

moses similes, haemorrhagiae; urinae normales, vel turbidae aut atrae. Caeterum jam catarrhalia, jam nervosa symptomata, modo laterali, immiscentur. — Quibus qualibuscunque praegressis die morbi secundo, tertio, vel quarto post pruritum in cute aut aestum cum punctura-rum sensu *carbunculi*, aut praevio nonnunquam dolore *bubones* pestilentes, vel utrique prorumpunt. Sunt autem isti tumores glandularum variarum, praecipue inguinalium et femoralium profundi, duri, calidi, multum dolentes ac ardentes, adeoque inflammatorii, in suppurationem vel in gangraenam tendentes; — *carbunculi* vero seu *anthraces* maculae, in faciei, colli praecipue, sed et extremitatum, pectoris, imo abdominis cute prodeuntes, jam laeves jam parum elevatae, morsibus pulicum non absimiles, cum vesiculis insurgentibus humore tenui fusco vel nigricante turgidis, hisque ad nucis avellanae imo majorem ambitum auctis dein ruptis et fluido effuso atrae, marginibus rubris cinctae, insensiles; numero tres, quatuor, imo duodecim conspectae. Bubo comparente carbunculo saepe evanescit, alias illo crescente hic non perfecte evolvitur *(Lernet)*; imo buboni carbunculus insidere visus est *(Chenot, Lernet)*. Bubones soli ac singuli non praecipitem saltem mali decursum comitantur; aegri enim circa nonum aut decimum diem vel accedentibus alvi dejectionibus foetidis exhauriuntur, vel, si bubones plura tenent loca, sine ullo carbunculo, sub pulsibus fortioribus ac mollioribus, cute madida et sudoribus universalibus suppurantur, saluti accedunt. Carbunculi semper mali sunt ominis.

Morbo *ingravescente* symptomata pessima, debilitatis maxime et liquationis phaenomena, rapide increscunt, donec aeger circa quintum, septimum diem vel ferociae illius succumbat, vel resurgente virium vitalium energia, infractis essentialibus symptomatibus horridis, accedentibus potius sudore universali calido, et benigna bubonum suppuratione, raro urinis simul ac alvo *criticis*, *solvatur*.

Decrementum morbi lento procedere passu, *convalescentia* tarda esse consuevit.

Malo feliciter devicto bubonum saepe vestigia diu manent, vel et membra ulceribus gangraenosis destruuntur. Cicatrices a bubonum suppuratione relictae eo, quo pestis grassari consueverat, anni tempore iterum dehiscere visae sunt, aegrique vertigine tunc, debilitate, nausea, vomitu porraceo corripi.

§. 671. Pestis, dum lethalis est, raro ultra septem protrahitur dies. Eandem nonnunquam uno quasi ictu, alias secundo tertiove jam die mulctare victimas constat (*Thucidides*, *Larrey*, *Sprengel*). Cum forma illa acutissima exanthema in vivis nullum, brevi post mortem maculae sphacelosae corpus obsidere conspiciebantur. Haec forma malignissima dicta est *nervosa;* viderunt alii et *inflammatoriam* pestis varietatem, *catarrhalem*, *biliosam*, *putridam*.

§. 672. Cadavera juxta observationes *Pugneti* flaccida fuerunt, oculi suffusi, nares et aures sanguinem dimittentes foedum, vasa colli majora turgida, abdomen tympaniticum; vasa meningum aeque turgida, cerebrum molle, pultiforme, examen non sustinens; pulmones normales; cor pallidum, molle, flaccidum, ventriculus dexter volumine auctus; stomachus mole major, superficie interna maculis gangraenosis variegata, interdum totus sphacelosus; ita facies interna duodeni, intestina caetera gas foetidissimo distenta; volumen hepatis ac lienis auctum; cystis fellea bile profunde flava referta; arteriae vacuae, venae cruore turgentes, vasa lymphatica admodum conspicua. (Conf. *Jos. Frank* l. c.)

§. 673. Pauperes prae divitibus, penuria aut victu vitioso, aerumnis, metu, morbo debilitati prae robustis ac vegetis, advenae prae indigenis facilius corripiuntur et vehementius, senes contra, phthisici, ulceribus diuturnis, melancholia laborantes pesti haud facile sunt obnoxii. Variolarum et vaccinae contagium a peste munire

fertur. (*Sprengel* l. c.) *Causis excitantibus* accensentur: contagium; circumstantiae endemicae Aegypti inferioris et Syriae; his adjuvantibus aër quoque nimis aestuans, per stagnationem, per varia vegetabilium, piscium aliorumve animalium, cadaverum humanorum putrescentium effluvia corruptus, hinc inde simul humidus; inedia, et pravae alimentorum qualitates, spurcities ingens, nec non constitutio epidemica et morbi varii endemici colliquativi ac nervosi, uti: intermittens febris maligna, febris putrida, scorbutus, imo variolae, scarlatina, syphilis, lepra saepe colliquativae. — Contagium, contra *Chicoineau*, *Nissen* et *Stoll* aliter sentientes, abunde evictum, humores secretos imprimis mucosos et purulentos agnoscit vehiculum, naturae igitur non volatilis adeo quam fixae potius, mediante aëre non ultra aliquot passuum distantiam agit; calore adjuvatur, frigore cohibetur, infringitur; vestimentis arctius adhaeret quam corporibus humanis; indolem deleteriam per annos imo retinet; in Europam (quam prima vice anno 542. devastavit, summe contagiosa) per merces, suppellectilia, vestimenta inferri valet; in cutem ejusque ad cava oris, narium, canales respiratorios propagines primario, in corporis reliqui nervos dein et systema lymphaticum agere videtur. Quo morbi tempore produci incipiat, quo convalescentiae progressu cesset, haud constat. Inter actionem illius et patens morbi exordium, utut Turcae septem dies assumant, varium intercedit temporis spatium. (*Lernet.*) Circumstantiae endemicae pestem efficientes eo difficilius nominari queunt, cum pestis recurrere, saltem inter populum late grassari certis modo periodis conspiciatur, cum fixum fere ordinem servet, certumque tempus moretur, ut nec anni tempus, nec tempestas, nec res aliae manifeste morbum maturent vel mutent.

§. 674. Pro pestis *essentia* cum *Laurin* (l. c. p. 35.) habendus esse videtur processus septico analogus, gangraenescenti scilicet similis, ex actione contagii septica

et reactione organismi vitali resultans, qui primario in incitatione per inflammationem brevi in gangraenam et sphacelum abituram, secundario in vegetatione per liquationem et resolutionem universalem conspicuus est.

§. 675. Pestis nonnisi sub epidemiae initium et finem non deleteria, saepe vero summe perniciosa. — *Prognosin* utcunque certam non symptomata adeo quam notus epidemiae cursus et genius suppeditant; facies enim levis aeque insidias celare lethales, ac phaenomena periculosissima convalescentiam habere subsequam cernuntur. Bubonum suppuratio laudabilis prae caeteris pollicetur salutem.

§. 676. Therapia pestis easdem, quae typhi contagiosi, normas sequatur oportet, diversis aeque causis, mali indole, gradu, stadio, complicatione etc. modificandas.

Normae *prophylacticae* tam publicae sunt medico-politicae, in defensione populi a contagio inferendo, suscipiendo, in corroboratione corporum et animorum contra contagii actionem possibilem consistentes, tam privatae typho adversis analogae. — Primis contagii suscepti aeque ac typhosi effectibus occurritur. Inunctiones totius superficiei cum oleo olivarum, quies postea in lecto, et sudor subsequus largissimus a longo jam tempore Smyrnae, et referente *Gräberg à Hemsö* etiam Tangeri in regno Maroccano faustissima sistunt prophylactica hominibus, de suscepto pestis fomite suspectis. (Lettera del Sign. *Gräberg di Hemsö* all' Ill. Sign. Luigi *Grossi*, Dottore etc. sulla peste di Tangeri negli anni 1818—1819. Genov. 1820.) — Contra pestem ipsam dirigenda cura characterem ejus, nonnunquam aperte phlogisticum utut transitorium, alias nervosum, aut putridum, aut biliosum etc. cum exanthemate, magnitudinem cum specialibus symptomatibus urgentibus, decurrendi rationem ac stadium etc. exacte respiciat. Quare methodus jam antiphlogistica, jam incitans nervina aut antiseptica, jam anti-

gastrica praecipue emetica etc. convenit, quemadmodum in typhi cura dictum est. — Frigoris adplicatio a *Samoilowitz* contra pestem utilis pridem laudata, ubi viribus labentibus calcar addendum, et sepsi obviam eundum, maxime convenire videtur. — Usus olei olivarum internus, praeprimis externo unitus a *Gräberg*, observatis propriis innixo (l. c.) salutaris celebratur. Haustis, ut refert, olei dicti unciis quinque vel sex inunctaque eodem oleo calido superficie tota aeger immittitur lecto, bene tectus quiete decumbit ad largum usque sudorem, quo finito admodum sublevatus est, et plerisque in casibus sanatus. *Tully* (l. c.) inunctionum olei contra pestem utilitatem confirmat.

Crisis et *convalescentia* ad regulas generales apte tractanda. Quo et *bubonum* atque *carbunculorum cura* spectat, quae eo tendat oportet, ut ad benignam illi perducantur suppurationem, in utrisque gangraena praevertatur. Hunc in finem interne remedia nervina et antiseptica dicta, externe irritantia admoventur, et abscessus maturus statim aperitur.

Spec. 2. Scarlatina.

§. 677. *Scarlatina* (febris scarlatinosa, exanthema scarlatinosum, Scharlach, Scharlachfieber) speciem exanthematum maculosorum sistit contagiosam, febri acuta, inflammatione faucium, maculisque cutis profunde vel coccinee rubris, latis, utplurimum confluentibus, insignitam, quae forma et extensione variae erysipelatis adinstar calent, sub digito premente pallent, hoc amoto pristinum illico recuperant ruborem, et absoluto sex septemve dierum curriculo in desquamationem abeunt.

§. 678. Scarlatina morbis antiquis probabiliter adnumeranda, pro mera faucium cynanche saepe imposuit, saeculo decimo sexto demum exactius descripta. Sunt, qui epidemiam tempore belli peloponnensis regnantem a

Thucidide descriptam, scarlatinam fuisse cum angina maligna conjunctam, existimant (*Malfatti* in *Hufeland* Journ. d. pr. H. B. 12. St. 3.); *Sprengel* vero aliique inter morbos recentiores eam referunt, primum a *Sennerto* (Med. pract. L. IV. c. 12.) saeculo decimo sexto qua morbillorum varietatem delineatam.

Joh. Storch, prakt. u. theoret. Tractat vom Scharlachfieber. Gotha 1742. 8.

Fr. Ludw. Kreysig, Abhandl. üb. d. Scharlachfieber u. s. w. Leipz. 1802.

Joh. Stieglitz, Versuch einer Prüfung u. Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlungsart des Scharlachfiebers. Hannover 1807. 8.

Heim's Bemerkungen üb. d. Verschiedenheit des Scharlachs, der Rötheln u. Masern, vorzüglich in diagnostischer Hinsicht. *Hufel.* Journ. d. pr. H. März 1812. S. 60. etc.

J. P. Frank, *A. G. Richter*, *Willan* et *Bateman*, *Reil* opp. citat.

A. Henke, Handbuch zur Erkenntn. u. Heilung der Kinderkrankheiten. 3. Aufl. Frankf. a. M. 1821. 8.

Dr. J. J. Reuss, Wesen der Exantheme etc. Th. II. Nürnb. 1818. 8.

J. Armstrong, practical illustration of the scarlet fever etc. Lond. 1818.

C. Duftschmid, tractat. de scarlatina, sive responsio etc. Lips. 1820. 8.

§. 679. Characteres scarlatinae sequentibus fere comprehenduntur: Scarlatina utplurimum contagio specifico *generatur*, procul dubio autem singularium circumstantiarum necdum perfecte cognitarum concursu et primarie *produci* potest, per infectionem deinde *propagari* ac *multiplicari*. Sporadica et epidemica observatur; illa praesertim in urbibus quovis anni tempore, haec vero aestate ad finem vergente (*Sydenham* opp. Sect. VI. c. 2.), autumno et hyeme, tempestate humido-frigida, conspicitur. Sedem symptomatum inflammatoriorum illi essentialium membrana mucipara faucium, rete Malpi-

ghii, et superficies cutis exhibent; sed caeterae quoque membranae muciparae, speciatim primarum viarum, et pia mater (fortasse et arachnoidea) aperte in sympathiam trahuntur. Morbus decursum absolvit determinatum, facile tamen deviat; in characterem nervosum ac in hydropem, imprimis anasarcam, proclivis, magnam exanthematis volubilitatem cum aliorum organorum, encephali imprimis et meningum adfectione, intensiorem prae exanthematibus caeteris aestum, majoremque prae caeteris febribus pulsuum frequentiam offert. Rara est febris scarlatinosa sine exanthemate, solis notata faucium doloribus, rarior ejusdem secunda, aut pluries repetita in hominem eundem invasio. Vehiculo contagium scarlatinosum utitur verosimiliter materie e pulmonibus exhalata, per cutem evaporante, nec non muco in faucibus morbose secreto.

§. 680. Orditur scarlatina vel ab indeterminatis aegrae valetudinis signis *praecursoribus*, vel a febri, vel a faucium phlogosi, vel ab ipsa interdum eruptione cutanea. Regulariter decurrens ex momento, quo febris ingruit, *tria* permaneat *stadia* characteristica: *febrile* nimirum, *exanthematis*, et *desquamationis*.

Stadium febrile (irritationis), unius communiter vel duorum, raro trium nycthemerorum spatium explens, citra febris inflammatoriae symptomata notant sequentia: cutis admodum calens et sicca; pulsus valde frequens consuetim durus et contractus (suppressus); magna in delirium pronitas, inquietudo, cephalalgia aut vertigo, sopor; deglutitio ardua, dolorifica, phlogosis tonsillarum, plerumque et veli palatini et uvulae; aliquando nausea, vomitus; nonnunquam phaenomena catarrhalia, epistaxis levans. In infantibus eruptionem exanthematis non raro tendinum lusus, convulsio, eclampsia praecedunt. — *Heim* odorem initiante morbo jam adesse specificum, pathognomonicum adfirmat, aequiparandum illi, qui ex halecum aut casei vetusti tabernis, aut aliqua ex fera-

rum carnivorarum (leonum, tigridum) stabulis distantia nares ferit, decurrente morbo sensim diminuendum. Quem aliquoties modo, et nonnisi decrescente febri, obscure percipere mihi licuit. — *Stadio exanthematico* in facie tumidula, collo, pectore, axillis, extremitatibus, praesertim in antibrachiis, manibus et pedibus, saepe in reliquo etiam corpore maculae comparent (cute albida) laetius aut (cute brunescente) profundius rubrae, coccineae, latitudinis ac formae variae, quae pedetentim increscentes ac confluentes eam non raro nanciscuntur extensionem, ut membra imo superficiem totam obtegant. Jam omnibus in locis nunc adductis simul, jam successive in facie primum, collo et pectore prorumpunt, ut jam post horas jam intra unum duosve dies eruptio sit perfecta; turgore, aestu intenso, pruritu quodam et ardore cutis, late expansae doloribus artuum stipantur, supra cutem non eminent, initio pallidius post intensius rubent, sub digito premente erysipelatis in modum sese habent, et nunc planae manent (*scarlatina laevis* s. *maculosa*), nunc asperae evadunt, et papulis rubris aut albis, magnitudine milium aequantibus (*scarlatina miliaris, miliformis*), aut rarissime pustulis (*sc. pustulosa*), rectius vesiculis (*sc. vesicularis*) obsidentur, fluidum limpidum aut flavicans gerentibus, desquamationis tempore dispariturum. Maculis hisce explicatis cynanche faucium et febris, cephalaea, inquietudo, anxietas consuetim imminui observantur, et urinis, sudore, sputis, non raro et epistaxi criticis auferri; sed aliquando (morbo ob notam inflammatoriam, phlogoses adjunctas, varias complicationes etc. ingravescente) febris cum phlogosi continuat, caeteraque symptomata nunc primo comparent vel intenduntur deliriisque sociantur, donec pallescente exanthemate judicentur. Symptomata nonnulla gastrica: sapor amarus aut salsus, lingua spurca etc. nunc solent prodire. Duos exanthema dies aut tres, rarius quatuor aequabiliter florens perstat, donec eo, quo prodierat,

ordine pallescere incipiat, tandemque post incertam istius stadii per quatuor ad septem dies durationem in *desquamationem* transeat. Epidermis nimirum singulis pedetentim locis sub cutis pruritu, turgorisque ac aestus decremento arescit, dehiscit, et pulveris farinosi, aut squamularum furfuribus similium, aut majorum, figuram partis hinc inde (praecipue in manibus ac pedibus) ostendentium laciniarum sub forma secedit. Desquamatio nonnunquam pluribus ab exanthemate penitus evanido diebus incipit, ad epithelium imo protenditur, quod a tonsillis nec non palato molli solutum griseorum instar frustorum exspuitur; cum unguium imo secessu jungitur; complures continuat dies, eo uberior quo latius expansum exanthema fuerat, atque diebus sex, octo elapsis semel aut bis iteratur; verum et ex opposito nonnunquam exanthema manifestum vix aut non perceptibile, et deficiens aut hinc inde solum et transitorie conspectum, insignis sequitur desquamatio. Stadium hoc jam intra septem, novem dies continetur, jam, desquamatione imprimis iterata, in aliquot producitur septimanas.

§. 681. Cum morbus non vehemens tantum, irregularis, sub decursu turbatus, interceptus, sed regularis quoque et mitis magnam ostendat in mala posthuma proclivitatem, auctores *stadium quartum* esse statuendum crediderunt, *secundarium* s. *metastaticum* dictum. Malis ejusmodi secundariis intra quatuordecim ab exanthemate finito dies magis quam postea metuendis accensentur: hydrops anasarca, universalis quoque, in infantibus saepe hydrencephalus, in chloroticis faeminis hydrothorax et hydrocardia jam acute jam lente decurrens; parotitis; ophthalmiae chronicae; tussis chronica, in phthisim facile terminans; phlogoses faucium diuturnae ac suppurationes, in ulcera rebellia et phagedaenica, speciatim in ossium palatinorum et nasalium cariem tendentes; metastases ad articulos, jam suppurationem benignam, jam vero ulcerationem pertinacem et exhaurien-

ten post se trahentes. — Qui morbi secundarii utplurimum errores diaetae ac regiminis, quandoque vero dispositionem individualem, alias et peculiarem epidemiae genium suos agnoscunt fontes. Sic Vindobonae annis 1828. et 1829. scarlatinae epidemicae nisus in hydropem secundarium universim eminuit.

§. 682. Scarlatina modificationes nonnullas offert notatu dignas: *inflammatoria* nimirum occurrit, *nervosa* et *putrida* i. e. febri inflammatoriae, nervosae, aut putridae juncta; *benigna* et *maligna; pura* et *mixta* seu complicata; *simplex* et *composita; epidemica* et *sporadica; originaria* et contagio inducta, *communicata; regularis* et *irregularis*, ad quam imperfecte evoluta, et retrogressa referendae sunt.

§. 683. Febri inflammatoriae gradus levis (subinflammatoriae) omnis *scarlatina simplex*, benigna scilicet, mitis et ad normam decurrens, primis duobus stadiis jungitur. Vigente febre intensa (*scarl. inflammatoria*) morbus rapide ac impetuose decurrit, recensitaque symptomata essentialia vehementer mox ingravescunt; phlogoses organorum nobilium internorum, meningum frequentissime praesertim aetate infantili ac puerili, vel et pulmonum, pleurae, pericardii, ventriculi, intestinorum, hepatis aliorumve abdominis viscerum, imo complurium simul accedunt, quae cynanche faucium penitus deficiente, aut transitoria, aut inadaequate miti, vel exanthemate tarde nimis et imperfecte prodeunte, sicut per vices pallescente, singulis locis evanescente, formari utplurimum observantur. Status hic inflammatorius, aut non illico cognitus, aut segniter aut perverse curatus, cito in humorum effusiones periculo plenas imo lethiferas abit, vel in nervosum aut putridum transmutatur.

In cadaveribus tali sub rerum positione intra quinque, septem plerumque dies defunctorum non manifestissima solum inflammatae ad mortem usque jam piae matris, jam membranae facium canalisque respiratorii superioris mu-

ciparae, jam pleurae et pericardii etc. separatim, sed aliquot etiam vicibus omnium illarum simul vestigia, et cordis insuper ventriculos et aortam trans arcum usque insigniter rubentes inveni. Extravasata, quae raro defecerunt, humorum serosorum aut seroso-cruentorum non larga vidi. Concretiones, abscessus (faucium exceptis) nunquam detexi.

§. 684. Febris nervosa, quoad observavi, scarlatinam initio nunquam, faventibus autem aegrorum dispositione, genio morborum regnante etc. extincto charactere inflammatorio adultiorem saepius comitatur. *Scarlatina* autem *nervosa* cognoscitur ex status nervosi (§. 138.) signis, nunc subito intrantis, nunc successive prodeuntis, erethismo frequentius quam torpore stipati, specialius ex pervigilio, delirio assiduo, inquietudine magna, urinis limpidis largis, tendinum subsultu, spasmo pharyngis etc. imo convulsionibus, quibus pulsus admodum frequentes, parvi, debiles, inaequales, molles aut subduri, exanthema pallescens, hinc inde vel et ubique ante tempus disparens, alternatim recedens ac denuo prorumpens adsociantur. Febris scarlatinosa facile in nervosam devians non raro epidemica observatur; quandoque maligna fit, tuncque cito, et sub phaenomenis, qualia in febri nervosa mortem annuntiant, lethalis.

Cadavera scarlatina nervosa mortuorum mox mutationes morbosas ante enumeratas vario gradu, mox insignem simul musculorum omnium, cordis speciatim mollitiem, mox nullam a normali alienationem offerunt.

§. 685. Putridus quoque febris character nonnisi inflammatorium excipiens scarlatinae comes est. *Scarlatinam putridam* denotant: verae virium vitalium debilitatis signa; color exanthematis coccineus in purpureum, lividum vergens; petechiae aut miliaria; recessus turgoris in facie et cute reliqua attactu nunc flaccida; magna cynanches faucium intensitas tumore notabili, rubore profundo, imo et aphthis insignitae, magnamque statim

propensionem in gangraenam ostendentis; gangraena ipsa (*cynanche faucium gangraenosa*), sociaque status putridi universalis symptomata. Haec scarlatinosae febris modificatio rarius hodiedum ac quondam epidemica comparet.

Cadaveribus scarlatina putrida enectorum sectis destructiones in faucibus, haud raro inflammationum internarum residua superius exposita; consuetas a febribus putridis mutationes; aphthas quandoque in oris cavo et primarum viarum tractu, ulcera cum marginibus duris, elevatis in intestinis crassis, invenire mihi contigit.

§. 686. Scarlatina *simplex* ac *pura*, maculosa s. laevis, non aeque frequens occurrit quam varie *composita* et *complicata*, ad quam *miliaris* spectat, et *gastrica* saburralis, biliosa. Posterior frequens imprimis est, nec cum scarlatina simplici, quae adfectionem gastricam mere symptomaticam secum fert, confundenda.

§. 687. Scarlatina *imperfecte evoluta* casu rariore ad solam faucium cynanchen, rubedine linguae intensa, aphthisque in isthmo faucium et pharynge consociatam, et ad febrim limitatur. Ex his atque ex calore cutis ultra modum aucto, pulsibus summopere acceleratis, epidemia regnante, ex aegrorum scarlatinam nedum passorum cum scarlatina laborantibus commercio praegresso, non tuto semper cognoscitur. Non admodum raro singulis solum locis, collo, manibus pedibusque conspicua adest. Talis aliquoties quidem formam scarlatinae mitioris repraesentat, communissime tamen morbi potius internas partes obsidentis, criseosque per universalem exanthematis eruptionem peragendae, insufficientis effectum sistit et signum. Quapropter haec forma synochae plerumque conjuncta est, ultra tempus statutum excurrenti, quin decrescat, imo ea, qua cynanche faucium intenditur, ratione invalescenti; aut aliae adhuc ex memoratis organorum internorum membranosorum inflammationibus incipiunt ac efformantur. Scarlatina talis *quoad formam*

et *decursum anomala* rarius omnino debilitati aegrorum jam praegressae, quam individuali in morbos inflammatorios generatim et in viscerum phlogoses in specie dispositioni, tempori aestuanti, perverso per prodromorum et febris stadia regimini calefacienti, complicationi cum rheumatismo, gravibus functionum cutis dicto tempore laesionibus per refrigerationem, alviductiones, phlebotomias, siquidem non indicantur etc., suam debet originem.

§. 688. Scarlatina pro parte aut omnis *retrogressa* nonnunquam vespertino solum tempore, quo febris exacerbari, vel matutino, quo remittere nisumque ostendere criticum assolet, parum ac transitorie manifestatur. In hac cavendum maxime, ne retrocessionis causa semper in virium defectu adeoque insufficiente organismi reactione, vel in refrigerio haerere supponatur. Licet enim momentum alterutrum causale subesse omnino possit, attentio tamen haud minor in eam aegrorum dispositionem, in eas potentias morbificas est convertenda, quae, ut mox dictum, incompletam scarlatinae evolutionem efficiunt; quum istae exanthemate inchoante vel et perfecto agentes tam hujus a cute recessum, quam pro qualitatibus suis et actionis modo jam phlogoses internas provocando, jam characterem nervosum vel putridum invitando sint pares.

§. 689. *Dispositio* in scarlatinam insignis in aetatem infantilem et puerilem ad annum circiter decimum usque cadit; morbo exantlato pro reliqua individui vita deleri consuevit. In quo autem consistat, numque differat a majori huic aetati inhaerente in quosvis influxus nocivos, adeoque et in causas excitantes mox nominandas receptivitate, dilucidari necdum potuit. Inter adultos faeminae prae maribus, specialius puerperae scarlatina infestantur. — *Causis excitantibus* adnumerantur: a) contagium specificum morbo ipso scarlatinoso procreatum; b) singulares anni temporis, tempestatis influxus, e

quibus vero non nisi atmosphaeram humido - frigidam primi veris et autumni adulti cum probabilitate designare, et qua fontem scarlatinae epidemiarum circa aequinoctia plerumque regnantium, considerare licet; utut ejusmodi epidemiae, quemadmodum Viennae anno 1822, aestivo etiam tempore observentur. Scarlatinae sporadicae casus offendi, in quibus praeter refrigerium repentinum corpore exaestuato captum, stricte inquirenti mihi momentum aliud causale detegere non licuit. Penes scarlatinam erysipelas non raro simul grassatur.

§. 690. Quod *essentiam* scarlatinae adtinet, symptomata, effectus et sequelae ejus acutam retis Malpighii, et cutis superficiei, membranae muciparae faucium phlogosin, nec non irritationem membranarum internarum seriferarum, meningum praeprimis inflammationi prope accedentem, directe indigitant; generatio morbi per contagium sui generis, cujus effectus manifesti incompletam solum de ejus indole conclusionem concedunt, et inficiendi potestas inflammationem sui quoque generis, specificam, reddunt; relatio tandem hujus inflammationis ad febrim perpensa eam mediante febris, per singulares in cutem ejusque ad cava narium, oris, fauciumque propagines influxus concitatae, inflammatoriae, crisi productam esse commonstrat. Juxta haec aliorum de scarlatinae essentia opiniones dijudicari possunt. — *Marcus*, *Goeden* aliique illam in inflammatione specifica sitam esse arbitrantur; posterior scarlatinam pro fundamentali omnium, quae in membranis fibrosis et arteriosis radicantur plexibus, exanthematum forma habet. — *Jos. Wendt* (das Wesen, die Bedeutung und die ärztl. Behandl. des Scharlachs. Breslau 1819.) scarlatinam non exanthema, sed meram cutis inflammationem; — *Reich* et *Dähne* nonnisi cutis regenerationem normalem esse, existimant. — *Chr. Pfeuffer* (der Scharlach, sein Wesen u. seine Bedeutung etc. Bamberg u. Würzb. 1819.) eam morbum evolutionis, in corpore cutis papillari residentem decla-

rat. — *Kreysig* (*Heckers* Annalen etc. Berl. 1826. H. 3. u. 4.) scarlatinam specifica sanguinis mutatione induci, huic suam debere essentiam, eaque et febrim excitari et exanthema produci, evolvi et expandi, opinatur. In quo autem consistat illa sanguinis mutatio, non dilucidat.

§. 691. *Prognosin* in scarlatina cautissime semper ferre oportet; nonnunquam enim cursu apparenter miti infaustas repente mutationes, infelicemque subit terminationem. Et reapse mitissimam interdum hydrops sequitur anasarca.

Character activus, levissime inflammatorius, et decursus regularis praesagium generatim faustum permittunt; altiores vero indolis inflammatoriae gradus, segnis, incompleta exanthematis eruptio, vel praesentis et perfecti, perstante et increscente febri inflammatoria insigni, recessus, character nervosus et colliquativus, periculo circumdantur; ibi enim internas supra nominatas, praesertim cerebri et meningum inflammationes, vel repentinam in nervosum characterem aut putridum conversionem, hic malas febris nervosae aut liquativae sequelas metuere licet.

Complicatio gastrica tardare consuevit exanthematis eruptionem.

Periculum instantaneum, et mors repentina stadio secundo ex evolutione inhibita et adfectionis inflammatoriae cutis ad viscera nobilia transitu, vel fortassis specifica quoque virium vitalium humorumque destructione; stadio tertio ex morbis posthumis potissimum minantur.

Exanthema subito disparere, periculosum est; spasmis et urinis copiosis limpidis quandoque annunciatur.

Periculum aeque significant faucium inflammatarum gangraena, aphthae discolores, inchorosae, gangraenescentes.

Notabilis membranae narium Schneiderianae phlogosis, cynanchi faucium adjuncta, cum profluvio valde

acri, gravem encephali adfectionem antecedit; continua in somnum propensio, sopor, deliria assidua, spasmi et convulsiones praesentem indicant.

Infantes infra annum aetatis, praesertim dentitionis tempore, sic et adulti communiter gravius aegrotant; sed et subjecta aetatis puerilis atque juvenilis ex scarlatina inflammatoria, imprimis per contagium adquisita, vehementer adfliguntur.

Febrim et cynanchen exanthemate rite explicato, imo jam regulariter finito perstare intensam, malum; desquamationem multum tardari aut plane desiderari, anceps est.

Quodsi desquamatione deficiente, aut praesente aut absoluta, sudor et urinae desint criticae, cutis potius valde sicca sit, parumque urinae crudae, pallidae aut rutilae mingatur; quodsi horripilatio hinc inde sentiatur, pulsus febriles, sitis reconvalescentis continua, anorexia, cutis plane attactu crassa, facies, palpebrae superiores in specie, pedesque tumiduli inveniantur; de inchoante hydrope non amplius est, quod dubites. Qui plerumque acutus, activus imo inflammatorius est, saepe sanatu difficilis. Si cito increscit, si febri valida stipatur, si hydropi cutaneo, sub initium consuetim soli, nunc manifesta accedunt hydrothoracis, hydrocardiae aut hydrencephali signa, anceps, imo periculosus evadit; priores enim utplurimum, et quidem aliquando jam intra unum alterumve nycthemeron, alias, uti posterior, paucas intra septimanas mortem inferunt.

Ante quatuordecim a desquamatione finita dies convalescentium neminem a malis posthumis securum declarare licet.

§. 692. *Cura* pro re nata modo *prophylaxin* adhuc, modo *sanationem* intendit. Firma enim suspicione, contagio scarlatinoso quendam esse infectum, quin morbus essentiali jam manifestetur forma, sperare interdum licet fore, ut ejus aeque ac typhi contagiosi (§. 664.) evo-

lutio *praepediatur*. Varia hunc in finem a variis celebrata sunt medicis: emetica; sudorifera tum medicamina tum potulenta cum regimine congrue calido; balnea tepida; lotiones egelidae, frigidulae; vapores ex acidis mineralibus; camphora; calomel, idem cum sulphure aurato antimonii; belladonna dosibus minimis (vix efficacibus) exhibita ad mentem *Hahnemanni*, et ad medicorum complurium adserta ab *Hufelandio* (Journ. d. p. H. 1820. St. 8; 1822. St. 6 et 10; 1823. St. 4, u. 8; 1824. St. 11; 1825. St. 11.) collecta et (opusculo: Die Schutzkraft der Belladonna etc. Berl. 1826.) digesta. Nullum tamen omnium absolute pollet virtute prophylactica, potiorem interim fidem merentur emetica, diapnoica, potus theati, lotiones et balnea, nec non vapores dicti, dummodo quaelibet rationali cum casuum specialium distinctione apte seligantur, adplicentur.

Scarlatinoso jamjam explicato exanthemate momentum causale excitans aut non amplius adest, aut (v. gr. conditio tempestatis) tolli vel infringi nequit; quapropter *indicatio prima* pro parte solum, quae potentias nocivas abigendas et arcendas spectat, expleri potest.

§. 693. Ut indicationi generali *secundae*, morbi sanationem concernenti, adeoque stadium scarlatinae primum ac secundum amplectenti satisfiat, tractamen per complicationem fortasse praesentem, per febris indolem atque intensitatem, specificae inflammationis faucium et cutis gradum, per graviora urgentia symptomata, formam totam, decursum regularem aut anomalum, nec non genium morborum epidemicum definitur ac dirigitur. — Complicationem gastricam confestim jam emetico, jam, prout casus expetit, purgante antiphlogistico auferre oportet. Hac deficiente aut jam ablata, si stadio primo febris cum cynanche, sed sine exanthemate, viget *activa, subinflammatoria*, cura per pharmaca, diaetam atque regimen ab illa contra febrim catarrhosam subinflammatoriam (§. 566—568.) non differt; cynanchi speciatim

cataplasmata, collutoria emollientia, similesque vapores opponuntur, ac, siquidem et quousque status morbi exegerit, in alterum continuatur stadium. Febris *synocha* cum cynanche intensa, forsan symptomatibus quoque inflammatoriis encephalum, pulmones, viscus aliquod abdominis etc. ferientibus, exanthemate caeteroquin perfecte vel imperfecte evoluto, raro vel latissime diffuso, aut retrogresso, regimen frigidulum et ad modum synochae (§. 103. et 275.) tractamen antiphlogisticum generosius per sanguinis depletiones universales, topicas — in infantibus per has saltem —, potulenta et eccoprotica antiphlogistica exposcit. Etsi ex omnibus exanthematibus scarlatina rationem medendi stimulantem, irritantem, calefacientem minime ferat, limites tamen methodi antiphlogisticae, quos casus quilibet specialis definit, praesertim in adhibendis sanguinis depletionibus, purgantibus per *Stieglitz*, *Albers* et Anglos plerosque nimium laudatis (sale amaro, calomela, jalapa etc.), et frigore nequaquam transscendendi sunt; his enim neglectis in stadio primo febris ad criticam exanthematis propulsionem, in altero exanthema ad evolutionem completam perduci nequit, nec non decursus summe anomalus, exanthematis disparitio, periculosae ad viscera metastases, character nervosus aut colliquativus, imminent.

Quod perfusiones frigidas hic aeque ac in typho (§. 664.) a *Currie*, *Kolbany*, *Reuss*, *Armstrong*, *Frölich*, *Albers* aliisque multis decantatas, et lotiones aegrorum cum aqua frigida aceto mixta, a *Willan* in perfusionum locum tentatas, concernit, sequentia animadverto: 1) Priores tanquam remedium heroicum scarlatinae miti, simplici ac regulari non conveniunt; posterioribus vero, nisi medico praesente dirigantur, securitatis causa methodum refrigerantem, dein emollientem diapnoicam praefero. 2) Citra rerum statum in tractatu de typho commemoratum, praesentibus quoque phlogosibus internis prohibentur, quousque istae necessariis sangui-

nis depletionibus, antiphlogisticis pharmacis et potulentis, regimine moderate frigido fractae non fuerint. 3) Quare primo praesertim in stadio febri valida continente cum aestu admodum aucto (+ 105° F. et ultra), cute sicca, obnubilatione capitis, inquietudine magna, deliriis vividis, doloribus faucium intensis pluries per nycthemerum maxima cum circumspectione instituta emolumentum adferre collaudatum poterunt. 4) Iisdem sub symptomatibus etiam altero adhuc stadio, quo citius adhibitae eo certius, proficiendo, et speciatim exanthematis segnis evolutionem completam, retrogressi restitutionem adjuvando pares erunt, ubi febris inflammatoria, aut status simul viscerum irritativus fortior anomaliarum dictarum culpam continet. (Conf. *Henke* op. cit. P. I. p. 432.)

§. 694. Scarlatinae characteris *nervosi*, quem vix unquam ante stadium secundum ejusque finem adquirit, methodus excitans, nervina, externe stimulans, irritans, qualis in febrim nervosam indicatur §. 144., est opponenda. Contra perstantem faucium inflammationem, siquidem haec topica sanguinis evacuatione non amplius indigeat, sinapismus aut vesicans circa collum vel ad nucham, postea cataplasmata vel fomenta emollientia, serius aromatica, linimentum volatile sine aut cum camphora etc., merito commendantur. Egregium hicce effectum balnea tepida, et lotiones cum aqua tepida, caute institutae, producunt. — *Recedente*, hoc sub febris charactere, *exanthemate*, id quod non sine periculosis organorum internorum symptomatibus fieri consuevit, citra debitum causae occasionalis amovendae respectum illico in vires universim et in cutem in specie excitando, irritando agendum est balneis, lotionibus tepidis, aromaticis, sinapismis ad suras, brachia, temperatura altiore, leni frictione, enematibus stimulantibus etc., interne simul infusis flor. chamom., rad. valerian. etc. cum camphora, liq. corn. cerv., moscho etc.

§. 695. Scarlatina *putrida* uti febris putrida (§. 123. et seq.), simultanea consuetim cynanche faucium gangraenosa, secundum institutiones circa hanc inflammationem (§. 596.) traditas curetur oportet. Quamquam in hac scarlatinae varietate calor multum intenditur, imo mordax fit, *Currie* tamen ipse experientia ductus, perfusiones frigidas hic esse noxias, declaravit.

§. 696. Indicationi *tertiae* adimplendae, crisi scilicet faustae invitandae, dirigendae, promovendae medicus altero jam stadio intentus sit oportet. Pro virium igitur vitalium ratione, pro gradu ac indole febris, pro phaenomenis criticis fors jam conspicuis methodum nunc mitem, emolliendo, diluendo diapnoicam, nunc diaphoreticam fortiorem, incitantem, adeoque regimen moderate calidum, et potum ac pharmaca nunc emollientia diluentia tepida, diapnoica, nunc vero plus minusve stimulantia et calefacientia administranda habet. Adplicandi ratio eadem sit, quam in tractanda febris catarrhosae levis ac simplicis, vel inflammatoriae, vel nervosae, vel colliquativae crisi (§. 568.) docui.

§. 697. Cura *convalescentiae* mali superati effectibus et sequelis definitur, atque cum curatione convalescentiae ex febre catarrhali, vel inflammatoria, quandoque cum illa post nervosam aut putridam convenit.

§. 698. Auxilia *hydropem praecavendi* certissima in congruo morbi totius tractamine, regimine ac diaeta adaequatis, adeoque in iis praesto sunt, quae tam transpirationi cutaneae, quam omnibus se- et excretionibus normalibus promovendis, saltem sustinendis inserviunt, atque per aliquot a finita desquamatione septimanas continuantur. Refrigerium quodvis et errores diaeteticos evitare vel maxime interest. — Quodsi autem hydropis prodromi supra (§. 691) nominati intrent, aut hydrops ipse jam adsit, therapia variat, prout causa excitans differt, atque ille, uti communiter, febri activae, inflammatoriae, aut inflammationi alicui, vel debilitati universali jungi-

tur; id quod raro et nonnisi post scarlatinam nervosam aut putridam, in hydrope diu post scarlatinam atque segniter evoluto, a potentiis praegressis aperte debilitantibus etc. accidit. In casibus itaque communibus, plerisque huic hydropi methodus antiphlogistico-diapnoica cum diuretica opponenda est, imo venaesectio, si opus, instituenda, iteranda. Cremor tartari caeteroquin solus vel cum nitro, vel digitali, vel ista per se, scilla marina, oxymel scilliticum, tartarus emeticus dosi refracta seorsim vel cremori tartari, roob sambuci etc. nuptus, cum balneis tepidis, et regimine aequabili calido indicantur. Febre mitissima aut penitus absente, viribusque vigentibus quandoque purgantia uti: infus. fol. senn. simpl. aut compositum i. e. inf. laxat. Disp. Vien., cum sale, electuar. lenitiv. etc. citissimam ferunt opem. — Hydropi passivo scilla cum sulph. aur. antim. et camph., infus. baccar. junip. c. oxymelle scillitico, tartarus emeticus dosibus refractis, infus. polyg. seneg., decoct. radic. ononid. spinos., amara mox dictis juncta etc., medentur.

Ad finem therapiae talis saepius remedia roborantia: substantias amaras, corticem Peruvianum, ferrum, in usum vocare necesse est.

Spec. 3. Rubeolae.

§. 699. *Rubeolae* (roseolae, rosalia, Rötheln, Ritteln, Feuermasern) a *Kapp*, *Wichmann* aliisque nonnullis pro substantiva quidem efflorescentiarum acutarum *specie*, a plerisque tamen pro *varietate* solum vel scarlatinae (*Formey*, *Heim*, *Hufeland*), vel mox hujus mox morbillorum (*Ueberlacher*, *Jahn*) habentur. *Reil* scarlatinam inter et morbillos medium tenere, propius tamen priori accedere, *Marcus* ad scarlatinam sicut varicellas ad variolas sese habere defendit. Observationes propriae ad virorum me ducunt partes, quibus rubeolae varietas scarlatinae esse videntur, quacum in eo conveniunt,

quod faucium cynanche stipari soleant, secundo ab introitu febris prodeant die, sub digito premente scarlatinae rationem sequantur, epidermide magnis laciniis secedente terminentur, et quod teste *Heim* eundem, quem scarlatina, ingratum spargant odorem specificum.

Ziegler's Beobachtungen a. d. Arzneyw. chir. und gerichtl. Arzneyk. Leipz. 1788. S. 81. u. ff.

S. G. Vogel, J. P. Frank, C. Sprengel, A. G. Richter, A. Henke opp. cit.

Heim, Bemerkungen üb. d. Verschiedenh. des Scharlachs, der Rötheln u. der Masern etc. etc. In *Hufeland's* Journ. d. pr. H. 1812. März.

§. 700. Rubeolae manifestantur maculis rubris vel morbillos aemulantibus, laetius tamen coloratis, quidquam majoribus (diametro 1—$1\frac{1}{2}$ lineae), forma irregulari, exacte limitatis, vel non stricte circumscriptis, magnitudine granum milii dissectum referentibus, quae a centro intense rubro margines versus pallescunt, morbo miti rarae, valido autem numerosae adsunt, permagnae ad duas expanduntur lineas, et diebus secundo et aliquot subsequis, cum cutis interposita omnis rubescat, scarlatinae verae formam offerunt.

Febre cum faucium phlogosi, et tussi levi praegressis, absque caeteris symptomatibus catarrhalibus, ophthalmia speciatim, per totam simul superficiem prorumpunt, planae et glabrae sat frequenter papulis miliformibus conspersae, tres quatuorve post dies pallent, post sextum ad decimum usque evanescunt, maculis rubris non remanentibus, et cum epidermidis per magnas laciniias secessu finiuntur.

§. 701. *Decursus, stadiorum* ratio, *duratio* rubeolarum cum illis scarlatinae conveniunt; cynanche autem evoluto exanthemate perstat, imo increscit; febris utplurimum indolis inflammatoriae levioris est, exanthema haud

facile retrocedit, gravior cerebri adfectio rara, morbus totus communiter mitis et benignus observatur.

§. 702. *Dispositio* ad rubeolas in organismo infantili praeprimis invenitur. *Causam* earum *excitantem* contagium, et, quum scarlatinam epidemicam et antecedere et excipere consuescant rubeolae, probabiliter peculiaris insuper atmosphaerae ac tempestatis constitutio, quemadmodum de scarlatinae causis dictum, sistunt.

§. 703. *Ratio medendi* cum ea, quam scarlatina exigit, plane concordat. Plerisque in casibus methodus medendi antiphlogistico-diapnoica cum regimine consentaneo per totum rubeolarum decursum sufficit.

Spec. 4. Morbilli.

§. 704. *Morbilli* (Masern, Flecken) propriam sistunt exanthematum acutorum, maculosorum et contagiosorum speciem, febri, symptomatibus catarrhosis, maculis profunde rubris, lenticularibus, supra cutem modice elevatis, saepe confluentibus, et subsequa epidermidis defurfuratione essentialiter stipatam.

Th. Sydenham opp.
Rosen von Rosenstein, Abhandl. v. d. Masern. A. d. Schwed. 1763. 4.
Barserius, *J. P. Frank*, *Conradi*, *Richter*, *Henke*, *Reil*, *Willan*, *Jos. Frank* opp. cit.
Heim's Bemerkungen etc.

§. 705. Morbillorum origo ignota est; probabiliter, uti variolae, e zonis fervidis oriundi, et ex Arabia seculo duodecimo aut decimo et tertio, occasione sacri Crucigerorum belli, in Europam translati sunt. *Characteres* eorum *diagnostici* sequentibus comprehenduntur: Morbilli contagio specifico, verosimiliter et peculiari atmosphaerae ac tempestatis constitutione, producuntur. *Contagium* immediato aegri contactu, vel mediantibus

rebus praesertim asperis ab eo contactis, et atmosphaera eum ambiente communicatur. Morbilli epidemice frequentius quam sporadice, vere et autumno, tempestate catarrhis generandis favente, communissime obveniunt; non cutem modo occupant, sed in faucibus quoque, trachea, imo in viscerum thoracis et abdominis superficie (*Lieutaud*, précis de Mèdecine, p. 604.) conspecti sunt. Prae caeteris efflorescentiis acutis membranas organorum respiratoriorum muciparas, laryngis et tracheae praesertim, dein narium et palpebrarum oculi adfectas habent comites, eminentia symptomata catarrhosa offerentes. Morbus definito adligatur decursui cum insigni in haemorrhagias, in characterem colliquativum, et in morbos organorum respirationi dicatorum posthumos, speciatim in cynanchen membranaceam in infantibus, inflammationes ac suppurationes tracheae, bronchorum, pulmonum, nisu. Rarissima est febris morbillosa sine exanthemate, minus rarus morbus eundem bis invadens hominem, altera vice imperfecte evolutus (*Willan*). Contagium materiae e pulmonibus et cute evaporanti, lacrymis, salivae, sanguini e morbillo, dum floret, laeso prodeunti, quemadmodum *Homei* tentatae insitiones testantur, nec non epidermidi in furfures secedenti, inhaeret.

§. 706. In morbillorum decursu, citra prodromos plerumque inconstantes, *tria* notantur *stadia*, *febris* nempe, *exanthematis*, et *defurfurationis*, quorum singula dierum trium emetiuntur spatium.

Stadium febrile (irritationis, fermentationis), ad morbillos prodeuntes extensum, significatur a) symptomatibus ad speciem catarrhosis: oculorum rubedine, calore, dolore, photophobia, illacrymatione, palpebrarum tumore, coryza, sternutatione frequente, cephalaea imprimis ad sinus frontales, gravitate capitis, aegra animi dispositione; raucedine, tussi sicca, dyspnoea, punctu-rarum in pectore sensu, quandoque difficili etiam deglutitione et dolorifica; b) febri continua remittente activa,

plus minusve inflammatoria. Symptomata gastrica, vomitus ipse aut diarrhoea, nonnunquam adsociantur; aeger odorem diffundit specificum subdulcem, ab *Heim* cum eo comparatum, quem pennae anseris viventis vel mox mactati recenter extractae edunt.

Syptomata *catarrhosa* enumerata vario gradu sine vel cum febri manifesta rariori casu pluribus (undecim imo, et septemdecim, ut observavi) diebus praecedunt, exacerbationes aliquot notabiles celebrant, donec exanthema prorumpat. — Communiter morbilli sub- aut immediate post alteram tertiamve febris exacerbationem vespertinam, quandoque inquietudine, anxietate, pulsu inordinato, convulsione, epistaxi comitantibus, in facie primum comparent, quibus *stadium exanthematis* inchoatur, in brachiis dein et manibus, successive in collo, pectore, abdomine, dorso, tandem in extremitatibus inferioribus prorumpunt. Sunt maculae late bruneorubrae, initio minimae, cito autem increscentes, lentis circiter adquirentes circumferentiam, pulicum morsibus non absimiles, jam orbiculares jam oblongae, ambitu non stricte limitatae et pallidiores, in centro utplurimum vesiculam minimam visu vix percipiendam, duriusculam, primis diebus humore limpido refertam gerentes, et penitus evolutae speciatim in facie turgidula lentium instar transversim disscissarum supra cutem elevatae. Utut in facie aliisque partibus quandoque numerosissimi sint morbilli, ulteriore tamen decursu confluere solent, plagasque tunc sat expansas, rubras, late tumidulas variae figurae repraesentant; caeterum coacervatim aut racematim congregati, raro per omnem corporis superficiem aequabiliter diffusi cernuntur. Eruptio morbillorum decursu miti ac regulari, adnotante jam *Sydenham* (Obs. med. Sect. IV. c. 5.), haud adeo ac scarlatinae, variolarum etc., critica observatur; catarrhalia enim symptomata et febris ultra completam perstant evolutionem, illa nonnisi pallescente cum exanthemate decrescunt, contingente

defurfuratione cessant. Quo major febris, eo celerior et copiosior eruptio fieri consuevit. Stadio exanthematis transspiratio, speciatim vero halitus aegrorum, odorem nanciscitur specificum, acrem, acidulum. — Elapsis tribus exanthematis florentis diebus, sexto igitur septimove morbi, eodem illud, quo eruperat, ordine pallescere incipit, sensim rarius evadit, tandemque defurfuratione finitur, quae *stadium* tertium, *defurfurationis*, constituit, tres quatuorve dies perseverans. Epidermis nimirum locis morbillorum prurientibus forma pulveris farinosi, aut squamularum furfures aemulantium secedit, simulque sputis coctis puriformibus, sudore acidulo, urinis largis criticis, nonnunquam epistaxi levi, raro alvo diarrhoica, phaenomena catarrhalia solvuntur, febrisque judicatur. Defurfuratione finita rubor profundus tenuis restat, pedetentim evaniturus.

Defurfuratio vix unquam sine damno desideratur; febris enim tunc non resolvitur, malaque posthuma ante memorata praesertim in organis respiratoriis et oculis, vel et inflammationes ac indurationes glandularum, arthralgiae tumoresque articulorum rebelles, furunculi identidem iterati, facile gangraenescentes, diarrhoea pertinax exhauriens, tabifica, succedunt.

§. 707. Distinguuntur morbilli in *originarios* et (contagii ope) *communicatos* s. *adquisitos; inflammatorios, nervosos* dictos, et *colliquativos;* in *benignos* et *malignos; epidemicos* et *sporadicos; puros* et *complicatos.*

§. 708. Morbilli, praesertim contagio producti, initio saltem febri activae, inflammatoriae junguntur. Quae si moderata est, morbus totus levis, benignus decursum supra descriptum facit normalem; si vero valida, aestu intenso, pulsu duro, forti, pleno etc. stipata, inflammationes ei laryngis, tracheae aut bronchorum, pulmonum aut pleurae cum tussi acerba et sanguinis sputo, nec non graves ophthalmiae accedere, exanthema citissime ac

impetuose, in infantibus saepe sub convulsionibus, in adultis dira sub cephalaea et delirio, erumpere, febris post eruptionem intendi potius quam imminui, maculae laete rubere multumque elevari, e naribus aliisque viis sanguis cum levamine stillare, imo defurfuratione subintrante inflammationes, laryngis praecipue, tracheae, pulmonum, identidem oriri consueverunt.

§. 709. Morbillos, quorum sub decursu character febris *nervosus* explicatur, symptomatum catarrhalium nota spastica potius quam phlogistica, urinae limpidae, aquosae, aliaque status nervosi signa comitantur; eruptio, nisi jam facta, irregularis et absque caeterorum decremento symptomatum contingit; exanthema ipsum pallide rubrum, parum elatum, figurae irregularis, miliaribus remixtum, leviore etiam ansa data facile, instantaneaque cum febris exacerbatione, et periculosorum symptomatum nervosorum introitu retrocedit; crisis imperfecta est, defurfuratio saepe vix perceptibilis, atque morborum, quos supra nominavi, posthumorum unus alterve pro certo fere exspectandus.

§. 710. Morbilli, quibus *putridus* febris character superaccedit, nonnunquam epidemici sed et sporadici, calore ardente, evacuationibus, haemorrhagiis speciatim, diarrhoea, et sudoribus colliquativis, rubore exanthematis profundo, in lividum vergente, interspersis hinc inde petechiis, magno virium lapsu, et quandoque vera malignitate stipantur.

§. 711. Morbilli *spurii* dicti, a medicis nonnullis (*S. G. Vogel*, *Metzger* et a.) defensi, propriam exanthematis sistere speciem revera non videntur. Suspicio potius viget, mitioris scarlatinae, urticariae aut miliarium modificationes, morbillis remote similes, pro illis imposuisse.

§. 712. Cadavera morbillis mortuorum, citra characteris inflammatorii aut colliquativi fors effectus, vestigia inflammationum exhibent nunc superficialium nunc

penetrantium membranae muciparae laryngis, tracheae, bronchorum, vel ventriculi, intestinorum, et quidem rubedinem, mucum copiosum, ulcuscula, aphthas. Maculae morbillosae in viscerum pectoris aut abdominis superficie a me necdum deprehendebantur.

§. 713. Maxima in morbillos *dispositio* infantibus, imo et utero adhuc reclusis, minor adultis, senibus minima inhaeret; pari modo ac illa in variolas et scarlatinam morbo semel rite devicto exstinguitur. *Causas excitantes* nominare licet a) contagium sui generis jam supra (§. 705.) consideratum; b) constitutionem atmosphaerae ac tempestatis peculiarem, necdum penitus perspectam, morbillorum epidemicorum fontem.

§. 714. Ex hucusque prolatis si morbillorum *essentia* deducitur, in febre acuta et specifica retis Malpighii omniumque membranarum muciparum, praecipue cava narium viasque respiratorias investientium, irritatione inflammatoria consistere videtur, insigni in excretiones cruentas nisui et inficiendi facultati juncta, per idiopathicam cutis ejusque propaginum, forsan et pulmonum, adfectionem progenita.

§. 715. *Prognosis* circa morbillos generatim minus anceps quam circa variolas et scarlatinam ferenda; attamen casu speciali leves quoque et benigni per sequelas nonnunquam diuturnas, intense inflammatorii, uti nervosi et putridi nuncupati, eodem, quo inflammatoriae, nervosae et putridae febres, modo fiunt lethiferi.

Aestate mitiores quam autumno et hyeme observari solent.

Mala pectoris conformatio, morbi pulmonum praegressi, provecta aegrorum aetas, exanthema valde copiosum, inordinate prorumpens, confluens, petechiis mixtum, repente et absque defurfuratione conspicua retrocedens, jam per se, jam quatenus morbos secundarios certissime praesagiunt, periculosa censenda sunt.

Quo tussis vehementior, quo diutius ultra defurfura-

tionis stadium protracta, eo magis metus de phthisi pulmonali urget.

Tarda a febris moderatae introitu eruptio faustum, praecox vero infaustum sistit signum.

Vomitus facta eruptione perstans malae, diarrhoea modica bonae significationis est.

Infantes trium saltem annorum aetatem adepti levius ac adulti, imprimis gravidae, puerperae, nec non bibones, hoc morbo plectuntur; hic tamen in infantibus etiam minoris aetatis coincidente dentitionis opere, in cunctis complicante tussi convulsiva lethalis evadere potest.

Mors in stadium defurfurationis incidere solet; dies morbi nona maxime ominosa.

Exitus faustus citra tractamen congruum ac tempestive institutum a regimine conveniente, et sedula refrigerii fuga vel maxime pendet.

Status morbi laudabilis et mali signa, ex nosographia ante communicata facile decerpuntur.

§. 716. *Cura* ut aliorum morborum contagio oriundorum jam *prophylactica* est, jam *sanatoria*.

Ubi epidemia morbillorum regnante, symptomata catarrhalia graviora, universalia, in individuo illos nondum passo, hujusque notum cum aegris morbillo laborantibus commercium probabilem reddunt infectionis suspicionem; remedia diaphoretica interna, externa, specialius emetica, siquidem caeteroquin indicantur, et balnea tepida, dummodo ante febris apertae introitum rite administrentur, morbillis adhuc *praevertendis* paria inveniuntur. Ad praepediendam eorum vehementiam aut malignitatem *insitio*, primum ab *Home* (Principia Medicinae L. II. Sect. 8.) anno 1758 facta, a *Monro*, et nuper a *Locatelli* et *Speranza* bono cum eventu continuata, cujus jam supra §. 705. mentionem injeci, tempore regnantis praecipue epidemiae malignae respici meretur; morbilli enim insitione provocati hucdum mites semper, periculi immunes, malisque secundariis carentes observati sunt.

— Insitio eodem, quo vaccinatio, perficitur modo. — Infectionem die sexto symptomata catarrhosa levia cum febri sequuntur, a quibus nimirum morbus orditur.

§. 717. Hujus ipsius mitis, regularis ac benigni *sanatio* saepe sine pharmacis solo moderate calido, et aequabili, nec non diaetetico generatim sub regimine, quale febri catarrhosae leviori (§. 566.) convenit, feliciter impetratur. Caeteroquin therapia characterem gradumque febris, adfectionis catarrhosae intensitatem et extensionem, morbique totius per stadia definita decursum sequatur opportet. Communiter itaque ratio medendi initio moderans et emolliens, postea plus minusve antiphlogistica tam debilitans quam diluens, solvens, relaxans; atque febris symptomatumque catarrhalium crisi, exanthematis arescentia, et epidermidis defurfuratione procedentibus, emolliens ac diaphoretica requiritur. Charactere autem citius seriusve mutato methodi conformiter mox antiphlogistica generosior, mox incitans ac irritans, in nervos atque cutem specialius directa, mox incitans antiseptica, qualem febris inflammatoria, aut nervosa, aut colliquativa petit, cum praecipuo catarrhalium in organis respiratoriis et in oculis symptomatum respectu, summaque ad communes, jam criticas jam mere symptomaticas, haemorrhagias attentione, indicantur.

Exanthema si *retrocessit*, causa occasionalis, ut in scarlatina retrogressa §. 695. et 645. fusius memoratum est, erui debet et amoveri; ad illud vero *restituendum* necessaria insuper cura in speciali quovis casu sine mora, juxta momenta indicantia ibidem exposita, fieri.

Febre symptomatibusque catarrhalibus ad *crisin*, exanthemate ad *defurfurationem* declinantibus vires ac operationes naturae congrue dirigendae sunt, sudoresque et urinae criticae praeprimis attendendae.

§. 718. Sub *convalescentia* maximi interest, liberam sustinere transspirationem, et, nisi levissimus fuerit morbus, per pharmaca aeque ac regimen diaeteticum re-

lictam forsan tollere debilitatem, assimilationemque ac nutritionem juvare. Convalescentes per aliquot adhuc septimanas regimen moderate calidum aequabili servent tenore, bene vestiti atmosphaerico sensim adsuefiant aëri, frigidum tamen humidumque cautissime vitent, est necesse. Methodus roborans et nutriens sub iisdem, ac post febrim catarrhalem (§. 569.), conditionibus locum invenit.

§. 719. Morbis posthumis pro indole et magnitudine occurrendum; quod ut cum successu praestetur, indolem fontis, morbillorum scilicet, sedem et extensionem eorum, omnesque aegri individui proprietates exacte ponderare oportet.

Spec. 5. Petechiae.

§. 720. *Petechiae* (peticulae *Sal. Divers.;* lenticulae, puncticula *Fracast.*, purpura *Sagar.* et *Gallor.;* petechiarum morbus *C. Strackii;* Petechien, Peteschen); maculae dicuntur laete aut obscure rubentes, orbiculares, non elevatae, a puncti ad lentis magnitudinem, in omnibus praesertim tenuioribus et communiter obtectis cutis plagis obviae, quae digito premente perstant, nec pruriunt nec ardent etc.; rarius cum ac sine febre adsunt, et variam plus minusve definitam post moram sine desquamatione evanescunt, utut haec nonnunquam sequatur.

Car. Strack, obs. med. de morbo c. petechiis etc. Carolsr. 1766. Deutsch von *de Meza*. Kopenh. 1777.
Burserius, *J. P. Frank*, *Batemann*, *Jos. Frank* opp. cit.
A. G. Richter, med. chir. Anmerk. B. II. S. 135.
J. N. Beck, diss. inaug. med. de petechiis. Vien. 1816.

§. 721. *Confundi* petechiae a minus versatis possunt cum morbillis, miliaribus rubris, exanthemate typhi, sudaminibus, morsibus pulicum, quia non istis modo similes aspectu, sed intermixtae etiam non raro occurrunt. Attamen habitus et proprietates singularum eruptionum

penitius inter se comparatae, indoles, magnitudo, decursus ratio totius morbi, singulorumque symptomatum concomitantium rite aestimatae, ad necessariam perducunt diagnosin. A pulicum morsibus defectus stigmatis in centro, et pro parte rubedo profundior petechias distinguunt.

§. 722. Petechiae febriles, a Burserio secundum *Fr. Hoffmann* qua febris exanthematica propriae speciei, *febris petechialis vera*, descriptae qua tales haud omni eripiuntur dubio; morbus juxta hanc delineationem petechialis magnam cum typho *Hildenbrandii* analogiam offert. Quare petechiae ubique non nisi *symptomata*, jam acutorum jam chronicorum morborum, esse videntur, illudque solum intercedere discrimen, quod nonnullorum uti: febris putridae, scorbuti, morbi maculosi haemorrhagici *essentialia*, aliorum *accidentalia* solum symptomata sistant. Communiter cum statu gastrico, vel cum charactere colliquativo, sed nonnunquam cum febre inflammatoria, vel inflammatorio-catarrhali, vel rheumatica, magnoque humorum ad cutem impetu in arcto existunt nexu; quare jam brevi duratione jam longa, et decursu jam acuto jam chronico gaudent. Caeterum nunc singulae sunt, dispersae, nunc gregatae, coloris aequalis vel diversi, unde partibus integris habitum rubrum, nigricantem, aut marmoris instar variegatum impertiuntur; aliquando in irregulares plagas latiores, radios, vibices confluunt; initio consuetim laete rubrae, dein purpureae aut caeruleo-rubicundae, — viribus vitalibus multum lapsis violaceae, lividae, imo nigrae, — et antequam disparent, in bruneum aut flavidum vergentes colorem.

Petechiae per se non inficiunt; morbi vero acuti, quibus petechiae qua symptomata essentialia adhaerent, contagiosi sunt.

Quatenus petechiae morbis acutis modo essentiali aut accidentali adjunguntur, suis jam locis consideratae fuerunt; qua symptomata scorbuti in tractatu de hoc, et qua

varietas peculiaris sub nomine *morbi maculosi haemorrhagici Werlhofii*, mox infra memorabuntur.

§. 723. *Disponunt* ad petechias, quae ad efflorescentias generatim, momenta. *Excitare* easdem valent causae febris inflammatoriae et phlogistici in genere characteris cum valida sanguinis ad integumenta communia congestione; verum et causae febris characterisve septici, ac scorbuti, speciatim aër calidus, humidus, reclusus, effluviis animalibus onustus, victus inedia, aerumnae, anxietas etc.

§. 724. Petechiae parvas *sanguinis* in rete Malpighii *effusiones* sistunt. Ratio proxima rarius in minore resistentia vasorum cutis capillarium, laudabili sub virium statu per nimium sanguinis rarefacti impetum superatorum, communiter in eorundem potius vasculorum laxitate cum virium vitalium defectu vel suppressione, passiva sanguinis congestione in cute, et massae humorum tenuitate, ad dissolutionem inclinante, invenitur.

§. 725. *Prognosis* potissimum morbo petechiarum principali respondeat oportet. Petechiae ipsae vix unquam criticae salutiferae, raro periculo vacuae, consuetim significatus mali eoque pejoris censendae, quo latiores aut copiosiores, quo obscurius coloratae aut livescentes, quo minus et non nisi a latere conspicuae, quo confluentes magis sunt, et quo celerius contra morbi principalis decursum retrocedunt.

§. 726. Propriam petechiae *therapiam* sibi non vindicant; haec enim in morbum principalem apte dirigi debet, diligenteque aëris puri ac munditiei cura suffulciri. Specialia igitur huc facientia ex morborum supra §. 723. nominatorum tractamine intelliguntur.

Varietas: Morbus maculosus haemorrhagicus Werlhofii.

§. 727. Utut *Salius Diversus*, *Petrus à Castro*, *Strack*, *Diemerbröck*, *Burserius*, febrium petechiis stipatarum regnantium tempore petechias sine febre et sine

caeteris etiam scorbuti characteribus observarint, *Werlhofio* tamen debetur meritum, morbum praesentem a petechiis acutis exacte distinxisse et separatam statuisse morborum formam, unde et cognominatur, et *Wichmanno*, ad diagnosin ejus complendam fecisse.

Werlhof, Opp. med. T. III. p. 540. — *E. Wichmann*, Ideen z. Diagnostik. B. I. S. 87. — *S. G. Vogel* op. cit. T. V.

§. 728. Morbus *maculosi* nomine a *latis* insignitur *petechiis*, quibus vibices nonnunquam et ecchymoses, quasi a contusionibus illatae, immiscentur. Non exterius solum in cute, sed in lingua etiam, palato, gingivis, interna labiorum buccarumve facie occurrunt, ubi epithelium saepe in vesiculas sanguine profunde rubro refertas elevatur, quem levi pressione aut ictu disruptae effundunt. Profunde rubent, livent quandoque et nigrescunt, non pruriunt, non inflammantur, et, quin squamas aut crustas forment, evanescunt. Communissime *haemorrhagiae* narium, oris, aut pulmonum, rarius renum, vesicae urinariae, uteri, nec non meatuum auditoriorum, primarumque viarum ipsas comitantur; unde morbus a nonnullis (*Haase* op. cit. T. I. §. 140.) ad haemorrhagias relatus, et *haemorrhoea*, vel *haemorrhoea petechialis* dictus est.

Valetudine hucdum apparenter secunda subito nonnunquam ingruit morbus; saepius vero delassatio, virium corporis animaeque dejectio cum obtusis artuum doloribus, anorexia per aliquot imo septimanas illum antecedunt. Non semper cum debilitatis symptomatibus, sine febre, quandoque cum pectoris aut epigastrii tensi et quidpiam inflati oppressione, aut lumborum pondere, quandoque cum tussi decurrit acerba. Jam per dies tantum, jam per aliquot septimanas, raro per menses durat; aegri sensim pallidi, cachectici fiunt, omniaque symptomata scorbuti, oedema pedum, imo hydropem patiuntur. Casu faustiore, qui frequentior obtinet, morbus

successive, rariore cito, moderata sub haemorrhagia bene judicatur, sed hinc inde et per haemorrhagias internas, externas, vel per tabem, virium consumtionem, hydropem occidit.

Characteres itaque *diagnostici* sunt: maculae supra descriptae, ecchymoses; haemorrhagiae simultaneae; febris defectus; et ulteriore saltem decursu debilitas universalis.

§. 729. Ad morbum maculosum haemorrhagicum ea quidem, quae eruptionibus cutaneis in genere subjiciuntur, sed debiliora individua prae robustis *disponuntur*. *Momenta causae excitantia* noscuntur: aër humidus, calidus, impurus, mucidus, spurcities, scabies diuturna, sic et suppressa, febres intermittentes, animi adfectus deprimentes, narcoticorum, speciatim hyoscyami, strammonii, belladonnae, laurocerasi aliorumque acidum hydrocyanicum ferentium usus incongruus. Quandoque lienis adfectio fontem mali sistere videtur.

§. 730. *Ratio* morbi maculosi haemorrhagici *proxima* in debilitate universali, solidorum laxitate, humorumque tenuitate, attamen in cute cum sanguine venoso praedominantibus, haerere videtur. Ex observationibus meis numerosis juste institutis eum esse *scorbuti modificationem*, et quidem scorbutum incipientem concludo, a vulgari praesertim in eo differentem, quod integumentis communibus horumque propaginibus prima sua et eminentia edat symptomata. Scorbutus enim vulgaris cachexiae universali jam initio nuptus, nunquam adeo cito oritur; primum in gingivis (in morbo maculoso saepe vix adfectis) manifestatur, dentes quoque, in illo nunquam correptos, invadit; atque nonnisi ulteriore sub decursu, graduque altiore ecchymoses et haemorrhagias habet comites.

§. 731. *Prognosis* in genere non infausta. Attamen ubi causa mali tolli nequit, vel ubi haemorrhagiae praecipites aut iteratae infestant, scorbuti forma vulgar-

cito evolvitur, exitus funesti, morbique posthumi supra nominati, omnino metuendi sunt.

Evoluta currente morbo febris ominosa.

Et complicationes quandoque ferunt periculum.

§. 732. *Cura* morbi maculosi in potentias excitantes ac sustinentes auferendas, enervandas primum tendat; quare viribus aegri vigentibus praecipue dirigatur in cutem. Deficientibus catarrho, diarrhoea aliisve, quae impedirent vel vetarent, symptomatibus penes potus acidulos, aërem frigidulum, purum, siccum, et motus moderatos, lotiones cutis cum aqua recenter hausta et acido minerali, sanationi accelerandae, quemadmodum multa me docuere tentamina, eminenter secundant. Aquae nimirum librae acidi sulphurici aut muriatici diluti drachmae duae, tres admiscentur, hocque fluido, quoad fieri potest, ab aegro ipso singulae cutis plagae et sensim tota superficies, leni et ad siccitatem continuata frictione omni trihorio, lavantur. Morbo provecto, debilitate universali stipato, atque scorbuti vulgaris formae propius accedente lotiones istae, rectius frictiones lenes, usu interno acidorum mineralium, elixirii acid. *Hall.*, aluminis, corticis Peruviani, cascarillae, aliorum tonicorum, casu speciali martialium quoque, elixirii vitriol. *Mynsicht.* etc. suffulciri, atque victui bono, eupepto, parvis vini blandi portionibus, moderato in atmosphaera sicca, frigidula motui, animi tranquillitati, hilaritati, adfectibus gratis uniri debent. — Haemorrhagiis eodem, ac in febre septica (§. 125. a.), modo occurrendum est.

Haec therapia morbo increscenti, decrescenti juste adcommodetur, et ad perfectam usque convalescentiam continuetur oportet.

Spec. 6. Urticaria.

§. 733. *Urticaria* (exanthema urticatum *Burser.*, febr. urticata *Vogel.*, purpura urticata *Junker.*, purp. urtic. nonnullis porcelaine *Lieutaud.*, scarlatina urtica-

ta, febr. rubra pruriginosa *Sauv.*, essera, sora et sare Arabum *Sennert.*, der Nesselausschlag, die Nesselsucht, das Nesselfieber) nomen a maculis cutis ardentibus habet, ab acri urticarum succo productas aemulantibus.

Acuta aeque et febrilis, quam chronica et utplurimum febris expers, nunquam contagiosa est. Formam praesefert vel macularum, vel tuberculorum: urticaria, *maculosa* et *tuberculosa Frank: Maculae* sunt pallide rubrae in medio albescentes, vel margine rubro cinctae, figurae variae utplurimum rotundae sed irregularis quasi lacerae, quandoque in vibices excurrentis, circumferentia jam lentem modo aequantes jam nucem juglandem superantes, supra cutem parum elevatae, vehementer prurientes. *Tubercula* intumescentias cutis distincte elevatas, latiores, utcunque duras sistunt, pariter pallide vel et intensius rubras, in medio albidas, quae, si confluunt, partium obsunt motui, et faciem defigurant.

Wichmann, Ideen z. Diagn. P. III. p. 121 etc.
Burserius, *S. G. Vogel*, *J. P. Frank*, *A. G. Richter*, *Willan*, *Jos. Frank* opp. cit.
J. P. Frank, Interpret. clin. Vol. I. Tübing. 1812. p. 405.

§. 734. Urticaria mox totam corporis superficiem, mox singulas praecipue superiores partes, collum, pectus, brachia, ipsamque faciem invadit; subito plerumque et, si febre stipatur, sub prima hujus exacerbatione vespertina prodit; facile, praesertim febris expers, retrocedit a frigore admisso, sed adplicato mox calore, sicut frictione, scalptu cito revocatur, nec non febrili exacerbatione propellitur. *Acuta* jam duobus solum, jam quatuor, raro septem diebus finitur, simulque febris comes, aliquando ephemera, levioris communiter catarrhalis faciem exhibens, notis sub evacuationibus judicari consuevit. *Chronica* non absque interruptione adeo continuans, quam brevibus post intervallis multoties revertens diu protrahi-

tur, donec post septimanas aut menses utpturimum sine desquamatione cesset.

Exanthematis retrocessio sine ansa insigni contingens, utut communiter absque malis maneat symptomatibus, nonnunquam tamen pruritum cutis molestissimum, ardorem in partibus internis, vel inquietudinem, anxietatem, dysphoriam, lipothymiam levem sequelas habet.

§. 735. Qui exanthematis urticati formam exacte consideraverit; qui relationem ejus inconstantem ad febrim saepius comitantem, decursum definitis stadiis nequaquam adstrictum, et finem ejus, quin desquamatio aut aliae cutis mutationes sequantur, rite perpenderit, nec cum *Sydenhamo* illud pro erysipelate, nec cum *Sauvagesio* pro scarlatinae, et eo minus cum *Osterdik-Schacht* pro miliarium rubrorum varietate habebit.

§. 736. Urticaria rarissime *substantiva* cernitur, plerumque *symptomatica*, aliquando *critica*. *Prior* obtinet casus, ubi favente cute molli ac tenera per contusiones, pressiones aliasque cutis laesiones, per irritationem a vegetabilibus acribus v. gr. urticis, rhoe toxicodendro, vel ab insectis, quemadmodum cimicibus, phalaena processionaria etc. exanthema urticariam modo aemulans, a refrigerio autem calenti, et vel maxime sudanti corpori admisso urticaria ipsa universalis generatur. — *Symptomatica*, cui arthritis, hypochondriasis, hysteria, mensium turbae, anomaliae, defectus imprimis favent, adfectionem gastricam, aut gastrico-rheumaticam communiter agnoscit fontem, atque partim ab erroribus diaeteticis, quos inter liquorum fermentantium abusus eminet, praecipue refrigerio simultaneo junctis, partim peculiari favente idiosyncrasia, nonnunquam integris familiis inhaerente, a fragis comestis, piscibus nonnullis, cancris, mitylis, carne suilla, nec non terrore, iracundia excitatur. In typho pariter, febre intermittente (*J. P. Frank*, interpret. clin. p. 416.), febribus catarrhoso- et rheumatico-gastricis, gastrico-biliosis symptomatica visa est.

— *Criticam* in febribus iisdem, typho excepto, nec non in arthritide acuta observare aliquoties mihi licuit.

§. 737. Propriam adhuc mentionem ea meretur urticariae modificatio, quae nomine *morbi porcini*, aut *esserae*, *sorae* (Porcelain-Fieber, Esserà), qua separata exanthematum species veniebat. Differentia vero minime essentialis nonnisi in macularum supra descriptarum magnitudine et expansione majore, earumque cum foliorum portulacae (gall. porcelaine) figura similitudine consistit; maculae ipsae haud minus, ac urticariae vulgaris, pruriunt et ardent.

§. 738. *Naturam* urticariae generatim solum indicare concessum est. Cutis in efflorescentiae plagis specialius vasorum illius exhalantium status irritativus, uberiore humorum adfluxu stipatus, cum se- et excretionum in genere, et cutis organorumque digestionis in specie, turbis nexum causalem fovens, eam constituere videtur.

§. 739. *Prognosis* non a molesta quidem sed periculo vacua cutis adfectione, sed a causae potius conditione, morbi principalis febrisque forsan comitis indole et magnitudine prudenter pensitatis et collatis desumenda est. Caeterum, ut in omni morbo, ad constitutionem aegrorum etc. respiciendum. — In aliquot casibus a me observatis urticaria acuta cum enteralgia intensa, cum cardialgia, tussi sicca, cephalaea lancinante aut pressiva, cum torminibus et diarrhoea etc. iteratim alternavit. — Urticaria chronica, non frequente solum recursu et pruritu quandoque fere intolerabili summe molesta, verum pro morbi principalis ratione etiam rebellis, sanatuque difficilis esse consuevit.

§. 740. *Curatio* in causam excitantem, aut morbum principalem et complicationem, si adest, tollendam, enervandam primum tendat oportet. In urticaria acuta prout febris comitans indolem vel catarrhosae simplicis plus minusve inflammatoriae, vel catarrhoso- aut rheumatico-gastricae, vel gastrico-saburralis aut biliosae, vel intermittentis etc. ostendit, qua talis etiam juxta regulas

therapeuticas pro iisdem febribus expositas tractanda, simulque conandum est, ut crisis, quatenus per cutaneam procedit transspirationem, regimine adcommodato, potulentis tepidis etc. adjuvetur, et congrue promoveatur. Quibus sicut et balneis tepidis emollientibus casu necessitatis simul optime mitigatur pruritus vexans, et dissipatur. — Urticaria non febrilis et brevis per diaetam restrictam, regimen et tractamen moderate diaphoreticum plerumque cito discutitur; non febrilis chronica curam in morbos principes, qui subsunt, infarctus nempe viscerum abdominis, arthritidem, hysteriam, secretionis bilis, menstruationis anomalias etc. directam, dein remedia exposcit fortius in cutem agentia, qualia ad tollendum rheumatismum chronicum (§. 496.) commendata fuerunt.

Gen. II. Efflorescentiae maculosae discolores, chronicae.

Spec. 1. Chloasmata.

§. 741. *Chloasmata* (maculae hepaticae, Leberflecken) sunt maculae flavicantes, flavido-bruneae, bruneae, flavido-virides, aut flavido-nigricantes, mox glabrae mox subasperae, a magnitudine et figura lentis (*lentigines*, Linsenflecken) ad expansionem manus, quae in plagis cutis tenerioris mox singulae mox numerosae, non inflammatae, occurrunt. Solent cum hepatis et systematis venae portarum morbis chronicis, haemorrhoidum aut mensium suppressione, nec non cum graviditate in nexu esse causali. Semper igitur symptomatice comparent.

Quare et *prognosis* et *therapia* chloasmatum morbo respondeant principali necesse est. Tali cum cura pro dato casu externa: balnea, lotiones tepidae cum decocto furfurum, cum sapone amygdalino etc., lotiones cum aqua et pauco aceti aut acidi mineralis diluti, solutionibus boracis, kalium carbonicorum, aqua cum admixta tinctura benzoës etc. jungantur; quorum selectus a cutis totius et macularum hepaticarum conditione omnino pendet.

J. P. Frank, *A. G. Richter* opp. cit.

Spec. 2. Ephelides.

§. 742. *Ephelides* (spili, Sommerflecken, Sommersprossen), quarum colorem, figuram, magnitudinem, sedem quivis noscit, subjecta amant cutis tenerae, albidae, praesertim cum capillis admodum albis, aut rubicundis, aut rutilis; atque incaute admissa nimia solis tempore verno et aestivo, sicut ignis actione producuntur.

Cura radicalis in evitandis his noxis et firmanda totius organismi constitutione consistit. Palliativae pro cutis ipsarumque ephelidum conditione, balnea et lotiones mox cum aqua tepida, et lacte aut sero lactis, mox cum illa et aceto, aut acetate ammoniae, borace, aut alumine, benzoë, aceto camphorato, mox frictiones cum succo citri, sedi sempervivi tectorum etc. respondent.

J. P. Frank, *A. G. Richter* opp. cit.

Spec. 3. Naevi materni.

§. 743. *Naevorum maternorum* titulo (Muttermähler) in genere maculae non minus quam nodi, tumores, excrescentiae verrucosae et aliae, coloris, formae, ambitus admodum varii, congenitae veniunt. Caeteris ad forum Pathologiae ac Therapiae chirurgicae relegatis nonnisi *maculae* hic considerantur. Variis in corporis regionibus, in facie vero, pectore et antibrachiis frequentius cernuntur. *Richter* (l. c. T. VI. p. 355.) naevos maternos pro formationis primae in utero vitiis habet, in partiali retis Malpighii incrassatione consistentibus, cute ipsa non degenerata. Ubi autem cutis inde participat, naevi plus minus elevantur, vivido aut saturato insigniuntur colore, et vascula numerosa dilatata, et reticulatim implicita offerunt.

De regula naevi maculosi naturae committendi, saltem incaute irritandi non sunt, quoniam inde augeri, imo in scirrhum atque carcinoma degenerare amant. Si ob defigurationem, quam v. gr. in facie causant, tollendi essent, lotiones contra ephelides palliative commendatae prudenter possunt tentari.

Tomi primi finis.

Index Tomi primi.

Pag.

Praefatio V

Introductio. De Pathologia et Therapia speciali in genere §. 1. 1

Conspectus historicus Pathol. et Therap. spec. §. 9. 5

Classificatio morborum §. 32. 29

Classis I. *Febres.*

CAP. I. De febribus in genere.

Sect. I. Definitio, descriptio, causae, natura, differentiae, prognosis, therapia febrium in genere §. 40. . 38

Sect. II. Ordinatio febrium §. 89. 83

CAP. II. De febribus in specie.

Ordo I. Febres continuae.

Sect. I. Febres continuae simplices.

Gen. 1. Febres continuae inflammatoriae §. 93. . . 86

Febris contin. inflammat. simplex §. 94. . . . 87

Gen. 2. Febres continuae putridae §. 110. . . . 106

Febr. contin. putrida simplex §. 111. . . . 107

Gen. 3. Febres continuae nervosae §. 130. . . . 129

Febr. contin. nervosa simplex §. 134. . . . 130

Sect. II. Febres continuae compositae §. 152. . . . 150

Spec. 1. Febr. cont. gastrica saburralis §. 155. . . 151

— 2. — biliosa §. 166. 162

— 3. — pituitosa §. 178. 176

— 4. — verminosa §. 193. 186

Ordo II. Febres intermittentes §. 201. . . . 190

Febr. interm. quotid., tert., quartana etc. §. 203. 193

Pag.

Classis II. *Inflammationes.*

CAP. I. De inflammationibus in genere.

Sect. I. Definitio, descriptio, causae, essentia, differentiae, prognosis, therapia inflammationum in genere §. 236. 226

Sect. II. Ordinatio inflammationum §. 299. . . . 270

CAP. II. De inflammationibus in specie.

Ord. I. Inflammationes parenchymatosae, phlegmonodes.

Spec. 1. Encephalitis et meningitis §. 313. . . . 277

— 2. Inflammatio medullae spinalis §. 329. . . 290

— 3. — parotidum §. 335. 294

— 4. — linguae §. 344. 297

— 5. — pulmonum §. 351. 300

— 6. — cordis §. 373. 318

— 7. — diaphragmatis §. 381. . . . 323

— 8. — ventriculi §. 387. 325

— 9. — intestinorum. Dysenteria §. 396. 332

— 10. — hepatis et vesicae felleae. §. 414. 345

— 11. — lienis §. 429. 353

— 12. — pancreatis §. 437. 356

— 13. — renum §. 443. 358

— 14. — vesicae urinariae §. 453. . . 363

— 15. — uteri §. 461. 368

— 16. — ovariorum §. 467. . . . 374

Ord. II. Inflammationes membranosae §. 471. . . . 375

Gen. 1. Inflammationes rheumaticae §. 472. . . . 376

Rheumatismus afebrilis, febrilis, inflammationes rheumaticae: *a.* articulorum, *b.* malum ischiaticum, *c.* lumbago, et *d.* dolor faciei *Fothergillii* §. 475. 378

Inflammatio aurium §. 500. 398

— pleurae §. 511. 404

— pericardii §. 523. 410

— peritonei, omenti, mesenterii; et febris puerperalis §. 529. . . . 411

Gen. 2. Inflammationes catarrhales §. 550 . . . 423

Inflamm. catarrh. organ. respirator.; febris catarrhalis §. 553. 424

Catarrhus mitior, et fortior febrilis; narium, laryngis, tracheae, bronchorum; Influenza §. 556. . 426

Pag.

Cynanche membranacea §. 570. 436
Inflamm. catarrh. organ. deglutitionis §. 580. . . 448
—— faucium, pharyngis, aesophagi . . 449
Gen. 3. Inflammationes erysipelatosae §. 599. . . . 460
Erysipelas phlegmonosum, oedemat., vesic., faciei, extremitatum; neonatorum; simplex; febri putrid. junct., ign. sacer, ign. St. Anton.; chronicum s. habituale §. 604. 463

Classis III. *Efflorescentiae cutaneae.*

CAP. I. De efflorescentiis cutaneis in genere.
Sect. I. Definitio, descriptio, causae, natura, differentiae, prognosis, therapia efflorescentiarum cutanearum in genere §. 619. 477
Sect. II. Ordinatio efflorescent. cutanearum §. 646. . 498
CAP. II. De efflorescentiis cutaneis in specie.
Ordo I. Efflorescentiae laeves s. planae §. 649. . . 500
Gen. 1. Efflorescentiae maculosae rubrae, acutae §. 650. 501
Spec. 1. Typhus contagiosus §. 651. . . . . ——
Var.: Pestis orientalis §. 669. . . . 521
—— 2. Scarlatina §. 677. 528
—— 3. Rubeolae §. 699. 544
—— 4. Morbilli §. 704 546
—— 5. Petechiae §. 720. 554
Var.: Morbus maculosus haemorrhagicus *Werlhofii* §. 727. 556
—— 6. Urticaria §. 733. 559
Gen. 2. Efflorescentiae maculosae discolores, chronicae §. 741. 563
Spec. 1. Chloasmata §. —— . . . . . ——
—— 2. Ephelides §. 742. 564
—— 3. Naevi materni §. 743. . . . . ——

Corrigenda.

Pag. 5. lin. 9. loco at lege et.
— 15. — 21. — et — ex.
— 24. — 4. — medicina lege: medicinae.
— 25. — 29. dele verb. esse.
— 31. — ultim. loco petita lege: petitae.
— 32. — 17. — fundamenti — fundamenta.
— 36. — 2. — et — etc.
— — — 15. — methodus — methodos.
— 38. — 12. — absenia — absentia.
— — — 25. — temperici — temperiei.
— 44. — 7. dele verb. sunt.
— 48. — 13. loco μεταχτωσις lege: μεταπτωσις.
— 49. — 1. — ante vincendo — arte vincendae.
— 51. — 32. interpunctionem, primum dele.
— 57. — 3. loco commemoratum lege: commemoratam.
— 60. — 9. — deputat — putat.
— 61. — 34. — plurimum — plurium.
— 71. — 28. interpunctionem, alterum dele.
— 104. — 25. loco attentat lege: attendat.
— 112. — 2. — altissima — altissimo.
— 113. — 11 dele interpunctionem;
— 115. — 28. loco Essentiam lege: Essentia.
— 116. — 3. — hac — haec.
— 120. — 1. — saperatio — separatio.
— 133. — 11. — languorum — languorem.
— 141. — 15. interpunct., ultimum dele.
— 158. — 8. loco et lege: etc.
— 163. — 17. et 18. loco remanescentem lege: amarescentem.
— 176. — 9. — admodum — ad modum.
— 178. — 3. — tristitia, involuntaria — tristitia involuntaria,
— 193. — 26. — eruptio ita — eruptio, ita.
— 200. — ultim. — maxima — maxime.
— 203. — 30. — vervecino — vervecinae.
— 206. — 6. post „malignae“ interpunct., pone.
— 207. — 29. loco recidiva lege: recidivae.
— 217. — 30. — aquae — aqua.
— 220. — 6. — Sandes — Sander.
— 221. — 29. — exacto — exacte.
— 243. — 27. — nimius — nimii.
— 246. — 35. — promoventur — promoveatur.
— 247. — 4. et 5. verba „in inflammationem vel maxime disposita inveniuntur, quae“ dele.
— 248. — 23. loco constitivarum lege: constitutivarum.
— — — 27. — sanitate — sanitati.
— 262. — 15. post „therapia“ interpunct., pone.
— 264. — 23. loco utriusque lege: utrique.
— 266. — 15. post „tales“ interpunct., dele.
— 271. — 3. loco curentur lege: curetur.
— 278. — 13. vocabulum jam dele.
— 286. — 17. post „symptomata“ interpunct., et
— 288. — 31. loco; interpunct., pone.
— 290. — 12. — aut lege: ad.
— 296. — 31. — jubent — jubet.
— 331. — 15. — triticae — triticeae.
— 350. — 30. — sinistra — dextra.
— 371. — 3. — pelvi — pelvis.
— 375. — 11. — §. 467. — §. 466.
— 382. — 21. post „exacte“ interpunct., dele.
— — — 25. loco alteram lege: alterum.
— 457. — 26. — largiores — largae.
— 492. — 10. — inferiora — interiora.
— 500. — 25. — primae — primi.

PRINCIPIA

Pathologiae ac Therapiae

specialis medicae,

usui academico adcommodata;

auctore

J. N. NOBILI de RAIMANN,

Med. Doct., S. C. R. Apost. Majest. Archiatro, Consiliar. aulico actual., C. R. Russ. Ordin. St. Stanisl. tert. cl. Equite, Facult. med. Vindobon., Pestin., et C. R. Academ. med. chir. Josephinae membro, societat. literar. nonnullar. sodal. honor.; nec non Universit. Vindob. Rectore magnif., Nosocom. ac Brephotroph. Directore, atque Praxeos med. Professore p. o. emerito.

Editio latina.

TOMUS SECUNDUS.

Efflorescentias cutaneas elevatas, Cachexias, Morbos se- et excretorios, atque Nevroses complectens.

Cum Privilegio Regio Würtembergensi.

VIENNAE.—1835.

SUMTIBUS FRIDERICI VOLKE.

Typis viduae Antonii Strauss.

Ordo II. *Efflorescentiae elevatae.*

Gen. I. Efflorescentiae pustulosae.

§. 744. ***Pustulae*** (Pustel, Blatter) nomen in genere eruptio gerit, sub nodulorum cutis inflammatorum forma comparens, qui successive duabus saltem lineis supra cutem elevantur, circumferentiam pisi minoris consequuntur, perfecte formati abscessulos veros cum pure transparente sistunt, et exsiccatae in crustas terminantur.

Eruptionum species ad pustulas referendae sunt: 1) variolae; 2) varicellae; 3) variola vaccina; 4) scabies; 5) tinea: capitis et faciei seu crusta lactea; et 6) plica Polonica.

Spec. 1. Variolae.

§. 745. *Variolae* (Blattern, Pocken, Menschenpocken) exanthema sui generis, acutum, contagiosum sistunt, quod praegressa per tres quatuorve dies febre continua, essentialiter maculis in cute manifestatur rubris, parvis, rotundis, paucas jam post horas in centro in duriusculos elevandis nodulos, qui successive increscentes inflammantur et suppurati pustulas formant, in crustam exsiccandas, et hac lapsa stigmata rubra per aliquot septimanas perstantia, non raro foveolas et cicatrices, relicturas.

Sydenham opp., *Huxham* opp., *van Swieten*, *M. Stoll*, *Burserius*, *J. P. Frank*, *S. G. Vogel*, *Sprengel*, *Richter*, *Reil*, *Jos. Frank* opp. cit.

N. R. v. Rosenstein, Anweisung zur Kenntniss u. Cur der Kinderkrankheiten; a. d. Schwed. übers. v. *J. A. Murray* etc. 12. Abschn.

Fr. Jahn, neues System der Kinderkr. Arnst. u. Rudolst. 1804. S. 229—285.

A. Henke, a. a. O. Bd. I. S. 304.

§. 746. Secundum scrutationes historicas *Moore* (the history of the small pox. Lond. 1815. 8.) antiquissima variolarum vestigia certa in regno *Sinensi* inveniuntur, in quo illae 1122 circiter annis ante Chr. n. comparuerant. In *Japonia*, cui per mutuum commercium brevi illatae fuisse videntur, circa annum 737. post Chr. n. admodum exitiales fuere. In *Persia* probabiliter non ante sextum a Ch. nato saeculum innotuerunt. In *Arabia* pariter medio sexti post Chr. n. saeculi prima variolarum vestigia inveniuntur, unde Turcarum invadentium ope per largam *Africae* partem disseminabantur. *Ahron* Alexandriae anno 622. de variolis scripsisse fertur; scripta ejus perdita *Rhazes* tribus post saeculis saepe citat. *Moore* variolas jam a. 710. occasione invasionis Maurorum, *Gruner* vero (diss. variolar. antiquit. ab Arabibus solis repetendae. Jen. 1773.) sub finem saeculi undecimi et duodecimi initium a Turcis ex Aegypto et Arabia in *Hispaniam* translatas fuisse arbitrantur, unde per caeteras Europae provincias, septentrionalibus quibusdam exceptis, cito satis dispersae, inter infantes et adultos periodice horrendas fecerunt devastationes, non raro pestis ferociam assecutae, donec benefica vaccinae insitio communissime coli inciperet.

§. 747. *Characteristica* variolarum sequentibus continentur: *Contagio* specifico variolae generantur, puri pustularum inhaerente, et non per immediatum modo contactum, sed ex aliqua etiam distantia per atmosphaeram activo. Contagium infectionem universalem adeoque morbum variolosum genuinum semel in eodem homine, rarissime bis, topicam vero infectionem, et pustulas inde

singulas, saepius quoque infert. Homines plerique, utut non omni tempore et annis infantilibus maxime, actionem contagii recipiunt; haec receptivitas, cujus ratio latet, non nisi morbo varioloso, et vaccina genuina et ad normam superata deletur. Contagium variolosum cute integra et laesa, probabiliter et mucipara oris, facium, narium membrana, atque pulmonibus excipitur. Intervallum ab actione contagii ad febris variolosae introitum inconstans, ab infectione fortuita dies duodecim, quatuordecim, ab insitione septem vel octo comprehendit. Propriam variolarum sedem et communem cutis constituit; sed in cavis quoque oris, faucium, narium frequenter conspiciuntur variolae, a *van Swieten, de Haen, Stark* in facie pulmonum, intestinorum, hepatis etc., a me non raro in larynge superioreque tracheae regione inventae.

Variolae quondam frequenter, sed et hodiedum hinc inde epidemice regnant. Hieme accedentes inordinatae utplurimum et malignae, circa aequinoctium vernum comparentes regulares ac mites fuere. *Sydenham* (Obs. med. etc. Sect. III. c. 3.) observatam cum illis simul *febrem, variolosam absque variolis* nuncupatam, describit.

§. 748. Citra prodromos multifarios, incertos, varioque durantes tempore variolae *stadia quatuor: febris nimirum; eruptionis et inflammationis; suppurationis;* et *siccationis*, quatuordecim vel quindecim dies explentia, permeant.

a) Stadium febris (febrile, fermentationis, ebulli tionis, invasionis, irritationis) a febris introitu ad exanthematis eruptionem usque excurrit. Symptomatibus nimirum adversae valetudinis generatim, dysphoria, aegritudine animi, cephalaea, artuum dedolatione etc. per unum alterumve diem praegressis, horror febrilis associatur, quem aestus intensus perstans, pulsus febriles, sitis clamosa, dolor capitis, dorsi, lumborum, artuum insignis, epigastrii attactum recusantis magna sensilitas, nausea, vomitus non levans, inquietudo, ca-

pitis obnubilatio excipiunt; quae vesperi exacerbantur, accedentibus simul pervigilio, in infantibus potius sopore, et deliriis augentur. Urina cum ardore secedens turbida est, serum lactis aemulans; haec, manifestius vero halitus, et sudor mane remittente febre prodiens odorem edunt specificum, illi panis mucore correpti analogum. Stillicidium sanguinis e naribus, si accedit, levamini esse solet. Vespertinae febris exacerbationes cum frigore inchoare consueverunt, haec ipsa ad hujus stadii finem usque increscere, in infantibus et, si vehemens evaserit, in adultis quoque eclampsia, convulsione stipari. Attamen stadium isthoc quandoque mitissime decurrit. — Hucusque morbus ab aliis, speciatim ab epidemicis simultaneis vix discernitur febribus; et cum probabilitate solum diagnosis fieri, variolarumque instans praevideri potest eruptio, si variolae plane grassantur; si aegrotans nec istas nec vaccinam rite exantlavit; si infectionem subeundi expositus fuit occasioni, eamque symptomata insecuta sunt mox recensita.

Tertia exacerbatione febris remittente, die igitur quarta, raro serius aut ocyus, *b) stadium eruptionis variolarum et inflammationis* incipit. In facie primum et collo, deinde in pectore, manibus, pedibus, trunco, ultimo in brachiis, femoribus, antibrachiis et cruribus turgente universa cute maculae prodeunt rubrae, parvae, rotundae, quae brevi in nodulos duros et dolentes, inflammatos, elevantur, sensim in tubercula augendos, vesiculam in apice gerentia humore aquoso limpido repletam, in centro modicum depressam (umbilicatam), basim vero intense rubram, tumentem ac duram, margine (halone) pallidius florum persicorum adinstar rubente cinctam exhibentia, eoque majora evasura quo paucioribus aliis ambiuntur. Evolutio haec rapide, intra horas conspicue, eo, quo comparuerant maculae, procedit ordine, ut igitur variolae nunquam eundem omnes ostendant evolutionis gradum, et diebus quinto ac sexto continuat.

Exanthemate prorumpente febris, vomitus, dolores lumborum, convulsio, delirium etc. remittunt, imo pro parte cessant; ardor vero ruborque oculorum, ardor, dolor faucium et laryngis, raucedo, tussicula, uberior salivae adfluxus accedunt, nec non sudores praesertim, rite adnotante *Sydenham*, in adultis copiosi, urinae ex opposito parcae, alvus suppressa. Finita eruptione morboque miti et benigno oculorum, faucium et laryngis dolores decrescunt, cessat febris, et nonnisi de cutis pruritu et ardore querelae moventur.

Intra tertium vero ab eruptione et quartum diem, vel die quarto, hinc morbi totius septimo vel octavo *c) stadium tertium, suppurationis*, et cum hoc novus quasi morbus intrat. Variolae nimirum eo, quo propulsae et formatae fuerant, ordine in facie, collo etc. in medio magis elevantur, foveolam ibidem attollunt, aequant et pedetentim ab apice nunc obtuso sphaeroideo fundum versus aequali ratione ampliatum, fluido implentur, primum limpido, margaritacei coloris, dein subturbido et albogriseo, nunc flavido et spissescens pus verum exhibente; die ab introitu febris nona, decima, ab exanthemate conspecto sexta, septima completam nactae magnitudinem margaritarum instar prominent, semiglobosae, et gradatim aliae capituli acus, aliae pisi magnitudinem referentes. Variola sic ab apice ad fundum usque in suppurationem abeunte, margineque illius tumido sensim liquato, halones singularum non modo persistunt rubrae, sed rubor etiam et intumescentia adhuc ampliantur, cum rubore et tumore pustularum proximarum confluunt, cutis admodum sicca interposita dolorifice tenditur, et in vultu, in palpebris vesicas expansas referentibus, manibus pedibusque ex humorum serosorum congestione insigniter et saepe tantum intumescit, ut facies penitus deformetur, praecludantur oculi, artusque nominati rigeant immobiles.

Pustulae voluminis fastigium assecutae et perfecte suppuratae, die morbi undecima, duodecima, exanthe-

matis octava, nona, decrescere incipientes *d) stadium quartum, exsiccationis*, ineunt. Frigus intensitatis ac durationis variae denuo invadit aegrum, sequuntur aestus, sitis, acceleratus humorum circuitus etc., *febris* nova, *suppuratoria* dicta. Haec, ubi variolae paucae prostant, levis quandoque vix animadvertenda, ubi vero copiosae et confluentes, valida, sopore, delirio, dentium stridore, convulsionibus etc. stipata est, et, quousque puris pro parte resorptio, pro parte siccatio, adeoque integrum per stadium continuat. Salivatio nunc in adultis et diarrhoea, haec praecipue in subjectis infantilis et puerilis aetatis, comparent, et aegrorum atmosphaera odorem diffundit nauseosum. Pari ratione, qua pustulae nunc partim ruptae partim siccatae collabuntur, phaenomena inflammatoria hucdum in halonibus conspicua imminuuntur, evanescunt. In variolis, quae arescunt, pus ab apice deorsum in crustam spissescit et induratur; quae rumpuntur variolae, humorem viscidum flavicantem, melli non absimilem emittunt, pariter in crustas sensim sensimque indurandum, sub quibus aliquamdiu pus generari adhuc continuat, quibus vero postea delapsis maculae quidpiam adhuc elevatae, profunde rubrae, cupreae, prurientes, aliquot post septimanas planae et cuti concolores futurae, non raro foveae atque cicatrices habitus proprii (ad varicellas describendi) sero vel nunquam dispariturae remanent. Confluentes vix inchoata suppuratione saepe dehiscunt variolae. Cum exsiccatio, quemadmodum eruptio etc., variis in corporis partibus successive solum et ordine iteratim exposito progrediatur, stadii hujus duratio rite non definienda, communiter ad decimum quintum, septimumve morbi diem extenditur. *Crisis morbi totius* nunc largo puris ex pustulis nonnullis profluvio continuo, sudoribus, urinis largis cum nubecula, aut turbidis hypostasin mucosam vel purulentam facientibus, diarrhoea moderata pus simul evehente, aut salivatione absolvitur. Penes has excretiones, vel unius alteriusve earum in locum, quan-

doque adhuc singuli variis in regionibus tumores cutis simul aut successive formantur, duri, inflammati, a pisi ad nucis juglandis magnitudinem, furunculos subinde mentientes, citissime tamen et largiter suppurandi: metastases criticae, indolis consuetim beneficae.

§. 749. Primis tribus stadiis variolae, ut recte adnotat *Richter* (l. c. T. II., p. 291.), charactere gaudent activo, inflammatorio, quarto autem, exsiccationis nempe, in putrido-gastricum plus minus inclinant.

§. 750. Variolae ab indole benigna, forma normali, et decursu regulari hucusque descriptis saepe recedunt. Distinguuntur inde *a)* pro febris charactere, in *inflammatorias, nervosas* et *putridas;* in *benignas* et *malignas;* *b)* pro forma, in *discretas* et *confluentes,* in *normales* et *anomalas*, quibus lymphaticae s. aquosae, sanguineae, emphysematicae, et verrucosae adnumerantur; *c)* pro forma et decursu, in *regulares* et *irregulares*, ad quas per *vaccinam modificatae* spectant; et *d)* pro ratione tota, adeoque probabiliter pro natura earum, in *genuinas* et *spurias* s. varicellas.

Variolae *inflammatoriae* gradus levioris cum febri moderata, alti et altissimi non cum valida solum febre inflammatoria ejusque symptomatibus, sed cum inflammationibus etiam internis, ut: laryngis et tracheae, pulmonum, aut ventriculi, intestinorum, meningum etc. sociatae incedunt. Subinflammatoriae sunt illae benignae et regulares, quae supra delineabantur; intense inflammatoriae jam aequo citius jam tardius erumpunt, facta eruptione febris non remittit, suppuratio per intensam cutis phlogosin saepe praepeditur, febris suppuratoria vehemens redditur, et tam ante eruptionem perfectam quam suppurationis periodo metastases in organa fiunt nobilia, quibus, sicut virium exhaustione, statu nervoso aut putrido gradus altioris accedente, periculum vel mors imo infertur.

Variolae *nervosae* i. e. characterem febris nervo-

sum nactae, initio inflammatoriae, postea vero quocunque stadio et sive constitutionis individualis sive noxarum accidentalium, sive genii morborum regnantis culpa, symptomata ostendunt nervosa: soporem, animi deliquia, deliria, convulsionem, eclampsiam, capitis lumborumque dolores vehementes. Charactere nervoso jam sub eruptione explicato haec ipsa plerumque gravibus sub turbis debito tardior, segnis, semper irregularis, inaequabilis, in vultu copiosissima et confluens, incompleta contingit; variolae dein pro parte parum pro parte non inflammantur, facile recedunt, non pure sed humore replentur lymphatico, vel inanes manent, iisque prodeuntibus nec symptomata nervosa, nec febris conspicue mitigantur. Tempore suppurationis consueto periculum increscit, saepiusque decimum et decimum quartum intra diem sub convulsionibus aut symptomatibus apoplecticis mors irruit. Casu fausto tarda succedit convalescentia, sub qua, ob morbum anomalo exanthemate probabiliter haud perfecte judicatum, varia adhuc mala evolvuntur secundaria: efflorescentiae videlicet chronicae, rebelles; articulorum glandularumve intumescentiae; multiplex oculorum adfectio; cutis ulcera ossiumque phagedaenica; pneumoniae chronicae, phthisis; atrophia topica et universalis; amaurosis; acoia; fatuitas; paralyses.

Variolae *putridae* febre ex primarie inflammatoria vario stadio variarum circumstantiarum vitio in putridam conversa stipatae, salivatione nimia, sudoribus colliquativis, olentibus, diarrhoea, haematuria aliisve haemorrhagiis etc. insigniuntur. Pustulae impetuosis sub phaenomenis irregulari prorumpunt modo, hinc inde admodum confertae, non prout oportet elevantur, pallent et livent, halonibus carent rubris inflammatoriis; remiscentur petechiis profunde coloratis, vibicibus; ante suppurationis stadium jam sanguine aut ichore caerulescente implentur; facile gangraenescunt. Mors utplurimum, nisi citius, sub stadii suppurationis finem, aut intra illud exsic-

cationis et febris suppuratoriae, sub phaenomenis ut in febre colliquativa, aspectu aegrorum horrido, et foetore fere cadaveroso, vel sub metastasium in cerebrum, pulmones, alia viscera nobilia factarum indiciis sequitur.

Variolae *discretae* decursui miti et regulari, *confluentes* impetuoso, vehementi, characterique majoris gradus inflammatorio conveniunt, sed nec nervosa et putrida morbi modificatione exulantur. Latas siccantur in crustas, phagedaenica et rebellia saepe relinquunt ulcera, variasque metastases et mala posthuma facile post se trahunt.

Variolae *lymphaticae*, *crystallinae* s. *serosae*; *emphysematicae*, s. *siliquosae*, ut ex prius dictis patet, nervosum febris characterem, *sanguineae* putridum comitari, *verrucosae* nonnisi periculoso sub rerum statu conspici solent.

Variolae *genuinae* s. *verae* hucdum expositae nominantur, ut a *spuriis* distinguantur, *varicellis*, illas nonnunquam forma perquam simili mentientibus, seorsim infra pertractandis.

§. 751. Specialem omnino merentur mentionem *variolae per vaccinam modificatae* (var. modificata, v. vaccinica, variolois *auctor.*, modificirte, eigentlich durch die Kuhpocke modificirte, echte Blattern) qua variolarum genuinarum varietas, quam vaccina non ad normam absoluta praeeuntibus in Anglia *Willan*, *Monro*, *Moore*, *Thomson*, *Cross*, in Germania *Myhry*, *Kortum*, *Kausch*, *Giltermann*, *Oelze*, *Leop. Maier* Berolin., et me, in Batavia *Hodenpyl* et *Thuessink*, in Dania *Hoppe* etc. complures ubique jam observarunt practici.

Variolae *modificatae* de regula omnem per decursum mites sunt, haud copiosae, stadio suppurationis nondum finito praepostere citoque exsiccari incipiunt, febre suppuratoria destituuntur, et ob suppurationem non completam in tubercula variolis verrucosis analoga desinunt. Nonnunquam tamen, quemadmodum et ego pluries ex-

pertus sum, morbus occurrit intensus; speciatim ante et sub stadio febrili similia, ac in variolis veris, gravamina capitis, lumborum, ventriculi, vomitus ipse urgebant; febris vigebat fortis, indolis semper inflammatoriae; eruptio tempore debito, eodem quo in variolis genuinis, ordine, et, excepta facie, non copiosa unquam fiebat; formationis et inflammationis, atque breviore suppurationis stadio pustulas a genuinis nec quoad formam nec quoad humoris puriformis conditionem dignoscere tuto concedebatur. Ast suppurationis jam ante tertium diem ad finem properante et initiante stadio exsiccationis, in omni morbi tam mitis quam hucusque aut saltem initio vehementis casu anomaliae eminebant sequentes: exsiccatio eo quidem, quo eruptio, ordine, adeo rapide tamen procedebat, ut intra nycthemerum, imo intra duodecim jam horas absolveretur; aderant quidem sudores urinaeque levem formantes hypostasim pallidam, ast febris suppuratoria, et salivatio deficiebant; crustarum durarum loco squamae potius tenaces apicem modo pustularum tegebant, quae parum suppuratae, parum inflammata tubercula elevata, dura, conos truncatos referentia, variolis verrucosis analoga, exhibebant, squamis lapsis sensim sensimque complanata, manentibus per aliquot septimanas foveolis exiguis, superficialibus, maculisque bruneis. (Conf. *A. Hoppe*, diss. de vi vaccinarum antivariolosa. Havn. 1819. In *Hufeland's* Bibl. 1820. St. 11. u. 12. p. 311.) — Eorum, qui variolas modificatas observarunt, nemo gravem quandam pulmonum, oculorum, cerebri aut aliorum viscerum, metastasim aut malum posthumum, eo minus exitum lethalem se vidisse commemorat. — *J. W. Gittermann*, *Sameson*, *Neumann*, *R. Venables*, *Traf-venfelt* et a. casus adferunt, in quibus individua non vaccinata ex variolis modificatis partim per commercium accidentale, partim per insitionem infecta, genuinas patiebantur variolas.

§. 752. Juxta observata hucdum nota variolae mo-

dificatae nonnisi in subjectis occurrerunt, quae sive ob materiae vaccinae impotentiam, sive ob reactionis universalis languorem, sive ob evolutionis, formationis et decursus turbas vaccinam imperfecte solum exantlarunt. Sed et rite superatam vaccinam, quin laudatis ejus viribus tutoriis quidpiam detraheretur, casu rariore sequi variolae modificatae possent, cum abunde constet, neque variolas genuinas receptivitati in variolas secundas delendae quovis in homine pares inveniri.

§. 753. Inter *complicationes* variolarum genuinarum multifarias notari praecipue merentur rarissimae, cum morbillis, quam *Tarcy* et *Russel* (*Sprengel*, Pathol. §. 334.) suppuratione tardata observarunt; et cum scarlatina, decursu inde irregulari morboque periculoso facto. Momentosae saepius in infantibus dentitio, helminthiasis, scrophulae, rhachitis, catarrhus, in adultis syphilis, occurrunt.

§. 754. Morborum posthumorum, variolas vehementes, irregulares, turbatas, earum modificationem nervosam et colliquativam plerumque sequentium, jam superius (§. 748—750.) mentionem feci.

§. 755. Sic et *dispositionis* in hunc morbum, nec foetui in utero nec seni decrepito deficientis, atque *contagii specifici* qua *unius* causae excitantis supra §. 747. memini. Analogia cum aliis exanthematibus acutis, probabiliter per certas etiam atmosphaerae conditiones producendis; origo variolarum, priusquam contagium generaretur specificum, ignota; earundem epidemiae, antequam dispositio per vaccinationem communissime introductam in plerisque exstingueretur subjectis, omni fere quinquennio reversae; et maxima et subitanea morbi sub hisce epidemiis expansio, ex propagato contagio nequaquam concipienda, probabile reddunt, in miscela atmosphaerae, certis temporis constitutionibus adhaerente, adhucdum ignota, *alteram* existere variolarum scaturiginem. — *Mesmer* (üb. d. Ursprung u. d. wahre Natur

der Pocken, in *Wolfart's* Asklepiäion, 2. Jahrg. 1812. September. S. 203.) in funiculi umbilicalis neonatorum, ante circulationem secundinas versus perfecte finitam, subligatione ac resectione, rationem receptivitatis in contagium variolosum latere, modo prorsus singulari supponit.

§. 756. Ex factis circa morbum variolosum hucusque allatis patet, *naturam* ejus ut typhi, scarlatinae etc. esse statum phlogisticum universalem, ex immediata in cutem, ejus propagines, verosimiliter etiam in pulmones actione specifica profectum, febre inflammatoria, deinde specifica retis *Malpighii* ipsiusque cutis superficiei phlogosi essentialiter insignitum, quae propriam febris illius inflammatoriae crisim sistit, nisuque in suppurationem non reprimendo, et inficiendi potentia stipatur. Mutationes, quas ante febris introitum cutis cum propaginibus, et pulmones, ante exanthema atque per totum morbi decursum materia organica, humores in specie subeunt, nos penitus fugiunt.

Liquet inde, quid de variis circa variolarum essentiam hypothesibus veterum ac recentiorum sentiendum sit. Vetustissima, quae innotuit, opinio (*Moore* l. c.) *Ahronis* est, sanguinem bilemque combustam pro variolarum causa habentis. Hypotheses consimiles, parum modificatae, methodusque medendi diaphoretica ad *Sydenhamum* usque, prudentem ac fidelem naturae observatorem viguerunt, qui indolem morbi phlogisticam attendendam esse docuit. Variolas quemadmodum typhum atque scarlatinam morbos evolutionis esse, corpori evolvendo, renovando et perficiendo pares (Isis, von *Oken*, Jahrg. 1818. H. 10.), adsertum non basi solum firma destituitur, sed omnem etiam prophylaxin salutarem suspendit.

§. 757. *Prognosin* generalia fulciunt momenta. — Morbus variolosus saepe periculosus est, non raro lethalis. Ante vaccinationem introductam, variolae, in Europa

omni quinto sextove anno epidemicae, tantas fecerant strages, ut juxta calculum a *Süssmilch*, *Tissot*, *Percival* institutum quater centum et quinquaginta fere millia illis interemtorum pro singulis numerarentur annis. Beneficae successus vaccinationis spem nunc incitant fore, ut horrendus tandem eradicetur morbus.

A secundo aetatis anno infantes facilius plerumque superant variolas quam adulti. — Pubertatis periodus, menses, graviditas et puerperium, sic et scrophulae, rhachitis, arthritis, syphilis, scorbutus illas reddunt pejores.

Graves lumborum dolores, frigusque intensum vehementem annuntiant morbum. Deliria transitoria, imo convulsiones in subjectis junioribus ante exanthematis eruptionem nil ominosi significant; si vero sub lenta nimis, aut inordinata eruptione vel et finita perstant, malum portendunt. Caeterum eruptio lenta minus quam praeceps timenda (*Sydenham*). Quilibet major a variolae simplicis ac benignae forma et decursu, supra descriptis, recessus anceps habendus est.

Maximi momenti sunt suppurationis et exsiccationis stadia; in haec enim (octavum inter et undecimum morbi diem) exitus lethalis, aut et malorum posthumorum initia plerumque cadunt. (*Sydenham*, Obs. med. Sect. III. c. 2. et *M. Stoll*, Aphor. 545. 546.)

Prognostica reliqua ex morbo supra descripto ejusque modificationibus attente consideratis ac prudenter pensitatis facile deducuntur. (Conf. *Stoll* Aphor. 534., 536. et 542.)

§. 758. Variae pro variolis suffocandis propositiones a *Medicus*, *Haygart*, *Faust*, *Junker* quondam factae realitate donari non potuerunt. Antimonialia, mercurialia, purgantia, emetica, phlebotomiae, acida mineralia dulcificata, imprimis autem camphora et moschus, in *prophylaxin* quondam tentata, certum non praestiterunt effectum. Adsertum *Mesmer* (in *Wolfart* Asklepiäion),

sanguinem exprimendo e funiculo umbilicali variolas praeverti, *Hufeland* (Journ. d. pr. H. 1820. St. 4.) propriis refutavit observationibus. Unicum et certum prophylacticum in *vaccina* prostat; de qua infra. Ubi vero ob vaccinationem omissam aut inepte adhibitam, vel ob effectum ejus nullum aut incompletum receptivitas in variolas non aufertur, pro casibus, quibus symptomata caeteraeque circumstantiae de initiante morbo varioloso nullum relinquunt dubium, prophylacticum certum summis responderet votis. Regimen et tractamen pro plenaria typhi, scarlatinae, morbillorum evolutione praepedienda commendatum, probabiliter et hic *ante febris introitum* utile foret. Vaccina ex insitione illico facta prodiens tardior esse solet, quam ut in germine suffocet morbum, huic tamen mitigando, teste experientia et mea et aliorum multiplice, parem omnino se comprobavit; quare et appropinquante jam febre institui adhuc meretur.

§. 759. In praesentis jam mali variolosi *therapia* indicationes generales sequendum est. Indicant autem maxime stadio primo febris intensitas et indoles, altero exanthematis insuper evolutio, copia et conditio, tertio praeterea qualitas suppurationis, quarto febris suppuratoriae natura et gradus nec non exsiccationis totiusque criseos decursus, stadio quovis tandem symptomatum singulorum imprimis gravium cuicunque febris characteri adsociatorum, et lateralium forte morborum magnitudo et natura.

Morbus variolosus febre simplice activa, subinflammatoria stipatus (simplex, benignus) tria per stadia prima nec pharmacis nec alio artis auxilio stricte talibus eget; regimen enim antiphlogisticum adaequatum, largus potulentorum aquosorum, mucilaginosorum, acidulorum usus, stadio primo egelide, subsequis tepide haustorum, temperatura frigidula, aër purus, tandem stadio exsiccationis regimen prioris loco moderate calidum, morbo ad finem faustum perducendo sufficiunt. — Variolae in-

flammatoriae, nervosae, putridae cujusvis intensitatis stadiis singulis vel pro re nata toto etiam decursu quoad essentialia eodem modo, ac febres catarrhales aut rheumaticae charactere inflammatorio, nervoso, aut putrido indutae (§. 490. 568. et seq.), tractandae sunt.

Symptomata valde *molesta* aut *ominosa*, ut: vomitus, spasmi, convulsiones, deliria ante et sub eruptione exanthematis, cynanche faucium aut laryngis sub ejusdem evolutione, oculorum praeclusio, obturatio narium, suppuratione durante etc., methodo in characterem febris stadiumque morbi directae saepius cedunt, quandoque autem specialem insuper exposcunt curam, illi quidem concordantem, symptomatum tamen natura et causis propius definiendam.

Siquidem variolae debito tardius erumpunt, imperfecte evolvuntur, vel una cum cutis turgore collabuntur, retrocedunt, erui ratio, confestim tolli, et medela fieri debet statui individuali et speciali respondens. — Pustula in oculi cornea incipiens quo ulterius evolvi praepediatur, collyria tepida ex aqua, infuso, decoctove emolliente, aut *(Hufeland)* tenui sacchari saturni solutione, frequenter instillata, commendari merentur.

§. 760. Stadio *suppurationis* praeter vires et pronitatem quandoque nunc jam inchoantem in humorum decompositionem, colatoria singula aperienda, libera servanda sunt, simulque in humorum massam agendum. Qualemcunque autem virium status febrisque forsan adhuc durantis character exigant medendi rationem, curandum semper est, ut potus indicati aquosi, aquoso-mucilaginosi, aciduli etc. affatim sorbilentur, et ut aër diligentissime attamen caute renovetur sicque continuo purus servetur.

Dolorificae cutis tensioni imminuendae, febri, siquae hoc stadio viget, cito mitigandae, nimiaeque puris resorptioni praecavendae convenit, pustulas majores, confluentes, multum pure turgidas ope lanceolae acutae at-

que cuspidatae, vel forficis aperire, et spongiae ope aqua tepida vel lacte imbutae pus abluere profluens.

§. 761. Pro *crisi* morbi variolosi curanda, quae stadio exsiccationis febre simul suppuratoria intrante procedit, generales regiminis et tractaminis normae valent. Speciatim febris utut aperte açtiva, therapiam antiphlogisticam generosam nunc nec exigit imo nec admittit, cum character activus ad exitum faustum summopere essentialis desideretur, moderatus igitur sustineri potius debeat; et cum febris alioquin hoc sub stadio in colliquativam facile convertatur, hinc incitans potius, diaphoretica, et antiseptica medendi ratio (camphora, vinum, cortex Peruvianus, acida mineralia etc.) saepius requiratur. Effluxus puris largo potu tepido aquoso, acidulo, admixto speciatim acido minerali, regimine modice calido aequabili, et crustarum fors durarum, tensionem ac ulcerationem imo sustinentium, emollitio, secessus, fomento et cataplasmate emolliente, iterataque cum oleo amygdalarum, cremore lactis, lacte tepido, vitello ovi illinitione juvantur. Tali modo, sic et excretiones omnes aequabiliter, alvum speciatim per enemata, purgantia per epicrasin porrecta, transspirationem per camphoram, infusa levia aromatica, antimonialia, et sub stadii finem per balnea tepida, epispastica nota etc. sustinendo et promovendo, habito semper virium vitae conservandarum respectu, metastases quoad fieri potest praevertuntur. Metastases nihilominus incipientes, vel subito natas, pro indole et sede tractare, externas in specie figere, quantocyus ad maturitatem perducere, atque tunc extemplo aperire oportet.

Munditie summa aëreque semper puro et hocce per stadium maxime opus est.

§. 762. Prout effectus a morbo supersunt leves vel momentosi, *convalescentiae* cura vel simplex est solisque diaeta et regimine aptis perficienda, vel quemadmodum febre catarrhali aut rheumatica indolis inflammatoriae,

nervosae, putridae superata, sub constante se- et excretionum omnium expediendarum, munditiei et aëris puri servandi respectu, instituenda est.

§. 763. *Cicatrices* praesertim in vultu praecavendi methodus certa nulla noscitur; commendari tamen hunc in finem meretur, ut pustulae pure copioso turgidae aperiantur; caveatur ab attritu omni et scalptu; pustulae fluentes cataplasmate emolliente foveantur, aqua, decoctis mucilaginosis, lacte etc. tepidis assidue abluantur. Remedium autem certissimum, non variolarum modo cicatrices, sed morbum etiam totum, antehac adeo horrendum et infantibus frequenter nimis exitialem, cum longa symptomatum malorumque posthumorum caterva evitandi, *vaccinationem*, ut jam dictum, laeti amplectimur.

Spec. 2. Varicellae.

§. 764. *Varicellae (variolae spuriae* dictae, unechte oder sog. falsche Blattern) morbum exanthematicum sistunt acutum, pustulosum, contagiosum, qui perfecte evolutus saepe variolas genuinas forma sua plurimum aemulatur, ab iis tamen per constantem lenitatem et benignitatem, modum et ordinem eruptionis alium, decursum celeriorem, breviorem igitur stadiorum singulorum durationem, pustularum, restantiumque cicatricum conditionem, atque per id differt, quod vaccinatione non praecaveatur.

Van Swieten, Commentar. T. IV. p. 10.
Heberden, Abhandl. der Londoner Ärzte. B. I.
R. A. Vogel, praelect. de cogn. et cur. praec. corp. human. effect. p. 94—95.
Willan, Abh. üb. d. Kuhpockenimpfung; a. d. Engl. m. e. Zugabe von *Mühry*. Götting. 1808. Abth. VII.
Heim, a. a. O. — *Th. Bateman*, prakt. Darst. d. Hautkrankheiten etc. p. 311 — 321. — *Reil*, im a. W. B. V. S. 346. u. f.
J. Moore, the history and practice of vaccination. Lond. 1817. cap. 5.

Dr. *C. G. Hesse*, üb. Varicellen u. ihr Verhältniss zu den Menschenblattern u. Varioloiden. Leipz. 1829. 8.

§. 765. Essentiales varicellarum a variolis differentiae jam *Swietenio* notae, exacte vero per *Heberden* an. 1767. demonstratae, et nuperius per *Heim* (*Horn's* Archiv. B. VII. H. 2.) fusius explanatae sunt. Varicellae, absque manifestis plerumque febris symptomatibus, ab indispositione animi, morositate etc., nonnunquam a febre simplice, levibus artuum doloribus, rarissime solum (irritabilitate maxima, noxis lateralibus simultaneis, gravi complicatione faventibus) a febre valida, siti igitur urgente, rubore oculorum, faciei turgore, deliriis, vertigine, nausea, vomitu, imo convulsionibus stipata ordiuntur. Currente adhuc vel vix elapso nycthemero non in facie primum, sed in dorso, pectore, aut membris, aut ubivis fere simul stigmata, pustularum initia, non numerosa, utplurimum discreta erumpunt, et febre, quae fortassis adest, cessante vel plurimum decrescente in tubercula inflammata, apice vesiculam gerentia, cito formantur. *Triplici* tunc forma (*Willan*) eminente, seorsim vel in eodem individuo socia, cernuntur, nimirum: a) *varicellae aquosae*, *lymphaticae* (lenticulares *Willan.*, unechte Wasserpocken, linsenförmige Pocken), tubercula inflammata, oblongo-orbicularia, paullum elevata, quorum in medio vesiculae lympha plenae, et his ruptis ac pro parte siccatis die sexta bruneae formantur crustulae, die nona, decima lapsurae, manentibus per tempus maculis rubris sine foveolis; — b) varicellae *acuminatae*, *verrucosae* (conoides *W.*, unechte Spitz-, od. Stein-, od. Warzenpocken, unechte kegelförmige Pocken), tubercula inflammata dura, cito in vesiculas acuminatas insurgentia, initio limpidam, postea turbidam lympham flavicantem continentes, quae partim rumpuntur, altera jam, tertiave die crusta flava, gummosa tegendae, partim vero implentur pure (variolis genuinis perquam similes), et crusta sextam, septimamve post

diem lapsa cicatricem vel foveolam relinquunt perennem; — vel c) varicellae *suillae*, *ovilles* etc. (globatae *W.*, unechte Schweine-, Schafs- od. Hundepocken, unechte kugelförmige Pocken), pustulae grandes, variolis genuinis majores, non exacte circulares, cum vesiculis amplis, hemisphaerice elevatis, lympha primum pallida, diaphana, altero jam die in turbidam sero lactis analogam, dein flavidam mutanda turgidis, die tertio subsidentibus, et in crustam tenuem primum flavicantem, tandem nigrescentem exsiccandis, quatuor, quinque post dies lapsuram, cicatricibus hinc illinc relictis. —Num has inter varicellarum varietates essentiale intercedat discrimen, dubito quidem, evictum tamen non habeo.

Nota. Expositae nunc varicellae cum variolarum varietatibus pari nomine insignitis, non aeque benignis, ne confundantur, monendum est.

§. 766. Varicellae ad exsiccationem et crustarum formationem dies quinque, octo usque *durant*. Utut vero pustulae singulae spectatae celeriter decurrant brevique finiantur, succedentibus, uti fieri consuevit, plures per dies novis identidem varicellis totum morbum ad decem, duodecim et ultra protendi posse nycthemera, intelligitur.

§. 767. In *sanitatem* communiter *exeunt* varicellae, cito restitutam; et nonnisi constitutione aegrorum non favente, adversis influxibus externis, decursu earum turbato *morbi posthumi*, pulmonum maxime: tussis, pneumonia, dyspnoea etc. succedunt.

§. 768. Varicellarum morbo subjectum idem bis, ter (*Richter* l. c. p. 344.) corripi observatum est. Singulis vicibus an alia descriptarum varietatum aut sola adest aut praedominans?

§. 769. *Heim* notas pathognomicas et a variolis genuinis distinctivas, intensa vigente febre, licet rarissima, imprimis decisivas, exponit sequentes: Varicellae

odorem spargunt proprium, exacte non explicandum; non in facie prius, sed pluribus simul corporis locis prorumpunt, eruptione intra triduum nondum finita; stigmata profunde rubent, multumque pruriunt; facies sub eruptione solum tumet, hac finita detumescit, cum in variolis contra tumor nunc insigniter augeatur; pustulae potiore semper numero manent exiguae, non debite elevantur, nec nisi pauco humore limpido, aquoso replentur; febris suppuratoria nunquam observatur; pustula varicellae completa mollis est, attactu non elastica, si aperitur, fluidum lente dimittens, nec iterum implenda; humor nunquam ut ille variolarum spissus, viscidus, puriformis, sed tenuis est et lacti similis; crustae tenuiores quam variolarum, et non ovales, sed orbiculares sunt; maculae subsequae rubrae brevi dissipantur; cicatricum numerus, copiosioribus licet quandoque varicellis, semper minimus; cicatrices varicellis ad normam absolutis conspicuae laeves sunt, cute caetera albidiores, nec duo vel tria puncta nigra, quibus variolarum cicatrices notantur, nec pilos locis pilosis offerunt; margo earum subcylindricus, laevis, cuti concolor, albidum versus fundum levissime declinat, qui modice convexus inde apparet; figura orbicularis, raro oblonga, raro irregularis est; demersio in facie, fronte praesertim et genis, major cernitur, sic et morbo nuperrime devicto, decem enim, viginti pluribusque post annis nonnunquam explanatur ita, ut macula tantum orbicularis alba cum margine supra cutem paululum exstante supersit.

Characteres enumerati, quemadmodum signa et sequelae exanthematis cujusvis pustulosi maximam sibi expetunt attentionem, ut casu dato *vaccinationem* concedendi vel necessariam injungendi, et *vim vaccinae* contra variolas *tutoriam* defendendi, firma habeantur argumenta.

§. 770. *Dispositio* in varicellas infantili maxime convenit aetati; non tamen aeque de regula, ac ea in va-

riolas, morbo semel exantlato penitus exstinguitur. — Vera varicellarum *origo* non patet. Qui varicellarum contagium pro contagio variolarum modificato, et per dilutionem, tempestatem, aegrorum aetatem et constitutionem debilitato habent, observata adferunt, varicellas eandem cum variolis agnoscere antiquitatem, per insitionem propagari, non raro epidemias variolarum antecedere et comitari, atque *(Heim)* per puris variolarum genuinarum aestu, senio etc. debilitati, alterati insitionem nonnunquam fuisse generatas. Hanc vero sententiam majoribus egere argumentis, facile concedent, qui consideraverint, varicellas sine variolis quoque epidemice regnare, nec rariores ac quondam occurrere, variolis interim per vaccinationem rarissimis factis; vires varicellarum contagiosas vigere insignes, et vaccinationem ad eas praecavendas nihil praestare. — Varicellae hodiedum quandoque epidemicae observantur, et infectione propagantur ac diffunduntur.

§. 771. Quae de variolarum *natura* (§. 756.) proferebantur, ad eam varicellarum adplicari generatim possunt cum restrictione, quam febris nunquam non levis, et exanthematis in suppurationem pronitas nequaquam universalis fieri suadent.

§. 772. *Prognosim* ex hucusque delineatis facili deducere licet negotio.

§. 773. Varicellae simplices nullo communiter opus habent *pharmaco*. Initio regimen moderate antiphlogisticum, evolutione perfecta tractamen diaphoresi leniter promovendae aptum, et exsiccationis tempore regimen ordinatum et remedium eccoproticum totam, quae requiritur, medelam efficiunt. — Febris citra consuetudinem valida, symptomatibus stipata momentosioribus ad normas generales, quemadmodum aliae febres exanthematicae, curanda foret.

Spec. 3. Variola vaccina.

§. 774. *Variolae vaccinae* (tutoriae, Kuhpocken, Schutzpocken) eam sistunt exanthematum acutorum, pustulosorum, contagiosorum speciem, quae ab uberibus vaccarum in hominem translata *nodulis* manifestatur inflammatis, in apice *vesiculam* in medio depressam, et *fluido* sub initium pellucido, coloris margarytacei, serius opaco et puriformi turgidam gerentibus, intra diem ab adplicato contagio octavam et undecimam *febri* comite stipatis, desinentibus in *crustam* modice prominentem duram, corneam, e rubello bruneam aut nigricantem, et *genuina sub forma et decursu regulari a variola humana pro certo tuentibus.*

Eduard Jenner, Untersuchungen üb. d. Ursachen u. Wirkungen der Kuhpocken. A. d. Engl. v. *G. Fr. Ballhorn.* Hannov. 1799. 8.

Ed. Jenners u. *W. Woodwilles* fortgesetzte Beobachtungen üb. d. Kuhpocken. A. d. Engl. v. *G. Fr. Ballhorn.* Hannov. 1800. 8.

Beobachtungen und Erfahrungen üb. d. Impfung der Kuhpocken von *Joh. de Carro.* A. d. Franz. übers. v. *Jos. von Portenschlag.* M. 1 ausgemalt. Kupfert. Wien 1801. 8.

Rob. Willan üb. d. Kuhpockenimpfung. A. d. Engl. übers. mit einer Zugabe, welche historisch-kritische Bemerkungen u. die neuesten Verhandlungen üb. d. Vaccination in England enthält, v. *G. Fr. Mühry.* M. 2 ill. Kupfert. Götting. 1803. 4.

L. Sacco, neue Entdeckungen über d. Kuhpocken, die Mauke u. Schafpocken. A. d. Ital. v. *W. Sprengel.* Leipz. 1813. 8.

Th. Bateman, prakt. Darstellung der Hautkrankheiten nach *Willan's* Systeme etc. etc. S. 321—331.

A. G. Richter, Reil, Jos. Frank in d. a. W.

§. 775. Non in Scotia et Anglia solum, sed etiam in Germania, in Holsatiae parte*) vis vaccinae genui-

*) *Plett*, juvenis 20 annorum, anno 1790, informator in Schönweide in Holsatia non procul Kielonia, de vi vaccinarum pustularum contra variolas ab incolis Batavis relatum audiverat. Anno autem 1791 qua talis Hasselburgi in duabus puellis et

nae a variolis tutoria a multis retro annis animadversa fuerat (M. chir. Zeitung 1815 III. 28—30), ast Doctor *Ed. Jenner* (natus ann. 1749. Berkeley in Scotia, mortuus ibid. d. 26. Januar. 1823.) ab anno 1768. (*J. Moore* the history and practice of vaccination. Lond. 1817. 8. in diar. med. chir. 1820. II. 104. et seq.) huic objecto omnem, quam meretur, attentionem et operam primus navavit; primus collectas de vi vaccinae tutoria observationes experimentis numerosissimis per 30 annos sedulo institutis (ex quibus insitio mediata prima, e vaccina ancillae *Sarah Nelmes* in brachium pueri *Phipps* die 14. Maji 1796 facta, mentionem meretur) ad experientiam non concutiendam extulit; hac et illis anno 1798 publici tandem juris factis, et illico inde provocatis, nunc per omnem Europam diffusis, continuis conaminibus, mediante vaccina luem variolosam exstinguendi, benefactor generis humani evasit summus, immortalis. —

Tentamina ab eo tempore in Europa et in caeteris orbis terrarum partibus repetita, innumera, vires vaccinae a variolis tutorias adeo firmiter comprobarunt, ut casus paucissimi, in quibus defecerunt indubitati ad exceptiones pertineant non solum rarissimas, sed etiam minimi faciendas, quum notissimum constet, nec per variolas genuinas omnem hominem ab altero earundem incursu praemuniri. Exactissimae insuper in variolas vaccinam insecutas inquisitiones in Anglia et Scotia a *J. Moore*, *H. Dewar*, *Ad. Dunning*, *Al. Monro*, *J. Thomson* et *J. Cross*, in Batavia ab *Hodenpyl*, *Luiscius*, *Thuessink*, in Dania ab *Hoppe*, in Germania a *Kausch*, *Schmidt*, *Hennig*, *Krauss*, *Hufeland*, *de Carro* aliisque, in Gallia a *Recamier*, *Martinet* et Academia medica Parisiense, institutae docuerunt, tales *variolas, modi-*

puero insitionem vaccinae cum effectu peregit; haec enim tria individua variolis paulo post regnantibus non corripiebantur. Puellarum mater, de hac operatione male contenta ulterioribus *Plettii* tentaminibus obfuit.

ficatas dictas, non tantum rarissime et vix nisi post imperfecte absolutam vaccinam occurrere, sed etiam partim varicellas fuisse, partim quidem variolas ast peculiariter et ita modificatas, ut paucae solum pus exhiberent; ut suppuratio citissime, et quin trium dierum explevisset spatium, in exsiccationem abiret, febris suppuratoria semper deficeret, totusque morbus ubi non mitem, saltem periculo carentem ostenderet decursum. Similia et ex meis circa idem objectum observatis resultant; variolas modificatas, quas pluries observavi, utut hincinde in stadio prodromorum et febrili magnis junctas turbis, nunquam tamen periculosas vidi, nunquam comperi lethales alibi fuisse. (Conf. §. 751.)— *Müller* diss. inaug. de varioloide. Vindob. 1823.

Viris nominatis, porro *Gregory et Granville* Londinensibus, vaccinationis Commissioni Parisinae, quemadmodum et mihi fuit occasio observandi, individua vaccinam rite perpessa tempore variolarum inter individua non vaccinata epidemice hic illic, uti et Viennae, grassantium, quandoque imo malignarum ipsos inter aegros gravissime decumbentes perstitisse immunia. (Conf. *Chr. W. Hufeland* üb. den gegenwärt. Zustand der Vaccination. Im Journ. d. pr. Heilk. November 1826. —Dr. *Güntner* eine die schützende Kraft der Schutzpocke bestätigende Thatsache. Med. Jahrb. etc. etc. Bd. 15. St. 1. S. 116.)

§. 776. Factis his virtus vaccinationis, inventi summe salutiferi aevi nostri, tutoria contra variolas firmissime evincitur, omnia ab insufficienter informatis prolata discutiuntur dubia, omnes calumniae ab adversariis dispersae enervantur. Specialiora de hoc objecto momentosissimo inveniuntur sub articulo: „*vaccinatio*“ in fastis medicis imperii c. r. austriaci; in *Hufelandii* diario medicinae practicae, atque in libro, cui titulus est: Die Schutzpockenimpfung in ihrer endlichen Entscheidung, als Angelegenheit des Staates, der Familien und des Einzelnen. Von *G. F. Krauss*. Nürnb. 1820. 8.

§. 777. Ut autem vaccinatio a variolis pro certo tueatur, requiritur 1) ut *lympha ex vaccinis genuinis, atque harum stadio, quo efficacissima est, depromatur;* 2) ut vaccinatio in aptis modo individuis fiat, et rite perficiatur; et 3) ut productae inde pustulae vaccinae et forma et decursu perfecte sint normales. Quare prae omnibus exacta vaccinae genuinae, et decursus illius normalis desideratur cognitio.

§. 778. *Decursus* et *characteres diagnostici* vaccinae genuinae (Med. Jahrb. des k. k. öst. Staates etc. B. I. St. 3. S. 43 etc.) ex sequentibus innotescunt: Insitione peracta vulnusculum, sicut quodvis aliud simplex, mox quidquam intumescit ac rubet, *altera vero die* jam nihil animadvertitur. *Die tertia* (proprie nycthemero tertio finito) consuetim formari incipit *macula* rubra, duriuscula, quidquam elevata. — Quodsi haec die demum quarta aut quinta post insitionem se manifestaverit, quemadmodum nonnunquam in individuis laxis, phlegmaticis, male nutritis, tempestate frigida etc., phaenomena subsequa, nunc referenda, conformiter uno aut duobus diebus serius comparent. — *Die quarta* macula haec augetur omni respectu in *nodulum*, grano milii aequiparandum, rubrum, sphaericum vel ovalem, durum et aeque supra cutis planitiem elevatum ac in cutem ipsam demersum, qui *die quinta* auctus vesiculam in apice nanciscitur minimam, albescentem, semipellucidam, in medio depressam, atque limbo angusto, rubro et tumido (halone) cinctam, ita ut *pustulam* offerat incipientem. Haec ulterius efformatur *diebus sexta* et *septima;* vesicula enim ampliatur, magis elevatur in magnitudinem grani hordei perlati, fluidoque impletur tenui, diaphano, quidquam caerulescente, margarythaceo, lymphatico, contento in loculamentis bene multis, minimis, communicationem, ut videtur, mutuam habentibus; depressio in ejus medio manifestior, limbus eam circumdans amplior, altior, durior evadit, intensius rubet, splendet, atque

pruritum ciet. *Die octava* pustula *perfectam* assequitur *formam;* vesicula in medio umbilicum ostendens magnitudinem pisi dissecti vel lentis majoris habet, lympha contenta adhuc diaphana esse solet, limbus cingens omnes inflammationis notas nunc exhibens in duas tresve distenditur lineas. Aliquoties lympha jam nunc opacari cernitur. Hac insuper die, vel sub decursu segniore die nona aut decima accedit *febricula;* quae nonnunquam adeo mitis est, ut non tam ex pulsu quam ex aliqualibus delassatione, capitis, manuum pedumve aestu, siti, somno interrupto, inquietudine et morositate infantum cognoscatur; rarius vero et quidem in infantibus admodum teneris ac irritabilibus intensior manifestatur, tussicula sicca, aut sudore aut diarrhoea adjunctis, consuetim per aliquot solum horas, raro per integrum, rarissime per duos dies cum exacerbationibus tunc vespertinis durans. Glandulae subaxillares vel simul, vel proximis diebus dolere ac modicum tumere percipiuntur. — *Die nona* vesiculae magnitudo perstat, lympha vero opacatur albescens aut ex albo flavescens, limbus inflammatus subito plerumque aliquot ampliatur lineis, et, uti dictum, febris quandoque hac primum die intrat. *Die decima* pustula cernitur *suppurans;* vesicula enim in medio quidem jam non depressa, nunquam tamen in hemisphaeram aut conum elata, sed plana et circiter lineam supra cutem eminens, duas quatuorve lineas lata, lentem marginibus circumscissam fere aemulans, fluidum gerit turbidum, opacum, albo-flavicans, spissum, — pus verum; limbus diametro $\frac{1}{2}$—1 imo 2 pollices latus est, calens, duritie in textum cellulosum profunde penetrans, in vesiculae confiniis magis tumens, saturatius, profundius imo caeruleoruber, remotius autem gradatim in dilute flammeum et roseum colorem descendens, atque margine extimo in pallide rubellum fatiscens. Talis subsistit pustula *die undecima; duodecima* vero exsiccatio vesicae e centro peripheriam versus incipit, subsidet enim vesicula, in me-

dio crustula formatur coloris brunescentis, tumor limbi inflammatus intensitate et extensione multum restringitur. *Diebus decima tertia* et *quarta* exsiccatio vesicae perficitur, inflammatio decrescere continuans extinguitur; tota pustula obtegitur *crusta* potius *plana* quam hemisphaerica, coloris profunde *brunei* quemadmodum *ligni guajacini annosi*, vel *nigricantis*, *dura*, *cornea*, *firmiter adhaerente*, quae proinde primis adhuc diebus non nisi sub dolore, laesione cutis cruenta et ulcerationis secundariae metu divelli posset, intacta vero sensim a margine incipiendo medium versus separatur a cute, cui tunc uti nodulus vestimento insidere conspicitur, octo diebus ab exsiccationis initio aut paulo serius sponte lapsura, et foveam relictura minime profundam, orbicularem, in fundo foveolis multis, cellularum, quibus vesica constiterat, vestigiis characteristicis notatam.

§. 779. Attenta hujus decursus consideratio ostendit, vaccinam post intervallum ab insitione ad maculae manifestationem inconstans, sed tria saltem nycthemera explens *stadia quinque* permeare, nimirum 1) stadium formationis noduli, 2) formationis vesiculae cum secretione lymphae, 3) formationis pustulae cum secretione puris et febricula symptomatica, 4) siccationis cum inflammatione limbi intensiore et ampliore, et 5) crustae formatae seu convalescentiae. Quodvis stadiorum quatuor priorum spatium trium dierum aut trium cum dimidio emetitur. Durantibus stadiis primis duobus vaccina evolvitur, tertio efformata in acmen evecta subsistit, quarto decrescit ac finitur, et quinto cum crusta formata convalescentiae stadium intrat.

§. 780. *Notae essentiales* pro vaccina genuina declaranda sunt: initium maculae rubrae supra memoratae non ante tertium a vaccinatione nycthemerum conspicuum; propria ejusdem, et noduli et pustulae evolutio, forma, durities, magnitudo per stadia descripta; horum

stadiorum duratio definita; febris dicto tempore accedens; tempus ac ratio formatae halonis rubrae; crustae non adeo color memoratus, quam forma, crassities, durities, adhaesio, secessus; tandem conditio foveae a vaccina relictae.

Quae ubi cum descriptione mox data concordant, deflexus ab imagine caetera leves, aut et phaenomena accidentalia adesse nonnulla possunt, quin genuina cesset vaccina; uti sunt: macula rubra, inflammationis futurae nuntia, serius i. e. die ab insitione quinto, sexto, octavo comparens; pustulae laterales accessoriae intra aut pone halonis inflammatae peripheriam stadio suppurationis; universalis post diem decimum tertium eruptio exanthematis pustulosi, vel miliformis, vel maculosi rubri pulicum morsibus analogi; erysipelas pustulam vaccinam circumdans; suppurantis vaccinae incrementum insigne, inflammatio late expansa, suppuratio protracta; subsequi furunculi, salivae fluxus etc. Origo phaenomenorum talium adscribenda: integumentorum aut totius constitutionis individualis debilitati, laxitati, inertiae; morbis aliis acutis praecipue exanthematibus intercurrentibus, uti variolis, morbillis, scarlatinae etc. etc.; tempori anni frigido, regimini incongruo, refrigerationi; incisionibus sub insitione nimis profundis, pluribus nimium vicinis; pustulae per attritum, scalptum etc. etc. destructioni; laesioni cutis per violentam crustae amotionem etc. etc.

§. 781. Circa vaccinae genuinae *originem* sequentia constant: Observante *Jennero* vaccina occurrebat, ubi individua curam equorum habentia emulgendis quoque vaccarum uberibus occupabantur. Idem continuatis observationibus edocebatur, vaccarum morbum pustulosum saepius produci equorum paronychia erysipelatosa s. serosa *Veithii* (Handb. der Veterinärkunde 3. Aufl. Wien 1831. B. II. S. 310.: *Mauke, Igelshuf, Straubfuss*, nach *Viborg Schutzmauke*, auch *Equine*;) hancque ultimam homini

insitam pariter praemunire a variolis; quod et *Sacco* pluribus tentaminibus, uno *Berndt* Grifswaldensis experti sunt. — Refert aeque societas veterinaria Hafniensis (relatione tertia ann. 1819.), imo et materia paronychiae dictae s. equinae chronicae, quae indolis esse herpeticae videtur, si limpida fuerit et specifici odoris, vaccinam genuinam induci. — Opinatur *Sacco*, pustulas in vaccarum uberibus jam lympha equinae produci, jam modo ignoto, et, ut videtur, sponte oriri.

Concessa autem vaccinae derivatione ex equina, hujus tamen fons et natura non satis patent. Juxta opinionem *Veithii* (ibid. p. 311. et seq.) et observata Viennae, et a *Viborgio* Hafniae facta, morbi equorum febrilis metastasim sistere videtur criticam.

§. 782. A quo *Jenner* tentamen supra memoratum instituit, effectu optatissimo coronatum, vaccina in hominibus propagatur per contagium ejusdem specificum in hominibus reproductum. Hoc deprehenditur *efficacissimum et certissimum in subjectorum sanorum ac vividorum vaccinae lympha limpida*, adeoque a *sexto ad nonum a vaccinatione* diem sub decursu normali, seu *a quarto ad septimum usque ab inchoata noduli formatione per maculam rubram conspicua.* Minus certa, minusque secura fit propagatio mediante crusta; ex lympha vero jam turbida, purulenta, vaccinae potius spuriae proficisci solent.

§. 783. *Vaccinae spuriae*, a variolis minime tuentes, per sequentes a veris deflexus insigniuntur: Jam altero ab insitione die aut prius adhuc evolvi incipiunt; formam non debitam offerunt, sed oblongam, inaequalem, angulosam, citoque circumferentiam latius et intensius inflammatam nanciscuntur, absque halonis coloratione normali supra descripta; decurrendi ratio a prius (§. 778.) exposita multum deflectit, cum stadiorum imprimis disproportione, pustulae aequo celerius formatae mox in suppurationem abeunt, hemisphaericae fiunt abs-

que depressione umbilicosa, aut imo coni adinstar acuminantur, et exsiccatae jam die sexta vel septima teguntur crusta flavicante, aspera, inaequali, laxius adhaerente. Etiamsi vaccinae spuriae quandoque paulo serius, tempore igitur genuinis solito, in conspectum prodeant, vel etiamsi, uti istae, dolores sub axillis aut febrim quandoque habeant comites, reliquorum tamen characterum complexu sufficienter a veris distinguuntur.

§. 784. Vaccinarum spuriarum, non praeservantium culpam jam lympha, jam individua vaccinata, jam vaccinationis methodus gerunt. Juxta observationes enim hucdum factas vaccinae spuriae prodeunt: 1) si lympha in usum sumitur *vel* ex vaccina spuria, *vel* ex genuina quidem, sed in evolutione et decursu normali per attritum, scalptum etc. violenter turbata, aut ante vel post opportunum tempus supra (§. 778.) designatum, ubi lympha jam opacata, turbida, in pus mutata est, aut ex pustulis individuorum variolas aut vaccinam jam passorum; ita pariter, si lympha vaccinae genuinae quondam optima nunc per diuturnam adservationem, aërem atmosphaericum, aestum, gelu, lucem alterata fuerat, decomposita aut quoquo modo degenerata; 2) si individuum vaccinatum tinea, herpete, scabie, etsi plagis tantum exiguis, laborat, uti *Jenner* adseverat, qui jam anno 1804. (Lond. med. and phys. Journal) notum fecerat, unicam pustulam sero plenam, si durante vaccina prodit, sufficere ad hujus decursum penitus perturbandum; lippientes palpebras in vaccinae decursum, ut videtur, noxie influere, hocque turbato vaccinam virtute orbari, totam constitutionem a variolis praeservandi; 3) si vaccinatio ope lanceolae impurae, rubignosae, aut vesicantis, aut linteaminis vel lintei carpti materia impraegnati perficitur. (*Richter* l. c. p. 378.)

Quamprimum una alterave harum circumstantiarum formam vaccinae normalem immutaverit, et decursum turbaverit definitum, in vaccinatis sive infantibus sive

adultis postmodum videre variolas, eo minus mirandum, quo minor in vaccinae anomalias harumque causas attentio conversa fuerat.

§. 785. Inefficax lymphae qualitas, lanceolae vel acus conditio, operandi modus, regiminis postea errores, individuum vaccinatum, receptivitatis absolutus aut temporarius defectus etc. omni possunt vaccinationem spoliare effectu.

§. 786. Vaccina genuina in se spectata morbum sistit exanthematicum indolis specifice-inflammatoriae, contagio proprio per artem inductum, mitem et periculi expertem. Raro enim et non absque laterali influxu nocivo (pustulis v. gr. confertis aut mechanice irritatis aut laesis) inflammatio aut febris vehementer intenditur, suppuratiove in ulcerationem mutatur.

Si varicellae, morbilli, scarlatina, a quo vaccinatio introducta est, reapse frequentiores occurrerent, quemadmodum nonnulli contendunt, certe non vaccinatio, sed aucta beneficio illius populatio, auctus nimirum infantum per efficaciam illius salubrem morti ereptorum numerus insignis veram et unicam rationem suppeditarent. In Anglia solum, Scotia et Irlandia ad annum 1824. usque numerus iste ad 393356 individua ascendit.

Ubi post vaccinam impetigines, scrophulae, rachitis etc. etc. in infantibus animadvertuntur, meminisse oportet, tempus vaccinationis plerumque incidere in aetatem, qua ejusmodi morborum formae in lucem prodire alioquin consueverunt; saepe post alios morbos acutos exanthematicos idem obtinere, quin aliqua, ne dicam omnis, in illos conjici possit culpa, quum praegressam ad illos opportunitatem delere non valuerint; e contrario autem concedi debet, similes dispositiones et imo morbos exanthematibus acutis et speciatim vaccina genuina saepius emendatos et sublatos fuisse (*v. Fabrice* med. chir. Bemerk. u. Erfahrungen. Nürnb. 1816; — Med. Jahrb. Bd. X, neuest. Folge Bd. I, St. 4. p. 96), infan-

tes valetudinarios a vaccinatione rite superata, uti quotidiana testatur observatio, saepius meliore ac antehac sanitate frui, imo vaccina, ut *Tully* refert, ipsam pestem averti.

Vaccina sequelas variolarum toties funestas nunquam inducit; nequidem eruptio universalis pustulosa rarissima, aeque numerosa, molesta et dolorifica unquam est, ac variolae consuetim obveniunt. Vaccinae autem cicatricibus nunquam defoedant; non facile, et nunquam sine epidermidis laesione inficiunt, nunquam igitur epidemiarum aut contagionum expansionem et propagationem assequentur.

Vaccina genuina a variolis certissime tuetur. Hoc adsertum ab experientia desumtum per memoratos variolarum modificatarum vaccinam insecutarum casus tam ex rationibus supra adlatis, quam vel ideo enervari nequit, quod illi sint rarissimi, nam juxta calculum *Richteri* (l. c. T. II. p. 357) ex 250,000 vaccinatis solum quinquaginta (ex 5000 solum 1) variolis adficiebantur, et horum casuum non nisi quinta pars fidem utcunque merebatur.

Imo coincidente fortuito vaccina cum suscepti jam contagii variolosi effectibus et pustulis vaccinae tunc halonem rubram characteristicam non adsecutis, variolae mites manent et periculo destitutae. Inter alios *de Carro*, *Ballhorn*, *Sacco* id mecum testantur.

§. 787. Vaccina adeo levem solet sistere morbum, ut *cura* ejusdem pharmacis non indigeat, sed methodus negativa omnino sufficiat, in eo consistens, ut vaccinati a frigore, humido, erroribus in diaeta et regimine, ac quibusvis in genere morbificis potentiis, imprimis regnante variolarum epidemia ab infectione saltem ad incipientem usque vaccinae suppurationem, cautissime defendantur; et ut loca insitionis factae, atque pustulae per omnia stadia ab irritatione et laesione quavis attentissime custodiantur.

Rarioribus in casibus phlogosis gravior erysipelatosa aut phlegmonosa calorem siccum ope deligationis levissimae, vel rarius (ne suppuratio invitetur) humidum ope cataplasmatum emollientium exposcit; — febris validior regimen antiphlogisticum, potus diluentes, refrigerantes, emollientes ac enematum evacuantium adplicationem indicat; — convulsiones forsan accessoriae symptomaticae penes eadem usum balneorum emollientium, — eruptio universalis miliformis aut pustulosa etc. regimen aequabile, subcalidum, diaphoresi blandiori favens, moram in cubili aut pro re nata in lecto, et potus tepidos, emollientes, leniter diaphoreticos desiderant. *Complicationes* accedentes adcommodate ad earum causas, indolem, intensitatem, sedem, stadium etc. tractentur oportet.

§. 788. Ipsa *vaccinae insitio* doctrinae de operationibus objectum exhibet. Eo non informatio solum spectat de methodo certissima inserendi vaccinam, colligendi et adservandi lympham, sed de eligendis etiam subjectis et opportuno ad insitionem tempore determinando. Invenitur informatio haec: in Annalibus medicinae imperii caes. reg. austriaci T. I. p. III. pag. 42—65., et in *Richteri* Therap. spec. T. II. p. 380—395.

Spec. 4. Scabies.

§. 789. *Scabies* (psora, die Krätze) efflorescentia est substantiva, chronica, afebrilis, contagiosa, papularum, pustularum vel vesicularum sub forma interstitia digitorum plerumque, carpos, cubitos, poplites, flexuras articulorum pedum occupans, sed et ulterius abhinc proserpens, pruritu molesto per calorem lecti et corporis exaestuationem insigniter ingravescente, et in morsus aut ardoris sensum transeunte stipata.

C. Celsus de Medicina L. V. c. 28.

J. E. Wichmann, Ätiologie der Krätze. Hannov. 1791.

Ed. V. Guldener von Lobes, Beobachtungen üb. Krätze, gesammelt im Arbeitshause zu Prag. 2. Aufl. Prag 1795. 8.

J. Chr. G. Ackermann, v. d. Krätze, mit bes. Rücksicht auf Spitäler u. öffentl. Krankenanstalten. In s. Bemerk. üb. d. Kenntn. u. Cur einiger Krankheiten. Heft V. Nürnb. 1798.

J. C. Galès, Essai sur la diagnostique de la gale, sur ses causes, et sur les conséquences médicales pratiques à déduire sur les vraies notions de cette maladie. Paris 1812.

Lorry, *P. Frank*, *Willan*, *Batemann*, *Jos. Frank*, *Richter* opp. cit.

§. 790. Scabies a) *papuliformis* s. forma nodulorum cutaneorum minimorum, rubrorum, durorum, copiosorum, in vesiculam albidam, diaphanam acuminatorum, per totam quandoque superficiem, excepta facie, pene expanditur, interjectis nonnunquam pustulis discretis, fluido flavente spisso turgidis, dictis sub circumstantiis vehementer pruriens. Papulae decremento obtinente exsiccantur, *scabie* tunc *sicca* vocata, et cutis defurfuratur; scalptae vero fluidum cum sanguine dimittunt, in crustulas bruneas aut nigricantes coagulandum. — Scabies b) *pustulosa* (*purulenta Willan.*) discretas offert pustulas, basi parum inflammatas, pus flavum, spissum continentes, quae duos tresve post dies maturatae rumpuntur, sub inflammationis et pruritus dolorifici incremento nunc suppurationem aut imo ulcerationem subeunt, scabiei *humidae* titulo venientes. Pus secretum, omnisque transspiratio odorem spargunt specificum, mucidum, ingratum. Pustulis in sanationem vergentibus, cutis contiguae tumor et durities, sicut inflammatoria fundi pustularum conditio resolvuntur, materia puriformis in crustam mutatur siccam, duram, quae aliquot dierum post moram decidit, maculis remanentibus pallide rubris, pedetentim dissipandis. — c) Scabies *vesicularis* (*lymphatica Will.*) vesiculis manifestatur sat amplis, non inflammatoriis, humorem pellucidum lymphaticum continentibus, quae pustulis hic illic remistae, vehementer prurientes paucos post dies rumpuntur, et partim sub exigua, quae formatur, crusta consanescunt, partim inflammantur et in pustulas suppuratas vel in ulcera convertuntur,

crustis quoque, si sanantur, profundi coloris tandem tegenda.

§. 791. Efflorescentiam scabiei papuliformi et siccae analogam, si formam respicis, *psoriasis* (psydracia, falsche, unechte Krätze) sistit. Sequentibus autem a scabie differt: 1) Non contagio producitur psoriasis, sed jam *idiopathice* ab irritamento multiplici v. gr. thermis, unde psydracia thermarum, jam *symptomatice* a scrophulis, syphilide, arthritide, infarctibus viscerum abdominis, amenorrhoea suppressionis, hinc et hypochondriasi, haemorrhoidibus etc. originem trahit, jam in febribus intermittentibus, imo in typho (*Autenrieth*) *critica* observatur; 2) non certas praefert cutis plagas, speciatim non a scabie praedilectas, quibus saepe omnino parcit; 3) nisi per omnem statim diffundatur cutis superficiem psoriasis, in pectoris saltem, abdominis circumferentia lata prorumpit, inde ad caeteras corporis partes, facie nequaquam excepta, cito progressura; 4) non vespere absolute, nec sub lecti tepore intensius prurit; 5) brevissime non raro durat, et periodice quandoque recurrit; et 6) contagio destituitur.

§. 792. Scabies, qua morbus cutaneus localis, habitaculo, victu, regimine, munditie, tempestate etc. faventibus, tempestive priusquam expandatur, et apte curata intra paucorum dierum spatium sanatur; neglecta vero, incongrue tractata, cutis spurcitie, constitutione aegri cachectica etc. adversis, in septimanas, menses, annos imo protrahitur. Morbo ipso, pruritu molesto et dolorifico, inducto inde pervigilio, cooperantibus noxae, infantibus praesertim, inferuntur, membranaeque caeterae, systema lymphaticum, organa digestionis in compassionem deducuntur. Appetentia sensim sensimque minuitur, deletur; cutis frigoris impatiens evadit (in catarrhos igitur et rheumatismos disponitur), pallida, coloris terrei, malo diu durante hinc inde ulcerata, nodosa et dura, quasi callosa; intumescunt glandulae lymphaticae ipsaque viscera abdominis infar-

ciuntur; emaciatur corpus; vires labefiunt, febris tandem hectica, hydrops, scorbutus evolvuntur.

§. 793. *Dispositio* in scabiem nemini deesse, cuti tamen molli, tenerae et laxae praeprimis inhaerere, ideoque in infantibus junioribusque subjectis eminere videtur. Pistoribus contra, molitoribus, farinarum mercatoribus, coriariis, tinctoribus, saponum fabris, olitoribus, lotricibus scabies rarissimum malum. — Producitur haec *contagio specifico* naturae non sufficienter cognitae, spurcitie, aëre humido et impuro, victu vili, crudo, nec non tempestate humido-frigida, variabili secundantibus maxime activo. Infectio nonnisi per immediatum plagarum scabiosarum, sicut indusiorum, manilium, vestimentorum, stragulorum etc. ab aegro usitatorum contactum inducitur. Acari exulcerantes, quos *Cestoni*, *Redi*, *Ettmüller*, *Mead*, *Linnée*, *Wichmann*, *P. Frank*, *Galés* in vesicularum pustularumque fluido conspexerunt, *Heberden* vero, et nuper *Lugol* et *Muronval* (*Froriep's* Notizen etc. B. I. S. 317) non invenerunt, partem materiae scabiosae efficacis constitutivam sistere essentialem, ideoque vim contagiosam ejus testari, minime tamen vera scabiei causa esse videntur. Num scabies spurcitie, aëre recluso, impuro, victu crudo, insufficiente concurrentibus, in pauperum turguriis, castigatoriis, ergastulis, carceribus etc. *primarie* oriatur, utut perquam probabile sit, cum certitudine tamen asseverari nequit, his enim in locis magna semper viget suspicio, infectione sustineri malum et propagari.

§. 794. *Psoriasis* s. psydraciae supra memoratae *causas* citra morbos ibidem notatos in multifariis integumentorum irritamentis uti: spurcitie et inquinamentis variis opificia nonnulla circumdantibus; vaporibus acidorum mineralium, metallorum, vegetabilium acribus; thermis sulphureis, muriaticis; unguentis, lavacris, balneis etc. mercurialibus praecipue invenire licet.

§. 795. *Naturam* scabiei irritatio inflammatoria spe-

cifica, aut formata retis Malpighii ipsiusque cutis inflammatio *primario* prodit, in lymphae aut materiei puriformis secretionem constanter tendens, et inficiendi facultas vulgo famosa. Irritatio aut phlogosis ista lente decurrere solita, transitorie simplex, stadio secretionis dictae protracto ad sanationem usque commoratur, vi naturae medicante sola vix unquam efficiendam, et papularum pustularumve exsiccatione, atque squamularum vel crustularum formatione annuntiatam. *Folie* (pathol. therap. Abhandl. üb. d. Krätze. Würzb. 1810.) indolem phlogoseos erysipelatosam evincere conatur; sed hac etiam posita morbus nequaquam perfecte explicatur.

§. 796. Molestus est scabies morbus, nauseosus, qui sponte vix unquam, per artem tamen specificorum, quae vulgo noscuntur, remediorum ope praesertim initio facile sanatur. Nonnisi per moram diuturnam, neglectum, complicationes adversas rebellis, per suppressionem periculosus redditur. Suppressionem, quam refrigeratio quaelibet, balneum frigidum, pluviae ac nives, porro concutientes animi adfectus, morbi adsociati febriles, incauta unguentorum, lotionum, fomentorum etc. administratio inducere valent, variae nonnunquam periculosae viscerum cranio, pectore, abdomine contentorum, vel medullae spinalis, vel nervorum singulorum etc. adfectiones, quemadmodum phlogoses eorum jam acutae jam chronicae suis cum sequelis infaustis, vel irritationes diuturnae sub schemate cephalaeae dirae ac pervicacis, vesaniae, amblyopiae amauroticae, corizae, tussis, dyspnoeae, vomitus, enteralgiae, diarrhoeae, vel arthralgiae arthritidem mentientis, convulsionis, epilepsiae, hypochondriasis, melancholiae, paralysium, hydropis etc., facile sequuntur. — Ast et morborum hujusmodi chronicorum per scabiem ablatorum, aut saltem sublevatorum non pauca prostant exempla.

In scabie pustulosa et in vesiculari chronicis et multum expansis efflorescentiae imminutio et pustulae hinc

illinc insurgentes grandes, multum inflammatae, furunculis non absimiles, laetos sistunt sanitatis nuntios.

§. 797. Scabies *salutaris* coërceri solum debet et tamdiu foveri, donec morbus gravis aut periculosus illa praesente nunc mitigatus, vel pro tempore celatus, per artem certo debellari possit. — Scabiei *non salutiferae therapia* datur specifica, juxta aegri tamen aliarumque circumstantiarum in eum influentium conditionem, mali magnitudinem, durationem, complicationes etc. dirigenda. Scabiem recentem i. e. ante dies aut et septimanas paucissimas, in homine antehac sano, e contagio natam, lente progressam, plaga exigua adhuc circumscriptam, effectu malo in organismum reliquum nondum edito, remediis externis mox nominandis absque mora tractare convenit, quae tamen justo regimine atque diaeta adjuvare oportet. Summa enim servetur cutis mundities, cibi fugiantur pingues, multum salsi aut aromate conditi, potulenta acria, spirituosa, omnisque ventriculi oppletio, necesse est. Haec morbo adhuc locali sanando plerumque sufficiunt. — Ut contagium exstinguatur citius, lotiones et balnea imprimis saponata, et frequens vestimentorum, stragulorum etc. cum puris commutatio maxime desiderantur. — Scabiei vero chronicae, iteratim reversae, jam habituali, medela simul interna imprimis per sulphur depuratum facienda, et pharmaca externa eo cautius ac segnius opponenda sunt, quo habitualis magis illa jam facta est, et quo arctius inivit cum morbo universali connubium. Securitas non raro fonticulum indicat ante aperiendum.

Omnium autem, quae in usum externum commendantur, remediorum efficacissima sunt *sulphur* et *mercurius*, vere specifica celebranda.

Sulphur jam a *Celso* memoratum, a *Sylvio* et *Fernelio* celebratum, ab *Ettmüller* pro remedio declaratum specifico, unguenti, lotionis, balnei, vaporis forma aeque praestantem exerit virtutem. Unguentum ex sulphure

venali vel depurato cum axungiae porcinae vel ol. oliv. aut lini q. s., addita pro obtundendo foetore parva olei lavandulae, serpilli aut bergamottae etc. dosi, paratum, et ung. sulphuratum D. V. in modum unguenti *Jasseri* (sed sine pulvere baccarum lauri) ex sulph. depur. et vitriol. zinc. ana dr. un., et ung. simpl. unc. un. mixtis constans, in usum vocantur. Alterutrius portio nucem juglandem aequans palmae, carpo, cubito, popliti, vel pustularum inflammatarum defectu (vel phlogosi prius fomentis, lavacris, balneis emollientibus ablata) ipsis plagis scabie obsessis infricatur. Minus quidquam efficax, parum tamen aut non olens, lintea, vestesque non conspurcans est miscela ex sulphuris puri et saponis venalis vel et albi anaticis partibus, et aq. comm. *tepid.* q. s. ut miscendo f. ung. molle. Hujus usus priori conformis, praecipue in scabie incipiente, nondum late expansa, in papuliformi et sicca, in decrescente aptum invenit locum. Unguentum sulphur. compositum *Pharm. Londin.* (ex sulph. sublimat., sapon. moll., pulv. rad. veratr., potass. nitrat. et adip. praeparat. constans) magna dosi, uncia integra, post balneum saponatum toti superficiei ter de die inunguendum, cum aegri integumentis laneis tecti commoratione in lecto, *Goercke* exempla Anglorum imitatus, pro citissimo ast non aeque securo scabiei tollendae remedio declarat. Intensiore cutis rubore et contingente desquamatione scabies intra 3—4, ad summum 6 dies evanescit, et convalescens ab unguento et sordibus per balneum saponatum mundatus dimittitur. (*Rust's* Magaz. f. d. ges. Heilk. B. I. S. 92.) Thermae sulphureae balneis cum hepate sulphuris s. sulphureto calcis paratis omnino praeferendae sunt. Harum vero defectu hepatis sulphuris unc. un. — duae pro balneo, drachm. un. — duae ad libr. aquae, cum acid. tartrici dr. un. — scrup. semis pro lotione, adhibentur. Vapores sulphurosi primum a *Galés* (Mémoires et rapports sur les fumigations sulfureuses etc. Paris 1816.), postea a *de Carro*

plurimum commendati, proprie vapores sulphuris combusti, ob vires organa respirationis vehementissime irritantes nonnisi cistarum hermetice clausarum ope adplicandi, juxta observata numerosissima, in nosocomio generali Vindobonensi collecta, efficacissimi omnino in scabiem habendi quidem sunt, cum tamen cutem summe irritent, diu iterumque adplicati imo inflamment, nec non universalem exaestuationem magnam humorumque inferant orgasmum, remedium sistunt heroicum caroque ob machinas pretio constans, quod, cum scabiei recenti, parum extensae omni intuitu non conveniat, communibusque hujusce mali casibus sanandis methodi sulphur aut hydrargyrum administrandi mitiores ac tutiores sufficiant, maxime solum contra scabiem chronicam, pervicacem, identidem reversam, inveteratam, atque late diffusam, in individuis laxis, pituitosis, phlegmaticis, et febre, diathesi inflammatoria, constitutione plethorica, apoplectica, haemoptoica etc. deficientibus, extra menstruam periodum, laudari meretur et adhiberi. Adplicatio ab horae quadrante sensim ad horam integram prolongatur. Singulas post adplicationes aegrum, ne malis exponatur sequelis, loco moderate calido quietum morari, donec exaestuatio cessaverit, et ab omni aestum subito temperandi tentamine caute abstinere oportet. — Simili modo et vapores aquosi, aquoso-aciduli a nonnullis adplicati laudantur.

Mercurius, cujus usum sub unguenti et emplastri forma jam *Rhazes* contra varias commemorat impetigines, unguentorum ac lotionum forma adhibetur. Unguentum mercuriale cinereum, citrinum aeque ac ex ung. hydrargyri et lithargyri mixtum non tam frequente gaudent usu, quam ex merc. praecip. alb. dr. un. et axung. porcin. unc. un. paratum, a *Willis*, *R. Vogel*, *Sauvages*, *Callisen*, *Guldener de Lobes*, imprimis siccam in scabiem, summopere commendatum. Dosi ac modo iisdem ac ung. sulphuratum adhibetur. — Pro lotione vel liquor

mercurialis D. V., merc. sublim. corros. gr. quatuor, et sal. ammon. depur. gr. quindecim in aq. commun. dest. libra continens, vel fortior granor. sex, octo merc. subl. in eadem aquae copia solutio in usum sumitur, qualis a *Wedekind* (üb. d. Gebr. des Sublimatwassers; in *Hufeland's* Journ. d. pr. H. 1822. August.) summe efficax celebratur.

Accedunt his duobus pro usu externo, minoris licet virtutis: vitriolum zinci (zinc. sulphuricum) forma unguenti, vel lotionis, aqua aut decocto cort. ulmi aut rad. enulae solutum (*Harless*); acidum muriaticum aut nitricum vel aqua multa dilutum vel pinguedine remistum (ung. oxygenatum D. V.); magnesia vitrariorum s. oxydum mangani nativum; graphites s. carburetum ferri nativum, carbo praeparatus cum pinguedine forma unguenti; decocta, unguenta ex foliis nicotianae tabaci, radicibus enulae, lapathi acuti, hellebori nigri et albi jam ab *Hippocrate* usitatorum, acribusque aliis vegetabilibus; lotiones cum sapone, lixivio, aqua calcis, cum solutionibus salis communis, nitri puri in aqua communi, a *Celso* jam memoratis.

Interna, ubi requiruntur, remedia in suphure pariter et mercurio praestantissima habentur. Sulphur ea dosi, qua non in alvum sed in transspirationem promovendam faciat; mercurius praeparatis in cutem praesertim agentibus, aethiope scilicet minerali, antimoniali, vel antimonialibus nuptus porrigitur. — Decocta in rheumatalgiis proficere solita, purificantium titulo quondam celebrata, communiter curae antipsoricae initio affatim propinata specificorum virtutem in scabie chronica, inveterata bene adjuvant. — Purgantia quondam maxime laudata, ab ipso jam *Hippocrate* et *Galeno* commendata, cum decoctis attenuantibus et hellebori usu totam fere omnis scabiei curam constituerunt; ast nonnisi ad tollendum in cute humorum orgasmum, congestionem, ad stadium pustulosae scabiei inflammatorium mitigandum antiphlo-

gisticis, ad revulsionem in pertinace et humorum derivationem inducendam fortioribus hinc inde interprolatis locum concedere licet purgantibus.

Sive autem externa sufficiat, sive internae requiratur curae connubium, frequentioribus simul balneis simplicibus et saponatis, lotionibus et balneis partium scabie detentarum cum decocto furfurum, aqua saponata, sedulis linteaminum vestiumque commutationibus, nec non munditie exquisita, plurimum adjuvantibus, opus est.

Quae eadem in convalescentia quoque, ad novam mali eruptionem praecavendam, continuare per tempus oportet.

§. 798. Effectibus et sequelis a scabie incaute vel modo accidentali suppressa exortis occurritur partim, ut in efflorescentiarum suppressarum cura in genere (§. 645) expositum, tractamine illis ipsis congruo, causae nimirum, indoli, sedi, extensioni ac intensitati adcommodato, partim conamine consentaneo, scabiem aut in sedem pristinam per emollientia, irritantia, interne per sulphur, aethiopem antim., mineral., calomel cum sulph. aur. antim. etc. revocandi, aut morbo cutaneo artificiali, impetigine, phlogosi, vel fonticulo supplendi, aut in casu rebelli per ipsam imo insitionem renovandi.

Spec. 5. Tinea.

§. 799. *Tinea* (Grind), Graecis, Romanis et Arabibus jam nota, a *Lorry* et *P. Frank* in duas jam distinguebatur varietates, tineam *capitis* s. proprie sic dictam, et *faciei* s. crustam lacteam. *Willan* et *Batemann* efflorescentiam utramque non tam essentia quam forma et sede differre opinantes, crustam lacteam pariter pro tineae specie habuerunt. Cum essentia utriusque non satis liqueat, utut formae similitudo pro adfinitate multum pugnet, ratum esse habeo, utramque qua varietates separare, ut et nonnulli, quibus ab invicem recedunt, characteres debite illucescant.

Varietas 1. Tinea capitis.

§. 800. *Tinea capitis* (tinea; porrigo *Cels.*, *Willan.*, der Kopfgrind) essentialis est impetigo, afebrilis, chronica, contagiosa, capillitium occupans forma vesicularum aut pustularum folliculosarum, pisiformium aut conicarum, prurientium, quae in basi durae, rubrae vel cuti concolores, in apice molliores albescunt aut flavent ab humore contento, quem disruptae foramine ampliore exeso, aut excrescentiis parvis subrotundis obsesso, inaequali eructant foetentem ac viscidum, in crustam colore et crassitie variam, mox friabilem mollem et granosam, mox tenacem, duram coagulandum.

C. Lorry, J. P. Frank, J. Frank, Willan et *Batemann, Richter* opp. cit.

§. 801. Praecedere solent pruritus molestus, tensio, ardor in capillitio, cephalaea, glandularum colli et nuchae lymphaticarum intumescentiae durae, attactu dolentes. Pruritu dein ingravescente vesiculae vel pustulae mox designatae minores majoresve, vel tubera simul sat ampla et tensa percipiuntur, abscessuum in modum per ostia canaliculorum memoratum excernentia humorem. Generantur simul pediculi numerosissimi, maxime molesti. Aliquando febre acuta vigente aut desinente subito tinea per latas capillitii plagas, et sparsim in reliquo etiam corpore efflorescere cernitur. — Aegro cachectico, multum scrophuloso, rhachitico etc., speciatim syphilide adfecto sub tineae, quandoque in una alterave solum plaga pertinacissimae, crustis densis ichor secernitur foetens, exeduntur cutis capillorumque bulbi communiter tumidi, et ossa imo cranii urgentibus doloribus nocturnis cariosa fiunt. Hoc gradu, hac indole tinea audit *maligna* (böser od. Erb-Grind). Qua excepta pro indole minus quam forma et magnitudine diversis quatuor adhuc distingui possunt *varietates*: *furfuracea*, *favosa*, *scutulata* et *decalvans*.

a) *Tinea furfuracea* (porrigo furfurans *Will.*, der kleyenartige od. Kleyen-Grind) adultos, praecipue foeminas, prae infantibus infestans, in pustulis minimis acuminatis consistit (Graecis *Achores* dictis), dum sponte vel scalptae rumpuntur, pauxillum humoris subviscidi, coloris straminei fundentibus, brevi in crustulas tenues aut squamulas furfureas coagulandi. His deciduis novae intervallis indeterminatis iterum iterumque succedunt pustulae, cursum priorum facturae, durationc mali exinde perquam taediosa. Capillitium interea valde prurit, defluunt capilli, quandoque pallidioribus demum compensandi.

b) *Tinea favosa* (porrigo favósa *W.*, der Wachswaben ähnliche, od. Honig-Grind) pustulis manifestatur amplis, parum elevatis, mollibus, in basi irregulari parum inflammatis, humorem per oscula plura egerentibus lentum, partim in crustas flavicantes, subdiaphanas, interdum cellulares abeuntem, partim acrem foetidumque capillos vicinos et crustas, sub quibus copiosissimi nidulari solent pediculi, inundatas conglutinantem. Impetigo haec infantes praeprimis vexans, nec adultis ideo aliena, summopere pruriens, quandoque cum febre cito prorumpens, a capillitio nonnunquam ad faciem, aut truncum et extremitates protenditur, aut ab his ad capillitium migrat (tinea volatica *Sauv.*). Pustulae gregatim prodire solitae, dum rumpuntur, confluunt, latasque sic offerunt et irregulares plagas, *favis* (Wachswaben) non absimiles. Humor secretus, sub et infra crustas haerens, lentus, acrimonia gaudet, odore nauseoso, subrancido, et inficiendi facultate. Glandulae vicinae lymphaticae tumescere multum, brevi eminens totius systematis lymphatici adfectio adjungi cernuntur, unde uti et pruritu ac dolore aegri, infantes in specie, plurimum adfliguntur, hique in maciem facile incidunt, ipsamque tabem.

c) *Tinea scutulata* (porrigo scutulata *W.*, der schildförmige Grind) in infantibus trium quatuorve an-

norum laxis, male nutritis, neglectis, spurcis potissimum obvia, admodum rebellis est. In capillitio syncipitis primum, postea verticis, tandem in nucha imo et fronte plagae irregulariter rotundae, quandoque ad fabae formam accedentes (porrigo lupinosa *W.*), achoribus obsidentur turmatim collectis; his iteratim erumpentibus non majores solum fiunt plagae, hinc illinc confluentes, ut totum successive capillitium malo non refrenato obtegatur, sed crustulae quoque primum squamosae latiores durioresque evadunt; quae tineae cognomen scutulatae fecerunt. Capilli partim defluunt, partim prope bulbos diffringuntur, partim cum istis exesis eradicantur, tandemque angusto solum limbo caput cingente supersunt integri. Malum in annos imo nonnunquam protensum non ante declaretur sanatum, quam plagae lapsis crustulis hucdum pustulis novis obsessae, rubrae ac nitentes conspectae colorem indolemque totam obtulerint cutis sanae, capillosque ibidem convenientis iterum coloris procrearint.

d) *Tinea decalvans* (porrigo decalvans *W.*, der kahlmachende Grind) jam sola jam prioribus sociata varietatibus infantes haud secus ac adultos vexans, sine efflorescentia conspicua plagis solum plus minusve orbicularibus, capillo privatis manifestatur, successive ampliandis, nec non confluentibus.

§. 802. *Dispositio* in tineam infantili praesertim aetati conveniens, vegetationis generatim praedominio, uberiorique ad caput congestioni humorum inniti, per scrophulas insuper, rhachitidem ac syphilidem intendi videtur. Maxime in tineam disponuntur infantes scrophulosi, humoribus turgidi, pituitosi, ventricosi. *Excitantes* causae sunt: fotus capitis nimius; immundities densis praesertim capillis, capite multum sudoribus madente, pediculis obruto; victus debito largior magisque nutritius; cibi valde pingues adpetitu illaeso, imperfecta hinc assimilatio et sanguificatio; transspiratio cutanea ut uro-

poësis aequo parciores; excretiones aliae imprimis diuturnae v. gr. e naribus, auribus, sudores capitis, axillarum, aut pedum etc., nec non crusta lactea etc. suppressae; contagium suae speciei.

Tineam a contagio, a qua nulla tueri valet aetas, si exceperis, dispositio exposita tantum in tineae genesin, durationem et reditum exercet praepondium, ut hanc ipsam non qua malum topicum et idiopathicum, sed ex tota aegrorum constitutione propullulans, saepe symptomaticum, in specie scrophulosum, quandoque scrophuloso-syphiliticum, non raro qua metastaticum considerare oporteat.

§. 803. *Essentia* ejus in formationis excessu, exsuperante atque vitiosa capillitii secretione, sub schemate inflammatiunculae, cutem capillorumque bulbos tenentis, consistere videtur, quae primo stadio qua talis brevissima, altero diuturno mox in humoris lymphatico-purulenti, facile coagulandi abit secretionem, quo mediante aliis communicatur.

Stadium primum, phlogoseos, frequenter stipatur febre, citoque in alterum, secretionis, properare consuevit, quo malum cutaneum per se, adjunctique pediculis potissimum adscribendi dolores, inquietudo diurna et nocturna, pervigilium, dysorexia et dyspepsia debilitatem universalem et maciem pedetentim, solidorum laxitatem, humorum dyscrasiam et fatuitatem, inde habitum cachecticum etc. inferunt.

§. 804. Tinea omnis varietatis chronica est, periodicis quandoque sub remissionibus in annos perstans, plus gravaminis, aversationis, fastidii secumferens quam periculi. Attamen diutissime durans, ut mox dictum, sic et a morbo universali profecta et sustentata graviorum symptomatum, imo periculi sunt feraces.

Salutaris censeri potest in infantibus prosperis caeteroquin et vergetis, cute autem tenera et molli donatis, si dentitionem sublevat difficilem, si ophthalmias, otor-

rhoeas etc. chronicas aufert. Tineam sanitatis esse testem, ut opinio fert antehac summe vulgaris, minime adnuitur; id modo experientia evictum est consideratione dignissimum, scrophularum morbum omnes fere effectus suos sensibus perceptibiles saepe in capillitium congerere, ipsumque sic solam per tineam patefieri. — A quo capilli aetate jam minore communius rescinduntur, minusque calidum regimen experitur caput, tinea multo rarior occurrit. — Omni medelae generi pertinacissime quandoque repugnat, pubertatis tandem periodo cessatura.

Periculum ferunt gradus altus, longa duratio, suppressio repetina, graves complicationes. Regressum subitaneum sequi meningitides, encephalitides, ophthalmiae, otitides, pneumoniae, aliaeque inflammationes visae sunt *metastaticae*, earumque tristes pedisequae: hydrencephalus, apoplexia, vesania, amaurosis, cophosis, nevrosis multiplex, dyspnoea, phthisis, hydrops, diarrhoea chronica, tabes.

§. 805. In tinea *curanda*, quemadmodum in scabie omnique efflorescentia chronica, citra causae respectum duratio et effectus caetero in organismo jam producti indicant. Tinea proinde non salutaris perspecta, jam victum nimis largum ac nimis nutritium imminuere, humoresque ad caput congestos purgantibus hinc inde porrectis derivare oportet, jam deficientem cutis transspirationem remediis, qualia in rheumatalgiam (§. 496. a. et b.) commendabantur, congrue movere, jam suppressum qualecunque profluvium habituale restituere vel artis ope supplere, jam et quidem utplurimum scrophulis, syphilidi etc. facere medelam, et ubique munditiei, tollendis, enecandis pediculis assiduam navare operam.

Tineae ipsius cura ad remedia solum externa, cum diaeta tamen et regimine in scabiei therapia (§. 797.) requisitis, non nisi illis sub rerum circumstantiis restringi tuto potest, quae §§. 643. et 644. in genere nominatae, in tinea vero rarissime obtinent; his exceptis et

communissime quidem curatio externa symptomatica cum interna radicali, qualem casus speciales expetunt, copulanda est. — Externa remedia impetiginis indoli, extensioni, stadio respondentia et, quae internis morbo principali omnem in respectum congruis concordent, ubivis seligantur. Depuratio capillitii a sordibus et pediculis per diligentem lotionum et pectinis usum, cauta capillorum curtatio et singulis modo plagis rescissio, refrigeratione vel minima evitata, omnino requiruntur. Tinea caeterum adhuc *recens*, aut protracta sed symptomatibus inflammatoriis: tumore, rubore, sensilitate morbosa et secretione parcissima circumdata, *acuto* itaque, quamvis transitorio, *decursu* notata, remediis externis, per hoc saltem tempus, emollientibus, lenientibus, et internis antiphlogisticis, derivantibus, evacuantibus opus habet. Spectant ad illa: lotio cum aqua tepida frequens, emollientia fomenta, cataplasmata, inunctiones unguenti simplicis, olei cujusdam blandi, pinguedinis, aut butyri recentis insulsi; ad haec: citra regimen antiphlogisticum potus emollientes, diluentes, sanguinem, ut ajunt, purificantes, transspirationi augendae, alvo faciliori faventes, uti infusa alth., flor. verbasc. et malvae, decocta rad. graminis, bardanae, taraxaci etc.; eccoprotica antiphlogistica. — Accedente altero, secretionis, stadio phlogosis localis imminuitur, liquidum vero secretum lentum, glutinosum, crustae hinc inde formatae, pediculorum augmentum novis infestant gravaminibus. Initio prior quidem continuanda est therapia, in lotiones tamen et fomenta aquam saponatam, aquam cum aceto, decoctum violae tricoloris adhibere, et nisi his pediculi simul auferantur, pulvere seminum petroselini, aut et sabadillae capillitium, excipiendo plagas laesas, conspergere licet.

Tinea vero jam *chronica*, symptomatum inflammatoriorum expers, nunc dicto secretionis crustarumque factarum in stadio versans, non generosiorem solum topicam ad-

mittit curam, sed eam quoque therapiae morbo principali aptae unitam postulat. Dum itaque tractamen scrophulis, rhachitidi, syphilidi larvatae, modificatae etc. debellandis idoneum suscipitur, dum expediendis simul excretionibus normalibus transspirationis, urinarum, alvi, prospicitur; topice crustis emollitis, laxatis, solutis remedia plus minus irritantia, alterantia et sic sensim siccantia adplicare convenit; quorum forma unguenti cuti densae magnamque partem siccae, fluida vero molli, laxae melius respondet. Hunc in finem cedunt: unguenta sulphuratum, simplex carbone praeparato remixtum, oxygenatum, aut *Jasseri*, aut et mercuriale; lotiones et fomentationes cum aq. saponata, lixivio tenui, aceto aqua diluto, aqua muriata, acido minerali sulphurico, muriatico, nitrico multum diluto, cum solutionibus hepatis sulphuris (dr. semis in aq. destill. libra), sublimati (gr. quatuor, sex), juxta *Wedekind* sublimati et aeruginis aeris (ana gr. duobus vel tribus), juxta *Callisen* et *Dessault* cum infusis decoctisve herbae cicutae, folior. nicotianae tabaci etc. Unguentum mercuriale, solutiones sublimati, aeruginis, decoctum herbae nicotianae casibus tineae ad remedia mitiora et consueta rebellis reserventur, et in his quoque nunquam sine circumspectione summa, et continua in effectus eorum, reliquum in organismum forte redundantes, attentione usitentur necesse est. Quare unguenti exigua solum dosi initio plagas singulas mane ac vesperi inungere, vel fluidis nominatis ter quaterve per diem imbuere licet, ne partium phlogosis, subitanea secretionis chronicae suppressio, cum malis in cerebrum, organa sensuum etc. effectibus supra recensitis, vel intoxicationis symptomata producantur. — Similiter in tinea rebelli *Evers* (Götting. gel. Anz. 1790. St. 4. S. 401.) rescissis capillis, crustis ope axungiae porcinae solutis, et inducta per fonticulos aut setaceum suppuratione emplastrum commendat gummi ammoniaci in aceto cocti, super alutam extensum, capillitio impo-

nendum, aptaque deligatione tenendum, quo post sex, octo septimanas demto mundata cutis et sana conspicitur. — Frustrata autem mitiore per tempus longissimum therapia, maloque singulis adhuc partibus pervicacissime inhaerente, ad evellendos capillorum bulbos transire licebit. Huic scopo in mitrae piceae dictae, quondam usitatissimae, admodum dolorificae locum laciniae lineae duos tresve pollices longae, pollicem latae emplastro piceo obductae satisfaciunt, quae singulis plagis successive adplicandae subito ac fortiter detrahuntur. — Spiritum salis acidum *Reil* illinendum curavit.

Tineae scrophulosae, tineae varias per corporis partes dispersae, tineae pertinaci balnea calida simplicia, saponata, hepatica, thermae sulphureae, vapores sulphurosi, aquoso-aciduli, in scabiei therapia commendati, egregie proficiunt.

§. 806. Tinea sanata noxis, causarum excitantium titulo superius recensitis, strenuissime vitatis, non internam modo curam hucdum necessariam utilemque inventam aliquamdiu continuare, sed externam etiam organo cutaneo toti, capillitio maxime robur conciliantem conjungere oportet. Nunc itaque eodem, quo rheumatalgiis devictis (§. 490. 494.), modo procedendum est. Speciatim parvae ung. zinci, ex florum zinci nempe drachma semis, integra, et axungiae porcinae vel unguenti simplicis unc. dimidia constantis, doses locis impetigine antea defoedatis semel, bis de die inungendae commendari merentur.

§. 807. Malis *a tinea* seu cito seu lente *repulsa* effectibus et sequelis eadem, quam scabiei supressae effectus petunt (§. 645. et 798.), medelae ratio opponenda est.

Varietas 2. Crusta lactea.

§. 808. *Crusta lactea* (lactumen *Manardi*, sapathum *Avicennae*, tinea faciei *Frank*, porrigo larvalis

Will., achor faciei *Swediau'r*, Milchgrind, Milchborke, Milchschorf, Gesichtsgrind, Ansprung, Vierziger, Freysam) efflorescentia est chronica, contagiosa, solos fere infantes vexans, pustulis albidis ac flavis minimis consistens, ex area rubra leviter inflammata genarum, temporum, imo frontis gregatim prodeuntibus, quae multum pruriunt, paucos post dies ruptae humorem egerunt lentum lymphaticum, in crustas tenues aut crassas, ex flavo luteas lacti per ignem siccato non absimiles, friabiles, condensandum.

Car. Strack, de crusta lactea infantum, ejusdemque specifico remedio dissertatio. Francof. a. M. 1779. 8. Germanice per *F. A. Weitz.* Weimar 1788.

J. E. Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Bd. II. S. 43. u. ff.

J. P. Frank, *Henke*, *Batemann*, *Richter*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 809. Malum in exiguis genarum plerumque, temporum, aliquoties frontis aut menti plagis cum rubore nitente, calore et pruritu incipit; vesiculae dein et pustulae jam commemoratae gregatim efflorescunt, in crustulas pariter descriptas, cohaerentes, abiturae, nulla cicatrice posthuma. Limbis crustas cingentibus rubellis aliae mox aliaeque insurgunt pustulae, brevi utplurimum ita multiplicandae, ut confluentes totam fere faciem, oculorum vicinia et naso potissimum exceptis, tandem obducant. Ast neque palpebris semper parcunt, et duratione longiore collum, thoracem, et extremitates superiores discretae, aut paucae numero gregatae, rarissime confluentes occupant. Extensionem crustae lacteae latiorem pruritus comitatur fortior, quo inquietudo, somni turbae, noctes imo insomnes, dysorexia, dyspepsia, debilitas, febricula, macies pusillis inferuntur; exigua sub eruptione isti hilares esse consueverunt. Secretio humoris dicti, ad mentem *P. Frank* exsudationi gummi in arboribus junioribus aequiparanda, nunc parca est, nunc admodum exsuperans areis simul rubris et sauciis. Crustae

certo fere septem, novem dierum spatio perstant; his lapsis succedentes pustulae novae eundem ac praegressae decursum faciunt; successionibus nonnunquam multoties repetitis crusta lactea plures in menses, imo ultra annum protrahitur. Hac autem serius aut citius cessante epidermis squamulis pulverulentis iteratim dehiscit, quin restet cicatrix minima, et urinae, adnotante *Strackio*, turbidae, lacteae, ut felium foetentes, copiosae minguntur.

§. 810. Exitus in sanationem frequentissimus et consuetus est. Nonnunquam procul omni therapia dentibus primis evolutis, aut detracto prolibus ubere sponte contingit. Ast dictis sub rerum adjunctis impetigo in morbos ante allatos transire, aut eosdem potius efficere, vel in aphthosam primarum viarum adfectionem converti, et diarrhoea colliquativa urgente mortem inferre observatur.

§. 811. In prolibus cachecticis, in complicatione herpetica, scabiosa, syphilitica in peculiarem crusta lactea modificationem degenerat, *crustam serpiginosam* s. *pruriginosam* vocatam, a *Wichmann* (l. c.) primum exactius distinctam. Parvulos plerumque vexat adhuc ubera sugentes, ex parentibus syphilide laborantibus genitos, vel nutricibus alendos eadem labe adfectis; sed aliquando et adultos tenet. Manifestatur pustulis miliformibus, vesiculas herpetis aemulantibus, minoribus, profundiusque rubentibus ac crusta lactea simplex et pura; intenso pruritu, praecipue vesperi augendo, molestior, humidiorque est, humorem secernens acrem, erodentem, nonnisi hinc inde in crustas minimas coëuntem profundi coloris; in membra pariter et dorsum non raro migrat, abscessus factura discretos; atque per artem non castigata in annos protrahitur aliquando, ad tabem ipsamque mortem inducendam cooperatura.

§. 812. *Dispositio* in crustam lacteam infantibus inest, sugentibus major quam ab ubere remotis, ante lacte

humano haud nutritis, praesertim in laute pastis eminens, cum plethora et diathesi scrophulosa utplurimum coëxistens, forsan suas in hac ipsa radices agnoscens, adeoque cum *Stoll* et *Wichmann* scrophularum morbi initiantis et levioris symptoma habenda. — Momentis causae *excitantibus* adnumerantur: contagium specificum; lactis matris aut nutricis adulti aut aequo crassioris, nec non pultis, jusculorum similiumque bene nutrientium ingurgitatio uberior, humorumque inde inducta abundantia, indoles alterata; primarum viarum adfectio acidum, pituitam generans aut admittens, undecunque nata; juxta *Martens* (*Hufeland*, Bibl. 1817.) et venerei nutricis amplexus.

§. 813. *Essentia* crustae lacteae ignota est. Constat autem, hanc, quemadmodum de tinea dictum, sedem habere in reti Malpighiano et superficie cutis facialis, et quatuor permeare stadia, quorum primum inflammatiuncula peculiariter modificata, alterum secretione humoris lymphatici, contagiosi, mitis, admodum coagulabilis, gummatibus arborum juniorum solo fertili commissarum (*P. Frank* l. c.) aequiparandi, tertium exsiccatione, quartum sanatione notatur. Morbus imaginem productionis specificae, in faciei cute excedentis refert, modo descripto sese manifestantis.

§. 814. Crusta lactea simplex, pura, morbum levem sistit; cessante lactatione aut primis dentibus evolutis nonnunquam sponte sanatur; et nonnisi diu persistens malis supra (§. 810.) nominatis inferendis par censenda est. Citius autem ista et certius a serpigine pertinace, omni alioquin respectu deteriore, proficiscuntur. — Suppressionem crustae lacteae a refrigerio etc. similes ac tineae repulsionem (§. 804.) effectus graves, imo periculo pleni possunt insequi, ut expertus novi.

§. 815. *Cura* primum in causas excitantes amovendas, infringendas tendat. Quare lactis materni, nutricis qualitas prava habito simul ad hujus vitii rationem respe-

ctu, per congruum matris aut nutricis tractamen corrigenda, vel, si hoc fieri nequit, infantibus ubera substrahenda sunt; primarum viarum acidum magnesia, lapidibus cancrorum absorbendum, maxime vero regeneratio ejus per victum probe determinandum pro parte animalem (juscula carnis), adaequatis portionibus porrectum praecavenda; diathesi scrophulosae per balnea, aërem atmosphaericum, cubiculorumque purum, siccum, moderate calidum, munditiem etc. obex ponendus. Hunc in finem simul ac in morbum ipsum debellandum interne antimonium crudum, aethiops antimonii et mineralis, calomel cum sulphure aur. antim. et magnesia aut lapidibus cancrorum et saccharo, dosibus caute refractis, et praeeunte *Strack* viola tricolor prae caeteris, inserviunt. Pro aetatis ratione et constitutione infantum ex herbae viol. tricolor. dr. semis, integra aut ex herbae recentis tripla, quadrupla dosi cum aqua aut lacte paratur decoctum colat. unc. trium, quatuorve, quod saccharo edulcoratum mane et vesperi instar infusi theati, vel pusillis cochleatim pluries per diem porrigitur, vel vero pulveris dosis gran. decem, quindecim syrupo aut pulti remiscenda aliquoties de die exhibetur. Ubi remedium sine diarrhoea vel vomitu fertur, dosis ad optatum usque effectum sensim augenda; eo autem intra quatuor, sex septimanas non obtento ad pharmaca potentiora alterantia, quae mox nominavi, confugiendum est. — Serpigo jaceae violae tricolori repugnans antimonio cum hydrargyro, guajaco etc. opus habet.

Remedia externa pro mitigando solum secreto acri, et crustis duris tendentibus emolliendis circumspecte in usum vocanda, ad iteratas de die plagarum lotiones cum aqua, infuso, decocto malvae, furfurum etc. tepidis sine aut cum lacte, ad crustarum illinitionem cum cremore lactis, oleo vel unguento quodam blando, restringantur oportet. Congruis licet internorum remediorum usu, et diaetetico regimine continuatis, infractaque vel sublata

diathesi perstans crusta lactea saepius per diem decocto violae tricol., solutione tenui hepatis sulphuris, vitrioli zinc. etc. humectanda, nec non balnea calida in usum vocanda erunt. — Serpigo pertinax ung. mercur. in circumferentia inungendum poscit.

§. 816. Pro *convalescentia* rite tractanda et auferendis impetiginis forsan suppressae *effectibus* morbosis eadem, quae duplici hoc scopo in expositionibus tineae (§. 807.), et scabiei (§. 798.) docebantur, principia valent ac ratio medendi.

Spec. 6. Plica polonica.

§. 817. *Plica polonica* (trichoma, der Weichselzopf, Wichtelzopf) tineae malignae, ut opinor, adfinis, ad Vistulae et Boristhenis ripas endemica, sed in Hungaria quoque, Slavonia et Croatia occurrit. Morbus est contagiosus capillitii, capillorum ipsorum, quandoque simul unguium, jam substantivus jam symptomaticus, qui tumentibus capillorum bulbis inflammatis, pressione humorem mucosum, viscidum, nonnunquam cruentum imo dimittentibus, capillis ipsis crassioribus, materie viscida, unguinosa, olida obductis, in plicas aut cirrhosas (plica masculina), aut villosas (pl. foeminina), aut et alias formas varias modo inseparabili conglutinatis, nonnunquam et inflammatis digitorum manus pedisque apicibus, unguibus rubris, bruneis, aut lividis dolentibus, incrassatis atque difformem in massam corneam degeneratis palam redditur.

J. L. de la Fontaine, chir. med. Abhandl. Polen betreffend. Bresl. u. Leipz. 1792. 8.

Th. E. Chromy edl. v. Ruhmfeld, neueste Ansicht des Weichselzopfes in seiner Grundursache u. s. w. Freyb. 1813. 8.

J. Frank, prax. med. univ. praecept. P. I. Vol. II. p. 509—539.

§. 818. Plica *substantiva* contagio generatur. Quatenus dispositionis in hunc morbum genitura propagan-

dae respectus habetur, frequentissima, quatenus vero contagio in alios translato producta consideratur, rarissima est. Haecce posterior prodromis universalibus destituta, praecurrente solum pruritu et formicatione in loco piloso, utplurimum capillitio, in conspectum prodit, sensim inde ulterius progressura.

Symptomatica morbi universalis partem et quodammodo sequelam (metastasim) constituit. Indoles morbi hujus non liquet; puri vero symptomata, eorum in systemate gastrico et organis membranosis sedes praecipua, iteratus ac repentinus ab una parte in aliam transitus, atque ratio medelae hucusque maxime proficua probabilem de arthritide reddunt sententiam. *Jos. Frank* (l. c. p. 528.) plicam pro leprae varietate habet. — Prima plicae memoria a Mongolorum in Hungariam introitu, ann. 1289. repetitur. Malum cito per Europam diffundebatur.

§. 819. Frequenter symptomata morbo penitus aliena pro ejusdem prodromis sumuntur; quibus diutius perstantibus capilli, ob suspensam statim curam omnemque omissum pectinis usum, sibi implicantur (plica *spuria*), vel contagio ex intentione insito genuina sollicitatur plica. Hinc et mihi, utut Cracoviae quondam per quadriennium circa objectum isthoc studiose occupato, non contigit, pura morbi universalis, trichoma per septimanas, menses, imo per annos (*Jos. Frank* l. c. p. 515.) nuntiantis phaenomena certo enodare. Frequentius observavi: varias adpetentiae, digestionis et excretionum alvi turbas, hujus praeprimis obstipationem; phisconiam viscerum abdominalium, praecipue hepatis; cephalaeam, otalgiam, odontalgiam, vertiginem; alienationem sensuum externorum multifariam; gravamina in systemate gastrico nec non caetero organismo hypochondriasim aut hysteriam mentientia; dolores errantes, arthriticis aut rheumaticis vagis non dissimiles; capillitii pruritum valde molestum cum achoribus; formicationis sub cute sensum; dolores subter ungues; sudores par-

tiales hinc inde accedentes, olentes, transitorium ferentes levamen. His symptomatibus numero ac intensitate multum variantibus post septimanas, aut et menses, symptomata febrilia, illis febris rheumaticae vel accessus arthritidis acutae analoga, cum capillitii formicatione et puncturis adsociabantur, quae casu fausto post trium septemve dierum cursum momentosam subibant crisim specificam, disparente videlicet potiore symptomatum praegressorum parte, obtinentibus larga ceruminis aurium secretione, et sudoribus universalibus speciatim in capite proprium nauseosum spargentibus odorem, atque plica comparente jam subito jam successive desinebant, prout haec vel subito per totum diffundebatur capillitium, vel in parte solum prodiens successive progrediebatur. Plicam accidentali morbo febrili, nec non puerperio evolutam (*Jos. Frank* p. 520.) observare et mihi contigit. Capillorum implicatio communiter prope capillitium a bulbis sursum vergendo, raro remotius, rarissime a capillorum finibus incipit, ac pedetentim progreditur, quin capillorum vegetationem inhibeat. Progressus per menses durare solent, aliquando ultra annum extenduntur. Tomentosa capillorum massa tam volumine ac pondere, quam nauseoso humoris in et sub illa secreti, ac haerentis odore summopere gravat. — Malo tandem in sanationem abeunte bulbi detumescunt, secretio morbosa foetorque cessant; capilli procrescentes perfecte sanam offerunt conditionem, quibus plicae a capillitio magis magisque dimoventur, et vitae expertes a vivis abstrusae serius sponte labuntur, nisi per plagas, nunc absque noxa, pedetentim rescindantur.

Impedita vero, turbata, aut intercepta crisi memorata, metastatica, vel secretione morbosa factis jam plicis per praeposteram harum resectionem plenariam, per refrigerium, lotiones et fomenta frigida vel adstringentia etc. suppressa, diversae inferuntur metastases cum malis, pro re nata periculosis, imo lethiferis seque-

lis, ut: phlogoses, suppurationes, hydropes acuti, ulcera rebellia, convulsiones, mania aut alia vesaniae forma, paralyses, apoplexia, coecitas, cophosis, tabes, scorbutus etc.

§. 820. Morbus nulli quidem aetati, nulli sexui parcit, ante pubertatem tamen et in senectute rarior. Homines omnis corporis constitutionis, et vitae generis, frequentius vero rusticos, mendicos et Judaeos corripit. *Dispositio* in eundem utplurimum haereditaria. — Momenta causae primario plicam *excitantia* necdum clare noscuntur; nam nec spurcities et capillorum aut neglectus aut rescissio, nec nimius capitis per mitras etc. fotus, nec excedentes cremati haustus, nec nutrimenta vilia pinguia, oleosa, et aquarum prava conditio, nec exhalationes Vistulae, aliorum fluviorum et lacuum mephiticae, refrigerationes nebulosa sub tempestate multumque variabili, suppressa in genere transspiratio, animi adfectus specialius terror (*J. Frank* p. 526.), neque miasma syphiliticum, saltem non singula seorsim, inculpari jure possunt. Propagatio mali fit humore contagioso memorato per mitras, pileos, per contactum in genere tam immediatum quam rerum infectarum, vestimentorum vindelicet, stragulorum e. s. p.

§. 821. Plicae polonicae *indoles essentialis* stabiliri nondum potest. Symptomata ejus et decurrendi ratio propriam arthritidis modificationem probabilem reddunt. Esse varietatem leprae, *Josepho Frank* probabilius videtur, qui sententiam suam partim per disquisitiones historicas quibus elucet, plicam saeculo decimo tertio adeoque leprae ex oriente illatae et omnem per Europam disseminatae tempore per Tataros in Poloniam fuisse invectam, partim per prodromorum plicae, nonnullorumque malorum posthumorum similitudinem corroborare adlaborat. *Weese* (*Rust*, Magaz. f. d. g. H. Bd. 25. H. 2. S. 301. etc.) hanc refutare conatur opinionem.

§. 822. *Prognosim* ex nosographia facile depromere

licet. Trichomatis apparitio nonnisi modo perquam relativo salutaris potest haberi. Morbus admodum rebellis, duobus pluribusve elapsis annis suos repetit impetus, cachexiam, languores multiplices, mortemque sollicitat praematuram. De perfecta ejusdem sanatione dubitandum.

§. 823. In *therapia* indicationum generalium implendarum rationem habere oportet. Primum itaque omnes potentiae morbo etsi non producendo, tamen alendo, intendendo pares uti spurcities, spirituosorum abusus, refrigerationum ansae etc. arcendae sunt, enervandae. Curatio in morbum ipsum debellandum adhuc firmo caret fundamento. Prodromi pro indole, magnitudine etc., status postea febrilis pro charactere febris cardinali, intensitate, decursu, stadio, et habita metastaseos exspectandae ratione convenienter tractentur. Speciatim vero ad inchoatam metastasin juvandam remedia cutem petentia, praeprimis antimonialia sola, vel mercurialibus nupta, gummiresina guajaci nat., camphora, decocta guajaci, sarsaparillae, specier. lignorum. etc., balnea, fomenta capillitii emollientia, irritantia, ad evolutionem plicae debito segniorem promovendam synapismi, vesicantia plurimum commendari merentur. Trichomate imperfecte formato, sicut suppresso cum periculo, indicatio est, auferre quantocius causam, epispatica adplicare, imo plicam insitione contagii sollicitare; id quod plicam recenter abscissam imponendo, vel mitram, pileum trichomate laborantis gestando solerter tentandum. Plica perfecte formata pro aegrorum reliqua valetudine vel sibi committitur, vel continuato remediorum mox nominatorum usu debet tractari. Trichoma incremento finito, finita omni secretione commemorata, ipsumque intermedios jam sanos per capillos a capillitio remotum pro parte successive, vel et omne simul rescindere tuto licet, dummodo capillitium posthac a refrigerio congrue custodiatur.

Cura secundaria in organismum, integumenta communia et capitis in specie, corroboranda dirigatur oportet.

§. 824. *Vesiculares* dicuntur *efflorescentiae*, quae efformatae elevationes epidermidis exiguas, orbiculares offerunt, lympham pellucidam et excolorem, aliquando tamen opacam, lacteam, aut margaritacei coloris gerentes, et in tenuem crustulam terminandas. (*Willan.*)

Species hujus generis sunt: *aphthae*, *miliaria*, *herpes*, et *zoster*.

Spec. 1. Aphthae.

§. 825. *Aphthae* (die Schwämmchen, der Mehlhund, Voss, Fasch) exanthematicum sistunt membranae muciparae primarum viarum, cavi oris in specie, morbum contagiosum, rarius substantivum quam symptomaticum, vesiculis albidis aut coloris margaritacei insignitum, basi profunde rubrae insidentibus, limboque cinctis rubro, maximum parientibus ardorem, humore viscido aut puriformi repletis, et hoc dimisso in crustas albo-griseas, fungosas (unde nomen germanicum) abeuntibus.

J. Chr. Stark, Abh. v. d. Schwämmchen u. s. w. Jena 1784. 8. *Rosenstein*, *P. Frank*, *Henke*, *Willan.* et *Batemann*, *Richter*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 826. Dantur aphthae a) *neonatorum*, *lactantium*, et b) *adultorum*; illae prae caeteris frequentissimae. Prodromis non numeratis tria emetiuntur stadia: eruptionis, formationisque vesicularum, inspissationis in crustas, et desquamationis. Stadium primum ob continuam probabiliter humectationem ope salivae uberioris, vaporis calidi in oris cavo etc. citissime in alterum transit longioris durationis.

a) In *pusillis*, *lactantibus*, aphthas phaenomena gastrica, motus febriles, halitus calens, cavi oris aestus, siccitas, rubedo cum levi labiorum et linguae intumescentia, sitis urgens, sub suctu ac deglutitione dolor,

nonnunquam raucedo, singultus, convulsio per biduum aut triduum *antecedere* solent. Symptomata febrilia efflorentibus aphthis nunc infringi, nunc cessare conspiciuntur. Vesiculae aphthosae in principio paucissimae discretae, increscentibus in ore incommodis, largo sub salivae confluxu, aliquando convulsione accedente subito, et non raro per dies numero augendae magnitudine semen milii vel lentis aequant, cito eadem imo ipsa, qua nascebantur, die rumpuntur, et formatae posthac crustae, lactis coagulati floccis saepe similes, tribus quatuorve post diebus decidunt area glabra multumque rubra, perquam sensili relicta, quae aphthis semel saltem iteratis ante sanationem plerumque corripitur. Sunt quoque casus eruptionum pluries renovatarum, consequenter morbi, qui paucis alias circumscribitur diebus, in septimanas excurrentis.

In oris cavo primum, et quidem prope oris angulos, in facie interna labiorum, palati fornice, in linguae utraque facie et marginibus prodire solent, jam rarae et discretae aphthae, jam numerosae, uno aut pluribus locis confertae. Ulterius in primarum viarum tractum haud raro descendentes, in pharynge deglutitionem admodum difficilem ac dolorificam reddunt; in laryngis margine respirationis molestiam, raucedinem, tussimque siccam, spasticam, suffocativam, in aesophago et ventriculo ardorem, nauseam, vomituritiones, vomitum quandoque floccos edentem, in intestinis enteralgias, et diarrhoeam tenesmoideam cum sanguinis et aphtharum excretione pariunt, quibus patefiunt utpote sedi respondentibus. Circa anum quandoque, et in puellis ad pudenda conspiciuntur. Rarius aphthae via inversa ex pharynge in cavum oris procedunt. Circumstantiis non faventibus longe lateque extenduntur aphthae, chronicae fiunt, simul discolores, flavae, bruneae, lividae, nigrescentes, cum marginibus cinereis, in ulcera degenerant malae indolis, acrem secernentia ichorem, phagedaenica, doloribus, convulsionibus, in quas infan-

tes tenelli alioquin facillime aguntur, diarrhoea stipantur colliquativa, febrisque tabificae sub symptomatibus vitae finem accersunt.

§. 827. Aphthae lactantium *idiopathice* consuetim *oriuntur* per infectionem ex contactu immediato, per longiorem lactis, aliarumve materierum dulcium fermentationem, corruptelam acrem subeuntium retentionem in ore, neglectam hujus depurationem; minus frequenter *sympathice* a meconio retento, dyspepsia, apepsia per lac nimis nutrititium, spissum, pingue aut corruptum vel ejusdem aut pultis variae etc. nimiam copiam inductis, ab aëre humido, impuro, corrupto, immunditie in genere, refrigeratione, dentitione difficili suam repetunt originem.

§. 828. In *aetatis progressae infantibus*, sic et in *adultis* aphthae phaenomen sistunt non aeque frequens. Symptomata communiter et effectus occurrunt jam status gastrici specialius pituitosi, alvinarumque evacuationum in eo praetermissarum, jam debilitatis universalis cum gravi functionum cutis turba, quemadmodum post variolas, scarlatinam, morbillos etc., jam insignis virium defectus cum humorum in dissolutionem nisu, quemadmodum in qualicunque morbo febrili characteris putridi, quem nonnunquam epidemicae comitantur aphthae, in scorbuto, diarrhoeis colliquativis, phthisium varia specie, pulmonalis etc., nec non in conclamatis syphilidis, hydropis etc. stadiis.

Decursus earum cum supra descripto convenit; *duratio* ob iteratum eruptionis reditum consuetim diuturna; *copia* minor, ac in tenellis, observatur.

§. 829. Aphtharum in organorum recensitorum membrana mucipara sedes, symptomatum gastricorum ante et post eruptionem constantia, symptomata inflammatoria efflorescentiam in alterum saltem stadium usque comitantia pro illarum *indole* primario quidem *inflammatoria*, *modificationi catarrhali* proxime accedente, pugnant,

hanc tamen ulteriore decursu in colliquativam apertissime niti, observatio docet. Quam partim ab infantilis organismi, speciatim membranarum ejus mucipararum conditione, partim a potentiarum morbificarum indole diutiusque continuante actione proficisci, probabile est.

§. 830. Qui sit aphtharum *significatus*, quae huic superstruenda *prognosis*, ex descriptis illis ipsis, symptomatibus, effectibus ac sequelis, nec non ex causis occasionalibus morbisque principalibus nominatis elucet. Morbum proinde vel morbi symptoma sistunt nunc mite facileque debellandum, nunc grave ac difficulter tollendum, nunc periculosum, nunc imo pulsantis jam mortis nuntium. Causa locali productae, solum ad oris cavum restrictae, febre forti, vomituritione, vomitu, enteralgia intensa etc. carentes, aphthae minus adversam permittunt, oppositis stipatae rerum adjunctis sinistram fieri jubent prognosim.

§. 831. *Therapia* aphtharum generalia sequatur oportet principia.

Noxae agere pergentes variam omnino sibi expetunt, mox localem mox universalem. Sic lac culpam aphtharum gerens, in causam a matre aut nutrice datam agendo corrigi debet, aut alio salubri suppleri; adfectio gastrica causalis aut acidum absorbentibus et praevertentibus, aut emeticis, aut purgantibus, alius ex antea nominatis morbus universalis tractamine ac regimine indoli, magnitudini, stadio etc. respondente impugnari.

In lactantibus aphthae *praepediri* aut leniores saltem paucioresque reddi non raro possunt, si prodromis rite cognitis apta statim medela, debito sub conditionis organorum digerentium respectu, opponitur. Praesentes initio, notabili plerumque partium obsessarum sensibilitate phaenomenisque phlogoseos stipatae remedia emollientia, potus theati, mucilaginis, emulsionis tenuis, decocti, linctus etc. sub forma indicant; diarrhoea vero profusa et dolorifica, spasmis, convulsionibus absque febre et

saburra circumdatae exiguas extracti hyoscyami, solius aut ipecacuanhae nupti, aut pulveris *Doveri* doses emollientibus junctas, simul cataplasmata, balnea, enemata emollientia poscunt mucilaginosa. Deficientibus autem hujus generis symptomatibus, sensibilitate vix excedente, formatarum tenacium, spongiosarum crustarum stadio, cavum oris frequenter depuretur est necesse. Fit hoc ope digiti nudi vel tenui mollique obducti linteo, humectati et saccharo pulverato, aut melli, roob mororum, aut succo dauci sativi vel raparum expresso, aut maxime usitatae miscelae unc. unius mellis rosar. vel roob moror. cum borac. Venet. pulverat. dr. semis, integra, immersi, qua pluribus per diem vicibus aphthae oblinuntur, leniterque fricantur. In pharynge simul, quam in lactantibus nec penicillum, nec injectio tuto attingere valet, vel in ventriculo et intestinorum tractu residentibus aphthis pauxillum ejusdem, quod ex dictis ori adhibetur, remedii deglutiendo quoque ingerere consultum est. Duratio aphtharum pertinax, iteratus celerque recursus borace efficacius exposcunt pro usu externo pharmacon, quod in vitrioli zinci gr. quinque, decem, vel aluminis rupei scr. un., drachma dimidia dicto melli aut roob admiscendis praesto habetur. Discoloribus, et in ulcera atque gangraenam pronis convenit, unciae miscelae prioris (boracem ferentis) extracti chamomillae dr. semis, imo extr. cort. peruv. scr. un. et plus, vel eidem mellis rosarum aut roob mororum solius dosi acidi sulfurici aut muriatici diluti guttas decem ad viginti, muriat. oxygenati gtt. viginti ad quadringenta addere, vel infusum salviae, rutae etc. fortius, ut in febre putrida (§. 125. f.) jam laudatum, in usum vocare. — Aegris adultis remedia priora, ut penicilli aut digiti ope aphthis illinantur; ultima, ut ubi vires permittunt additis borace et aliis collutorii, gargarismatis, injectionis forma adplicentur, inserviunt.

Deciduis crustis areae plurimum sensibiles topicam

blandorum emollientium, mucilaginosorum administrationem resumi jubent. Generatim decursui semper curandi ratio exactissime adaptanda.

Cum lactantium cura regimen matris quoque, aut nutricis ubique concordans necessario requiritur.

§. 832. In *convalescentiae* stadio interna roborantia, externa leniter adstringentia utplurimum prosunt, nonnunquam evitari nequeunt. Ut recidivae praecaveantur, munditie summa, sedulaque causarum supra allatarum fuga opus est.

Spec. 2. Miliaria.

§. 833. *Miliaria* (exanthema miliare, purpura *Ludw.*, purpura miliaris *alior.*, miliarium morbus *Allionii*, febris miliaris, der Friesel) sunt efflorescentia saepius symptomatica quam substantiva, utplurimum febrilis, jam brevis jam diuturna, sub schemate vesicularum semen milii aemulantium comparens, quae nunc minores nunc majores, orbiculares, hinc inde limbo rubro angusto cinctae, humore lymphatico turgentes, successive exsiccantur, in desquamationem terminandae.

Welsch, historia med. novum istum puerperarum morbum continens, qui ipsis „der Friesel" dicitur. Lips. 1655.

Allioni, tract. de miliarium origine, progressu, natura et curatione. Aug. Taurin. 1758. Edit. 2. 1792.

Molinari, de miliar. exanth. indole et tractatione disquisitio. Vindob. 1764.

M. Collin, epistol. ad Baldingerum, qua demonstratur, pustulas miliares male dici facticias et symptomaticas. Vienn. 1765.

De Haën, rat. med. P. V. p. 3. ets. P. VIII. p. 103. ets. P. IX. p. 93. ets. P. X. p. 194. ets.

M. Stoll, rat. medend. T. II. p. 162—248.

Burserius, *P. Frank*, *S. G. Vogel*, *Willan*, *Richter*, *Jos. Frank* opp. cit.

Dr. *v. Stosch*, üb. d. Friesel. In *Hufeland's* Journ. 1824. August. S. 58 u. ff.

§. 834. Exanthema miliare *Hippocrati*, *Aëtio*, *Galeno* jam notum, a *Riverio* tamen et *Welsch* seculo decimo se-

ptimo primum exacte descriptum, longe frequentius cum febre adest quam febris expers. Epidemiae observatae febrium ad speciem rheumaticarum, aut rheumatico-catarrhalium, aut rheumatico-gastricarum cum miliarium die quarto quintove eruptione plurimum favent adserto, miliaria dari substantiva, propriamque febrim miliarem. *Hamilton*, *Juncker*, *Matth. Collin*, *Tissot*, *Störck*, *Quarin* et *S. G. Vogel* (T. III. cap. 12. §. 141.) hanc defendunt sententiam. Ex opposito casus miliarium, quae in diversis febrium speciebus, stadio non ubivis eodem, et succedaneo demum charactere nervoso aut colliquativo in conspectum prodiere, tam copiosi numerantur, ut miliaria febri juncta pro exanthemate aeque substantivo et essentiali, ac variolas, morbillos et scarlatinam, sumere prohibeant, utque illa hoc intuitu petechiis aliisque efflorescentiis febri specificae non adhaerentibus propius accedere *Burserius* (T. II. p. 449.) existimet. — Miliaria sine febre ab omnibus conspecta practicis, et jam ab *Hippocrate* nomine „*hydroa*," ab auctoribus latinis qua „*sudamina*" descripta fuerunt. Conf. *Burserius* l. c. pag. 444. ets.

§. 835. Exanthema miliare in omni quidem febrium specie oriri potest, uti epidemiae regnantes abunde comprobarunt, in febribus tamen nervosis, acutis et chronicis, in putridis, gastricis praecipue pituitosis, in inflammationibus et acutis efflorescentiis superveniente charactere nervoso vel putrido stipatis, aut morbo gastrico complicatis, in febre puerperali, frequentius observatur. In his quibuscunque morbis febrilibus mox *epidemicum* comparet, constitutionis epidemicae effectus, quemadmodum Berolini referente *Stosch;* mox *sporadicum*, vitae debilitatis cum seri in humoribus praepondio, horumque in decompositionem nisu sequela, vel vero partim tractaminis et regiminis calefacientis, nimium diaphoretici in genere, neglectis praesertim saburrarum gastricarum biliosae, pituitosae etc. indolis evacuationibus,

partim sudoris ipsius protracti et profusi, effectus; — attamen *criticum* quoque occurrit, febres speciatim nervosas lentas, pituitosas, nec non rheumaticas (*Vogel* l. c. §. 141.) judicans.

§. 836. Praeter *prodromorum* satis characteristicorum, et a *Vogel* (l. c. §. 137.) optime delineatorum, miliaria adhuc tria permeant, *eruptionis* nempe et *floris*, *siccationis*, et *defurfurationis* stadia.

Prodromi sunt communissimi: dedolatio magna, anxietas, pectoris oppressio, constrictio, in latere sinistro majores, inquietudo animi, suspirium frequens, respiratio inaequalis; pronitas in lipothymias; phaenomena spastica; pulsus accelerati, inaequales, quandoque intermittentes; digitorum manus nec non pedis stupor, formicatio; puncturae in artubus ipsaque facie fugaces, perstantes magis in cute pruriente, proclivitas in sudorem maxima, hujus odor acidulus, urinae parcae, pallidae. — *Eruptio* miliarium non aeque morborum febrilium recensitorum symptomata, quam prodroma ista sublevans, auferens, nulli adligata tempori, copiosissima in collo fit, pectore ac dorso, rarior in artubus ac facie, et exanthema paucos perstat dies. Eruptio vel cito intra nycthemeron, vel successive, imminutis sensim exacerbationibus febrilibus, absolvitur. Vesiculae initio parvae, lympha limpida plenae (miliaria *crystallina*), facile visum fugientes, quandoque basi insidentes rubrae transparenti limboque rubro cinctae (miliaria *rubra*), secunda tertiave die increscunt, hinc inde confluunt nonnunquam in bullulas (m. *bullosa*), et, ubi lympha opaca colorem lacteum aut margaritaceum induit, miliaria *alba*, *lactea*, ubi flavicantem puri similem, *purulenta* nominantur. Miliaria paucos dies morata, vel et in septimanas producta (quarum tamen intervallo iteratim communiter disparent ac recurrunt), siccantur defurfuratione aut desquamatione subsequente. Miliaribus aphthae saepe sociatae, petechiae quandoque intermixtae conspiciuntur.

Chronica qua symptomata scorbuti, arthritidis, chlorosis, hydropis, marcorum, infarctuum abdominalium etc., *periodica* miliaria nonnunquam febribus intermittentibus, dysmeniae consociata, aut amenorrhoeae suppressionis vicaria, observantur.

§. 837. Sexum sequiorem prae masculino miliaribus obnoxium *Stoll* et *Hamilton* viderunt. Phlegmatica insuper subjecta aetatis puerilis et senilis in illa prae caeteris *disponuntur*. Miliaria partim *invitantur* partim *gignuntur* organismi totius, cutis praecipue teneritudine, laxitate, debilitate cum humorum, maxime transspirationis in dissolutionem nisu; regimine nimis calido, aëre cubiculorum recluso, fervido; methodo diapnoica et diaphoretica ultra indicationem continuata, vel facto calefacientium et diaphoreticorum fortiorum tam pharmacorum quam potuum abusu; perversa solventium, salinorum adplicatione; evacuationibus nimiis sanguinis; primarum viarum sordibus cum sudoribus symptomaticis profusis; constitutione epidemica tempestatis humidae ac perquam variabilis, humidae calidaeque debilitantis, relaxantis, sudoribusque nimium faventis; atmosphaera nebulosa non agitata ventis; habitaculo, solo multum humidis; fortassis contagio specifico.

§. 838. *Essentia* miliarium difficillime statuitur. Laterales modo ac insufficientes sunt hypotheses, quibus ratio proxima vel in seri abundantia et acrimonia acida (*Hamilton*), vel in lympha specifice degenerata, ab internis partibus ad systema nervosum proxime spectantibus per naturae vires in superficiem cutaneam expulsa (*Fr. Hoffmann*), vel in suppressa transspiratione et lymphae, sanguinis, bilis acredine inde generata (*Gastellier*), vel in sudoris guttulis retentis et sub epidermide reclusis (*Fernelius*), haerere defenditur. Miliaria morbum sistere febrilem sui generis, contagio specifico productum, variolarum, morbillorum, scarlatinae etc. familiae adgregandum, ut *Allioni*, *Tissot*, *Stoerck*,

Molinari, *Quarin* et *S. G. Vogel* opinantur, nonnisi de essentialibus potest concedi, unde tamen tenebrae exanthematis hujus naturam obvelantes necdum discutiuntur. Haud supervacanea prae omnibus quaestio mihi videtur per praxin ac theoriam solvenda: num miliaria *substantiva* seu essentialia, quae partim constitutione epidemica, partim proprio generari contagio observantur, miliaria *symptomatica* seu dependentia, non essentialia, diversorum tum acutorum tum chronicorum malorum socia, et miliaria *critica* unum eundemque sistant morbum, ejusdem consequenter sint essentiae? Hujus primo solutio quaestionis gravissimum pro cognoscenda miliarium natura suppeditabit praesidium. Adfinitatem eorum cum aphthis et petechiis, per practicos complures indigitatam, attentioni ac scrutinio interim commendasse juvabit.

§. 839. Miliaria infaustum in genere phaenomenon habenda, substantiva vero speciatim, symptomatica, et critica quolibet in morbo ex ejus indole, magnitudine, stadio suum nanciscuntur *significatum*. Genium morborum regnantem epidemicum respicere, summi est momenti.

Eruptio successiva longam significare solet morbi durationem. Symptomatibus caeteris simul conspirantibus miliaria alba rubris, confluentia bullosa, et purulenta discretis et crystallinis deteriora censeantur. — Exanthema generatim summe volatile est. Recessus illius repentinus tam in se spectatus, quam ob causas caeterosque harum coëffectus maximi faciendus, dignitatem suam ab utrisque repetit. Membranae internae viscerum nobilium, cor, pericardium, aorta, velamenta vasorum majorum et organorum respirationi dicatorum, nervorum his prospicientium, imo meninges ipsae etc. facile invaduntur; id quod symptomata et visa in cadaveribus et reperta docuerunt.

Decursum miliarium laudabilem excedens quandoque cutis sensilitas, vel et hydrops sequitur.

§. 840. Miliare exanthema *substantivum*, essentiale

ad normas pro typhi, scarlatinae etc. *therapia* statutas, — *symptomaticum*, citra potentias illi alendo, adaugendo pares amovendas, pro morborum principalium natura, magnitudine, aetate, stadio etc. nec non causis excitantibus ac foventibus, — *criticum* ad generales, quae pro phaenomenis morborum febrilium criticis curandis (§. 86. et 87.) valent, regulas tractanda sunt.

Retrogressa cum morbi exasperatione miliaria ut per methodum pro cura efflorescentiarum suppressarum in genere praescriptam revocentur, omni adlaborare oportet conamine. Plurimi omnino interest, exanthema miliare *praecavere*, causas ejus occasionales supra expositas aut strenue vitando, aut quam citissime auferendo.

Spec. 3. Herpes.

§. 841. *Herpes* (serpigo, die Flechte, der Zitterich), Graecis ἕρπης a verbo ἕρπειν, serpere, inde Latinis *serpigo*, ab *Hippocrate* ad νομας i. e. ulcera phagedaenica, a *Celso* et *Fernelio* ad papulas, a potiore auctorum numero ad impetigines, a *Swediaur* ad cachexias cutaneas refertur. Utut *Galenus* tria illius genera, herpetem miliarem, erodentem, et phlyctenoden commemoret, exacta tamen ejus descriptio in veterum libris desideratur, recentiori aevo reservata.

§. 842. Est autem *herpes* efflorescentia jam brevis jam diuturna, febris expers, non ubique contagiosa, vesicularum minorum majorumve sub forma comparens, ex inflammata variae figurae et extensionis area gregatim prorumpentium, quae prurientes, humore primum limpido excolore, serius turbido albicante, subviscido, specifice olente repletae, in squamulas tandem aut crustas deciduas, vel in ulcera chronica terminantur.

Poupart, traité des dartres. Par. 1782. Deutsch v. *Conrad.* Strassb. 1783.

Ph. G. Hensler, de herpete s. formica veterum, labis venereae non prorsus experte. Kilon. 1801. 8.

W. G. Thilesius, Theorie der flechtenartigen Ausschläge etc. M. Kupf. Leipz. 1802.

Alibert, in Dictionnaire des sciences médicales. Par. 1814. T. VIII. p. 14.

J. Burserius, *P. Frank*, *Willan* et *Batemann*, *Richter*, *Haase* opp. citat.

§. 843. Jam sine prodromis universalibus herpes in conspectum prodit, jam lassitudine, animi dejectione, dysorexia, et ardoris ac puncturarum sensu in cutis plaga praegressis. Vesiculae partibus variis, in facie praesertim, labiis, nucha, collo, pectore, manibus pedibusque, vel et praeputio etc., vel, uti plerumque, aliquot cutis plagis simul vel pedetentim prorumpunt gregatae, numero et magnitudine cito augentur, inchoante simul areae parum elevatae phlogosi et increscente pruriunt multum, lympha initio limpida, post tres quatuorve dies turbidula lactei aut pallide flaventis coloris turgent, et vel ruptae postea humorem largum lymphaticum odoris specifici subempyreumatici secernunt, vel decrescentibus sensim phlogoseos levis phaenomenis in squamulas aut crustulas siccantur, quibus lapsis maculae restant pallide rubrae, brevi evaniturae. Sunt autem vesiculae descriptae vel a) minimae, oculo nudo vix percipiendae, quae siccantur brevi, et in squamulas furfuribus similes, aut pulverem farinosum ex flavo albidum dehiscunt, *herpes siccus* aut *farinosus* vocatus; vel b) semina milii magnitudine aequant: *herpes miliaris;* vel c) majores sese offerunt, coloris pallide rubri, aut flavicantis aut subgrisei: *herpes phlyctenodes.* E loco suo versus omnem partem velut e centro peripheriam versus, vel a margine quidquam tumente arcuato aut annulari centrum versus expanduntur (*herpes circinnatus Willan.*), ruptae humorem viscidum, empyreumatice olentem, acrem edunt, vehementer pruriunt, inque squamas duras (*h. squamosus*), vel crustas (*h. crustosus*) flavicantes, griseas aut nigricantes convertuntur, quae jam succes-

sive labuntur, plaga relicta sicca rubente, jam casu rariore humorem dictum acrem obtegunt, recludunt ichorosum, cum celeri impetiginis augmento integumenta tumida sensim latius erodentem (*h. rodens, depascens*), vel partes his subjacentes potius deorsum devastantem (*h. phagedaenicus*).

§. 844. Herpes *farinosus* praeter pruritum nullis circumdatur incommodis, aliarum potius adfectionum chronicarum cephalicarum, nervosarum, tussis etc. levamen non raro adfert, cito quidem ad speciem sanari, quandoque vero aliis remotis reverti locis consuevit. — Herpes *miliaris* et *phlyctenodes* pruritum fortem, rubedinem, tumorem, aestum atque tensionem partis, quam obsident, et nonnunquam imo febrim habent comites. Diuturna eorum sub duratione aut expansione larga minus transspirat cutis, nares siccescunt et gravedine (*Poupart*) angustantur, accedunt cephalaea frontalis, somni turbae, pervigilium, dysorexia et dyspepsia, alvi obstipatio, urinae crassae turbidae, virium debilitas, tabes. Ejusmodi sub circumstantiis sicut gravi virium defectu, cachexia qualicunque insigni, senio provecto, syphilide larvata etc. concurrentibus, herpetes in mala facile degenerant ulcera, quibus sub dolore intenso et saniosa, foetente cutis partiumque infra sitarum exesione (h. erodens et phagedaenicus) febris inducitur tabifica, quam post septimanas jam mors insequi omnino potest.

§. 845. *Duratio* herpetis summopere varians, a paucis septimanis ad menses totidem, imo annos protenditur. Saepe brevem exanthematis acuti decursum herpes uno absolvit loco, eo autem vix finito in plaga eadem aut vicina aut remota iterum prodit, simili modo decursurus, quem et tertia etc. excipit eruptio. Hac ratione herpes utut acuti referens formam, quoad cutis tamen adfectionem redditur chronicus.

Non raro herpes *periodicus*, vel certis anni partibus v. gr. scrophulosus veri, vel menstruae faeminarum

periodo, vel fluxus haemorrhoidalis typo, vel gravidati etc. adstringitur.

§. 846. *Differentias* notatu dignissimas exhibent: herpes *substantivus* et *symptomaticus; idio-* et *sympathicus*, cui et metastaticus et criticus accensendi; *primarius* et *secundarius; purus* et *complicatus; hereditarius, congenitus* et *adquisitus; contagiosus* et *non contagiosus.*

§. 847. *Dispositio* in herpetem nondum ex integro noscitur; manifestior tamen in hominibus temperamenti cholerici, ictero repetito aut chronico laborantibus, in haemorrhoidariis, arthriticis, scrophulosis, syphiliticis, scorbuticis, in chloroticis, gravidis, in hominibus profluviorum aut normalium aut habitualium suppressione, nimia transspirationis et urinarum parcitate adfectis, praecipue senibus invenitur. — Causae *occasionales* sunt: a) *idiopathicae:* immundities cutis, unguenta et emplastra irritantia, lanarum, pannorum oleo impuro, rancido, aut rebus acribus imbutorum, tinctorum tractatio, vestimenta lanea rudiora, collaria etc. ex pilis confecta, aliaque tam mechanica quam chemica irritamenta; aër impurus, humidus, mucidus; contagium specificum; b) *sympathicae:* longa in cibis rancidis, corruptis, aut aromate acriore conditis, in potibus spirituosis intemperantia; piscium quorundam, mytilorum etc. esus idiosyncrasia individuali favente; saburra primarum viarum biliosa, acida, ex iracundia, moerore, terrore; se- et excretionum normalium, morbosarum sed habitualium turbae, suppressio, crisium praesertim evacuatoriarum interceptio. Quibus tandem morbis principalibus herpes effici *symptomaticus* observetur, ex iis, quae circa dispositionem mox dicta sunt, patet.

§. 848. Symptomata herpetis essentialia, decursus, terminationes, momenta causalia de *indole* illius primario irritativa, phlogistica, de partiali retis *Malpighii* vasorumque cutis capillarium irritatione aut imo inflamma-

tione jam idiopathica aut sympathica, jam critica testantur, quae mox superficialis mox profundior morbosam lymphae alienatae praestat secretionem, sanguificationis secretionumque universim, bilis in specie, vitiis juncta, iisdemque nutrita. Patet inde, quid circa hypotheses *Hippocratis* et juxta hunc *Avicennae* de pituita tenaci; *Sanctorii*, *Ballonii*, *Pisonis*, *Gorteri* de sero acri; *Galeni*, Romanorum plerorumque, et illo duce Arabum de bile abundante et fervente; aliorum de abnormi principii urinosi in sanguine retenti secretione etc., qua herpetis essentia seu causa proxima sit sentiendum. Theoriae istorum, utut nec indolem mali nec genesim patefaciant, ad frequentem tamen ejus, et quidem sympathici potissimum, originem ex hepatis et cutis adfectionibus, cum morbosa bilis et materiae perspirabilis secretione incedentibus, attentionem convertunt, nexum vero intimum cum uteri, systematis venae portarum, renum morbis, secretionibusque eorum quoad quantitatem, qualitatem, periodum aberrantibus, porro cum scrophulis, syphilide etc. minime attingentes.

Prodromis exceptis herpes *stadia* eruptionis, irritationis aut phlogoseos, morbosae lymphae secretionis vesicularumque formationis, siccationis in squamas aut crustulas emetitur.

§. 849. *Prognosis* ex herpetis descriptione fere fluit. Herpes ab irritamentis externis causatus, recens, non extensus, topicus et simplex facile sanatur, et absque periculi metu externis solum tractari potest remediis; e fonte autem internò profectus et sustentatus, symptomaticus, metastaticus, criticus, sicut diuturnus, late expansus, complicatus nec externis solis tuto unquam curatur, nec optimae et unitae medelae facile saepe cedit, quandoque rebellis et insanabilis. Dispositio hereditaria non raro omnem eludit therapiam.

Herpetem salutiferum esse, et nevroses chronicas praesertim, cephalaeam, cardialgiam, colicas, varios

spasmos, epilepsiam, melancholiam, hypochondriasim, imo maniam etc., non ex suppressa modo efflorescentia herpetica, sed aliunde quoque natas, sublevando, auferendo parem, jam fuit commemoratum. Herpetis suppressio ex opposito similia, quae aliarum eruptionum repulsio (§. 634.), mala facile post se trahit. Frequentes imprimis hepatis ac lienis infarctus *Alibert* subsecutos vidit.

§. 850. In rationali herpetis *therapia* eaedem, ac in aliis impetiginibus curandis, relationes ad existentiam substantivam aut symptomaticam, ad causam ex- vel internam, indolem specialem, intensitatem et extensionem, aetatem, stadium, noxam vel salubritatem habendae, eaedem regulae et cautelae attendendae sunt, idem regimen cum diaeta servandum. Speciatim *pro repetitionibus evitandis* ad ea hoc intuitu provocare juvat, quae in scabiei (§. 797.) et tineae (§. 805.) curatione exponebantur.

Externa sola raro sufficiunt remedia; ubi vero haec vel seorsim vel internis nupta desiderantur, laudari merentur: stadio irritativo, inflammatorio fomenta, cataplasmata, balnea topica et universalia, olea pinguia blanda et pura, ol. nucum imprimis decantatum, butyrum cacao; serius et phaenomenis phlogoseos absentibus ung. oxygenatum, mercuriale cinereum et citrinum, ung. zinci, saturni, graphitis; succus citri, sedi sempervivi tector., acetum, acida mineralia diluta; aqua calcis; solutiones kalinae, merc. sublim. corros. (*Wedekind*), sacchar. saturni, utriusque pariter mixti, sacch. saturn. cum lacte sulphuris; decocta caul. dulcamarae, putam. virid. nuc. jugland.; balnea kalina, saponata, muriatica, sulphurea, in casibus rebellibus ung. mercurialis ad comparentem usque eruptionem specificam inunctio (*Kopp*), emplastrum vesicans impositum, pro re nata indicantur. *Interna* cura simultanea ad modum illius, qui contra scabiem et tineam exponebatur, insti-

tuenda est. Morbo, qui fortassis adest, acuto, febrili sublato indicatio specialis, in tollendum morbum principalem tendens, implenda, igiturque et in herpetem et in cutem, ejus sedem, simul agendum est. Quare ratio medendi jam arthritidi, syphilidi, jam scrophulis, chlorosi, viscerum abdominis infarctibus, scorbuto etc. adversa arripienda erit. Herpete scorbutum, aut chlorosim, aut scrophulas fontem agnoscente, sic et praesentibus in hydropem opportunitate aut humorum decompositionis in genere signis, plumbago seu graphites a *Weinhold* commendatus (Der Graphit, als neu entdecktes Mittel gegen die Flechten. Leipz. 1808.) usu interno et externo egregiam exerit virtutem. Adplicatur autem, secundum illum, externe forma pulveris cum axungia aut saliva in unguentum redacti (v. gr. ex pulv. alcoholis. graphitis elutriati dr. duab. et dimidia, et axung. porc. recent. unc. sem.), vel cute multum irritabili forma emplastri (v. gr. empl. saponat. unc. sem. et pulv. alcoh. graphit. elutriat. dr. un.); interne electuarii, bolorum aut pilularum forma solus, aut, ubi complicatio concedit, vel jubet, merc. solubili *Hahnemanni*, antimonio, sulphuri, aliisve nuptus. Partitis autem porrigitur dosibus ter, quaterve per diem, ita ut ab adultis drachma graphitis nycthemeri spatio absumatur. Unciam hoc modo intra octiduum absumtam morbo debellando, ut *Weinhold* adseruit, sufficere, per tentamina numerosa et nonnunquam cum eminente successu instituta non modo confirmare nequeo, sed veritatis causa assevero, in formis morbi necdum inveteratis dicendis multo longiore communiter therapia opus fuisse, antequam essentialis solum earum emendatio impetraretur. Duarum graphitis partium cum merc. vivi parte una triturando mistarum usus internus a granis tribus sensim ad drach. dimidiam adscendendo intra nycthemeron (*Huber*), in complicationibus, in herpete syphilitico, arthritico, scrophuloso hinc inde omnino convenit; communior vero in his ulti-

mis herpetis syphilitici etc. casibus usus hydrargyrosorum antimonialibus (aethiop. antim., mineral., pulv. alterant. Plummer. etc.), vel deficiente syphilide, sulphuri junctorum, usus guajaci, caulium et extr. dulcamarae, violae tricolor., decoctorum e speciebus lignorum sanguinem, ut ajunt, depurantium, per longam annorum seriem experientia abunde comprobatur. Fumigationes a *Galées* contra scabiem depraedicatas sulphurosas, in herpetem quoque utiles mihi visas, sub iisdem rerum adjunctis, iisdemque ac in scabie (§. 797.) cautelis commendare non haereo.

Quoad diaetam totumque regimen, cibos speciatim potusque blandos, usum eorum necessitati ac digestionis viribus adcommodandum, aërem liberum, purum, siccum, munditiei curam per balnea, lotiones etc., praecepta sequi oportet, ad scabiem et tineam curandam tradita.

Sic et therapia hisce impetiginibus suppressis necessaria et apta, suam herpete suppresso invenit adplicationem.

§. 851. Herpetem salutarem, criticum ea cum restrictione provida curare oportet, cujus necessitatem in generali efflorescentiarum therapia (§. 639.) jam demonstravi.

§. 852. *Convalescentiae* cura, qua recursus mali praecaveatur, effectusque tollantur superstites, eodem ac aliis efflorescentiis devictis modo instituenda et dirigenda, habito semper relationum respectu, in scabiei et tineae curatione secundaria expositarum.

Spec. 4. Zoster.

§. 853. *Zoster* (zona, circinus *Plinii*, der Gürtel, Gürtelausschlag) nec singularis certe erysipelatis varietas (*Cullen*, *Richter*), nec herpes (*Sauvages*, *Willan*) habendus, sed *propria* potius (*Wichmann*) *efflorescentiarum species* esse mihi videtur. Forma vesicularum numerose gregatarum a seminis milii ad pisi

magnitudinem manifestatur, quae febre cum puncturis aut ardore, magna quandoque anxietate et symptomatibus gastricis praegressis, in uno corporis latere erumpunt, fasciae adinstar in eodem solum extenduntur, in crustulas tenues terminandae.

Lorry, *Burserius*, *P. Frank*, *Willan* et *Bateman*, *Jos. Frank* opp. cit.
E. Wichmann, Ideen z. Diagnostik. B. I. S. 35.

§. 854. Zoster a *Plinio* (histor. natur. L. 26. c. 12.) primum commemoratus quoad decursum exanthematibus febrilibus simillimus est. Febre cum ardore et punctura-rum sensu in cute, frequentiore dolore lancinante pectus et epigastrium permeante per biduum aut triduum praegressis, aestus, pruritus et puncturae aut ardor in trunci loco quodam, communissime in costarum inferiorum regione sentiuntur; prodeunt hic in conspectum primo maculae rubrae circumferentiae irregularis, non procul invicem distantes, numerosis obsitae vesiculis minimis, quae per nycthemeron margaritarum minorum magnitudinem assequuntur, limpida turgentes lympha. Maculae duorum triumve pollicum quadratorum, colore cutis intermediae perstante sano, per tres aut quatuor dies numero auctae, eam ad normam distribuuntur, ut linea fere aequali semicirculari a sterno aut alba abdominis linea transversim ad columnam vertebrarum expansae, latus fasciae instar duos tresve pollices latae cingant. Tali modo et capitis, faciei, colli dimidium latus, brachium, femur, ischium unum eodem occupata exanthemate visa fuere. Eruptione perfecta symptomata cessant febrilia, raro et non sine causa laterali solum remittunt, ulterius duratura. Dum novae cum vesiculis efflorescunt maculae, priores vesiculae, *Willano* rite adnotante, die circiter quarta pelluciditatem perdere, coloremque nancisci lacteum aut flavicantem incipiunt, mox in caerulescentem abiturum, subsident, et pro parte confluunt. Eas

nunc rumpi rarum non est, et pauco lymphae per biduum vel triduum emisso in tenues, firmas tamen, siccari crustas, quae duodecimo aut decimo et quarto morbi die secundum eum, quo maculae et vesiculae eruperant, ordinem decidunt, teneritudine et rubedine cutis, foveolis hinc inde imo cicatriculis remanentibus, vel nova nonnunquam zona confestim succedente.

§. 855. Intra dies novem, rarius quatuordecim morbus finitur, crustarum lapsu ad vigesimum usque diem aut ultra protrahendo. In senibus praecipue et cachecticis zosteris penitus evanidi in plaga dolor superficialis aeque ac profundus urens, lancinans continuus, subsequitur, periodice exacerbatus, per septimanas perstans; zoster tunc frequentius (certo quandoque tempore anni) recurrere consuevit. — Rara prostant *zosteris chronici* exempla, efflorescentia non intermittente protracti. Talis non nisi duo mihi occurrerunt specimina.

§. 856. Zoster individua scrophulosa et arthritica variae aetatis, porro senilia prae aliis, sexum sequiorem prae masculino infestare observatur. — Momenta *occasionalia* nondum perfecte noscuntur; refrigeratio autem cum diaeteticis erroribus, abusus potuum spirituosorum, cibi sale multo aut aromate conditi inculpari jure possunt.

§. 857. Essentialis zosteris *indoles* in inflammatione levi retis *Malpighii* et vasculorum cutis capillarium consistere videtur, cum lymphae infra epidermidem secretione essentialiter conjuncta. Formae singularis plane ratio explicari hucdum nequit. Analogia cum erysipelate bulloso, si ambo exacte, ut a *Wichmanno* factum est, inter se comparantur, adeo remota invenitur, ut adserto, zosterem esse erysipelatis varietatem, evincendo nullatenus sufficiat.

§. 858. *Zoster* morbum sistit molestum ast non aeque gravem, qui febre finita aegris e lecto esse saepe concedit. Contagiosus non est. Aegros arthriticos quandoque variarum adfectionum internarum levamine recreat.

§. 859. Causa occasionali ablata, enervata *tractamen* utplurimum sufficiens in methodo leni antiphlogistica et antiphlogistico-diapnoica, et exanthematis ab omni irritatione ac laesione mechanica per linteum tenue ac molle impositum custodia consistit. Dolores attamen aliquando vehementes fomenta et cataplasmata emollientia et sedantia, oleum pingue recens ac purum illinendum, exposcunt. Rarissime uberior continuat secretio, modico praeparatorum plumbi aut zinci leniorum usu cohibenda.

Genus III. Efflorescentiae bullosae.

§. 860. *Bullarum* nomine (juxta *Willan*) efflorescentiae intelliguntur, epidermide fluido seroso interjecto a cute latiorem in partem soluta, et elevata, insignitae.

§. 861. Complures auctores specialem quidem *febrem bullosam* seu *vesicularem*, valde periculosam, et epidemicam observatam commemorant, re vero penitius disquisita stare *Willani* sententia videtur, bullas typho, febri putridae, cynanchae malignae sociatas symptomaticas, non essentiales habentis. Non tamen inde deducendum, efflorescentiam bullosam nunc describendam febre non posse stipari, quae autem illi non aeque essentialis ac variolis, morbillis, scarlatinae etc. adhaerere cernitur.

Genus istud unicam *speciem*, *pemphigum*, continet.

Pemphigus.

§. 862. *Pemphigus* (pemphix, pompholix, der Blasenausschlag) bullas refert amygdalae, nucis avellanae, hinc inde juglandis magnitudine, flavicantes, diaphanas, quae singulae variis, saepe compluribus simul corporis partibus super area rubra insurgunt, fortiter pruriunt et ardent, post trium, quinque, raro octo moram dierum partim exsiccantur, partim disrumpuntur, atque jam in maculas profunde rubras brevi evanituras,

jam crassas in crustas sine cicatricibus subsequis, rarius in ulcera cutanea humida saepe diuturna terminantur.

J. E. Wichmann's Beytrag z. Kenntniss des Pemphigus. Erf. 1791.—Ideen z. Diagn. B. III. S. 132.

C. G. C. Braune, Versuch üb. d. Pemphigus u. d. Blasenfieber. Mit 1 Kupf. Leipz. 1795. 8.

P. Frank, *Bateman*, *Richter*, *Reil*, *Jos. Frank*, *Haase* opp. cit.

§. 863. Efflorescentia haec *mox* febre stipatur, incongrue *febris bullosa* s. *ampullosa* nominata, potius *pemphigus febrilis* dicenda, *mox* febris expers adest, arbitrarie *pompholix* vocata. — Casu priore febris vel *primaria* est eaque ad morbi genesim relatione, ut, ubi adfectio gastrica saburralis sola vel refrigerio juncta causam obtulerat excitantem, ad illum generandum contribuat; vel *secundaria*, in decursu pemphigi evoluta, et per hunc solum vel aliis influxibus, praesertim constitutione aegrorum debili, cachectica adjutum, producta. Durationis igitur haec, ut ipse pemphigus, jam brevis jam protractae observatur. — Casu altero pemphigus (non febrilis) *chronicus* esse consuevit. Bullae ejus singulae, quandoque plurium pollicum quadratorum circumferentiam assequentes (Med. chir. Ztg. 1818. B. IV. S. 55.), vel longiore persistunt tempore, vel novis identidem, non raro periodice succedentibus compensantur, quae ardore praevio in iisdem vel aliis plagis cutis, nonnunquam in cavo oris et faucium, in lingua nec non aliis locis internis formantur.

Pemphigus febrilis, acutus, symptomatibus gastricis, biliosis, aut rheumaticis vel catarrhalibus; non febrilis, chronicus, vel iisdem saepe junctus, vel variarum nevrosium, spasmorum praeprimis, arthritidis, lithiaseos, verae in senibus ischuriae comes, observatus fuit.

§. 864. Bullae in extremitatibus inferioribus, in pectore, collo, brachiis frequentius ac alibi comparent.

Numerus earum inter paucas, sex nempe, octo et viginti variat, ad triginta quandoque et ultra excurrit, non unica plerumque eruptione factas. Pisi magnitudinem initio aequantes cito (intra horas) circumferentia et altitudine increscunt; semper discretae, saepe longe distantes areae rubrae insident, limbo rubro limitatae; fluidum gerunt flavicans diaphanum, inodorum, saporis lenissime salsi, rarissime turbidum, puriforme idque copia minima in bullarum fundo ab illo separatum, et jam expositis terminantur modis.

Bullae, prout symptomaticae sunt aut criticae, jam sublevant malum praesens, jam exasperant, jam nil mutant.

§. 865. Infantes, juniores generatim homines, et sexus sequior pemphigo praeprimis obnoxii noscuntur. Recens natos cum pemphigo *Osiander*, alios primis vitae diebus eodem correptos infantes alii viderunt. — *Causis excitantibus* adnumerantur: refrigeratio, apepsia, saburrae pituitosae, biliosae, secretionum serosarum, speciatim urinarum, sudorum topicorum habitualium etc. in individuis arthriticis maxime, hystericis, senibus turbae, impedimenta.

§. 866. *Indolem* pemphigi generatim quidem activam, plus minusve inflammatoriam, ipsamque irritationem aut inflammationem superficialem, ut in zostere, et modicam assumere licet; conditiones vero internae et genesis et formationis ignorantur. Utut verosimiles, rem tamen adeo obscuram non omni ex parte illustrant hypotheses *Braunei*, secretionem urinarum qualitate autem ignota vitiatam, *Wilmans* (*Hufel.* Journ. 1818. St. 9. S. 3. etc.) illam secretionem per spasmos in abdomine turbatam, restrictam pro causa proxima pemphigi habentium; et *Haase* (Handb. etc. Th. III. Abth. 2. S. 329.) dyscrasiam, et quidem acidum phosphoricum in humoribus exsuperans simul concurrere defendentis, quam in salium phosphoricorum incompleta aut cohibita per uri-

nas excretione in aegris lithiasi et arthritide laborantibus, consistere potissimum opinatur.

§. 867. Pemphigus morbum sistit rarum, molestum ac pertinacem potius quam periculosum. Specialis ejus *prognosis* a morbo principali, febris si adest charactere et gradu, ab efflorescentiae chronicae pertinacia nota, constitutione aegrorum etc. repetenda.

§. 868. *Therapia* secundum indicationes generales in causam excitantem, morbum principem, et in febrim, ubi adest, dirigatur oportet. Huic diaeta et regimen concordent. Bullae pruritu et ardore multum gravantes, vel humore acri erodentes forficula possunt aperiri, aqua tepida ablui, et linteo simplici mollissimo, aut cerato aut alio blando oleoso remedio, saltem ab aëris libero accessu custodiri.

Curam secundariam circumstantiarum individualium summa definit.

Genus IV. Efflorescentiae squamosae.

§. 869. *Efflorescentiae squamosae Willano* dicuntur, quae perfecte evolutae lamellis epidermidis morbose incrassatae, durae, albidae et opacae manifestantur.

§. 870. *Squamae* vel statu morboso epidermidis solius aut retis Malpighii simul juncto, vel cutis ipsius phlogosi gradus certi, sine vesiculis, pustulis aut ulceribus, producuntur. Squamae in laminas aut strata irregularia increscentes, quemadmodum in vesiculis et pustulis, *crustarum* nomine insigniuntur.

Species hujus generis sunt: *furfura* s. pityriasis, *ichthyosis*, et *lepra*.

Spec. 1. Furfura.

§. 871. *Furfura* (furfuratio, pityriasis, die Hautkleye, der Kleyengrind, die Kopfschäbe) est epidermidis in variis corporis partibus, praecipue in pilosis, solutio furfures aemulans, quae praegresso plerumque pru-

ritu, absque inflammatione *conspicua*, absque papulis, vesiculis aut ulcusculis cutis caeterum siccae et aridae, saepe autem humore acri et olente madidae et parum tumentis, jam pallidae jam flavo-rubicundae, obvia est. (*P. Frank, Willan.*) Ad exiguam plagam nunc restricta, nunc ad partes vicinas expansa, jam constans jam volatilis, vario durat tempore, et certis nonnunquam anni stadiis, autumno praeprimis ac vere periodice revertitur. Squamae scalpendo detritae novis identidem compensantur. Capilli non raro defluunt.

§. 872. Haec efflorescentiarum species a) *substantiva* occurrit, a refrigerio per frigidos siccosque ventos post lotionem praecipue aut balnei usum, a longa radiorum solis actione, lotioni inservientibus remediis acribus, spirituosorum potuum aut aromatum acrium abusu, plethora originem ducens; vel b) *symptomatica*, scrophularum, syphilidis, arthritidis, melancholiae comes, et quandoque congenita observatur.

Has relationes *Prognosis* et *Therapia* sequuntur; quarum ista toto simul praesente statu morboso, aegri organique cutanei illius constitutione etc. debite ponderatis determinatu quidem facilis est, saepe autem tarde proficere, saepe sine fructu manere conspicitur.

Spec. 2. Ichthyosis.

§. 873. *Ichthyosis* (Fischschuppen-Ausschlag) ad *Willani* descriptionem efflorescentiarum species est, in textura integumentorum corporis communium incrassata, dura, aspera, nonnullis imo in casibus fere cornea, cum nisu in formas squamis analogas consistens, deficientibus tamen lamellis deciduis, maculis hinc inde manifestis, et universalibus in organismo turbis, lepram squamosam comitantibus.

§. 874. Duas *Willan* varietates describit, *simplicem* et *corneam*.

In ichthyosi *simplice*, varias corporis partes infestante, cutis initio crassior solum, aspera et quasi luto conspurcata cernitur, ulteriore sub decursu locis durante sanitate glabris et tenuibus prominentiae formantur planae, latae, in modum laterum tecti aut squamarum carpionis sibi impositae, locis vero sub sanitate asperis, uti genubus, cubitis numerosissimae verrucas exiguas, tenues, complanatas aemulantes. Areae prominentiis dictis occupatae, albidis hinc inde sulcis divisae, sensim progrediendo nonnunquam in totam fere superficiem expanduntur, immunitate articulis solum, parti superiori faciei femorum internae, et dorso secundum columnae vertebrarum longitudinem concessa.

Ichthyosis *cornea*, rarissima omnino, crassamenta epidermidis offert rigida, cornu aemulantia, jam singulas modo partes tenentia, jam per omnem fere sparsa superficiem. Excrescentiae hujus generis nonnullae multum exstantes (*Ingrassias*, *Fabricius Hildanus*, *Turner* et a.) vera cornua incongrue fuerunt habitae, utpote nec ossibus nec aliis propius sub cute sitis connexae organis, sed vel a verrucis, vel gangliis, vel atheromatibus provenientes. (*Morgagni*, *Lorry*, *Home*, *Willan* et a. praecipue *Bened. Wagner*, in Med. Jahrb. Bd. XII. p. 324.)

§. 875. Ichthyosis morbus est pertinax, variis mox faustis mox infaustis sub vicissitudinibus per annos perstans, et *Willano* adserente pharmacorum auxilio vix expugnandus. Balnea sulphurata calida adhibendo, et squamas in illis emollitas leni cum frictione solvendo, cohibere saltem per tempus formationem squamarum eidem *Willano* contigit; qui interne non nisi picis usum forma pilulari utilem vidit. (l. c. p. 93.) — Excrescentiarum cornearum remedium omni mali aetate efficacissimum declarat (p. 98.) operationem, cum plenaria simul cystidis, aut aegrae cutis superficiei, sinus mali, exstirpatione.

§. 876. Ambae ichthyoseos varietates sive proprias efflorescentiae species, ut *Willan* opinatur, sive leprae varietates constituant, ut alii censent (inter quos propriis destitutus observatis decidere nequeo), *therapiam*, qualem caeterae generatim eruptiones cutaneae, expetunt causarum aut morborum principalium indoli, stadio, extensioni, aetati etc. convenientem.

Spec. 3. Lepra.

§. 877. *Lepra* (der Aussatz) adfectio cutanea, ex Africae fervidis oriunda terris, ibidem sicut in Brasilia adhucdum endemica, variis comparet sub formis, quarum principes (alba vix in Arabia amplius occurrente, et maculosa, seu Mosaica dicta praetermissis) *squamae* et *tubera aspera et insensilia* spectari possunt. Priore sub schemate *lepra squamosa* (l. Graecorum, l. ichthyosis, der schuppichte oder griechische Aussatz), sub altero *lepra nodosa* s. *tuberculosa* (l. Arabum, elephantiasis, der knollige oder arabische Aussatz, der Elephanten-Ausschlag) appellatur.

Ob eminens formarum discrimen a *Willan* et *Batemann* pro duplici quidem morbo essentialiter diverso declaratae, ideoque separatim pertractatae sunt: attamen qui cum *Schilling*, *Hensler*, *P. Frank*, et *C. Sprengel* communem ambarum patriam, insignem in prodromis, symptomatibus praecipuis introitum ac decursum utriusque designantibus, longissima duratione, malisque secundariis analogiam, vim tandem contagiosam utriusque perpenderit, in opinionem facile ducetur, easdem varietates solum unius esse morbi, et nonnisi formae offerre discrimen; cujus rationem magnae, quae inter Graeciae, dein Africae et Asiae climata, incolas, victum, vitae genus, mores et consuetudines etc. intercedunt, differentiae continere videntur.

§. 878. Varietates duae memoratae, nomine leprae *orientalis* comprehenduntur, ut ab *occidentali* distingua-

tur, qua varietates ejus in Europa endemicae factae intelliguntur. Sunt istae: *lepra taurica* (morbus crimensis, die krimmische Krankheit) in Crima et Astrachan endemica, a *Gmelin*, *Pallas*, *Falk* et *Richter* descripta; — lepra *arctica* (Norvegica), in Norvegia *Radesyge*, in *Islandia*, Grönlandia et Lapponia *Likträa* vocata, et a *Büchner*, *Callisen*, *Arbo*, *Hensler*, *Sprengel* delineata; — *pellagra* (lepra longobardica, mediolanensis, das Pellagra, der lombardische oder mailändische Aussatz) plebem pauperrimam et ruricolas Italiae superioris infestans, a *Frapolli*, *Gherardini*, *Strambio*, *Perinetti* et *Cerri*, *Jos. Frank*, *Stoffella*, et *Fr. ab Hildenbrand* descripta; — tandem *rosa* seu *lepra Asturica* (die Asturische Rose) infimam plebem profundissimarum Asturiae vallium mulctans, a *Thiery* et *Sprengel* depicta.

Mala haec leprae cum morbis chronicis aliis, syphilide, scrophulis, scorbuto complicationes sistere, probabile est.

§. 879. Lepra pura est eruptio cutanea, chronica, substantiva, contagiosa, et hereditaria, quae maculis in cute albis aut obscuris, sensilitate orbatis, diu praegressis, vel pustulis ardentibus aut vesiculis herpetem aemulantibus, dysphoria universali, tandem febre, intermittentis typum saepe servante, praecursoribus evolvitur, formam vel squamarum, illis piscium non dissimilium, aut crustarum crassarum, vel tuberculorum cutis asperorum, insensilium praesefert, in ulcera erodentia, imo ossium, rebellia abit, et per tabem morti tradere victimas consuevit.

§. 880. Morbus hic purus abominabilis, sumopere torquens, nostris in Europae regionibus rarissimus, et non nisi *sporadicus* occurrit. *Naturae* ignotae specifica carens medendi ratione, vix unquam hucusque revera sanatus fuit. *Therapia* ad normas generales morbo, aegro, circumstantiis individualibus, influxibus externis

adcommodanda, dirigenda foret, ubicunque mali tractandi sese offerret occasio. Mercurialia caeterum, antimonialia, guajacina, decocta specierum lignorum, balnea varia, prae caeteris aliquam efficaciae medicae famam sibi pepererunt.

Specialiora de hoc morbo e fontibus haurire sequentibus non taedeat:

G. G. Schillingii de lepra commentationes. Recus. *J. D. Hahn.* Lugd. Bat. 1788. 8.

Ph. G. Hensler, vom abendländischen Aussatze im Mittelalter u. s. w. Hamb. 1790.

J. P. Frank, Epitom. etc. L. IV. §. 451.

C. Sprengel, Instit. med. T. IV.

Jos. Frank, op. cit. P. I. Vol. II. p. 476.

W. A. Haase, im a. W. Th. III. Abth. II. S. 346.

Genus V. Efflorescentiae papulosae.

§. 881. *Papulae* (Hautknötchen, Blüthen, Blätterchen) elevationes epidermidis super areola levissime inflammata minimas sistunt, acuminatas, fluidum modo visibili raro continentes, et, quin aperte suppurentur, quin saltem rumpantur, in crustulas communiter terminandas. (*Willan.*)

Papulosis adnumerantur efflorescentiis *species* tres: *strophulus*, *lichen*, et *prurigo*.

Spec. 1. Strophulus.

§. 882. *Strophulus Will.* (die Hitzblätterchen, Häutelblätterchen, Schälblätterchen, das rothe Ausfahren) papulas exhibet plus minus rubras, albidas, aut caerulescentes, infantum tenerae adhuc aetatis praesertim genis, antibrachiis, manuum dorso, quandoque partibus aliis quoque insidentes, communiter discretas, punctulis vero et stigmatibus rubris intermixtas, quae parum prurientes, raro dolorificae, hinc inde solum in vesiculas augentur liquido seroso aut puriformi repletas, et tempore indeterminato elapso, quin dehiscant, in de-

furfurationem aut largiorem epidermidis solutionem terminantur.

Jos. Frank, *Willan* et *Batemann* opp. cit.

§. 883. Varietates strophuli *Willan* describit quinque: stophulum *tinctum*, *album*, *confertum* (dentitionis saepe comitem), *volatilem*, et *splendentem*; quae vero usu practico pene exutae, specialem hic non merentur expositionem.

Strophulus absque prodromis et in prolibus caeterum sanis, rarius symptomatibus febrilibus et gastricis praecedentibus, erumpit, quae hoc facto evanescere solent. — Primarum viarum saburris, regimine, aëre nimis calidis, victu calefaciente excitatur; a dentitione difficili, a digestionis turbis saepe dependet; et alias non raro sequitur efflorescentias. Mihi strophulus prolibus familiarum scrophulosarum, constitutionis debilis, texturae cutis tenerae, mollis et laxae, habitus subcachectici communissimus est observatus.

§. 884. Ratione *decursus* papularum singularum (per duodecim, quatuordecim dies) strophulus brevis quidem est, ratione eruptionum iteratarum vero *diuturnus* esse solet. — *Levis* est communiter morbus, cujus tamen suppressio repentina (imprimis per refrigerium) tussim, vomitiones, diarrhoeam, convulsiones etc. inferre valet. Favente cachexia germinante dum disparet, alii plerumque morbo locum cedit.

§. 885. *Cura* causas excitantes abigendo, cutis munditiem et modicam transspirationem per lotiones quotidianas et balnea tepida saepe iterata sollicitando, sustinendo perficitur. Et ad retrogressum strophulum revocandum, malasque sequelas praepediendas eadem sufficere sola saepe visa est.

Spec. 2. Lichen.

§. 886. *Lichen W.* (die Schwindflechte, der Schwindflecken) efflorescentia *symptomatica*, non contagiosa,

adultis fere solis infensa, papulis rubris aut bruneo-flavidis, late extensis, noctu maxime prurientibus, et in epidermidis defurfurationem desinentibus insignitur.

Willan et *Batemann* opp. cit.

§. 887. Tres quatuorve per dies motus febriles praecedunt, cum eruptione cessaturi. Comparent primum in facie aut brachiis papulae, intra triduum aut quatriduum inde ad truncum et extremitates inferiores expanduntur, una, tribusve persistunt septimanis, pallescunt, desquamatione terminantur. Ast non raro iterum iterumque redeuntes in menses protrahunt malum. In facie plerumque majores ac in corpore reliquo, minus acuminatae, in manibus quandoque vesiculares inveniuntur, caeteroquin jam discretae, jam in plagis irregulariter orbicularibus gregatim confertae (lichen *circumscriptus W.*), quemadmodum quandoque vaccinam excipientes; jam minimae jam magnae et inflammatae (l. *agrius W.*); jam dilute rubrae jam lividae (l. *lividus*); nonnunquam unice pilorum bulbos obsidentes (l. *pilaris*). Attentione deficiente cum morbillis, scarlatina miliari, imo cum scabie, et in specie lividae cum miliaribus scorbuticis possent confundi.

§. 888. Lichen cute imprimis tenera et magna organismi favente irritabilitate per calorem externum causatur, quare nonnullos omni fere aestate vexat; per cibos, potus, pharmaca calefacientia; per digestionis anomalias; — cephalalgias insuper arthriticas, nervosasque hinc inde comitatur.

§. 889. *Prognosis* non a lichene adeo quam a causis nunc recensitis earumque reliquis per organismum effectibus, constitutione aegrorum etc. depromenda est. Suppressio attamen suas quoque malas generat sequelas.

§. 890. Indicatur *therapia* causis, morbo toto, exanthematis stadio, duratione etc. Agere pergentibus causis initio in methodo antiphlogistica, postmodum dia-

pnoica, congruo regimini diaetetico nupta, speciatim in lotionum balneorumque simplicium tepidorum adplicatione consistit.

Spec. 3. Prurigo.

§. 891. *Prurigo* (die Juckblätterchen, das Hautjucken) in papulis teneris, mollibus, excoloribus, hinc facile praetervidendis consistit, per partes singulas, frequentius vero per totam cutis superficiem extensis, quae vel modice, et non nisi ab exaestuatione, aut refrigeratione, et corpore denudato fortius pruriunt (*pr. mitis W.*), vel pruritu vehemente continuo et formicationis aut punctorarum velut aciculis inflictarum stipantur sensu (*pr. formicans W.*), frictione transitorie augentur ac rubefiunt, et longam ast indeterminatam post moram successive evanescunt.

Willan et *Batemann* opp. cit.

§. 892. Impetigo haec incommoda potius quam momentosa aut periculo juncta in subjectis junioribus aeque ac senilibus (*pr. senilis*), mitior tamen, brevior, et sanatu facilior in illis quam in istis, occurrit. — Causae *occasionales* inculpandae sunt: atmosphaera fervens; potus spirituosi, exaestuantes; victus nimium irritans, animalis; aromatum, salis, aceti, aliorum acrium abusus; spurcities. Cum digestionis turbis insuper, cum stasibus in systemate venae portarum, praesertim aetate provectiore, cum imperfecta sanguificatione ac nutritione, excretionum anomaliis efflorescentia haec in nexu causali saepe deprehenditur.

§. 893. Citra causarum excitantium et malum sustinentium abigendarum, infringendarum necessitatem *curatio* versatur in assidua cutis munditie per lotiones balneaque simplicia, licet ista impetiginem initio uberiorem prolicere soleant, praestanda; in circulo sanguinis moderando, mitigandisque humoribus per victum parciorem, digestu facilem, non incitantem, potulenta blanda lar-

gum imprimis aquae, emulsionis amygdalinae tenuis, seri lactis, hujus ipsius aqua diluti usum; in excretionibus moderate promovendis per motus corporis, et, prout necessarium cognoscitur, per remedia diapnoica, aut diuretica mitia, aut eccoprotica, v. gr. infusa, decocta herbae, radicis althaeae, flor. verbasc., malv. etc. cum roob sambuc. et cremore tart., hunc solum cum saccharo aut simul floribus sulphuris etc.

Unguentorum et lotionum diversarum usus effectu communiter destituitur; ast *Willan* plagas vehementer prurientes lavando cum aceto amoniacali diluto nonnunquam cito impetravit levamen.

Genus VI. Efflorescentiae nodosae.

§. 894. *Efflorescentiae nodosae* s. *tuberculosae* (nodi, tubercula, knotige Ausschläge) *Willano* dicuntur, quae tumescentiis cutaneis superficialibus parvis, duris, circumscriptis, partim perstantibus, partim suppurandis sese manifestant.

§. 895. Secundum *Willani* classificationem *species* novem: phymata, verrucae, mollusca (Schwammgeschwülste), vitiligines (Schwielen), acne seu vari, sycosis (Feigmaal), lupus (der offene Krebs), elephantiasis, et framboesia (Guinea-Pocken oder Yaws) huc referendae forent; quum vero aliae in libris chirurgicis pertractentur, aliae nostris in provinciis nunquam se offerant, brevem solius *acnes* et varietatis *acnes rosaceae* expositionem hic sufficere censeo.

Species: Acne.

§. 896. *Acne Will.* (vari, die Finnen) sunt tubercula minora aut majora, dura, rubra, aut rubro-caerulea, aut purpurea, in facie praeprimis et quidem in naso, fronte, nec non in genis et circumferentia oris conspicua, quae quandoque prurientia et ardentia apice aspredinem aut crustulam gerunt, et vel sponte ruptae (quod

septimana secunda et ex parte solum fit), vel pressae humorem puriformem aut seroso-cruentum dimittunt, inque crustulam abeunt, septimana tertia lapsuram.

P. Frank, Willan et *Bateman* opp. cit.

§. 897. Vari iteratis saepe prodeunt vicibus, aut successivam eruptionem discreti in septimanas, imo menses protrahunt.

§. 898. *Dispositionem* nonnunquam agnoscunt hereditariam, tunc insanabiles; caeterum spirituosorum abusu, victu nimis lauto, exaestuante, venere immodica, onania *causantur*. *Symptomatici* arthritidem, syphilidem, stases in systemate venae portarum cum bilis vitiata secretione, haemorrhoides, dyspepsiam etc. concomitantur.

§. 899. Hinc *therapiae* cardo circa causas excitantes aut morbos principes tollendos versatur, et regimen diaeteticum congruum servandum. Externe balnea simul et lotiones ex solutionibus aquosis boracis, salis ammoniaci depurati, sodae carbonicae etc., cum aut sine pauxillo spiritus vini aut tincturae benzoës, in sexu praecipue sequiore, conveniunt.

§. 900. *Acne rosacea* (gutta rosea, das kupfrige Gesicht, der Kupferhandel) acnes varietas, maculis splendentibus, inaequalibus, coloris purpurei aut bruneo-rubicundi sese prodit, pro parte aut ex toto modice elevatis, quae hinc inde acnis minoribus majoribusve partim duris perstantibus, partim in suppurationem ante memoratam et desquamationem transeuntibus obsitae, ab apice nasi consuetim initium sumunt, ad totum inde nasum, ad genas ultra et frontem progressurae. Pallidius tempore matutino, a prandio autem et qualibet corporis exaestuatione intensius rubent.

§. 901. Ante annum aetatis quadragesimum acne rosacea, nisi praevalens ei faveat hereditaria *dispositio*, raro conspicitur. Jam abusus spirituosorum potuum et calefacientium in genere *effectum*, jam arthritidis, infar-

ctorum abdominis viscerum, et circuli praesertim in venae portarum systemate cohibiti *symptoma* sistit.

§. 902. Raro perfecta obtinetur *sanatio;* potatores enim pravae consuetudini aeque ardue valedicunt, ac morbi guttae rosaceae principales difficillime eradicantur. His solum idoneo tractatis modo externa quoque aliquod ferent emolumentum. Conveniunt autem pro mali statu emollientia, et nonnisi phaenomenis inflammatoriis absentibus lenissime adstringentia, uti: aqua cum pauxillo aceti simplicis aut saturnini, aluminis, boracis, spiritus vini; aqua rosar. cum posteriorum uno alterove; unguenta simplicia pauco alumine, aut vitriolo zinci, aut aceto lithargyri etc. addito.

Classis IV. *Cachexiae.*

CAPUT I. *De cachexiis in genere.*

Sect. I. *Cachexiarum definitio, descriptio, causae, essentia, differentiae, prognosis et therapia in genere.*

§. 903. *Cachexia* (a κακὴ ἕξις, malus, depravatus habitus) vi vocis depravatum corporis habitum denotat. Cachexiae proinde seu morbi cachectici dicendi essent, qui depravato corporis habitu insigniuntur. Talis autem habitus, si pro alienato cutis sumitur colore, ab humorum cutis copia, miscela et motu peccantibus immediate pendet, et non variarum modo noxarum idiopathicarum v. gr. tenebrarum, aëris impuri, spurcitiae etc. uti et malorum cutis chronicorum sistit effectum, sed ad alios quoque morbos accedit, qui humorum perfecte elaboratorum (in organismo praecipue in circulo) copiam quacunque ex causa imminutam, vitiatam qualitatem, motum languidum, distributionem inaequabilem comites habent. Depravatus igitur habitus morborum varii generis symptoma est nimis inconstans, quam ut *solum* pro pleno classis morborum charactere valeat. Significatio ejus et valor semioticus ex *phaenomenis comitantibus*, et ex *communi* eorum *fonte* simul pensitatis corroboretur, necesse est. Sunt autem *phaenomena contemporanea:* integumentorum partiumque mollium caeterarum laxitas, macilentia, debilitas varii gradus; decursus lentus; duratio longa; adfectio totum per organismum expansa; — *fons communis:* elaboratio humorum vitiosa eorumque dyscra-

sia; penuria sanguinis, cruoris in specie et partis fibrosae parcitas; nutritio insufficiens.

His praemissis cachexiarum nomine (passim cum *Sauvagesio, Cullenio, Swediaur*) morbos intelligo *universales, chronicos, qui absque febre primaria aut nevrosi, in vegetationis* (assimilationis, sanguificationis ac nutritionis) *tabe consistunt* et *colore cutis depravato* (pallido, flavicante, virescente, aut terreo), *solidorum omnium laxitate, macilentia, viriumque vitalium debilitate insigniuntur.*

Chronicus dicitur morbus, qui sine febre primaria lente decurrere, adeoque diu durare consuevit.

§. 904. Nosologorum plerique cachexiis inserunt icterum, chlorosin, scorbutum, scrophulas, rhachitidem, luem veneream, tabem cum et absque febre ac suppuratione, hydropes, tympanitidem, phthiriasin, et ex morbis cutaneis scabiem, herpetem, tineam, plicam, lepram etc. Ast icterus, scrophulae, hydrops characteristicas cachexiae notas ubique non offerunt, imo nec depravato habitu semper, si icterum excipis, notantur, qua cachexiae tunc nequaquam agnoscendi et tractandi; — scabies, utut cachexiae fontem sistat diuturna, in se spectata vero cachexia declarari nequit; et s. p. Unde patet, in cachexiarum classe quasdam occurrere morborum species, quibus in perfecto, dummodo prostaret, systemate nosologico alius conveniret locus. Nunc tamen locus in systemate nondum congruus ad diagnosim et therapiam erroneam minime seducet.

§. 905. *Notas specierum* singularum characteristicas morbi cachectici a suis trahunt *sympiomatibus*, quae partim a *fonte* speciali, e quo fluunt et aluntur, partim a *praevalente systematis* aut *organi* cujusdam *adfectione* pendent. Sic hydrops, ubi cachexiae progenies, cruoris et partis fibrosae sanguinis penuria cum seri abundantia insignitur; chlorosis consimili sanguinis crasi cum catameniorum defectu, parcitate, irregularitate, — scorbu-

tus aperto sanguinis in decompositionem nisu, — scrophulae eminente systematis vasorum glandularumque lymphaticarum adfectione cum lymphae ipsius vitiis, — rhachitis ossium emollitione ac intumescentiis etc. notantur.

§. 906. Cachexiae segnem faciunt *decursum*, ob turbas facile intercedentes saepe irregularem; *stadia* non raro longissima habent cum progressu aut regressu sensim contingente, hinc ardue adsignando; sunt imo, quarum formae stadio certo propriae per menses, imo annos subsistere nonnunquam conspiciuntur, uti phthisis pulmonalis in senibus, scrophulae, hydrops ascites, ovarii etc. Morbo acuto superveniente solennes quandoque experiuntur mutationes; jam enim plenaria earum evolutio et progressus accelerantur vel inhibentur, jam promovetur decrementum, invitantur crises, jam perfecta imo sanatio inducitur.

§. 907. *Duratio* chronica est; caeterum vero mox paucos intra menses finita, mox in longam protensa annorum seriem, generatim adeo inconstans, ut non in variis solum speciebus, sed in eadem quoque pro diversis rerum adjunctis plurimum variet. Specierum expositio illam, quoad fieri potest, accuratius indicabit.

§. 908. Pari modo de cachexiarum *terminationibus* in sanitatem, recidivos aliosve morbos, et in mortem, ubi de singulis tractabitur, sermonem minus generalem facere licebit. Juvat interim tenere, cachexias aetatem infantilem ac puerilem prementes nonnunquam emendari dentitionis primae vel secundae opere, aut pubertatis evolutione; manifestis subinde *crisibus* dynamicis atque materialibus, hisque jam penes et per evacuationes varias: epistaxin, haemorrhoides fluentes, urinas ac sudores largos, alvum, nec non salivam copiosam, jam vero per metastases criticas: efflorescentias cutaneas, furunculos, tumores inflammatorios aliosve, imo abscessus et ulcera etc. ad finem perduci; formam cachexiarum unam

casibus infaustis in aliam transire v. gr. rhachitidem in scrophulas, aut cum altera copulari v. gr. phthisim purulentam, chlorosim cum hydrope, istum cum scorbuto etc.; cachexias senibus supervenientes, etsi non senii ipsius socias naturales, consuetim nonnisi cum vita finiri.

§. 909. Cachexiae *differentias* cum morbis aliis communes agnoscunt. Dantur enim *substantivae* et *symptomaticae; primariae* et *secundariae;* hereditariae, connatae et adquisitae; pandemicae et sporadicae; purae et mixtae s. complicatae; simplices et compositae; febriles et non febriles; contagiosae et non contagiosae; *cachexiae* tandem sensu stricto et *cacochymiae.*

§. 910. Quoad *genesim* id omnes commune habent cachexiae, quod dispositione individuali, potentiis nocentibus, morbisque praeparentur et efficiantur, quibus facultas inest, assimilationem normalem laedendi, inferendi humorum vitia quantitativa et qualitativa, infringendi nutritionem, atque disproportionem continuae in organismo consumtionis ad reproductionem, cum manifesto prioris praepondio, causandi.

Disponunt itaque aetas tam infantilis tenera et puerilis, quam senilis provecta; sexus sequior prae virili; constitutio imbecillis sensilis ac irritabilis cum vita debili; hereditaria vel in cachexias generatim vel in certas earum species opportunitas, qualis v. gr. in sensilitate nimia universali hereditaria, in habitu phthisico, proclivitate in tumores (phisconias), indurationes, scirrhos hepatis, lienis, pancreatis, glandularum meseraicarum et lymphaticarum etc. invenitur; temperamentum phlegmaticum, melancholicum prae caeteris; sed et vita animalis debito intensior.

Potentiis *excitantibus* adnumerantur: a) inopia, pravae qualitates, actio incongrua momentorum externorum ad assimilationem, sanguificationem, nutritionem normalem necessariorum, ciborum videlicet ac potuum, aëris, lucis, caloris; b) influxus nimis fortis, aut con-

tinuus, aut saepe repetitus rerum processui vitali alendo non faventium, aut cohibendo plane, destruendo parium, ut: potulentorum acrium, exaestuantium, pharmacorum stimulantium, chemice irritantium, solventium, decomponentium, evacuantium, ideoque immediate ac directe debilitantium, narcoticorum; venenorum omnis generis; c) excessus, defectus, alternatio inconveniens actionis et quietis tum corporis tum animae, vigiliarum et somni, speciatim motuum corporis, mentis lucubrationum, animi adfectuum et pathematum, sic et cupidinum variarum, veneris praematurae, immodicae, vulgivagae, turpissimae etc. — Ad *morbos*, cachexiarum fontes, spectant: debilitas vitae universalis hereditaria, connata, adquisita; debilitas aut laesiones functionum, vitia organisationis, situs, nexus systematum aut organorum vegetationi praeprimis dicatorum, ab atriis, quae cutis, vasa absorbentia, pulmones, organa digestoria exhibent, ad ultima usque vasa capillaria; omnes morbi materierum assimilandarum aut humorum jam assimilatorum dispendiis v. gr. per emesim, catharsim, haemorrhagias aliaque profluvia, suppurationes etc. juncti; omnes non rite judicati, quibus chronica proinde febris, phlogosis, eruptio cutanea etc., quibus cruciatus adhaerent diuturni.

§. 911. *Essentialis* cachexiarum *indoles* in humorum assimilatione imperfecta, sanguinis penuria et vitiosa qualitate (dyscrasia), insufficiente igitur productione et restauratione, veraque varii gradus debilitate vitali, non singulis, sed unitis, mutuoque illarum inseparabili influxu morbifico, consistit.

§. 912. *Prognosis* e momentis notis generalibus prudenter pensitatis desumenda, ex natura nimirum cachexiarum, forma et modificatione, magnitudine, stadio, consuetis decurrendi ratione et terminationibus cognitis, e naturae et artis in medendo potentia, nec non influxibus variis lateralibus jam secundis jam adversis, quos inter constitutio epidemica regnans non infimum occupat

locum. Fluit partim ex animadversionibus circa hanc morborum classem hucusque factis, partim in specierum descriptione tradetur. Rarior bona quam mala est. Hanc fieri jubent dispositio eminens, potentiae occasionales non superandae, adfectio universalis fontemque vitae vegetativae concernens, ardua ob noxas facile ac saepe intercurrentes curatio, ideo et sanatio, siquidem speranda, lenta, facile differenda, imo frustranda.

§. 913. In cachexiarum, ut in aliorum morborum *tractamine* generatim indicatur, occasionales causas et morbos principales tollere, enervare, et omnes arcere noxas; cachexiam ipsam pro indole, forma, magnitudine, stadio etc. tractare, nec non singula simul symptomata urgentia ita adgredi, ut sanentur aut sanationem respuentia restringantur ac leniantur; crises si quae contingunt dirigere; denique convalescentiam promovere.

In *causas* excitantes adhuc activas methodo agatur tam indoli earum ac sedi, quam morbo ipsi congrua. In cachexiis secundariis ac symptomaticis morbum primarium ac principem rite curare oportet. — Arceri insuper cuncta debent, noxarum titulo superius recensita.

Therapia in *cachexias ipsas* dirigenda communis, hic commemoranda, esse potest, quatenus in singulis emendare vegetationem, adeoque adlaborare opus est, ut assimilatio tota et reproductio extollantur, consumtio ad normalem reprimatur, macies proinde, siccitas, laxitas organorum, vitae debilitas effectivae sistantur; caeterum specialem singularum specierum indolem formamque sequitur, in nonnullis specifica imo desideratur. Conveniunt itaque casibus plerisque: a) nutrimenta tam fluida quam solida blanda, bene nutrientia, facilia digestu, qualia sunt juscula carnium cum oriza, hordeo perlato, salep, sago, pane albo, jura limacum; ova sorbilia, lac et lacticinia, serum lactis; carnes tenerae ac succulentae non pingues, uti vitulina, agnina, pullorum, columbarum etc., paratae ex iis, aut e rasura cornu cervi, aut

piscibus nonnullis gelatinae; decocta denique mucilaginosa, mixturae gummosae, emulsa, gelatinae vegetabilium; b) pharmaca plus minusve tonica, mucilaginosa simul aut adstringentia. Spectat huc cerevisia quoque amaricans, parum spirituosa, bene defaecata.

Cura *palliativa* pro multifariis symptomatibus morbisque principalibus plurimum variat. Sanatoriam frequenter optime adjuvat, partemque necessariam ejus constituit, alias (in non sanabilibus) curam, quae possibilis est, omnem non raro sola explet.

Therapia tam radicalis quam symptomatica et mutationibus cachexiarum, et complicationibus saepe accedentibus, nec, nisi acutae fuerint, semper adeo manifestis, ut facile cognoscantur, studiose debet adcommodari. Lente plerumque festinandum; quandoque a pharmacis per intervalla abstinendum. Regimen et diaeta conveniens in hac therapia plurimum valent. *Eadem de caeteris quoque chronicis morbis sunt tenenda.*

§. 914. *Crises* cachexiarum, siquae manifestantur, evacuatoriae, metastaticae, per metaschematismum contingentes ut rite dirigantur, attentionem in statum priorem, propriam earum indolem, formam, locum, effectus, et vires vitales convertere oportet.

§. 915. Ut *convalescentia* maturetur, effectus cachexiae exantlatae residui, ac dispositio superstes tollantur, et, quaecunque favent recidivae, omni avertantur studio. — Rationes hujus tractaminis ad species singulas reservare, brevitatis et intellectus facilioris causa opportunum censeo.

Sectio II. *Cachexiarum ordinatio.*

§. 916. Nosologi, quibus cachexiae nomen non pro generibus sed pro classe morborum designanda valet, *Sauvages*, *R. Vogel*, *Cullen*, et *Swediaur*, cachexias varios in ordines, genera et species distribuunt.

Sauvages coloris, figurae, molis in corporis habitu depravationem qua cachexiarum characterem statuens, in systematis sui classe decima *ordines* illarum *septem* enumerat: maciem; intumescentias; hydropes partiales; tubera; impetigines; icteritias et cachexias anomalas. — *R. Vogel* in classe octava systematis *„male coloratam corporis constitutionem, cum debilitate“* signa cachexiarum characteristica agnoscens, missis ordinibus, *genera* exponit *viginti et quinque*: cachexiam; chlorosim; icterum; melanchlorum; atrophiam (sine febre), tabem (cum febre lenta), phthisim; hydrothoracem et s. p. — *Cullen*, cui cachexia est *„habitus depravatus totius vel magnae partis corporis, sine pyrexia primaria vel nevrosi,“ ordines* habet *tres*, in sectiones ulterius et genera divisos: marcores nimirum, intumescentias, et impetigines; etc. etc. — *Swediaur* pro cachexiis et cacochymiis una classe comprehensis characterem *„habitum vel humores corporis depravatos“* indicans, *sectionibus duabus* titulo simpliciorum et compositarum, *ordines decem*, generaque plurima (quorum pleraque mera symptomata, nec specierum quidem dignitatem merentia) stabilire conatus est. — *Haase* tandem (üb. d. Erkenntn. u. Cur der chron. Krankh. etc.) cachexias *„morbos chronicos systematis reproductivi“* salutans, titulis *ordinum septem* exponit eosdem: cum praevalente abnormitate in organis ex- et secernentibus; cum praevalente vasorum glandularumque lymphaticarum, — systematis vasorum (sanguiferorum puta) adfectione; cum praevalente corporis consumtione, — organi cutis adfectione (efflorescentias chronicas); morbum venereum s. syphilidem; et morbos verminosos.

§. 917. Classificationum istarum jam conceptui manco de cachexiis, jam symptomatibus et effectibus praecipuis earum, jam sedi istorum, jam indoli specificae, jam pluribus momentis simul superstructarum, adeoque unitate principii divisionis carentium, analysi criticae pe-

nitiori, vix utili, supersedeo, propriam sequens, utinam minus imperfectam, cachexiarum ordinationem. Hanc eminenti formae ac sedi praecipuae superstruens, *ordines* sufficere *tres* censeo: I. *Cachexias cum praevalente macie universali* (marcores *Cullen.*); II. cachexias *cum praedominantibus assimilationis abnormitate, humorumque vitiis* (dyscrasias, cacochymias *auctor.*); et III. cachexias *cum exsuperante systematum singulorum adfectione.*

Ordine primo *genera duo* continentur: 1) *tabes*, marcor sine suppuratione; cujus *species:* tabes nervosa, dorsalis, atrophia infantum et senum s. marasmus senilis; 2) *phthisis*, marcor cum et ex suppuratione, *species:* phthisis pulmonalis, trachealis, hepatica, lienalis, stomachica, enterica etc. etc.

Ordine altero *genera* pariter *duo:* 1) cachexiae *cum dyscrasia sanguinis* (cacohaemia *Swed.*); *species:* scorbutus, chlorosis, et cyanosis; 2) cachexiae *cum dyscrasia humorum secretorum; species:* polyblennia, helminthiasis, hydrops, et pneumatosis, comprehenduntur.

Ordine tertio *genera tria* occurrunt: 1) cachexiae *cum eminente adfectione systematis cutanei* (cacodermata *Swed.*); *species:* syphilis; 2) cach. *c. emin. adfectione systematis lymphatici; species:* scrophulae; et 3) cach. *c. praedominante adfectione systematis ossium; species:* rhachitis.

§. 918. Intumescentias *Cullenii* et aliorum nonnullorum alibi subsumsi, ubi ratione causarum proximarum aptior locus videbatur; sic polysarcia et phisconia variorum morborum effectus potius aut symptomata quam morbos substantivos sistunt; intumescentias hydropicas et pneumatosim inter dyscrasias collocavi. Utut caeterum cachexiarum, recentioribus nomine morborum chronicorum systematis reproductivi insignitarum, divisiones mihi notas huic meae praeferendas non esse censeam, facile tamen concedo, morbos nonnullos cutaneos chroni-

cos: herpetem chronicum, tineam, plicam, lepram et elephantiasim etc. pari, ac inter efflorescentias cutaneas, jure hic pertractari posse. Ast locus in systemate ne obsit, quominus naturae singulorum eruendae et therapiae huic adcommodandae assidua impendantur studia.

Cap. II. De cachexiis in specie.

Ordo I. Marcores.

Genus I. Tabes.

§. 919. *Tabes* (die Abzehrung, Auszehrung) nobis est cachexia, *emaciatione universali et debilitate*, citra organi aut visceris cujusdam suppurationem causalem, insignis, accedente utplurimum *febre depascente.*

Hippocrates, de morb. L. II. Sect. II. c. 17. Sect. III. c. 18. 19.
Celsus de Medicina L. II. c. 7. L. III. c. 22.
Cael. Aurelianus de morb. chron. L. III. c. 7. de nutrimenti cessatione ἀτροφία Graecis vocata.
R. A. Vogel acad. praelect. de cogn. et curand. pr. c. h. affect. §. 638—646.
Cullen, *Hecker*, *Haase* etc. opp. cit.

§. 920. Rarae sunt tabes ab aequabili totius organismi adfectione substantivae et primariae; plerisque morbus organorum singulorum vel subest vel in decursu adsociatur; non paucae, dum adolescunt, in phthises mutantur aut cum his miscentur.

§. 921. Omnis tabes, etsi primis temporibus quandoque non febrilis, ulterius progressa *febrim* nanciscitur sociam, effectivam, utut decursu segnem, facie mitem, duratione tamen in menses imo et annos protracta organisationem destruendo et vires vitae consumendo summe formidandam, exitialem. Quare febris *lenta*, *hectica*, *tabifica*, *depascens* audit.

§. 922. *Symptomatica* est haec febris, certarum in organismo mutationem effectus, certae imprimis humoris dyscasiae in tabe omni determinatum ad stadium eve-

cta incipientis. Febris autem simul praesens triplici adhuc alia in relatione ad tabem potest adesse: a) qua causa tabis, vel b) causae communis coëffectus, vel c) qua morbus lateralis, originis separatae (complicatio), solummodo coëxistens. Primae relationis casus obtinent, dum febris acuta quaecunque suos excedens terminos, quin resoluta fuerit, chronica evadit, ideoque tabifica; relationis alterius exempla in tabe ab animi pathematibus prostant, a moerore, curis, desiderio inani, nostalgia etc.

§. 923. *Febris lenta*, sive ex alia febre, sive ex morbo aut e momentis nocivis quibuscunque cum tabe simul profecta, vel ex hac serius evoluta, *exordium*, saepe vix animadvertendum, a *lassitudine spontanea* sumit, sensuque caloris praecipue in genis rubore circumscripto notatis, in palmis manuum pedumque plantis aucti, qui post pastum ingruentes brevi durare, vesperi tamen praevia horripilatione, nonnunquam horam explente, redire consueverunt. *Frigus* cum pallore et frigore cutis praesertim nasi, manuum pedumque etc. sociatum, progrediente malo mitius fit, tandem deficit. *Aestus* modicus, *siti* symptomatibusque caeteris aestui febrili consuetis stipatus, *pulsu* imprimis non proportionali, nonnunquam frequentissimo, centies et saepius intra minutum primum micante, duriusculo, parvo, saepe irregulari, brevis est initio, postea mediam ultra noctem protrahitur, donec sub somno terminetur sudore, superiores praecipue partes inundante, debilitatem augente. Urinae sub aestu aut postea missae sunt parcae, rubrae vel pellucidae vel turbidae, hypostasim facientes lateritiam vel albidam mucosam, crassam, hinc inde pelliculam versicolorem aut et pinguem exhibent, parietes vitri annulo notant, quandoque odorem spirant violaceum. *Appetitus* et *digestio* parum aut nihil, saltem non aequali ad febrem ratione turbari solent, prior imo saepe major sano est; *alvus* initio segnis, deinde normalis, sub finem autem diarrhoica, colliquativa. *Cephalaea* ipso sub aestu raro vexat;

perstant sensuum in- et externorum functiones, nonnisi extremo morbi stadio perturbandae; aeger *mobilis, irascibilis*, dulci lactatur *spe salutis*, ad mortem perseverante.

Febris dictis duabus periodis, post prandium et vespere intra quintam septimamque horam, exceptis mitior continuat, cum delassatione, opportunitate in horripilationes magna, pulsu non admodum frequente, ut igitur *continua* sit luculenter *remittens*. Exacerbationem a prandio sub initium horripilatio nulla, morbo increscente exigua et brevis aperit, ad ejus finem iterum, sicut de vespertina jam dictum, defutura. Exacerbationes ipsae subinde alternis exacte diebus fortiores (incautis pro febris intermittentis paroxysmis imponentes), et intensitate et duratione pedetentim increscunt, inque largiores magisque debilitantes desinunt sudores, ingravescente interea simul macie, collabente insigniter vultus et corporis volumine, mammis marcescentibus consumta pinguedine et musculis, protuberantibus ossibus, cute laxa, pallida, luride flavente, vitae quasi experte, — donec tandem casu lethali sudores colliquativi, cum diarrhoea colliquativa interdum alternantes, vox demissa, rauca, ardue intelligenda, tussicula sicca, lingua arida, aphthae, sensuum mentisque facultatum debilitas et inconstantia, deliria, utplurimum oedemata pedum etc. adsocientur; quibus omnibus extrema sub corporis extenuatione et consumtione mors finem imponit, placida plerumque, vere et autumno frequentior.

§. 924. Qui *stadia febris lentae tria* designant, auctores cum sudoribus vespertinis et nocturnis debilitantibus *secundum*, cum colliquativis tertium ingredi statuunt. Priora duo tempore admodum vario durant, ultimum semper brevissimo, paucas septimanas non excedente. Febris ipsa, utut primario frequenter activa, imo plus minus inflammatoria sit, vel speciatim, ut *Haase* (op. cit. T. III. §. 450. ets.) bene animadvertit, faciem

lentae nunc gastricae, nunc pituitosae, nunc nervosae praeseferat, sensim tamen characterem praevalentem depascentis induit, ultimo verae colliquativae ostendit.

§. 925. Faustis sub rerum adjunctis *sanationem* febris et tabis designant symptomatum imminutio, tandem cessatio nec deficiente penitus crisi evacuatoria, praeprimis si morbus a subpressa quadam se- aut excretione ortus fuerit et sustentatus, vel subinflammatoriam receperit indolem.

§. 926. *Disponunt* ad tabem non alia, quam quae ad cachexias (§. 910.) generatim nominabantur, momenta. — *Excitare* tabem valent: 1) nutrimentorum copia nimis parca aut prava qualitas virtusque nutritia insufficiens; (momento priori species a *Sauvagesio* statutae *atrophia lactantium*, alteri atrophia *scorbutica* et *ab hydrope*, suam quandoque debent originem;) — 2) quaecunque assumtorum assimilationem ac inde reproductionem graviter diuque praepediunt aut turbant, adeoque praecipue vel digestionem normalem, chylificationem, vel chyli absorptionem et traductionem in sanguinem laedunt (unde pro parte atroph. infantilis, et specialius tabes mesenterica *Sauv.*); vel sanguificationem, humorum circuitum aequabilem debitasque se- et excretiones, vel et ipsas demum organorum facultates assimilandi, deperditaque reproducendi infringunt, tollunt (unde tabes debilium *Cullen.*, ejusque varietates tab. nervea, lateralis, et senilis *Sauv.*); — 3) quaecunque consumtionem ultra modum intendent ac promovent, et quidem vel vires vitales nimium concitando, vel materiae organicae fluidae dispendia larga aut diuturna vel et extra circulum collectiones, adeoque vomitum, diarrhoeam, lienteriam, ptyalismum, diabetem, sudores, haemorrhagias, blennorrhoeas, spermatorrhoeam, galactyrrhoeam etc. etc., vel extravasata hydropica inferendo, sustinendo (unde atrophia inanitorum *Cullen.*, et varietates atr. a ptyalismo, sudatoria, a sanguifluxu, nutricum, ab hydrope et aliae

Sauv.). Ad numerum secundum et tertium spectantia multam potentiarum nocentium in- et externarum haud secus ac morborum omnis generis cohortem sistunt, in specialibus tabis formis exactius perlustrandam.

§. 927. His cum tabis nosologia collatis patet, *rationem proximam* ejus quaerendam esse *vel* in imperfecta sanguinis praecipue partis albuminosae et fibrosae elaboratione, insufficiente istarum per singula corporis organa distributione, horum facultate assimilatrice nimis debili, deficientibus igitur secretionibus necessariis, et pinguedinis ad organorum superficies et interstitia, infra cutem etc. depositione, *vel* in humorum speciatim dictarum sanguinis partium decompositione reproductionem normalem superante, avida proinde secretorum absorptione et per varias e corpore vias eliminatione; *vel* in utrisque simul, imperfecta assimilatione, insufficiente nutritione cum consumtione immodica.

§. 928. *Prognosis*, in qua vel maximi interest perspicere, num facile, difficile aut impossibile sit, dispositionem praevalentem, causam excitantem tabis, aut principalem morbum auferre, — atque *therapia* utilius in speciebus mox pertractandis exponentur. Praeter curam in momenta causalia dirigendam medelae scopus est, necessariam nutrimentorum digestu facilium et blandorum copiam organismo suppeditare, emendare digestionem, chyli elaborationem et traductionem in sanguinis massam adjuvare; intendere sanguificationem; se- et excretiones gubernare; proprias organorum facultates se ipsa nutriendi adaugere ac sustinere; omnem denique humorum jacturam sedulo praecavere.

Spec. 1. Tabes nervosa.

§. 929. *Tabes nervosa* (atrophia nervea *S.*, tabes sicca; vulgo *hectica*, Graecis olim *cachexia* (*Celsus*), nervöse oder Nerven-Schwindsucht, Nerven-Auszehrung) ea dicitur tabis species, quae penes communia ta-

bis symptomata (§. 919. et seq.) praevalentem offert systematis nervosi adfectionem, modo essentiali conjunctam.

Celsus de Medic. L. III. c. 22.
Morton Phthisiologia. Lond. 1689.
W. Trnka de Krzowitz, historia febris hecticae, omnis aevi observata continens. Vindob. 1783. 8.
D. W. Sachtleben, Versuch einer med. clin. oder prakt. Pathol. u. Therap. der auszehr. Khten. 2 Thle. Danz. 1792.
Hecker, *Conradi*, *Haase* in opp. cit.

§. 930. Inter phaenomena morbi hujus eminent: sensibilitas ac irritabilitas multo frequentius exaltatae (hyperaesthesia) quam depressae, abnormitates in functionibus organorum sensuum, operationibus mentis, animique dispositione, praecipue prostratio virium ingens, debilitas muscularis magna, tremores, spasmi, lipothymiae, a levi quaque intensione sudor; anorexia, apepsia jam sub morbi initium vexantes; oedemata serius, pulsus debilis, parvus, irregularis, admodum inconstans, morositas vel indifferentia et stupor, memoria labilis, mentis imbecillitas. Accedit ad haec vario morbi tempore *febris*, formam nervosae lentae gradus perquam moderati referens.

§. 931. *Exordium* hujus tabis non raro mitissimum est, vixque animadvertitur. Aegri praeter consuetudinem morosi, irritabiles, sensibiles, dysorexia et dyspepsia laborant, admodum lassi facillime defatigantur; ferit dein oculos macilentia; tandem rubor genarum circumscriptus, aestus palmarum ac plantarum pedis, exacerbationum febris comites, cum pulsu frequentissimo, parvo, subduro, contracto, et subsequis sudoribus nocturnis ac matutinis debilitantibus statum tristem omni eripiunt dubio. — Febri duplices celebrante exacerbationes, status nervosus antea descriptus intensitate ac extensione increscit, labuntur magis vires musculares, macies in extremum evehitur gradum, aeger ad pellem, ut ajunt,

et ossa extenuantur, sceleton aemulans. — Tandem, ut lectum deserat, deficiunt vires, incidit in anaesthesiam, fatuitatem, indifferentiam; patitur hinc inde paralyses, diarrhoeas cum sudoribus alternantes colliquativas, oedemata, deliria, et post brevem plerumque mentis absentiam placide expirat.

§. 932. *Duratio* tabis nervosae incerta, nunc in menses, nunc imo in annos excurrit. — *Transitum* in sanitatem rarum sperare interdum sinunt morbi initium, gradus levior manifesta dispositione aegri et gravi causa excitante ac sustinente deficientibus; therapia congrua tempestive facta; regimen corporis et mentis adaequatum, caeteraque faventia.

§. 933. *Dispositio* ad memoratam tabis speciem in individuis compagis debilis, tenerae, cutis tenuis, albidae, systematis nervosi mobilis, animi valde sensibilis, hinc in junioribus prae annosis, in feminis prae maribus occurrit. — Causae *excitantes* partim generales sunt tabis (§. 926.), partim speciales tum potentiae nocentes tum morbi, quibus vires nerveae simul ac assimilatio et nutritio infringuntur, ac systematis nervosi receptivitas exaltatur. Ad illas spectant: diuturnae graves curae, moeror, metus, anxietas, desiderium inane, nostalgia, studia praematura, nimia, invita Minerva, pervigilia protracta; abusus incitamentorum cujusvis generis, uti potuum aromaticorum, spirituosorum, coffeae, pharmacorum nervinorum stimulantium, calefacientium etc.; — ad morbos: febris acuta quaelibet cum nervoso charactere; nervosa lenta *Huxhami;* vesaniae, nevrosesque aliae afebriles chronicae, imprimis cum insultibus frequenter repetitis, quemadmodum cephalaea, nevralgia facialis, ischiadica, alia multiplex, agrypnia, cardialgia, convulsio etc. etc.

§. 934. *Causam* tabis nervosae *proximam* in vera systematis nervosi totius infirmitate cum receptivitatis excessu, atque exinde promanantibus musculorum debili-

tate, assimilationis ac nutritionis defectu, consumtionis autem praepondio haerere, verisimile est. — *Febris* proficisci videtur a praevalente humorum decompositione, dyscrasia, per continuas si non adauctas se- et excretiones ac restaurationis necessariae defectum inducta; a nimia virium circulationis intensione, indeque nata disproportione inter systema vegetativum et nervosum, aut inter praecipuas saltem utriusque partes; tandem a perstante forsan causae occasionalis aut morbi principalis febri faventis actione.

§. 935. *Prognosis* ex nunc memoratis morbi, subjectorum aegrorum, causarum etc. momentis desumitur. Notari praesertim debet, tabem nervosam, sive primariam sive effectivam, ubique morbum esse gravem, imo plerumque periculosum, initio nonnunquam et aegrum et medicum dolosa levitatis facie fallere, ideo cura neglecta aut minus strenua progressus facere utut lentissimos ardue tamen aut non sanabiles, et imo quandoque exhaustionem opinione citius inferre.

§. 936. In hac tabe *curanda* prae omnibus causam, si agere continuat morbumque alit et intendit, sine mora auferre oportet, dein therapiam eo dirigere, ut morbi naturam antehac memoratam ob oculos habendo vires universim erigat, nimiam sensibilitatem ad normalem reducat, assimilationem, sanguificationem et nutritionem adjuvet, morbi origine, statu afebrili vel febrili, stadio, modificatione, aegri constitutione etc. sedulo pensitatis. Respondet huic indicationi methodus restaurans, nutriens cum incitante tonica (§. 913.) et nervina nunc pacante, nunc erigente. Remediorum apparatum constituunt: prae omnibus nutrimenta blanda, parcissime aut non condita, bene nutrientia et facile digerenda, aër purus, blandus, moderate calidus; adcommodatus corporis motus passivus et activus, grata sensuum blandimenta, animi exhilaratio, distractio mentis; — balnea tepida vel ex decoctis emollientibus furfurum etc. cum lacte, aut partium

animalium, aut cum sapone, vel ex infusis decoctisque lenioribus aromaticis analepticis, aut roborantibus, aut et parum adstringentibus, vel speciatim martialia; — pharmaca mucilaginoso-, aut aromatico- aut pure amaricantia, uti sunt lichen, columbo, cortex peruvianus, centaurium, trifolium fibrinum, gentiana, quassia, carduus benedictus, millefolium, chamomilla, absinthium; nervina blandiora: melissa, valeriana sylvestris et celtica, cinnamomum, castoreum, moschus; martialia tandem vel in pharmacis praeparatis vel in aquis Egranis, Sternbergensibus, Pyrmontanis, Spaadanis etc. cum lacte. Abstineatur a stimulis quibusvis acribus et validioribus, quemadmodum calamo aromatico, naphthis, liquoribus aethereis etc., quum processum vitalem nimis incitando symptomata imprimis febrim exasperent, inde et consumtionem promovendo noceant.

Nimia systematis nervosi mobilitas ac sensibilitas, aut systematis sanguiferi excedens irritabilitas si methodum principalem eludunt, prior opium, extractum hyoscyami, pulverem Doveri, altera acida mineralia maxime diluta, digitalem in accommodato cum praesidiis supra nominatis connubio sibi exposcunt.

§. 937. *Convalescentia* casu fortunato obtenta penes cautelam a recidiva strictissimam, iisdem methodis combinatis ea cum modificatione promovetur, ut successive et diaetae et regimini locus pharmacorum cedatur.

Spec. 2. Tabes dorsalis.

§. 938. *Tabes dorsalis* (t. coxaria, Rückendarre), ab eminente musculorum dorsalium emaciatione nomen trahens, strictius non tam propria *species* est, quam ea potius tabis nervosae *varietas* dicenda, quae ex nimia seminis jactura, per coitum immodicum et praecipue per onaniam, proficiscitur.

S. A. Tissot, von der Onanie etc. A. d. Lat. von *Wendelstädt* Marb. 1800. 8.

J. C. Wichmann de pollutione diurna frequente, sed rarius observata tabescentiae causa. Goett. 1782. 8.
Hecker, *Conradi*, *Haase* in opp. cit.

§. 939. *Tabes* dorsalis jam ab *Hippocrate* descripta (de morbis L. II. Sect. V.) sub nomine tabis coecae, ex medulla spinali derivata legitur. Juvenes corripit, recenter uxoratos, alios nimis libidinosos, praecipue nefando masturpationis crimini deditos; neque sexui sequiori immunitatem concedit.

Praeter communia tabi nervosae symptomata imaginem morbi perficiunt: *sensus formicationis* per dorsum, aquae frigidae vel calidae per lumbos ad regionem sacralem delabentis; *lumbago;* extremitatum inferiorum ad articulos dolentium delassatio magna, et tremores; *titubatio genuum;* musculorum faciei, dorsi, lumborum *tabescentia* insignis, cum notabili processuum spinosorum columnae vertebralis *prominentia*, et arduo hujus columnae motu sine appetitus defectu et sine febri, pollutiones frequentes non nocturnae modo, sed diurnae etiam, ab irritamentis libidinosis vel minimis per visum, auditum, ipsamque solum phantasiam agentibus, imo sub alvi urinarumque excretionibus proliciendae; impotentia ad coitum, praeceps ac praeoccupans seminis ejaculatio sub concubitus tentamine; stillicidium humoris tenuis mucosi continuum e genitalibus; quibusdam in casibus haematuria; cephalaea frequens dira, potissimum occipitalis, vertigo, obnubilatio, sensuum externorum hebetudo et hallucinationes praecipue visus et auditus, amnesia, mentis imbecillitas, fatuitas; hypochondriasis, animi dispositio morosa, iracundia, inquietudo, melancholia, taedium vitae; tremores, spasmi varii, cordis palpitatio, insultus asthmatis spasmodici, imo epilepsiae; bradypepsia, apepsia, flatulentia, acidum, pertinax alvi obstipatio. Facies interea defiguratur, moesta, fatua, senilis evadit, cutis pallida, frigida, sicca. Tandem febris accedit lenta, comite plerumque tussi initio sicca, sed

brevi in phthisim pulmonum purulentam abeunte, adsociandis nonnunquam paralysibus, imprimis amaurosi, quibus superveniente stadio colliquativo vitae miserrimae sub indefessis conscientiae cruciatibus finis imponitur, avide exoptatus.

§. 940. *Duratio* tabis dorsalis admodum varia speciatim determinari nequit.

Exitus in sanitatem faventibus circumstantiis quandoque praesente jam leviori febricula impetratur; longe frequentior autem cernitur in nevroses chronicas, spasmos varios, choream St. Viti, epilepsiam, in omnem vesaniarum formam, in paralyses, apoplexiam nervosam, vel in diversas cachexiarum species, phthisim puta pulmonalem, trachealem, hydropem, scorbutum transitus, — hisque mediantibus in mortem terminatio.

Cadaverum sectiones consumtionem et colliquationem universalem, in medulla spinali eminentem, constanter ostendunt.

§. 941. *Dispositio* hunc in morbum partim cum illa in tabem nervosam, partim cum alia in gonorrhoeam veram convenit. *Causae remotae* sunt, quae abusum functionum genitalium nimiamque humoris nobilissimi jacturam inducunt, a quibus immediate tabes dorsalis oritur. Spectant huc momenta gonorrhoeam veram generantia: onania; coitus praematurus, immodicus; aphrodisiacorum omnis generis sicut diureticorum acrium, stimulantium abusus; — sympathica genitalium irritatio per sordes gastricas, vermes, viscerum abdominalium praesertim vesicae, intestini recti, ovariorum, testium, prostatae tumores et organica vitia; — vasorum deferentium, vesicularum seminalium, ductuum ejaculatoriorum prostatae vulnus, erosio, ulcus, paralysis.

§. 942. Morbum tabes dorsalis semper gravissimum sistit, saepissime lethalem, sub faustissimis etiam circumstantiis difficile et sero sanandum. Quandoque menses labuntur et anni ad formationem usque completam;

si interea praetervidetur, negligitur, si causa excitans non vitatur, progressus facere consuevit nullo artis labore amplius sanabiles. Quamprimum febres vexant, stomachus nec mollissima retinet juscula, alvus liquida redditur, et crura tument, malum ita invaluit, ut nulla arte devinci queat. (*R. Vogel* op. cit. §. 641.) Aetati juniori et senili praeprimis infensum evadere, notum est.

§. 943. *Curatio* primo necessaria in ulteriorem seminis jacturam praepediendam tendat oportet. Ubi non corporis adfectio morbosa, sed phantasiae nimius vigor, et imbecillitas mentis voluptuosis sensuum blandimentis et consuetudinis potestati subjugatae subsunt, non a praesidiis pharmaceuticis aut diaeteticis, sed a psychicis inchoandum; — monita enim seria et consilia prudentia, fuga otii omniumque venerem excitantium intuitionum, colloquiorum, lectitationum, potuum spirituosorum etc., vita casta, sobria, si aetas caeteraeque circumstantiae permittunt, matrimonio ordinata; instinctus sexualis nimii moderamen, suffocatio turpissimi, sunt, a quibus praecipue opem expectes, simul ac morbos viscerum abdominalium non raro coëxistentes, seu causales seu laterales fuerint, debite respexeris. Adjuvant et diaetetica et pharmaceutica sequentia: cautela ab irritatione genitalium idiopathica quavis et sympathica; abstinentia a cibis, potibus, pharmacis, nimis nutrientibus, dyspeptis, flatulentis, mole aut qualitate multum stimulantibus, calefacientibus, a coena lauta, tarda, ab urinarum faecumve retentione longiore aeque ac excretione laboriosa; evitatio morae protractae situsve dorsalis in lectulo, eoque perquam molli et calefaciente; — internus usus largior camphorae cum nitro, aut acidis mineralibus dilutis, extracti hyoscyami etc., externus lotionum frigidularum lumborum ac dorsi cum aqua et aceto, aut aceto solo, aut spiritu camphorato, inunctionum unguentorum, linimentorum cum camphora, et, debilitate nondum permagna, balneorum egelidorum, frigidorum.

Curatio tabem ipsam spectans methodum exposcit cauta sub observatione instituendam nutrientem, atque roborantem. Commendanda sunt, parca tamen manu et pedetentim solum largiore: lac et lacticinia, gelatinae vegetabiles et animales, carnes tenerae, succulentae, nec non farinosa levissima non neglecto consuetudinis salubris respectu; amaricantia, cortex Peruvianus, ipsum suo tempore ferrum.

Quae *convalescentiae* in casu rariori impetratae corroborandae favent, non alia sunt, quam quae contra ipsum morbum valuerunt, remedia, imprimis regimen diaeteticum, mentisque moderamen aptissimum, constans, diuturnum.

Spec. 3. Tabes infantilis.

§. 944. *Tabes infantilis* (atrophia infantilis, paedàtrophia, atr. glandularis, mesenterica *Sauv.*, die Darrsucht der Kinder) illa nominatur species, infantes potissimum (ad tertium imo quintum usque annum) infestans, quae cum debilitate universali et eminente glandularum mesentericarum nec non hepatis statu scrophuloso nexum agnoscens causalem, citra tabis phaenomena hujus illarumque tumoribus, indurationibus, tandem desorganisationibus, tumidoque ex illis et duro ventre significatur.

Annot. Tabes *adultorum* ex eodem fonte rarior, sic et tabes ex eminente morbo non purulento organorum quorumcunque ad assumtionem, assimilationemque nutrimentorum facientium juxta eadem principia, ac tabes infantilis, aestimari debet et tractari.

Fr. Hoffmann, de atrophia. Hal. 1702. in opp. suppl. II.
Sachtleben, *Hecker*, *A. G. Richter*, *Haase*, *Jahn*, *Henke* etc. in opp. cit.
Dr. J. Chr. G. Jörg etc., Handb. zum Erkennen u. Heilen der Kinderkrankheiten, nebst d. Physiologie, Psychol. u. diaet. Behandl. des Kindes. Leipz. 1826. 8.

§. 945. Post ablactationem plerumque, antehac rarius, orditur. Stadia tria, tabis *incipientis* vel prodromorum, *confirmatae* vel febris hecticae, et *consummatae* vel colliquationis, emetiri consuevit. Vexant *initio* infantes inquietudo, morositas, tristitia, jam diarrhoea, jam alvus obstipa, frequenter alternantes, maxima in panem siccum et cibos farinosos propensio cum avidissima eorum commestione, carnium e contrario et jurium carnosorum aversatio insignis, *sitis* magna; accedunt pallor, mollities, laxitas, extenuatio, debilitas, ut incessum vires et animus recusent, parvulique continuo gestari cupiant. — Deinde abdomen tumidum fit, durum ac tensum, sub forti pressione profundius dolet, hepar grande ac durum, nonnunquam glandulas mesentericas volumine auctas et duras, hinc inde distinctas, tactui offert, et disproportione sua ad emaciationem faciei collapsae, rugosae, senilis continuo increscentem, et ad extremitates musculis fere consumtis extenuatas, cuteque lurida, flaccida, rugosa laxe circumdatas illico ferit oculos. Faeces jam fluidae jam siccae et durae, plerumque tenaces argillae adinstar albidae vel griseae, urinae tenues, pallidae, clarae vel turbidae excerni, halitus, transspiratio, hinc inde urinae quoque ingratum acescentem spirare solent odorem; animadvertuntur sic dicti *comedones* in dorso praecipue, post balneum tepidum facilius exprimendi, ab ignara plebe pro vermiculis, tabisque causis inepte sumti; non tamen desunt saepius vermes intestinales; et malo, imprimis macie et adynamia pedetentim tardius progredientibus signa scrophularum aliis quoque locis manifestiora explicantur; intumescunt videlicet glandulae cervicales, jugulares, subaxillares, inguinales, tenduntur, dolent, nec non rachitidis symptomata adsociantur. Interea *febris* evolvitur *hectica*, citius vel serius colliquativo induenda charactere, cum exhaurientibus humorum dispendiis mortem acceleratura.

§. 946. Tabes infantilis nunc mensium nunc imo annorum spatium explet; morbo non nimis intenso sub faustis rerum adjunctis infantes circa quintum septimumve aetatis annum adhuc convalescunt, et tunc primo incedere discunt. His fortunatis circumstantiis praeter vegetationem in infantiae periodo praevalentem accensendi sunt: defectus hereditariae dispositionis; causarum occasionalium absentia; moderatus morbi gradus, lentissimumque incrementum; tractamen congruum, regimen correspondens. Sed et istorum bene multi quemadmodum incremento et nutritione ita et viribus magnopere retardati per vitam languidi manent, in multiplex cachexiarum genus proclives. In aliis scrophulae, uti jam dictum, eminenter efformantur aut rachitis. Morbi gradus altioris desorganisationibus glandularum mesentericarum momentosis *(phthisi mesentericae)*, et magnae debilitati, diarrhoeae purulentae, aliisque hujus phthiseos symptomatibus juncti sunt, et lethales fieri consueverunt.

§. 947. Cadavera secta glandulas mesentericas saepe numerosas tumidas, rubras, duras, a pisi ad ovi columbini, et gallinacei volumen auctas, interne materiam lymphaticam, aut caseosam, aut lardaceam vel pus gerentes; hepar vel grande, molle, spongiosum, vel mole imminutum, durum, partim scirrhosum; vesiculam felleam bile tenui et pallida parum impletam; omentum, renesque succenturiatos pinguedine carentes; intestina pallida, laxa, passim inflata, saepe pituitam et vermes continentia, offerunt.

§. 948. *Dispositio* ad hanc tabis speciem in debilitate congenita, congenitis organorum systematis gastrici morbis, praecipue in diathesi scrophulosa habetur. — Momenta *excitantia* sunt: causae tabis communes supra nominatae, quousque aetatem infantilem infestare valent, specialius vero nutrimenta farinosa cruda, tenacia praemature ac mole incongrua porrecta; nimiae et iteratae ventriculi oppletiones per cibos utut bonae caeterum qua-

litatis; pharmaca adstringentia, exsiccantia, debilitantia, praesertim oxyda et sales hydrargyri (*Jörg*); motus praesertim uberiore sub diaeta deficiens; habitatio humida, frigidula, obscura; aër non satis renovari solitus; spurcities. Adultiores pariter hunc morbum patiuntur, favente praesertim scrophulosa diathesi, ab oppletionibus crebris, magnis, a vita sedentaria pronato valde trunco diu continuata, a plumbo (tab. *metallica* S.) etc.

§. 949. *Essentiam* mali consumtio universalis constituit, cujus ratio plerisque in casibus in scrophulosa adfectione universali, sed ad hepar et glandulas meseraicas plurimum eminente, invenitur. Hanc adfectionem glandularum in decursu morbi non raro cum inflammatione chronica conjunctam esse, non dubitabit, qui symptomata morbi superius enarrata cum inventis in cadavere abnormitatibus computaverit, et eam, quae dictos inter et externarum glandularum tumores scrophulosos intercedit, respexerit analogiam.

§. 950. *Prognosis* ex morbi periculo pleni historia, causarum ratione, aetate et constitutione aegrorum parvulorum etc. etc. facile formatur.

§. 951. In tabis infantilis *curatione primo* causae excitantes ac sustinentes amoveantur; *secundo*, ratio proxima nutritionis insufficientis, adeoque debilitas universalis et praecipuus organorum chylopoieticorum languor, una cum hepatis glandularumque mesentericarum infarctibus et febri lenta inde profectis, respiciantur. Morbo adhuc miti et afebrili conveniunt et aliquando sufficiunt victus melior, usus prudenter adcommodatus ciborum digestu facilium partim vegetabilium partim et praecipue ex carnium tenerarum genere, decoctum glandium quercus tostarum cum lacte, aër purus, moderate calidus, motus, gestatio, et mora protractior in libera atmosphaera; mundities; balnea tepida simplicia, saponata, muriata, vel cum malti decocto, vel infusis aromaticis tenuioribus etc. parata; his juncta tonico-solven-

tia, secretiones hepatis, pancreatis vasorumque in intestinis sollicitantia, uti: taraxacum, cichoreum, saponaria, fumaria etc. in decoctis simplicibus aut cum sero lactis dulci paratis, aut in extractis parva cum rhei, vel insimul liquoris terrae foliatae tartari, tart. tartarisati, sal. Seignetti, sod. phosphoratae etc. dosi, aqua solutis communi, blandiore aromatica. — Tabe autem provecta, visceribus nominatis multum tumentibus et dolorificis, consuetim tunc lenta phlogosi detentis, febrique lentae inflammatoriae sociatis indicatio est, phlogosim cum febri tollere, incitare systema lymphaticum, speciatim humorum in infarctibus stagnantium absorptionem promovere, caeterorum inde circuitum liberare. Hunc in finem requiruntur remedia antiphlogistica solventia, et specifica, quemadmodum decoctum, extractum graminis, sales mitissimi vix nominati, aqua Selterana, Joannea, calomel, sal ammoniacus, digitalis, cataplasmata emollientia abdomini imponenda et balnea, unguentum commune cum pauxillo mercurialis, linimentum volatile, sinapismi. Evacuantia fortiora ex rheo, senna, jalapa, calomele non quadrant nisi, poscentibus saburra, pituita, vermibus, rarius interpolata, et sub febris remissionibus luculentis porrecta. Remediis spirituosis et generatim circulum sanguinis exstimulantibus, quamprimum febris adest lenta, locus non conceditur. — Ubi progressa cachexia et infarctus adaucti symptomatum febrilium et inflammatoriorum expertes manent, ratio medendi in morbum adhuc mitiorem superius commendata intendatur necesse est. Fit hoc copulando remedia laudata tonico-solventia cum sale ammoniaco, flor. sal. ammon. martialibus, antimonii praeparatis, caulibus dulcamarae, conio maculato, guajaco, arnicae floribus, calce muriatica, terra ponderosa salita, et haec adjuvando per balnea, inunctiones dictas, per frictiones universales praecipue abdominis et dorsi calidas, siccas, vaporibus aromaticis impraegnatas. — Extremo malistadio, colliquativo nempe,

nil restat agendum, quam vires vitales pro possibili sustentare, exhaurientesque evacuationes per pharmaca, diaetam, regimen cohibere.

§. 952. In *convalescentia* ab omni recidivae occasione sedulo cavendum, et cura contra effectus cachexiarum superstites in genere praescripta, speciali cuivis casui adaptanda erit.

Spec. 4. Tabes senilis.

§. 953. *Tabes senilis* (t. senum, marasmus senilis, die Darrsucht, Auszehrung der Greise) marcoris species est, *vel* senes longaevitate decrepitos, *vel* alios modo morboso senilem statum praemature adeptos infestans.

§. 954. *Symptomata* essentialia sunt: habitus corporis depravatus, macies, siccitas, rigiditas, musculorum, articulorum mobilitas ardua, motus difficilis, lentus, inconstans, caput pronatum, dorsum incurvatum, tremor, incessus delumbis, pareses variae, digestio utut appetitu non deficiente tarda, imperfecta, talis et sanguificatio, inde kencangea, se- et excretionum fluidorum restrictio, defectus, debilitas sensuum, memoriae fallacia, imaginationis, phantasiae, rationis increscens infirmitas, animus mobilis, somnus parcus non reficiens, aut sopor etc. etc.

Haec sicut modo saepe vix sensibili initium sumunt, ita et lente numero ac magnitudine increscunt; diu proinde, imo per annos durant, donec morte tranquilla, nisi hydrops et colliquatio ante supervenerint, finiantur.

§. 955. *Ratio* hujus tabis *proxima* in viribus vitae ad exhaustionem debilitatis, assimilatione deficiente et vitiosa, praedominante consumtione, et in ipsorum organorum amissa ad functiones vitae necessarias aptitudine invenitur. — Causae *remotae* vel ipsa vita annosa ad naturae leges regressiva, vel artificiales aut morbosae potentiae sunt, quae processum vitalem pessumdant vel

insufficienter eundem alendo, vel necessarias ei subtrahendo conditiones, vel nimium intendendo et accelerando, vel et organa nobilia destruendo.

§. 956. Certum est, morbum sanari non posse, sed solum mitigari, exitumque nonnunquam procrastinari. Quare hunc saltem finem assequi therapia tendat, praescribendo leges regiminis et diaetae, nec non pharmaca adplicando. Prohibeantur et evitentur, quaequae vires vitales, imprimis vegetationem debilitant, delectentur moderate sensus, mens distrahatur et exhilaretur, commendentur motus in aëre libero saltem passivus, aër generatim purus, moderate calidus, balneorum usus emollientium, saponatorum quidquam aromaticorum, inunctiones, lotiones, frictiones oleoso-, spirituoso-aromaticae sub sedula cutis munditiei cura; victus mollis potius quam siccus, blandus leniter conditus, eupeptus, pro possibili consuetus, aut ei analogus; potus quidquam mucilaginosi; vinum blandum, non admodum spirituosum; — pharmaca quoque amara non adstringentia, amaro-aromatica, amaro-spirituosa, ex his composita, uti: lichen islandicus, trifolium, carduus benedictus, cortex Peruvianus, caryophyllata, chamomilla, absinthium, calamus aromaticus, tinctura absinthii, t. cort. aurant., t. stomachica etc. etc. Ast *ne quid nimis!* emollientium enim abusus laxitatem, atoniam auget, hydropem, solventium salinorum eundem aut scorbutum, evacuationes exhaurientes, colliquationem facile generat; methodus quaevis heroica vitam instantaneo discrimini exponit.

Genus II. Phthises.

§. 957. Nomine *phthisis* (a φθισις, φθορη, emaciatio, defluxio, die Schwindsucht) cachexia venit, eminente cum marcore juncta, et ab organi cujusdam aut visceris suppuratione aut ulceratione promanans.

Phthises itaque morbi sunt secundarii, inflammationum non resolutarum sequelae. Non est organon, cujus

suppuratio phthisim generare non valeret. Pro organis visceribusve suppuratis phthisium *species* statuuntur et cognominantur, quemadmodum phthisis pulmonalis, trachealis, stomachica, intestinalis, hepatica et s. p., de quibus infra sermo fiet.

§. 958. Citra marcorem universalem patefaciunt proinde phthisin symptomata propria, modo essentiali consociata, a) ab *organo* suppurato ac ulcerato, b) a *pure* profecta, et c) symptomata *febris lentae* inde modificatae, *suppuratoriae* dictae.

a) *Symptomata organis* suppuratione vel ulceratione detentis *propria* a propriis eorundem structura, situ, nexu anatomico et physiologico, functionibus pendent; varia igitur variorum organorum suppurationem comitantur, v. gr. dyspnoea, tussis, raucedo illam pulmonum; dolores sacrales et lumbales, uterini, blennorrhoea, mensium anomaliae, sterilitas illam uteri etc. quemadmodum infra dicetur. — b) *Effectus* praecipui *suppurationis aut ulcerationis* sunt: humorum jactura, si suppuratio, ulceratio vel superficiem visceris tenet vel ad superficiem progressa est, adeoque abscessum aut ulcus format extrorsum patulum, et humores ex eo directe vel e colatoriis quibusvis eliminari pergunt (phthisis ab ulcere, phth. ulcerosa *auctor.)*; symptomata *ab onere, obstaculo, viriumque suppressione*, si humores morbose secreti vel receptaculo membranaceo, in parenchymate aut infra superficiem visceris continentur reclusi (phth. a vomica), vel in corporis cava dimittuntur, quo in casu epyema, hydrops ascites purulentus etc. formantur; *sinus* ac *fistulae*, dum pus textum permeat cellulosum; *puris* atque *ichoris* pro parte *resorptio*, ejusdemque partim *assimilatio*, partim cum urinis, alvo, sudore etc. *excretio*, vel in cavum aut organon quodcunque *depositio; dyscrasia* humorum, cum notis effectibus deleteriis *dissolutio*. — c) *Febrim suppuratoriam* qua specialem lentae modificationem *produnt* partim effectus nunc memorati

suppurationis aut ulcerationis atque puris aut ichoris ipsius; nota inflammatoria initio varium per tempus manifestissima, cujus praesentia, duratio, periodicus recursus cum lenta visceris suppurati inflammatione, per influxus multiplices exasperanda aut revocanda, nexum essentialem agnoscunt; partim igitur et frigus exacerbationes introducens intensius, a regione visceris laesi egredi solitum, sensus caloris ibidem molesti aut aestus ardentis sub remissionibus etiam constans, percurrentibus interea saepius superficiem horripilationibus; exacerbationes ante meridiem quoque accedentes, paroxysmis intermittentium admodum similes; jam rapidus jam lentus ex inflammatorio in statum subsequum depascentem, et colliquativum transitus.

§. 959. Pro mutato febris hujus charactere *stadia phthisium tria* indicari solent: *inflammatorium* i. e. praevalentis adhuc inflammationis lentae, phthisis incipiens *auctor.*; *suppuratorium*, phth. confirmata; et *colliquativum*, phth. conclamata. Singulorum tamen nec *duratio* modo certo definiri, nec *limites* accuratius adsignari queunt.

§. 960. Cum nonnullis phthisium purulentarum speciebus analogiam non exiguam offerunt *phthises pituitosae* vocatae, largis muci puriformis se- et excretionibus sociatae, et qua phthises ab hisce humorum dispendiis potissimum dependentes v. gr. phthises pituitosae pulmonum, intestinorum, uteri et vaginae, vesicae urinariae etc. Remedia et methodi in examinanda puris et muci puriformis differentia hucusque propositae et in usum vocatae certitudine adhuc carent. Quare ut diagnosis fiat, omnia ad eam adquirendam auxilia sedulo eruantur et prudenter computentur necesse est, speciatim dispositio aegri, momenta causae excitantia, mali ortus absque praegressa inflammatione vel ex hac sive acuta sive chronica non ad normam resoluta; symptomata localia; admixtae forsan humoribus evacuatis suspectis

materiae, ut sanguis, filamenta, membranulae, divulsae imo organi suppurati particulae etc.; aetas morbi totius et decursus ratio, therapiae, diaetae, regiminis, aliorum influxuum effectus.

§. 961. Phthises longo ast indeterminato durare tempore consueverunt, antequam vel in convalescentiam raram, vel in organorum aliorum suppurationes, in hydropem, scorbutum etc. transeant aut cum his potius complicentur, vel in mortem terminentur.

Convalescentia ex phthisi a suppurationis fine, et facta abscessus cicatrice immediate pendet. Quae eo difficilior, quo viscus adfectum est sanguine ditius, quo majore gaudet activitate, quo intensius movetur aut diutius, et quo magis patet aëris accessui. Quum autem sanatio ulcerationum et desorganisationum internarum nonnisi circumstantiis admodum faventibus contingat, et quum ad eam ars medica mediate solum conferre valeat, phthises in casibus longe plurimis insanabiles sunt. Quibus durante suppuratione inflammationes visceris laesi saepius superveniunt, in novas identidem suppurationes abiturae, aegris per easdem viscus devastatur celerius, ac per febrim totus consumitur organismus. Id quod praeprimis obtinet in subjectis junioribus, plethoricis, irritabilibus, quemadmodum *phthisis florida* nuncupata (die galoppirende Schwindsucht), hinc inde jam paucos post menses lethalis, testatur; curatione primi stadii irritante, calefaciente, diaetae et regimine incongruis, adversis etc.

Mortem nunc a destructione visceris nobilis proxime inferri videmus, nunc a repentina potius puris effusione in cavum dignius, nunc ab exhaustione virium universali, humorumque decompositione et profluviis colliquativis, nunc a quibusdam horum simul pendere.

§. 962. *Dispositio* in phthises nonnullas jam connata est ex hereditate; jam specialibus cachexiis v. gr. scrophulis, vel conditioni morbosae viscerum v. gr. tubercu-

lis pulmonum etc. inhaeret. *Excitantem causam* omne largitur momentum, quod phlogoseos in viscere salutiferam resolutionem impediendo, et suppurationem potius inducendo par est. (Conf. T. I. §. 256.)

§. 963. *Essentia* phthisium, ut ex praegressa constat expositione, est suppuratio visceris, et tabes universalis per hanc illata. Est autem id quoque essentiale, penes suppurationem in stadio primo et passim adhuc in altero phlogosim in viscere continuantem eminere, in ulteriori cursu cum visceris suppuratione et ulceratione tandem colliquationem praedominari et exhaustionem.

§. 964. Quae phthisium in genere *prognosim* spectant, ex huc usque memoratis abunde suppeditantur; — specialiora pertractationi singularum specierum inserentur.

§. 965. Utut maximus phthisium numerus sanationem excludat, et aperta jam insanabilitas medenti nil concedat, nisi coërcere ac lenire symptomata, eorumque cursum moderari, omni tamen insanabilitatis nondum evictae in casu moliri saltem sanationem oportet. Attentio tunc in inflammationis modificationem, ex qua prodiit suppuratio; in plenum visceris suppuratione laborantis et organismi totius statum praesentem; in suppurationem adhuc benignam (activam), vel jam malam (passivam) ulcerosam visceris inflammationi consociatam vel ab ea immunem; in characterem febriculae; tabis gradum, humorumque alienationes jam inductas convertenda. — Eadem sunt indicantia momenta, quibus cura phthisium palliativa, ubi huic soli locus est, dirigi debet; nunquam praetervisis generalibus, uti aetate, constitutione subjecti, anni tempore ac tempestate, genio morborum regnante etc. etc. In therapiae singularum expositione specialiora tradentur.

Spec. 1. Phthisis pulmonalis.

§. 966. *Phthisis pulmonalis* (Lungensucht) ea marcoris species est, quae suppurationem aut ulcerationem pulmonum fontem agnoscit.

Cognomen *ulcerosae* gerit, ut a phthisi pulmonum *pituitosa* vocata distinguatur, quae nimia, vires ac organisationem consumente pituitae, partim puriformis, e trachea, bronchis eorumque ramificationibus evacuatione fundatur.

Morton Phthisiologia. Lond. 1689. Deutsch Helmst. 1780. 8.
Thom. Reid üb. d. Nat. u. Heilung d. Lungensucht. A. d. Engl. v. *A. F. A. Diel.* 2. Ausg. Offenb. 1787. 8.
A. Portal Beobachtungen üb. d. Nat. u. Behandlung der Lungenschwindsucht. A. d. Franz. m. Anm. von *G. F. Mühry.* 2 Bde. Hannov. 1799. u. 1802.
A. Duncan, Beob. üb. d. drey unterscheidenden Symptome der drey Hauptgattungen d. Lungenschw., nebst ihrer Behandlung. A. d. Engl. v. *J. L. Choulant.* Leipz. 1817. 8.
H. H. Southley üb. d. Verhinderung, Entstehung u. Heilung d. Lungenschwindsucht. A. d. Engl. v. *Radius.* Leipz. 1820. 8.
J. A. Walther, üb. d. Wesen d. phthis. Constitution u. d. Phthisis in ihren verschied. Modificationen, nebst der aus diesen fliessenden Cur-Methode. 2 Thle. Bamb 1819. 8.
Recherches anatomico-physiologiques *sur la phthisi*, par *P. Ch. A. Louis.* Paris 1826. 8. (M. chir. Zeit. 1826. III. 455. etc.)
Stoll, Cullen, Hecker, Conradi, Richter, Jahn, Haase etc.

§. 967. Phthisis ulcerosa pulmonum duplicem agnoscit originem, vel a) immediatam ex *phlogosi* acuta aut lenta substantiva aut symptomatica, idiopathica, sympathica, aut metastatica jam parenchymatis pulmonum, jam membranae muciparae bronchorum ramificationes vestientis (e bronchitide, catarrho pulmonum inflammatorio), jam pleurae pulmones obducentis, sub rerum adjunctis resolutioni adversis, suppurationi autem faventibus (T. I. §. 256. 257.); vel b) mediatam ex *tuberculis* aut *glandulis induratis* sive congenitis, sive inflammatio-

num non resolutarum sequelis. Hoc in casu *phthisis tuberculosa* audit, propriamque pulmonalis *varietatem* constituit.

Causae remotae proinde omnes tam potentiae nocentes idiopathicae aut sympathicae, quam morbi principales censeantur, inflammationibus parenchymatis pulmonum ipsorum (§. 357.), vel membranae muciparae bronchorum ramificationum (§. 564.), vel pleurae (§. 516.) substantivis ac symptomaticis, idiopathicis, sympathicis aut metastaticis v. gr. a variolis, morbillis, scabie, arthritide etc., acutis non magis ac chronicis generandis pares. Inducunt autem suppurationem adeoque ortum phthisis facilius, ubi vehementer, diu aut frequentius influunt, indeque phlogoses organorum nominatorum intensas, diuturnas generant, aut iteratas revocant, imprimis ubi cum subjecti aetate juniore, intra 14 et 35 annos, cum dispositione corporis propria, plerumque hereditaria, integrisque familiis communi, vel cum formationis thoracis vitiis, speciatim columnae dorsalis curvaturis et obliquitatibus concurrunt. Dispositionem illam *habitum phthisicum* vocamus. Cognoscitur: corpore gracili, tenello, membris, praesertim manibus, pedibus ac digitis longis et macilentis, oblonga facie, colore valde candido, amoene roseo; dentibus angustis longis, lactei coloris, subdiaphanis; collo longo; thorace plano, angusto, brevi; scapulis alarum instar prominentibus, saepius cervice multum incurvata, et capite antrorsum demisso; nec non consociatis utplurimum cute tenera, alba, pellucida, capillis albido-flavis, ceterisque temperamenti sanguinei signis, hilaritate, mobilitate animi, praecoci ingenii subtilitate; propensione magna in catarrhos ac rheumatismos praesertim capitis et pectoris, in odontalgias cum praematura dentium molarium per cariem jactura, in anginas faucium, epistaxes, haemoptoën, haemorrhoides. (*Stoll* aphor. 813.)

§. 968. Quo insignior habitus iste phthisicus, eo

minores requiruntur ansae ad progenerandas phlogoses in organis respiratoriis pertinaces, iteratas, resolutioni resistentes, et in suppurationem abeuntes, et eo magis phthisis pulmonalis non raro sua sponte ex sola individui constitutione evoluta fuisse videtur. Hoc sensu sumatur momentosa caeterum *differentia*, quae inter phthisim *constitutionalem* i. e. universali dispositione evolutam, et *adquisitam* i. e. variis ex causis pulmonum inflammationes inducentibus, atque his ipsis non resolutis profectam. — Dignitate haud minore *differentiae* gaudent ex potentiis ac morbis, quibus producta est, petitae. Hinc *varietates* nominantur: phthisis ex pneumonitide, bronchitide, pleuritide, pleuropneumonia phlegmonosa, rheumatica, catarrhali; — phth. a catarrho neglecto vel perverse tractato; — phth. tuberculosa; — scrophulosa; — syphilitica; — a metastasi lactea, purulenta, variolosa, ab efflorescentiis cutaneis regressis etc.; — phth. ab haemoptoë. Tandem differentia, quae in *humidam* et *siccam* fieri solet, rationem habet in pure vel abscessibus et ulceribus in canalem respiratorium patulis rejecto, vel iisdem clausis collecto (phth. a vomica), vel disruptis in cava thoracis effuso (phth. ab empyemate). — His adgregari merentur differentiae in phth. *tuberculosam*, *pituitosam* et *ulcerosam* ad mentem *Conradi* et *Richteri* principales habendae, — in *catarrhalem*, *ulcerosam* et *tuberculosam* a *Duncan*, — in *scrophulosam* et citra scrophulas *a morbo* plerumque acuto *relictam* a *Southley*; — tandem *nervosam* (constitutionalem *Harless.*), *purulentam*, *tuberculosam* et *pituitosam* a *Walther*, *Harless* et aliis statutae.

Distinctiones memoratae omnes, utut firmo divisionis principio *unico* destitutae, valore tamen in praxi non carent, suppeditando completam *modificationum* phthiseos *diagnosim*, quibus curatio essentiali modo indicatur, quatenus primo saltem stadio, *duplicem symptomatum seriem* offerunt, praeter illam nempe, quae *notas chara-*

cteristicas phthiseos pulmonalis huic stadio generatim proprias (mox describendas) complectitur, adhuc alteram, quae *malo principali*, scrophulis puta, arthritidi, syphilidi etc. debetur. Istorum autem morborum principalium rationem stadio primo quam maximam esse habendam, jam inde perspicitur, quod experientia compertum habeamus, phthisis pulmonalis sanationem potissimum, nisi exclusive, stadio dicto nonnunquam feliciter adhuc impetratam fuisse.

§. 969. In decursu phthisis *stadia tria* communiter adnotari solent, phth. *incipientis*, *confirmatae* et *consummatae*.

Stadium *primum*, phthisis *incipientis*, a manifesta adhuc nota phlogistica *inflammatorium* dictum, phaenomena significant sequentia: *dyspnoea* perstans, sub ingressu, ascensu scalarum, sermone, situ in alterutro latere ingravescens; *ictus momentanei* pectus varia directione pervagantes; sensus *caloris* aucti et ardoris sub sterno, aut *pressionis* ac ponderis anterius vel intra scapulas; *tussis* nunc levis, sicca, brevis, adhucdum imperio voluntatis cohibenda, supprimenda, nunc vero valida, laboriosa, fatigans, *ad speciem* spasmodica, matutino imprimis et vespertino tempore, post pastum, sub loquela intensiore, risu, cantu, cursu, choreis etc. exacerbari solita, cum *sputis* serosis, mucosis, gelatinosis albidis, flavicantibus aut subcaeruleis, odoris mucidi, saporis mucoso-salini, paucis, parum ac transitorie levantibus, hinc inde cum vomitu; *raucedo* constans utut saepe levissima; dolores quandoque membrorum fugaces, rheumaticis similes, non vehementes; *febris lenta* notae activae, phlogisticae cum emaciatione caeterisque symptomatibus ejus et decursus ratione, stadio primo convenientibus, mox descriptis, cujus exacerbationes aperiens frigus a dorsi regione interscapulari orditur. Quae omnia collata de inflammatione non resoluta perseverante apertius, quam de facta jam suppuratione, saltem de

illius praedominio prae ista, loquuntur. Remissionibus febris sublevati aegri molestias reliquas parvi aestimant, morosi vero sunt et in iram pronissimi.

Praevalentibus multum symptomatibus inflammatoriis, intenso fere semper genarum, labiorum, caruncularum lacrymalium rubore, multum simul turgentibus non raro venis jugularibus, *phthisis* pulmon. *florida* nuncupatur. Tunc primum hocce stadium esse brevissimum consuevit, hebdomatibus paucis circumscriptum, decursus admodum velox, unde *acuta* (galoppirende L.) dicta, post menses aliquot jam funesta finitur. Quae autem ex chronica lenta phlogosi suas ducit origines, phthisis segnius progreditur, diutiusque in primo stadio moratur.

Stadium *secundum*, *phthisis confirmatae*, et a suppuratione jam manifesta *st. suppuratorium* dictum, post septimanas aut menses evolvendum, proditur: continuatis et auctis symptomatibus tam respirationis molestae, tussis etc. quam febris, debilitatis et emaciationis, consumtionis; exacerbationibus utut quoad characterem inflammatorium febris et phlogosim organorum respirationi dicatorum minoribus, duplicatis tamen, pomeridianis nempe et vespertinis; *sudoribus* nocturnis debilitantibus; *urinis* flavo-rubris, turbidis cum hypostasi gravi, et supra natante pellicula vesicolore; *tussi* frequente, valida praesertim mane ac vesperi nec non sub febris exacerbationibus vehementiore, cum *vomitu* juncta, et cum *sputis* crassis, flavicantibus, puriformibus, figuratis, in aqua subsidentibus, nonnunquam fluidis, ichorosis, coloris flavido-grisei aut viridescentis, admixtis pluries punctis striisve sanguinis, odoris proprii ingrati, et, dum igni immittuntur, carnis adustae foetidae, saporis jam dulcis jam salini, nunc paucis nunc admodum largis; colore cutis lurido; aspectu languido oculorum profunde sitorum; nunc fame urgente, nunc appetitu sicut digestione et excretionibus alvi vix laesis; iracundia; nisu et sibi et aliis celandi speciem ac dignitatem morbi, cum

aegrorum spe reconvalescendi inconcussa, ideoque crebra de futurorum projectis occupatione. — Durat stadium istud mox per septimanas aut menses, mox vero, ut in subjectis provectae aetatis, per annos, varia tunc sub mutatione, ita ut remissiones laudabiles tempore aestivo blando, regimine, diaeta et therapia congruis sentiant aegri, exacerbationes autem ab autumno sero ad veris medium usque, et generatim a refrigeriis, diaetae erroribus, corpore, aut animo valde commoto, tractamine stimulante, calefaciente, adstringente etc. experiantur, totidem recidivarum in statum primi stadii phlogisticum transitoriarum aemulas.

Stadio *tertio*, *phthisis conclamatae*, et *colliquativo* dicto, exacerbationes febris protrahuntur, sudores largiores fiunt, fluidi, vere colliquativi, exhaurientes, pulsus admodum frequens, parvus, debilis, mollis, vacuus, inaequalis; ingravescunt plurimum dyspnoea et ponderis pectori incumbentis sensatio angens, tussim fortem sequuntur sputa largissima, tenuia tamen, diffluentia, grisea, viridicantia (lurida), foetentia, saepe soluto sanguine nigricante, pulmonis exesi frustulis remixta, nihilque inde sublevantur infirmi; — accedunt: debilitas vocis et raucedo insignis; aphonia; lingua siccissima, fissa; dysphagia; dolores in larynge et faucibus; aphthae oris et intestinorum aestu febrili mitiore; diarrhoea, lienteria, saepe cruentae, ichorosae, per dies aliquot cum sudoribus descriptis alternantes; aliquando haemorrhagiae pulmonum periculosissimae, cito lethales; oedemata pedum manuumque; hydrothorax; extrema macies; capillorum defluvium; debilitas maxima cum lypothymiis; facies hippocratica; — ultimo sputorum suppressio, tussis rara, anhelatio magna, et in quibusdam stupor mentis, in aliis deliria placida, convulsiones epilepticae in aliis, sub quibus exspirant. Brevi ante obitum oedemata celerrime increscere, aegri firmiore ac unquam spe recuperandae sanitatis erigi, variis futurorum remotorum pro-

jectis delectari consueverunt; quidam amoenis detinentur imaginationis et phantasiae ludibriis; nonnulli divinationem quandam exerunt, pauci imo hilares ac laeti mortem exspectant. Plerique conscientia non nisi brevi ante ultimum spiritum, multi plane non destituuntur, et placide obeunt. Rarius subitanea contingit mors suffocatoria, ingenti sub orthopnoea, stertore, anxietate; inculpanda vel praeceps memorata pulmonum exesis vasis majoribus haemorrhagia, vel pus vomica disrupta effusum.

§. 970. Deflectunt ab hac nosographia et symptomatibus nonnullis et decursus ratione *varietates* phthisis, altera *a vomicis*, *tuberculosa* altera dicta.

In *priori* aegri sensum ponderis et oppressionis in pectore jam majoris jam minoris habent continuum, cum dyspnoea; vexantur tussi parum interrupta, admodum sicca; incumbunt facilius lateri vomicae, situm in oppositum tentantes, praecipue vomica ampliore, anxietate invaduntur maxima, orthopnoea suffocationem minante, intolerabili. Post septimanas, imo post menses tandem vomica, utplurimum sub vehemente tussi, disrumpitur, et pus contentum *vel* in bronchorum ramificationes ruit, aut mediante abscessu in circumferentia pectoris alicubi formato extrorsum agitur, *vel* introrsum in pectoris cava effunditur, epyema constituens. Hoc facto difficultas respirandi summopere invalescit; latus adfectum pectore ad modum *Auenbruggeri* percusso sonum edit obtusum, instar dolii repleti, trunco ad *Hippocratis* institutionem agitato fluctuationem audiri facit et ab aegris nonnunquam persentiri; insurgit (pure copiosissimo) ad costas spurias aut infra tumor mollis, elasticus, diffusus, adjunguntur faciei, manus, dorsi et lumborum ejusdem lateris oedemata, hydrops tandem universalis. (*Stoll* aphor. 822.; — *Cullen* Anfangsgr. der pr. A. B. II.; — *Richter*, *Haase* etc. opp. cit.)

§. 971. Phthisis *tuberculosa*, jam *Hippocrati* et

Galeno bene cognita, consentientibus *Mortonio*, *Fr. Hoffmann*, *Starkio*, *Cullenio*, *Richtero*, et confirmante observatione quotidiana, varietas omnium frequentissima, cognoscitur: habitu plerumque scrophuloso, tumidisque glandulis, dyspnoea; doloribus in thorace jam punctoriis jam pressivis et vel maxime sub sterno; raucedine constante; tussi brevi, sicca, et nonnisi mane quidpiam expectorante; sputorum qualitate peculiari, spumosa, mucosa, sanguine striata, granulisque mista aspectu lymphaticis, aut puriformibus, aut caseosis, dum comprimuntur foetentibus, nonnunquam in centro nucleum abscondentibus cretaceum; febri lenta, subinflammatoria levissima; macie; post longam tandem durationem decursumque lentissimum omnibus quoque phthisis purulentae in stadio altero et tertio symptomatibus, supra descriptis. (*Stark* medic. communic. Vol. I. p. 316.; — *Cullen*, *Richter*, *Haase.*)

§. 972. *Decursus* phthisis pulmonalis per stadia exposita consuetim lentissimus est; excipiatur autem in infantibus, individuis junioribus, teneris, speciatim vel habitu phthisico donatis vel pulmonum labe antehac jam adfectis, nec non ille phthisis metastaticae frequenter adeo festinans, ut absolutis pluribus septimanis, aut mensibus paucis jam ad mortem perducat. Caeterum tuberculosa segnius ac purulenta procedit; utraque tempore veris et autumni, et generatim tempestate frigido-humida aut multum variabili exasperatur. Phthisis tuberculosa, quoties singuli coalescunt abscessus, e secundo in primum regreditur stadium, §. 969. delineatum, aegrisque frequenter intervallum utcunque laudabile concedit longius, donec alia tubercula denuo inflammatione corripiantur et subsequa suppuratione. Phthisis purulenta insuper et decursu et phaenomenis singularibus in primo stadio variat, prout ex pneumonia phlegmonosa, pleuritide, catarrho neglecto, aut e laesione per violentiam traumaticam suas traxerit origines. (Conf. §. 357.)

§. 973. *Durationem* phthisis pulmonalis ulcerosae in genere uti stadiorum singulorum plurimum variam esse, et a momentis bene multis dependere, ex hucdum allatis compertum habetur.

§. 974. *Exitus* phthisis tam ulcerosae cum ulceribus apertis et cum vomicis, quam tuberculosae consuetus est in *mortem*. Haec autem, nunc magnarum in pulmonibus destructionum et verae virium exhaustionis effectus, tardius modo supra indicato accersitur, nunc suffocationis sequela, per largissimam pneumonorrhagiam praecipitem, aut puris copiosi disrupta vomica in tubulos respiratorios effusionem inductae, subito et inopinate irruit. In primi generis casibus secta cadavera praeter tabem universalem speciatim offerunt: in pectore partiales pulmonum varia extensione concretiones cum pleura, vel pericardio, diaphragmate, vel inter lobos; substantiae quoad colorem ac texturam mutationes, hic densitatem hepaticam, ibi mollitiem dissolutioni adpropinquantem, ipsaque ulcera magnitudine, numero varia tum in pulmonibus, tum in canalibus respiratoriis, vel et vomicas, glandulas induratas, concrementa cartilaginea aut cretacea, calcarea, partim plenariam parenchymatis consumtionem reti vasorum solum superstite; vel fluidum serosum, purulentum aut sanguinolentum in cavis thoracis, pericardio extravasatum, cordis majorumve arteriarum aneurismata; aphthas ulceratas in intestinorum praecipue crassorum membrana villosa; tumet nonnunquam hepar, radices venae portarum, vasa sinusque cerebri sanguine fluido turgescunt. — In cadaveribus phthisi tuberculosa interemtorum, praeter dictas in pulmonibus devastationes, nec non concretiones et ulcera numerosi glandularum bronchialium, mesentericarum, aliarum tumores, et *tubercula* in pulmonum parenchymate praecipue in eorum parte superiore deprehenduntur, quandoque copiosissima, a pisi magnitudine ad ovi columbini volumen, partim materiam caseosam continentia, pressione

in granula discedentem, partim sub involucro cartilaginoso vel osseo cretaceam, et in centro aliquanto puris spissi, granosi foeta. *Louis* et hepar in substantiam adipi similem degeneratum constanter se invenisse asserit.

Morbi, quos phthisis non adeo relinquit sublata, quam potius sensim efficit sibique adsociat, hydropes sunt et diathesis scorbutica.

Sanatio perquam raro cum aliqua saltem probabilitate sperari potest, sub insigni peculiarium circumstantiarum favore, stadio primo et secundi initio, quousque pulmonis adfectio merum sistit abscessum, necdum in ulcus transmutatum. Id quod contigisse visum est v. gr. a laesionibus mechanicis acutis, vulneribus inflictis, in abscessibus pneumoniam vel pleuropneumoniam insecutis ab excretionis normalis vel morbosae, ab efflorescentiae chronicae suppressione enatam, dummodo haec et illa juxta artis leges et satis cito restitui queant, aut modo artificiali compensari. Testimonio sunt abscessuum cicatrices, in pulmonibus non admodum raro inventae.

§. 975. Quae circa phthisium omnium *naturam* et pathogeniam in genere §. 963. proferebantur, de phthisi quoque pulmonali cum ea tantum modificatione intelligenda sunt, quam ulcerationis sedes specialis in viscere nobilissimo, functioni vitali dicato, sibi vindicat.

§. 976. *Prognosim* quod attinet, circa phthisis pulmonalis decursum, durationem, terminationum modos, atque causas commemoratis addantur sequentia:

Phthisis ulcerosa pulmonum est admodum frequens, maximeque exitialis, utpote qua hominum saltem amplas urbes inhabitantium — pars quinta *(Sydenham)*, aut sexta *(Süssmilch)* e vivis eripitur. Frequentia, celerior decursus, et lethalitas major eminent in urbibus vastis, in regionibus montosis elatioribus, climatibus frigidis, praecipue provinciarum septentrionalium, tempestate brumali frigida, sicca, ac vernali prima saepe multumque variabili.

„Phthisis hereditaria omnium pessima, nec sananda, nisi cum praecautione haemoptoës.“ *Stoll* aph. 823.

„Phthisis ab haemoptoë per vim externam, sine vitio interno praeexistente, ceteris paribus, levissima est.“ *Idem.*

Eminente habitu phthisico, aetate juniore morbus, licet incipiens, parum spei concedit.

„Phthisis, in qua subito rumpitur vomica, exspuitur pus album, coctum, aequale, facile, respondens copia ulceri, sine siti, cum appetitu, digestione, secretione, excretione bona, difficulter quidem, tamen sanari potest.“ *Stoll* aph. 823.

Phthisis pulmonalis stadio primo, imo altero adhuc sanatae propria duo, plura aliorum exempla prostant, omni dubio superiora. Vide *Osiander* (F. B.) üb. die Entwicklungskrankheiten in den Blütenjahren des weibl. Geschlechtes. 2. Thl. Tübing. 1818. S. 124 etc.; — *C. W. Hufeland* pr. Übersicht der vorzüglichsten Heilq. Deutschlands etc. Berl. 1820. S. 234 u. ff. — *Albers* in Hufel. Journ. d. pr. H. 1822. St. 4. — *Med. chir. Zeitung* 1819. III. 136. 378. u. 1820. I. 154. et al. *Itard* ex surdo-mutis sexaginta et duobus, quos intra 19 annos in instituto Parisino ex phthisi tractaverat, tres ultimo adhuc stadio sanatos fuisse, serio refert. (*Froriep* Notizen etc. B. 21. S. 284.)

Specimina sanatae phthisis tuberculosae non habentur.

Graviditas cursum phthisis cohibere solet, symptomata cachexiae saepe conspicue emendat, aliquoties imo malum sanasse visa est; hoc autem, si perstiterit, partu absoluto sensim recrudescere, et rapidius, quam ante, augeri consuevit, nova tamen graviditate superveniente denuo sistendum.

Pulmonum textura mollis, laxa, sensibilitas et vitae vigor inferiores, sanguinis ubertas, motus non interruptus, aëris continuus immediatus influxus mutuaque

et pulmonum et sanguinis ad eundem reactio, frequens per loquelam, per circulum acceleratum intensio, frequentior per tussim concussio valida, dignissimus in sanguificationem influxus pulmonibus suppuratis maxime alteratus, phlogisticum in illis statum alendo, quoad intensitatem ac extensionem augendo, saepius revocando, et sanguinis crasim vitiando nocent, et culpam gerunt, cur non solum abscessus simplex ac purus in ulcus mutari consueverit, sed istud etiam sanationi repugnare.

Contagiosam esse phthisim pulmonalem alii, praeprimis Italiae, Hispaniae aliarumque provinciarum calidi climatis, medici haud minus acriter defendunt, quam alii negant. Quum exempla affirmantia *Morgagni*, *van Swieten*, *Wichmann*, *Quarin*, *Sachtleben*, *Jahn* aliique protulerint, id saltem concedendum esse videtur, frequens cum phthisicis altero stadio ad finem declinante, et ultimo commercium posse plurimum secundare phthisis evolutioni, in individuis praesertim habitu phthisico notatis.

§. 977. Cum phthisis pulmonalis etiam stadio primo tum ob gravitatem mali tum aegrorum incuriam, inobedientiam etc. rarissime sanetur, omnis cardo in *prophylaxi* versatur. Jubet haec dispositionem corporis ad phthisim corrigi, omniaque arceri, quae catarrhos, pleuritides, pneumonias, haemoptoën modo idiopathico vel sympathico generare valerent, aut magnas saltem in pulmonibus congestiones sanguinis diu sustentare. Scopo priori convenit: roborare totum organismum, pulmones praecipue et cutem, morando, motus ac labores adcommodatos instituendo in aëre puro, non nimium sicco, egelido aut tepido, conscendendo colles, montes modicos; voce clara legendo; itinerando praesertim per maria; morando in regionibus moderatae temperaturae, planis procul a montibus, frequenti ac magnae tempestatis vicissitudini minime subjectis; in usum saepius trahendo balnea et pediluvia tepida, nec non medicamina

tonica mitiora v. gr. lichenem Islandicum, polygalam amaram, centaurium minus etc. cum nutrimentis blandis; ubi vero erethismus et congestiones in pulmonibus cum aut et sine plethora universali adsunt, parvis phlebotomiis opus est.

In infantibus parentum phthisicorum cura prophylactica a prima jam aetate inchoari debet. Hunc in finem concurrant necesse est educatio nimis mollem, delicatulam inter et austeram media, aër ruralis, vestitus commodus, temporibus anni ac tempestati respondens, victus blandus e vegetabili et animali mistus, moderata virium corporis exercitatio; cautela a motu nimio, cursu, saltationibus, a praematuris, nimiis facultatum mentis adstrictionibus, a praematura instinctus sexualis incitatione, a masturbationis vitio. Accedente pubertatis periodo ejus generis individua sedulo sibi invigilent, vitam vivant sobriam, omni intuitu hygienes regulis adcommodatam, cibis ac potibus utantur stimulo incitante destitutis, a cerevisia spirituosa, aromatica, vino, cremato, potu anglico (Pounsch), arabico, mexicano (Chocolade), diaeta condita penitus abstineant, horumque loco potius lac et serum lactis, lacticinia, levissimaque farinosa, oleracea tenera succulenta et fructus horaeos in usu habeant; — quare laudata lactis et ejus seri administratio methodica, usus protractus succi expressi cucumerum ac melonum a veteribus adeo commendati, sicut et recentis aliorum vegetabilium dulcium (spinaciae, lactucae, scorzonerae, dauci sat.) aut quidpiam acidulorum antiphlogistici, diluentis non raro aptum hic inveniunt locum. Penes haec autem partem curae prophylacticae summe essentialem moderamen psychicum sui ipsius constituit, in propensiones varias nocivas, instinctum sexualem, in adfectus animi et pathemata graviora vitanda et refrenanda dominium prudens, ac indefessum.

Scopo *alteri*, quo abigantur omnes noxae, satisfit vitando vitam nimis sedentariam pronato imprimis trun-

co, cavendo ab excessibus in assumendis cibis ac po tulentis, in motibus, saltu, venere etc., fugiendo aërem pulveribus, fumo, vaporibus, effluviis quibusvis irritantibus impraegnatum, atmosphaeram frigore aut aestu excedentem, subito multumque variabilem, ventosam etc. etc., et rationales circa morborum pulmonum quorumvis, speciatim indolis catarrhosae, rheumaticae, phlegmonosae prophylaxim institutiones sequendo.

§. 978. Therapiae *curativae* momenta indicantia sunt: fons phthisis pulmonalis; haec ipsa et ejus stadium, modificatio; aetas aegri et tota constitutio. Stadio primo et ultro, quousque spes minima superest, ad impetrandam *sanationem* dirigatur oportet.

Ubi igitur pneumonia acuta in suppurationem i. e. in abscessum aut plures clausos vel apertos transiit, pro sanatione requiritur: ut isti rumpantur, pus vel ejiciatur, vel forsan in abscessu cum pleura alicubi in circumferentia anteriore aut laterali thoracis concreto contentum, aut in alterutrum thoracis cavum (empyema), aut in mediastinum anterius effusum, per paracenthesim, aut sterni trepanationem evacuetur, postea abscessus ad cicatrisationem perducantur. Ad maturandum sola natura abscessum et rumpendum faciunt potulenta emollientia tepida, vapores emollientes spongiae aut siphonis ope (e machina *Mudge'*ana) lenissime inspirandi, cataplasmata emollientia pectori imponenda, balnea et pediluvia tepida, et insuper, si inflammationis symptomata eminuerint, remedia antiphlogistica congrue adjungenda. Ad abscessus rupti cicatrisationem, praeter idoneum tractamen locale, si ab extus ei adplicari possit, requiruntur inflammationis abscessum comitantis et ambientis, concitationisque febrilis in humorum circulo curatio, et symptomatum molestorum, quousque possibile, speciatim tussis lenimen. Necessariae proinde sunt: quies pulmonum, quantum a voluntate pendet, strictissima, omnis eorum intensionis, omnisque immediatae ac mediatae

systematis circulatorii irritationis fuga, quies proinde corporis in genere et animi tranquillitas, aër moderate calidus, ab omni irritamento purus, non siccus, aequabilis et constans, commoratio in vaccarum stabulis, nutrimenta parce sumta, blandissima, digestu facilia, speciatim jura, gelatinae, pultes ex avena, hordeo, oriza, salep, sago, chocolata simplex; emulsa; panatellae; limacum juscula; ichthyocolla, gelatina cornu cervi, decoctum album *Sydenhami* (ex rasura cornu cervi, pane albo et saccharo) etc.; lacticinia, lac ipsum; potus caeterum tepidi emollientes, mucilaginosi melliti, saccharati, aqua Selterana, Joannea cum lacte, aut ejus sero, aut potu theato emolliente mixta; pro re nata imo methodus antiphlogistica, nitrum, cremor tartari, oxymel, parvae venaesectiones repetitae, fructus horaei acidulo-dulces, et obstipa alvo eccoprotica v. gr. electuarium lenitivum etc. salutifera erunt. Aegris admodum irritabilibus in leniendam tussis vehementiam masticatoria emollientissima, linctus, infusa theata similia, emulsiones cum seminibus papaveris albi, extractum hyoscyami parva dosi, conducunt. Absente jam phlogosi, superstite tamen irritatione manifesta et irritabilitate majore, aegris talibus usus acidi prussici (hydrocyanici) in aqua laurocerasi, per *Magendie*, *Laennec*, *Brera*, *Roch*, *Cerrulli* et alios encomiis elati cautus omnino proficiet.

Neglecta, uti saepissime fit, curatione debita, vel justo tardius ac imperfecte adhibita, vel per sanationem abscessus non coronata, malo potius, sub gravaminum pectoris, tussis, febris lentae et emaciationis incremento, in stadium secundum transgresso, et abscessu in ulcus mutato, tentamen impetrandae sanationis plerisque in casibus optato destitutum hucusque mansit effectu. Ars medica, utut conatus suos inducendae sanationis nihilominus constanter prosequatur, plerumque non nisi mali vehementiam moderari potest, tardare cursus velocitatem, nonnulla symptomata, in specie tussim et febrim

depascentem lenire, atque sic vitam procrastinare. Hunc assequi finem datur, symptomatibus inflammati pulmonis et inflammatorio febris lentae charactere nondum extinctis, et vi vitali parum lapsa, per continuatam stadio primo congruam methodum emollientem, moderantem, diluentem et blandissime nutrientem; per usum sedulum aquae Selteranae, Joanneae, aq. calcis cum lacte, seri lactis dulcis, succorum recenter pressorum, extractorum graminis, taraxaci, cichorei, saponariae, fumariae, cerefolii, nasturtii aquatici etc.; per ulcera artificialia cortice mezerei, unguento stibiato, fonticulo facta, diu sustentata ad thoracem prope sedem ulcerationis probabilem, vel ad brachia vel femora; serius per adjuncta tonica non adstringentia nec calefacientia, e quibus lichen Islandicus per eminentiam, sed et polygalae amarae radix, marrubium album, millefolium, carduus benedictus cum lacte, nec non semina phellandrii a *M. Herz* summopere laudata, commendantur. Digitalis sola, aut phellandrio aliisve dictorum pharmacorum nupta, moderando saltem humorum cicuitum et diuresim movendo utilis observata est. *Nocent* in hac phthisis varietate per potiorem stadii alterius partem cortex Peruvianus, cort. cascarillae, omniaque fortiora tonica; nocent adstringentia, resinosa, balsamica, aromatica, spirituosa, aër effluviis eorum impraegnatus, phlogosim in ulcere, febrim lentam, oppressionem, tussim intendendo, et supprimendo sputa. Opium cohibendo alvum, sputa et sudores augendo cachexiam exasperat, angente tamen tussi frequentissima, sicca, et pervigiliis aegrum exhaurientibus nec evitari facile potest, nec per narcotica cetera penitus suppleri. — Inspiratio vaporum picis navalis liquidae, dum coquitur in cubilibus, qua *Crichton* (Relation de quelques expériences faites avec la vapeur du goudron dans le traitement de la phthisie poumonaire; à Peterb. 1817.) Petropoli phthisicis levamen, quibusdam imo sanationem procurasse legitur, attentione digna est,

quum ex relatione *Hufelandi* et *Neumanni* (*Hufel.* Journ. d. pr. H. 1820. I.) constet, institutis in nosocomio Berolinensi Charité tentaminibus ex 54 phthisi laborantibus 4 sanatos fuisse, 6 conspicue sublevatos, 12 pejus adflictos, 16 absque mutatione mansisse, et 16 occubuisse. Secretionem membranae muciparae narium uberiorem errhinis sollicitare et sustinere, non nunquam aeque proficit, ac stadio secundo provectiore lentam ex inertia expectorationem hinc inde sternutatoriis expedire.

Quodsi eodem in stadio symptomata phlogistica caput, licet transitorie, extulerint, quemadmodum saepius tam regnante genio epidemico annuo inflammatorio, quam ex causa sporadica multiplici observatur, amovenda vel pro possibili frangenda est causa, atque ad tractamen conveniens, quale pro stadio primo expositum, imo manifesta necessitate ad parvas venaesectiones, recurrendum.

Stadio tandem *ultimo* appropinquante et currente indicatio vitalis eo adlaborare jubet, ut pro possibili conserventur vires, humorum decompositio evacuationesque colliquativae restringantur, tussis leniatur et pervigilium. Scopo roborante et analeptico nunc cortex Peruvianus, cascarillae etc., vinum blandum parcis dosibus, scopo expectorante sputorumque foetorem corrigente aër vaporibus aromaticis ac balsamicis moderatissime imbutus, vel et gase carbonico mistus inspirandus, locum inveniunt. His apte combinentur pro tussi pacanda remedia mitigantia cum opio; pro refrenandis diarrhoeis tam interne quam in clysteribus idem opium aut mucilaginosa et adstringentia, radix columbo, cort. rad. simarubae, rad. tormentillae, gummi kino; pro sudoribus coërcendis elix acid. *Halleri*, elix. vitriol. Mynsichti, infus. fol. salviae egelidum, cum integumentis levioribus et moderata cubiculi temperatura; pro scopo utroque plumbi acetici ab *Hildenbrand*, *Osiander*, *Kopp* multum celebrati doses cautae. — Methodo consimili palliativa et aphthis, et

cynanchi laryngis ac faucium, et raucedini, aphoniae, oedematibus, hydropi etc. occurritur.

§. 979. In *phthisis catarrhalis primo* stadio prae omnibus adaequatum febris et inflammationis lentae tractamen per antiphlogistica, diluentia, demulcentia interna et externa atque regimen correspondens instituere oportet, dein speciatim simul diaphoresim leniter movere, derivare vesicantibus iteratim et pediluviis adhibitis, alvum sustinere quotidianam, tussi vehementi narcotico-diapnoica, uti caules dulcamarae, opium, extr. hyoscyami cum ipecacuanha (pulv. Dower.) aut sulph. aurat. antim., emulsum seminum papaveris albi etc. tempestive opponere, et excedente sputorum crassorum copia jam nunc ad lichenem Islandicum, polygalam vulg. aliaque tonica mitiora transire. Deficiente omni inflammatorio symptomate flores sulphuris apto cum aliis connubio utiles visi (*Jahn, Thilenius*); — sic et inspirati thermarum sulphurearum vapores, earumque usus internus. Stadio *secundo* et *ultimo* therapia ab exposita praecedente in paragrapho nihil deflectit.

§. 980. *Phthisis rheumaticae* stadium *primum* cum congrua febris et inflammationis cura specialius exposcit, ut pariter diaphoresis sustineatur, atque tussis ac dolores pectoris mitigentur. Fit hoc per medicamina pacantia mox nominata, regimen tepidum aequabile, cataplasmata, unguenta, balnea emollientia, nec non per usum sinapismorum, vesicantium, unguenti cum tartaro emetico, irritationem, superficialem phlogosin et secretionem, pustulas et ulcuscula artificialia scopo antagonistico inducentium. Singularem caules dulcamarae, flores sulphuris, aquae et balnea sulphurea decursu lento, nota phlogistica deficiente, laudem merentur. — Cura *stadiis subsequis* mere palliativa, symptomatibus essentialibus, admodum molestis, quaqua ratione urgentibus est opponenda.

§. 981. *Phthisis pulmonalis metastatica*, cujus origo

ex inflammatione per metastasim inducta pulmonis, aut pleurae, aut membranae muciparae tubulorum respiratoriorum derivatur, primo stadio exigit, ut malum ad exteriora et, si possibile, ad pristinam sedem derivetur, et interna quam ocissime liberentur, non neglecta simul morbi primarii, et praesentis febris ac inflammationis ab illo profectae ratione. Prosunt hunc in finem generatim methodus derivans et antagonistica, ideoque remedia nunc humores derivantia aut educentia, nunc cutem irritantia, laedentia, caustica, qualia habentur: balnea topica et universalia, simplicia blanda et irritantia; pharmaca emollientia, relaxantia ac irritantia, diaphoresim, diuresim aut alvum moventia; sanguinis depletiones (nisi nimis sero) tam universales quam locales; sinapismi, vesicantia, tinctura cantharidum illinita, unguentum e tartaro emetico, ulcera artificialia. Quandoque tractamen morbi primarii, quem phthisis suum agnoscit fontem, remediorum specificorum ope simul combinandum est; ideo jam sulphur in- et externe, hepar sulphuris, idem cum carbone praeparato (*Garnett*), jam antimonialia, jam mercurialia, guajacum, jam aqua calcis, jam Selterana, Joannea, Bilinensis etc. indicantur. Mitigare tussim, summe necessarium est; ceterum morbus totus, ubi non cohibendos, quemadmodum assolet, progressus fecerit, nonnisi symptomatice curandus.

§. 982. *Phthisis tuberculosa*, ex tuberculis pulmonum aut glandularum bronchialium indurationibus, inflammationis acutae aut chronicae reliquiis, evoluta omni stadio omne sanationis impetrandae tentamen eludit. Quum vero repetitis tuberculorum singulorum phlogosi, suppuratione et ulceratione stadia priora duo nonnunquam pluries permeet, et qualibet vice subsequum habere soleat intervallum vel penitus liberum, vel symptomatibus phlogosis lentae levioribus praesertim dispnoea et tussicula stipatum: diu conservare vitam saepe conceditur, dummodo quaevis ulterior tuberculorum phlogosis stu-

diose praecaveatur, et orta extemplo methodo diluente, solvente, pacante, derivante, antagonistica, imo, rebus ita postulantibus, antiphlogistica quoque tractetur, — sicut T. I. §. 369. expositum est.

Phthisis tuberculosa, quae scrophularum aut arthritidis symptoma est et effectus, *scrophulosa* aut *arthritica* vocata (illa aetate infantili ac puerili, haec virili frequentior), curationem exposcit tum generalem, hucusque adumbratae consentaneam, tum specialem, in morbum cujusvis principalem nominatum dirigendam. Haec in tractatu de morbis istis explicabitur.

§. 983. Necessaria quoad victum, quietem ac motum, regimen totamque vivendi rationem juxta indicationes curativas et palliativas definiuntur, et quid agendum quid cavendum ac intermittendum sit, ex dictis circa therapiam phthisis pulmonalis facillimo intelligitur negotio. Summi momenti censenda est aëris conditio; et sicut in genere aër purus, mollis, moderatae temperaturae, nec siccus nimis nec oxygenio dives commendandus, ita atmosphaera frigida, austera, variabilis, ventosa, strictissime fugienda.

§. 984. *Convalescentia*, si casu rariore conamina coronaverit artis, ex phthisi purulenta eandem, ac ex pneumonia, curam sibi exposcit diu et attentissime continuatam. Conf. T. I. §. 364. et §. 370. de convalescentiae ex pneumonia tum acuta tum chronica tractamine.

Spec. 2. Phthisis trachealis.

§. 985. Phthisis *trachealis* (die Luftröhren-Schwindsucht) cujus titulo etiam *laryngea* et *bronchialis* comprehenditur, suppuratione et ulceratione membranae et glandularum mucipararum laryngis, tracheae ac bronchorum inducitur. Est proinde *vel inflammationis* partium nominatarum phlegmonosae, catarrhosae, rheumaticae, symptomaticae variae, quemadmodum scrophulosae, arthriticae, rheumaticae, *vel catarrhi* neglecti, aliquando

et anginae sic dictae membranaceae, infausta sequela.

Sicut phthisi pulmonali in ultimo stadio saepe adsociatur, ita in phthisim pulmonalem ipsa quandoque transgreditur.

§. 986. *Exordium* morbi plerumque lente decurrentis, praeter defectum phaenomenorum resolutionem inflammationis consuetim comitantium, symptomata circumdant continuantis inflammationis cum suppuratione: raucedo perstans, insignis, aphonia, dolor aliquo laryngis aut tracheae loco obtusus, pronato autem collo, loquela, cantu, risu, offarum majorum deglutitione, tussi intendendus; respiratio difficilis, sibilosa, strepens, nonnunquam anhelosa; tussis continua, mane validior, utplurimum sicca, cum constrictionum spasticarum sensu in larynge et trachea, hinc inde cum muci nigricantis aut globulorum solidorum sanguine remixtorum ejectione; et malo laryngem tenente deglutitio pariter difficilis, molesta. Febris lenta adhuc mitissima saepe est, vix non vespere solum manifestior, increscit tamen pedetentim una cum satellitibus suis et gravaminibus mox recensitis, macie praecipue, habitu cachectico et debilitate increscentibus, formamque et decursum febris suppuratoriae induit; sputa largiora fiunt, purulenta, sub tussis dolorificae vehementia sanguine tincta.

Durant symptomata haec, *stadium suppurationis* explentia, tempore vario, communiter longo, non raro per annos, intensitate mutabili, donec graviora consistant, febrique duplicatas quotidie exacerbationes celebrante et associatis saepe phthiseos pulmonalis symptomatibus in *stadium* abeant *colliquativum*, et sub sudoribus, diarrhoeis colliquativis, sputis ichorosis, sanguinolentis, foetentibus, aphthis, dispnoea summa etc. consuetim suffocatione miserae finem imponant vitae.

§. 987. Quod durationem longam, variabilem decurrendi rationem, nec non dispositionem et frequentissimam

e scrophuloso morbo originem attinet, phthisis trachealis cum tuberculosa magnam habet analogiam.

§. 988. *Prognosis* circa hanc prolata praecipuis in momentis de tracheali quoque valet. Initio solum, congruo sub artis auxilio, omnibusque circumstantiis secundis impetrare aliquando contingit sanationem; serius irrita quaevis manent artis conamina.

§. 989. *Cura* confestim serio facienda, juxta morbi characteres, stadio inflammatorio, suppuratorio et colliquativo competentes, juxta mutabilem exinde symptomatum topicorum indolem, nec non morbi, qui forsan subest, principalis naturam determinetur oportet, ac remedia, uti: sanguinis evacuationes, cataplasmata, fomenta, inunctiones, vesicantia, vapores etc. specialius in organa eminenter adfecta dirigantur. In ceteris a phthisis pulmonum catarrhosae, rheumaticae, scrophulosae etc. etc. tractamine essentialiter non differt. Nec aëris blandi, climatis mollis et constantis, morae in stabulis vaccarum, inhalationum, fonticulorum, diaetae ac regiminis necessarii exacte servandi, hic obliviscendum.

Species phthisium aliae.

§. 990. *Phthises purulentae aliae*, uti *stomachica, intestinalis, mesenterica, hepatica, lienalis, renalis, vesicae urinariae, uterina* ex symptomatibus ac signis tum generalibus tum specialibus cognoscuntur. Sunt haec: 1) inflammatio viscerum nominatorum praegressa acuta aut chronica, non resoluta; 2) phaenomena gastritidis, enteritidis, hepatitidis etc. etc. perseverantis cum illis abscessuum aut clausorum (vomicarum) aut patulorum aeque anamnesticis ac praesentibus; 3) symptomata et effectus universales febris lentae suppuratoriae, cum consueto frigoris febrilis exacerbationes aperientis initio a viscere suppurato vel ulcerato; 4) ipsa puris evacuatio vel ichoris, utplurimum sanguine mixti, via pro situ nexuve visceris adfecti, et pro suppurationis ipsius foco va-

ria, nunc normali per emesim, alvum, urinas, e vagina, nunc morbose facta v. gr. variis epigastrii locis ventriculo ulcerato, hypochondriorum suppurato hepate aut liene, hypogastrii aut perinei vesica urinaria suppurata etc.; nec non 5) magna visceris adfecti in phlogoses dispositio sive connata sive adquisita.

Conferantur, quae de terminatione in suppurationem hocce in therapiae specialis compendio et quidem T. I. in tractatu de gastritide (§. 388.), de enteritide (§. 399.), mesenteritide (§. 536.), hepatitide (§. 421.), splenitide (§. 432.), nephritide (§. 445.), cystitide (§. 455.) et metritide (§. 462.) commemorata fuerunt.

Morton Phthisiologia L. III.
Sachtleben, Richter, Jahn, Haase o. c.

§. 991. In phthisium harum *decursu* sicut in illo pulmonalis *stadia tria* distinguuntur, cum iisdem essentialibus tam morbi visceris quam febris lentae a charactere inflammatorio in suppuratorium, depascentem, tandem colliquativum mutationibus, et cum eodem aequabili cachexiae progressu.

§. 992. *Duratio* in phthisi stomachica solum et enterica non longissima esse consuevit. In decursum tardandum et ideo protrahendam durationem multum faciunt: suppuratio aut ulceratio non acutae sed chronicae phlogoseos sequela; phlogosis symptomatica cachexiae scrophulosae, rhachiticae, chloroticae, arthriticae, syphiliticae etc.; indurationibus eorundem viscerum juncta; horum ipsorum, quemadmodum hepatis, renum, vesicae, uteri energia vitalis minor; suppurata plaga ad visceris volumen exigua, hujusque influxus nocivus in assimilationem et reproductionem totius organismi remotior et angustior; aegri aetas provectior, constitutio firma, processus vitalis moderatus, segnior; constitutio stationaria et epidemica, therapia et regimen nec inflammationibus intendendis nec promoven-

dae ulcerationi et colliquationi modo directo aut indirecto faventia.

§. 993. Phthisis *stomachica* generatim et sine et cum scirrho rarior, digestionis congruae defectu, et vomitu frequente citius, abscessu autem extrorsum aperto et formata ventriculi fistula tardius mortem inferre solet; — *enterica* exhaurientibus diarrhoea, lienteria, comitibus colica et tympanitide sat cito plerumque consumit; — *meseraica* segni utplurimum et variante multum cursu, ac ulceratis tandem intestinis interitum parat; — *hepatica* faustis sub circumstantiis, ad quas imprimis ulcus canali fistuloso ad exteriora epigastrii vel hypochondrii patulum spectat, quandoque sanabilis (bis a me sanata); — *lienalis*, *renalis*, *vesicalis* et *uterina* etsi nonnunquam intervalla, quibus subsistere imo emendari videntur, longiora offerant, rarissime tamen non sunt lethales.

§. 994. De *dispositione* ad has phthises et momentis *producentibus* omnia valent, quae circa disponentia, et gastritidis, enteritidis etc. tam chronicae quam acutae transitum in suppurationem et ulcerationem efficientia momenta, suis exponebantur locis, in memoriam revocanda.

§. 995. *Prognosis* ex hucusque dictis, quae generatim morbos eorumque fontes spectant, patet, ceterum individui relationibus quovis in casu speciali penitius adcommodanda.

§. 996. Principia *therapiae* phthisium nominatarum eadem sunt, quae in phthisis pulmonalis medela statuebantur; cura ipsa pro organi suppurati aut ulcerati natura, situ et nexu, et pro functionibus congrue modificanda est.

Hoc ultimo respectu in phthisi stomachica et intestinali magnae virtutis est adjuvans therapia symptomatica, speciatim vomitionum et dejectionum alvinarum frequentiam et impetum nec non dolores simul moderans, mitigans, per mucilaginosa blandissima et opiata; — in phthisi mesenterica et hepatica, si puris ad intestinorum cana-

lem indicatur derivatio, methodus diluens ac solvens, nonnunquam eccoprotica; — in phthisi renali et vesicali emolliens, diluens, absque stimulo diuretica; — in phthisi uterina demum pariter emolliens, solvens, nec non pacans, si dolores vexant.

Convalescentia, si quidem obtinetur, eodem modo ac ex phthisi pulmonali, curam exposcit partim avertendis recidivis, partim delendis morborum sequelis idoneam, atque phthiseos devictae speciei, et individuo aegro adaptandam. Maxima et hic in diaeta et regimine habentur auxilia.

Ordo II. Cachexiae cum praedominantibus assimilationis aberratione, humorumque vitiis (cacochymiae, dyscrasiae).

Genus I. Cacohaemiae.

Spec. 1. Scorbutus.

§. 997. *Scorbutus* (Scorbut, Scharbock) ea dicitur cachexiae aut cacohaemiae species, quae phaenomenis debilitatis universalis, dedolatione, functionum omnium languore, dyspnoea, moerore, facultatum mentis delassatione, gingivis tumidis, spongiosis, facile sanguinem fundentibus, cute sicca, squalida, maculis lividis, atrorubicundis aut nigricantibus ad suras aliasque partes notata, urinis turbidis, profunde rubris aut bruneis, brevi putrescentibus, magna in haemorrhagias facilitate, et ulceribus laxis et spongiosis, manifestatur.

Rossei de magnis Hippocratis lienibus etc. commentarius. Amstelod. 1564.

Wieri observ. L. I. de scorbuto. Amstel. 1567.

Boerhaavii Aphor. 1148—1165.

Jac. Lind Abhandlung vom Scharbocke. Nach der 2. Ausg. a. d. Engl. übers. v. *J. N. Pezold.* Riga u. Leipz. 1775. 8.

Ch. L. Hoffmann vom Scharbock etc. Münst. 1782.

Fr. Milman Untersuchung üb. d. Ursprung der Symptome des Scorbuts u. d. Faulfieber. A. d. Engl. übers. v. *H. W. Lindemann.* Berl. 1795. 8.

Th. Trotter, neue Bemerkungen üb. d. Scorbut. A. d. Engl. v. *C. F. Michaelis*. Leipz. 1787. 8.

J. Marsovsky diss. de scorbuto. In *M. Stollii* diss. med ad morb. chron. spect. ed. *Eyerel*. Vol. I. Vindob. 1788. p. 24—72.

Cullen, *Richter*, *Haase* in d. a. W.

J. N. Köchlin üb. d. Scharbock u. d. Heilung desselben mit Salpeter-Salzsäure. I. d. med. chir. Ztung. J. 1822. II. 401 bis 432.

J. W. Mac-Carthy diss. med. inaugural. sistens scorbuti theoriam etc. Vindob. 1822.

§. 998. Scorbutus navigantium morbus est frequens, et itinerum maritimorum diu durantium effectus; rarius occurrit isque minus vehemens in terrarum incolis. In hoc solum differentia scorbuti *maritimi* et *terrestris* sita est.

Longioribus quidem itineribus, detecto magnete conductore, saeculo decimo tertio frequenter mari susceptis, saepius in Europa observatus fuit, et saeculo decimo quinto universim innotuit: ex quibusdam tamen *Hippocratis* locis (de intern. adfect. c. 33. et 48.) fluit, eundem illo jam tempore, utut non qua speciem propriam, aliquibus saltem notis essentialibus delineatum fuisse. Monographiae scorbuti primae auctoribus multo tardioris aevi debentur. Tractatus *Lindii* classicus dici meretur.

§. 999. In scorbuti decursu *tria* observare licet *stadia*, totidem intensitatis gradus habenda.

Stadium *primum* circumdant: lassitudo inconsueta et inertia, ponderis et torporis in extremitatibus inferioribus sensus, genuum rigiditas; dyspnoea; animi dejectio; hebetudo visus; facies pallida, flavicans, aut sublivida, tumens, oculi profundi, annulis caeruleo-virescentibus cincti, labia pallida, sublivida; cutis cachectica, terrea, sicca, notata maculis profunde rubris aut lividis a lentis ad aliquot pollicum circumferentiam, rarioribus in facie, in pectore autem, abdomine, interna brachiorum, antibrachiorum, crurum ac femorum parte numerosis; interdum intumescentiae parvae vesiculam in medio gerentes, cum maculis profunde rubris collapsam

excipientibus; oedema circa malleolos; gingivae laxae, spongiosae, tumidae prurientes et facile sanguinem fundentes cum halitu nauseose foetente; sapor ingratus putridus, dysorexia, appetentia vegetabilium recentium (*Lind, Trotter*), ciborum et potuum acidulorum; pulsus afebrilis, debilis, parvus, mollis; sanguis e gingivis, e naribus aut aliunde evacuatus nigricans est, virescens, sero dives, cum placenta mollissima.

Stadio *secundo*, post tempus non determinatum, plerumque aliquot post septimanas intrante, priora intenduntur, et sequentia evolvuntur symptomata: musculorum durities, rigiditas et ardua mobilitas articulorum, imprimis genuum dolentium et quemadmodum in tumore albo dicto tumidorum; dolores femorum, lumborum, dorsi et vel maxime genuum, rheumaticis analogi, sensim ingravescentes et ipsa obsidentes ossa; punctorii in pectore cum dispnoea majore, nec non colici; ecchymoses locis antea nominatis maculosis, ulcera in femoribus et suris laxa, fungosa sanguinem dissolutum et saniem foedam fundentia, marginibus laxis, oedematosis, lividis aut sanguinolentis cincta, in gangraenam facilia, aut emollitionem ossium vicinorum, cariem ac necrosim parantia; pulsus lentus, debilis, vacuus, non febrilis; urinae bruneae, turbidae; haemorrhagiae e gingivis, naribus, aut haemoptoe, haematemesis, diarrhoeae cruentae, haematuriae vel aliae, sanguinem evacuantes corruptum, dissolutum, nigricantem; gangraena gingivarum cum dentium nigredine, vacillatione, lapsu; alveolorum quandoque et maxillarum caries; nova vulnerum consolidatorum et fracturarum solutio; magna ossium fragilitas, aegrorum sub intensionibus imo motibus levioribus lipothymiae.

Stadio demum *tertio* eminent: debilitas extrema paralysi proxima, lipothymiae, quandoque convulsiones; orthopnoea; haemorrhagiae colliquativae exhaurientes, atmosphaera aegri foetens; frigus, color lividus aut ni-

grescens, macies, paralyses extremitatum; aliquando icterus, hydrops; tandem symptomata febris putridae gradu maximo, pulsu tamen parum frequentiore.

§. 1000. *Duratio* incerta est, jam ad septimanas restricta, jam in menses prolongata.

Exitus rationes sunt: sanatio, quae imo tertio stadio nonnunquam adhuc obtinetur; variae cachexiarum formae aliae, praecipue tabes, hydrops; aut mors, consuetim plenariae dissolutionis sanguinis, manifestae decompositionis in variis visceribus, et completae virium vitalium exhaustionis sequela.

Dissectis in cadaveribus sanguinis dissoluti, decompositionis et sphaceli in visceribus signa, et humorum extravasata, illis post obitum ex febribus putridis analoga, inveniuntur.

§. 1001. *Disponuntur* in scorbutum subjecta debilia, exhausta, inertia, phlegmatica, laxa, inflata, valde obesa, dein moesta, melancholica, tandem et senio confecta. Infantes in scorbuti varietatem *noma* aut *stomacace* vocatam (mox exponendam) procliviores esse videntur.

Momentis *excitantibus* adnumerantur: aër perfrigidus aeque ac aestuans simulque humidus, dein principiis constitutivis alteratus, impurus; cibi, sive vegetabilium sive animalium e regno petiti, duri, sicci, parum nutrientes, acres, digestu admodum difficiles, v. gr. panis aut cibi farinosi ex farina corrupta, mucida parati, non satis fermentati, carnes infumatae durae, siccae, admodum salitae; aqua fatua, tepida, sicut et marina salsa et impura, omnes potus relaxantes et solventes in abusum sumti; nutrimentorum penuria, recentium defectus; spurcities magna; inertia et nimia corporis quies haud minus ac labores perquam intensi, ardui, protracti, itinera longa pedes facta; taedium temporis, tristitia, moeror, curae rodentes, anxietas, nostalgia, ceteri-que deprimentes animi adfectus et pathemata; — morbi diuturni tam febriles quam afebriles assimilationem mul-

tum laedentes, quemadmodum v. gr. febres lentae, intermittentes pertinaces, viscerum abdominalium infarctibus junctae (*Hippocrates*, *Paulus Aegineta*, *Avicenna*, *Sennertus* et a. m.), haemorrhagiae aliaque profluvia, syphilis universalis, scabies inveterata, lepra etc. etc.; remediorum tandem antiphlogisticorum, solventium, evacuantium, debilitantium et narcoticorum abusus.

Inde intelligitur, cur scorbutus ad littora maritima septentrionalis Europae et Americae in Groenlandia, Norvegia, Suecia, Dania, Hollandia, Germania superiore, Anglia, Russia, cur itineribus maritimis diu durantibus, in urbibus obsidione diuturna cinctis, castris, ergastulis castigatoriis, nosodochiis perperam constructis nimiumve refertis, impuris etc., in angustis, udis, depressis, tenebricosis pauperum tuguriis etc. etc. frequens inveniatur, cur vere adulto et aestate quandoque epidemicus regnet.

§. 1002. *Differentias* scorbuti quoad originem, causarum occasionalium intensitatem, expansionem, decurrendi rationem, durationem etc., quum omnium morborum communes sint, generatim solum hic tetigisse sufficiet. *Varietas* attamen penitius memorari meretur, *cancer aquaticus Batavis* (Wasserkrebs, ab indole instar cancri destructiva et jugi salivae fluxu), *noma*, *stomacace* aliis, *gangraena gingivarum* Gallis, *gangraena oris interni Boerhaavio* nominata, aptius forsan *ulcus oris interni scorbutico-gangraenosum* vocanda.

§. 1003. Haec *scorbuti modificatio* infantes cachecticos potissimum, raro adultos infestat, et *Swietenio* referente (Commentar. in *Boerhaav.* Aphor. 432. Vol. I. p. 766.) in Batavia quandoque malorum epidemicorum frequentiam est nactus. Juxta *Swietenii* ejusdem, *Richteri*, *Lentini*, *Henkei* et proprias aliquot observationes praecursores habet lassitudinem, morositatem, inquietudinem, dysorexiam, obstipatam alvum et motus febriles; deinde modo manifestatur sequente: in interna buccarum

aut labiorum parte, in gingivis, lingua, tonsillis aut palato tumor oritur durus, rotundus, magnitudine pisi aut fabae, maculam gerens pallide rubram, non adeo dolorificam ac aestuantem potius, cujus medium paulo post stigma album occupat. Hoc in puncto nunc et in circumferentiis intensius rubentibus increscit dolor, locus subter illud, escharam gangraenosam sistens profundius exeditur, et eschara in individuis adultioribus et malo mitiore delabitur, in infantibus vero, et morbo vehemente quaquaversum toto in ambitu expanditur; simul tunc halitus ore exit summopere foetens, profluitque continuo saliva putridissima, sanguine striata, et nisi illico efficax adhibeatur medela, citissime progreditur corruptio, qua non partes modo molles nominatae, sed etiam, qui jam prodierunt, dentes et futurorum rudimenta in alveolis latentia, ipsaeque maxillae destruuntur ita, ut notabiles earum partes una cum dentibus laxius impactis solvantur, et secedant aut eximi facili queant negotio. Interea habitus aegri cachecticus, pulsuum debilitas, dyspnoea citissime augentur, non aequali licet ratione vires musculares decrescunt, partes gangraena et carie devastatae horridae aspectu, evacuationes colliquativae evadunt, donec mors tantis finem imponat miseriis.

Van Swieten Comment. in *H. Boerh.* aphor. 423. et 432. Vol. I. p. 749., 766. et 767.
A. G. Richter Anfangsgr. d. Wundarzn. B. IV. §. 142 etc.
Girtanner Kinderkrankheiten.
A. Henke Handb. z. Erk. u. Heil. d. Kinderkrankheiten. 3. Aufl. B. II. S. 261—265.
Klaatsch, in *Hufeland's* Journ. d. pr. H. 1823. St. 1.

§. 1004. *Disposita* in hunc morbum sunt subjecta debilia, laxa, pallida, inflata, praecipue infantes scrophulosi, rhachitici. — *Generari* solet malum coalitis tribus scorbuti causis gravissimis, pauperum nempe tuguriis angustis, udis, frigidisque, raro et haud sufficienter

ventilatis; victu nimis parco, crudo, depravato; et spurcitie magna.

§. 1005. Consideratis et collatis morbi symptomatibus, resultantibus ex cadaverum lustratione vitiis materialibus, momentis causae disponentibus ac excitantibus, nec non therapia salutifera, haud dubium est, *essentiam* scorbuti ejusque modificationum summa cum probabilitate assumi posse sanguificationem morbosam cum peculiari sanguinis dyscrasia, per coagulabilitatis defectum, praevalentem nisum in decompositionem et facultatem incitandi debilem sese manifestante, et, ut videtur, ab oxygenii necessarii penuria pendente. — *Mac-Carthy* (l. c. p. 61.) opinatur, scorbuto subesse vel oxygenii defectum, vel excessum principii phlogistici, sanguine indolem venosam induente. — *Haase* (l. c. T. III. S. 2. p. 12) scorbuti essentiam in vitio dynamico et chemico simul unito quaerendam esse; illud in irritabilitate et energia systematis irritabilis admodum depressis, istud vero in proportione oxygenii ad principia phlogistica in humorum massa, speciatim in sanguine consistere, et utrumque vicissim se excitare contendit. — *Köchlin* (l. c. p. 405.) sanguinem in scorbuto primarie et praevalenter adfectum, sedemque hujus morbi, et processum fermentationis, dissolutionis ac decompositionis putridae in sanguine causam illius proximam esse, existimat.

§. 1006. Scorbutus, casibus solum gradus levissimi exceptis, gravem sistit morbum, attamen adaequata sub medela ceterisque circumstantiis secundantibus stadio altero adhuc sanabilem, tertio autem imprimis provecto fere semper lethalem. Evoluta ejus forma apud nos sporadica sat frequens, rara epidemica; qua talis autem gradus initiantis mali levissimus omnino occurrit, diathesis scorbutica nominari solitus.

Ulcus oris interni scorbutico-sphacelosum infantum raro sanationem admittit, quia causae excitantes consuetim ardue aut non possunt auferri; quia magni mo-

menti morbus principalis omnem fere vehementiam in sphaeram angustam organaque laxa et segnioris vitae concentrare videtur, communiter in infaustum cum scrophulis et rachitide connubium cadit, rapido progreditur cursu; quia saepissime arduum est remedia procurare necessaria, eaque rite administrare etc. etc. Facilius sanatur in adultis. Mors intra duas quatuorve septimanas accedere solet; sanationem foveae sequuntur profundae et cicatrices, perpetua gangraenae et sphaceli devastantis vestigia.

§. 1007. In facienda scorbuto *medela* quam citissime amovere, enervare causas occasionales oportet, omnesque alias potentias, illi alendo, augendo pares. Requiruntur absolute, et ad morbum leviorem imo sanandum sufficiunt aër purus, siccus, frigidulus reficiens; aqua pura, recens, putealis aut fluvialis non salsa, cum acido tartrico, succo citri etc.; alimentorum vegetabilium et animalium recentium copia necessaria; motus corporis frequens viribus adcommodatus; animi hilaritas, occupatio mentis grata et distractio per musicam etc. Praeterea curatio eo tendat, ut assimilatio et sanguificatio corrigantur, sanguinis proinde crasis emendetur, ut vires incitentur ac roborentur, graviaque auferantur, leniantur symptomata. Hunc in finem conveniunt: mitiore scorbuto acida vegetabilia imprimis spontanea citri, aurantii, ribium, berberum, pomorum, cerasorum, prunorum, rumicis acetosae, brassicae fermentatae prae aceto; majore morbo: acida mineralia, elixir. acidum *Halleri*, acidum pyro-lignosum cum syrupis, aliisve pharmacis aut potulentis; pharmaca amaro-acria (herbae anti-scorbuticae dictae), amara, amaro-aromatica, adstringentia, uti: cochlearia, beccabunga, nasturtium aquaticum, raphanus rusticanus, semen sinapis etc. in succis expressis, lactucariis vel conservis, centaurium minus, trifolium fibrinum, carduus benedictus, quassia, gentiana, absinthium, calamus aromaticus, flores chamomillae, salvia,

baccae juniperi, cortex Peruvianus, quercus, salicum, hyppocastani etc., alumen etc. Junguntur his victus digestu facilis, succulentus, pro essentiali parte in recentibus oleraceis dictis, aut brassica fermentata et fructibus horaeis acidulis constans, pro potu aqua, aut cerevisia amaricans bene defaecata, aut decoctum malti cum acido quodam, vel vino tenui acidulo, et malo multum provecto vinum annosum austriacum, rhenanum, budense etc. aqua congrue dilutum. Virtutis eminentis sunt balnea et lotiones frigidulae universales cum aqua mera, aut aceto vel acido minerali, vel (insigni sub laxitate ac debilitate) aceto aromatico, vino, alcohole, spiritu vini camphorato etc. remixta, quater et pluries per nycthemerum leniter fricando ab ipso aegro, quoad vires ferunt, institutae. (Vid. §. 732.)

Curam *symptomaticam* insuper haud raro indicant gingivarum maxima laxitas et corruptio, ulcera scorbutica et haemorrhagiae. Opponuntur speciatim *gingivarum adfectioni* collutoria ex salviae, rutae, scordii infusis, cum melle rosarum et pauco spiritu vini, vel cochleariae, vel tinctura myrrhae, ex aqua cum alumine soluto vel acidis muriatico, sulphurico aut pyro-lignoso, vel spiritu cochleariae admixtis, electuaria ex melle rosarum cum alumine vel mox nominatis acidis aut spirituosis conflata. — *Haemorrhagiae scorbuticae* non alio, ac in febre putrida (§. 125. a.) dictum, modo tractantur. — *Ulceribus* imponuntur acida, quae recensebantur superius, diluta, aqua vulneraria *Thedeni*, solutio aluminis, gummi kino, decocta corticum salicum, hyppocastani, quercus, chinae subfrigida.

§. 1008. Cura *cancri* dicti *aquatici*, sive ulceris oris interni scorbutico-sphacelosi et in hoc ipsum tendat, et in morbum principem scrophuloso-, rhachitico-, aut et hydrocephalico-scorbuticum. Cum therapia universali antiscorbutica et incitante vel diuretica illico locus sphacelosus saepius de die colluendus aut ope peni-

cilli e linteo carpto confecti illinendus acidis vegetabilibus, et, proserpente tabo, acidis mineralibus, e quibus *Swietenius* (l. c. p. 767.) muriatico palmam tribuit, vel aqua dilutis vel melle rosarum remixtis, aut aquosa calcis muriaticae solutione. In casibus pessimis *Swietenius* ipsum spiritum salis marini, ut vocat, merum adplicuit et pulcherrimo semper cum successu, nisi cum, gingivis omnino jam corruptis, maxillae os adfectum foret. Caveatur ab omni rudi frictione, in scorbuto et aphthis quotidie male usitata.

Therapia *convalescentiae* ab illa post exantlatam febrim putridam (§. 128.) essentialiter non differt.

Spec. 2. Chlorosis.

§. 1009. *Chlorosis*, Bleichsucht (a χλωρος, pallide virens), est cachexiae species, sexui sequiori propria, et quidem tam puellas circa aut adhuc ante pubertatis tempus quam nuptas juniores viduasque infestans, quae colore pallido fere lacteo, vel flavicante, vel ex flavo virente, macie sine vel cum leucophlegmatia, debilitate universali imprimis musculorum eminente, palpitationibus cordis, catameniorum citra graviditatem defectu vel nimia parcitate ac vices agente blennorrhoea, et saepe rerum non esculentarum desiderio, insignitur.

Cullen, P. Frank, A. G. Richter in d. a. W.
El. v. Siebold Handb. zur Erk. u. Heil. d. Frauenzimmerkrankheiten B. I.
Jos. d. Marmaross diss. inaug. de Chlorosi. Vienn. 1813.
C. G. Carus Lehrb. d. Gynäkologie u. s. w. 2 Thle. Dresd. 1822. 8.
Jörg Frauenzimmerkrankheiten. Leipz. 1822.

§. 1010. Adsunt initio delassatio magna, corporis totius praecipue in lumbis, regione sacrali et extremitatibus inferioribus gravitas, inertia ad motum, palpitatio cordis et dyspnoea, imprimis sub scalarum adscensu tuncque anxietati juncta, dysorexia, animi indifferentia,

solitudinis amor, moestitia, irritabilitas; — adsociantur postea coloris cutanei in designatum mutatio, in facie citra conjunctivam puram eminens, palpebrae e flavo brunescentes; labiorum, gingivarum, linguae et caruncularum lacrymalium pallor; dyspnoea angens ac palpitatio cordis etiam sine motu; macies cum habitu leucophlegmatico vel pedum oedemate; frigidula cutis et sicca; pulsus parvus, contractus vel mollis et debilis, frequens; mensium aut defectus, aut fluxus debito parcior et difficilis, irregularis, aut emansio cum blennorrhoea eorum vices agente; instinctus sexualis consuetim nullus; dysorexia, anorexia, malacia, pica; in subjectis teneris ac sensibilibus cephalaea frequens, pronitas in lipothymiam, spasmi varii quemadmodum in hysteria; in multis dyspepsia, acidum, alvus inordinata. Sanguis quacunque via evacuatus pallide ruber, parum coagulabilis est.

§. 1011. A chlorosi differunt adfectiones morbosae, in quibus menstrua vel obstaculis variis in vagina, atresia, hymene imperforato etc. retinentur, vel fluentia refrigerio, animi adfectibus validis etc. supprimuntur, aut multo parciora redduntur. Illae enim utut cachexiam habere possint sequelam, non tamen hac ipsa stipantur, nec singula, qualia cachexiae chloroticae competunt, symptomata, nec pura, verum (utpote *chloroses secundariae*) morbi primarii phaenomenis mixta, ostendunt. His in casibus diagnosis non semper facilis, imo, ubi graviditatis recentis suspicio viget, quandoque difficillima est.

§. 1012. Chlorosis lente decurrere solet et absque febri. Ingravescenti sociantur jam mala nervosa acuta vel chronica, uti: febris nervosa, spasmi, chorea St. Viti, epilepsia, melancholia, mania, jam impetigines pertinaces, oedemata pedum, hydrops et vel maxime hydrothorax et hydrocardia; favente rerum positione scorbutus; jam tussis initio sicca, admodum molesta,

postea cum sputis mucosis largis, tandem febris lenta depascens suis cum satellitibus et tussis transitu in phthisim pulmonalem pituitosam, demum ulcerosam.

§. 1013. Cadaverum lustratio, praeter residua morborum, qui nunc nominabantur, consecutivorum phaenomena, magnam sanguinis penuriam, tenuitatem et colorem obscurum, vitia cordis, praesertim laxi et pallidi dilatationes non rarius ac uteri et ovariorum imperfectam evolutionem vel et degenerationes varias, musculos omnes extenuatos, exsangues ostendit.

§. 1014. *Dispositio* in chlorosim nunc connata nunc adquisita occurrit praecipue in puellis debilibus, gracilioribus, cito crescentibus, cutis igitur tenuis, mollis, pallidae, musculorum laxorum, ingenii praecocis, animi irritabilis, irascibilis, sicut in valetudinariis, male nutritis, scrophulosis, rhachiticis, pituitosis, verminosis. — Momentis causae *excitantibus* accensentur: nutrimenta vilia, crassa, farinosa, mere vegetabilia, insufficientia; aër impurus, non ventilatus, humidus, humido-frigidus; refrigerationes; vita otiosa, aut sedentaria; somnus nimius; morbi graves; sanguinis aliorumque humorum dispendia; animi adfectus et pathemata deprimentia, imprimis curae, moeror, desiderium inane, amor infelix, repulsus; instinctus sexualis per lectitationes, conversationem etc. praemature excitatus; idem excedens non sedatus; masturbatio utplurimum blennorrhoeam simul inducens; — tandem et *morbi* varii universales aut organa sexualia maxime ferientes, ut: febres ac inflammationes varii generis, morbi a refrigerio, graves sanguinis aliorumque humorum jacturae, nevropathiae, gravidi-tates, partus, puerperia admodum debilitantia etc. quae in puellis nuptisve antea rite menstruatis dum chloroseos evadunt fontes, *secundariam* gignunt, consuetim *complicatam*.

§. 1015. *Essentia* chlorosis quaerenda est in sanguificatione imperfecta cum cruoris penuria, indeque

proficiscente imperfecta et retardata totius corporis evolutione, in se ipso necdum sufficienter et ita consolidati, ut vires notabiles et materiam organicam partibus sexualibus efformandis earumque functionibus sustinendis necessarias impendere valeret (*Richter*). Genitalium autem, functionumque eorum evolutio vel a) respectu totius organismi praemature sollicitata est; vel b) organismo ad gradum convenientem necdum perfecto aetate consueta adhuc deest; vel c) vix manifestata per potentias nocentes et morbos supra nominatos sistitur, intercipitur. Ex his genesis *chlorosis primariae* et *secundariae* suam nanciscitur explicationem. Altera morbi primarii vestigia et effectus non raro adhuc adsociatos secumfert, pro diagnosi, prognosi et cura omnem sibi attentionem exposcentes.

§. 1016. Chlorosis semper lente decurrit diuque durat; leviori gradu absque periculo est et, si causae aut morbi principes primarii auferri queunt, sanatu facilis; altioribus autem gradibus et duratione perlonga difficulter sanatur, et decompositione sanguinis, virium consumtione, febre lenta, organorum nobilium destructione, hydrope etc. periculosa evadit, et saepe lethalis. — Morbus mitior progrediente aetate nonnunquam sponte evanescit. — Chloroticae saepe manent steriles, aut abortus facile patiuntur, aut imbecilles pariunt proles.

§. 1017. *Therapia* primo in amovendas causas occasionales noxiosque influxus mox memoratos, vel et in morbum principalem v. gr. scrophulas, nec non, quoad chlorosim secundariam, in primarium complicantem tollendum aut pro possibili infringendum dirigatur. Requiruntur itaque aër purus, siccus, moderate calidus, motus corporis frequens et adcommodata virium intensio, sedula occupatio, distractio, animi adfectus grati, victus bene nutriens, digestio facilis etc. etc. His solis chlorosim tum primariam tum secundariam complicatione jam liberam, incipientem graduque levem pedetentim perfecte

sanari, non est rarissimum. Illa vero increscente, contra mali essentiam, habito gradus singulorum urgentium aut valde gravium symptomatum, aegrique constitutionis tenerae, irritabilis vel laxae, inertis respectu, ita agendum erit, ut non vita solum toto in organismo congrue incitetur, sed speciatim assimilatio omnis, sanguificatio, nutritio emendentur, ac normalis proinde evolutio promoveatur, corroboretur. Quem in finem penes diaetetica et psychica mox memorata remediis adhuc partim roborantibus, partim meliori imprimis sanguificationi proficuis opus est. Spectant ad illa: tonica amara, amaro-aromatica, cortex Peruvianus; ad ista mars et acida mineralia.

Necessarium est, sicut morbum primarium adhuc perstantem conveniente methodo, ita complicationem gastricam, vel et symptomaticum pituitosum organorum digerentium statum haud infrequentem, remediis solventibus et evacuantibus tollere, priusquam directa instituatur chlorosis curatio. Id quod in subjectis lentis, laxis, pituitosis debita cum energia, saepe emeticis, efficiendum est.

Praemissa hac, ubi opus, praeparatione, alias sine illa, conveniunt praesente magna systematis circulatorii irritabilitate elixirium acid. *Hall.* cum aqua et saccharo, dein cum decoctis amaris fumariae, centaurii min., trifol. fibr. etc. etc.; irritabilitate moderata, sicut leucophlegmatia et polyblennia levi, amaro-aromatica, quemadmodum chamomilla, matricaria, absinthium, calam. arom., cort. Peruv., et ferrum praeprimis ejusque praeparata. Adhibita *vel* statim limatura purissima cum elaeosaccharo, *vel* communius tinctura malatis ferri, aut extractum, aut flores sal. ammon. martiales praemittuntur, et ab his ad ferrum in substantia fit transitus. Aquae martiales, *Sternbergensis*, *Clausnensis*, *Pyrmontana* etc. praecipue ad fontes ipsos haustae, egregiam pariter exerunt virtutem.

Eminentibus nervorum mobilitate et symptomatibus

mere nervosis, uti cephalaea, gasteralgia, tussi spasmodica, colica catameniali etc., administranda cum prioribus sunt pacantia, balnea tepida emollientia, saponata, levissima aromatica, infusa et aquae aromaticae mitiores millefolii, melissae, valerianae utriusque, chamomillae, folior. aurantii etc. cum vel absque castoreo, liq. corn. cerv., assa foetid. etc., vel etiam narcotica.

§. 1018. Frustraneum foret, aut certe *in damnum* aegrarum cederet conamen, menses haerentes vel aequo parciores cum energia pellendi, quousque cachexia, morbum principalem constituens, sublata non fuerit. Hac vero sanata menses aut parcitate, aut qualitate aut periodo adhuc peccantes caute movere licet modo, inferius de amenorrhoea subpressionis commemorando.

§. 1019. Curatur *convalescentia*, citra potentiarum nocentium supra nominatarum fugam, methodo nutriente, roborante, et incitante, atque concordante regimine diaetetico et psychico exacte servato, diu continuandis.

Spec. 3. Morbus coeruleus.

§. 1020. *Morbus coeruleus* (coerulosis, cyanosis, Blausucht) cachexiarum species vocatur, colore coeruleo universali, locis epidermide tenuiori tectis uti labiis, carunculis, palpebrarum marginibus etc. imprimis eminente insignita, a vitiosa cordis organisatione, insufficiente sanguinis in pulmonibus oxydatione, ejusque indole venosa praedominante pendens.

Color plus minusve lividus praecipue labiorum, faciei, unguium omnes comitatur morbos cum impedito sanguinis ad cor refluxu, adeoque imminuto per pulmones transitu, cum systematis proinde venosi repletione et imperfecta sanguinis in pulmonibus immutatione conjunctos. Quare in tracheae ac pulmonum inflammationibus, in pertussi, amplis pulmonum vomicis, asthmate spasmodico, hydrothorace etc. etc. non infrequens, in cholera orientali universalis pathognomonicus visus est,

et pro morborum principalium ratione jam transitorius jam perstans. Istos vero morbos ad eum, de quo nunc sermo est, minime referendos esse, ex ejus definitione patet.

Lentin Beyträge z. ausüb. Arzneyw. B. II. S. 68.
Fr. Meckel Handb. d. pathol. Anat. B. I. S. 426.
Kreysig üb. d. Krankh. des Herzens. Thl. I. S. 371 u. Thl. II. Abth. 2. S. 788.
A. G. Richter spec. Therap. B. V. S. 197—218.

§. 1021. Rarus est morbus, connatus saepius quam postea ortus. In *connato* cor aut primariam offert formationem vitiosam, aut imperfectam, vel in ea, quae foetui competit, post nativitatem detinetur i. e. foramen ovale et ductus arteriosus *Botalli* alterutri aut utrique manent pervii. Formationes vitiosae omnium pessimae, quum cyanosim producere soleant mox a partu manifestam, acute decurrentem, brevique lethalem; — permeabile autem foramen ovale et arteria pulmonalis simul angustior nonnunquam cum cyanosi vitam diu persistere concesserunt. De morbo post nativitatem demum suborto inculpanda sunt vel foramen ovale, forsan sanguine in ventriculo cordis dextro stagnante, de novo violenter apertum, vel valvulae, vel septi pars suppuratione et ulceratione destructae. Hoc ex fonte malum omni aetate oriri potest, brevi plerumque exitiale.

§. 1022. Ingravescit quavis incitatione cordis, imprimis motibus institutis, quibus insimul oppressio in praecordiis, anxietas absque respirandi molestia et absque dolore cientur. Dispositio in haemorrhagias magna semper adest, et sanguis evacuatus, arteriosus quoque, non laete rubet, parum coagulabilis, sed ruboris profundi est in nigrum vergentis, et ut in scorbuto dissolutus.

§. 1023. *Prognosis* ex commemoratis desumenda.

Therapia, quae non nisi palliativa esse potest, eo tendat oportet, ut humorum circulus toto in organismo liber et aequabilis sustineatur, cordis actio moderatissima ab incitatione ac intensione quavis sollicite

defendatur, et massa sanguinis parum nimis oxydati corrigatur. Methodos pro scopo facientes et remedia iterum exponere superfluum foret; id modo adnotare convenit, sub therapia rationali, regimine adcommodato, calore moderato aegris admodum accepto, vitam quandoque diu procrastinari.

Genus II. Cachexiae cum praevalentibus secretionibus morbosis, secretorumque vitiis.

Spec. 1. Status pituitosus.

§. 1024. *Status pituitosus* (cacochymia pituitosa; polyblennia *Swed.*, Verschleimung, schleimiger Zustand) cachexiae species est, quae pallore et leucophlegmatia cutis, extremorum frigore, adynamia universali, segnitie motuum corporis et functionum mentis, nimiaque pituitae secretione in muciparis narium, oris et faucium, organorum respirationi dicatorum, ventriculi, tractus intestinalis, nec non vaginae, imo rarius et urethrae membranis palam redditur.

§. 1025. Ex phaenomenis specialem merentur mentionem *polyblennia pulmonalis* seu *tussis pituitosa*, et *vaginalis* seu *leucorrhoea benigna*. Prior, ubi sputa jam puri simillima fuerint, ubi citra ponderis prementis in pectore sensum atque dolores artuum rheumaticis analogos febris adfuerit lenta, imprimis vesperi manifesta, ubi itaque *phthisis* jam viguerit pulmonum *notha* dicta seu *pituitosa*, levius examinanti pro *phthisi pulmonum ulcerosa* eo facilius imponere valet, quum tentamina de pure notas hujus infallibiles minime suppeditarint, et malum increscens tandem in phthisim ulcerosam reapse degeneret. — *Leucorrhoea benigna* mentiri syphiliticam eo facilius potest, quo magis degeneraverit malo diuturno et inveterato mucus vaginae, luridus et acer redditus. Utroque in casu diagnosim illustrant dispositionis ad morbum consideratio, febris pituitosa forsan superata, catarrhi aut rheumatismi chronici vel saepe recurrentes, sym-

ptomatum praegressae inflammationis defectus, aestimatio momentorum, quae mox nominabuntur, excitantium, decursus ac durationis morbi praesentis, indoles multum variabilis muci, nec non therapiae, diaetae, regiminis, variorumque influxuum accidentalium effectus.

§. 1026. Polyblennia malum sistit chronicum, levi gradu, topicisque symptomatibus exiguis per annos, quin aegrorum valetudinem notabiliter turbet, durans; tempore sereno, sicco, moderate calido, et stimulorum adaequatorum in corpus et animam actione mitigandum, imo, nisi diutius ac nimis profunde in constitutione individui radicetur, perfecte sanandum. Idem vero sub adversis rerum adjunctis in turbas digestionis et respirationis perstantes graves, et modo consecutivo in febrim pituitosam, in lentam, in phthisim ulcerosam pulmonum, chlorosim, hydropes etc. transire potest, atque his mediantibus sicut suffocatione, apoplexia mortem inferre.

§. 1027. *Disponuntur* in polyblenniam prae aliis infantes ac senes, subjecta laxa, debilia, phlegmatica, scrophulosa, rhachitica, valetudinaria. Ad momenta *excitantia* spectant, quae de generanda febri pituitosa (T. I. §. 186.) incusabantur: constitutio aëris propria epidemica et endemica; usus nutrimentorum vilium protractus, fatuorum, farinosorum crudorum, leguminum aliorumque tenacium, viscidorum; habitacula humida; humidum et spurcum omnis generis; neglecta cutis mundities; vermes intestinales pro parte; quaequae et digestionem specialius et sanguificationem debilitando paria etc. etc.

Inducunt speciatim tussim et phthisim pituitosam, nec non leucorrhoeam benignam: irritamenta gastrica, continua, genitalium ipsorum idiopathica, sympathica, physica, psychica diuturna aut saepe repetita; refrigerium iteratum; variorum morborum cutaneorum ut et arthritidis evolutio imperfecta, horum sicut profluviorum habitualium suppressio.

§. 1028. E quibus constat, morbo huic non irrita-

tionem aut inflammationem membranae partium dictarum muciparae, sed assimilationem et sanguificationem vitiatam cum praevalente sero, insignem solidorum laxitatem, humorumque congestionem in membranis muciparis cum larga muci secretione qua proximam subesse causam. (Conf. T. I. §. 179. et 180.)

§. 1029. *Prognosis* ex morbi descriptione et historia, dein ex sequentibus depromenda: Dispositio in polyblenniam et haec ipsa gradu leviori non raro tam profundas in constitutione individuali habent radices, ut evelli sine ancipite aut periculosa in toto organismo metamorphosi nequeant. Lentus morbi decursus necessario artis auxilio tempus quidem concedit, sanationi vero plurimum obstant sensibilitas organismi totius, primarum praesertim viarum et cutis depressa, nec non accumulationes pituitae copiosas, quin aeger debilitetur, tollendi difficultas.

§. 1030. *Therapia* citra causas occasionales et circumstantias malum protrahentes et intendentes auferendas, eo speciatim dirigenda est, ut digestio, sanguificatio et nutritio emendentur, atque morbosa muci secretio praevertatur. Hunc in finem nonnunquam omnium primo larga ventriculi, intestinorum, aut viarum respiratoriarum pituita attenuetur, solvatur, eliminetur necesse est remediis solventibus, emeticis, purgantibus, aut sternutatoriis, incidentibus, expectorantibus. Post haec irritando solventia incitantibus, tonicis nec tamen adstringentibus nupta, quemadmodum sal ammoniacus, aethiops antimonialis et mineralis, sulphur aurat. antimon., kermes minerale, sulph. aurat. antim. cum calomele, tart. emeticus refractis dosibus, aquae Egranae, oximel scilliticum, gumm. ammoniac., resinae, balsama nativa; rheum cum taraxaco, cum cichoreo, fumaria, trifolio, cortice Peruviano, aut cum absinthio, flor. chamomillae, rad. calami aromatici etc. in usum sumantur, et frequentibus cutis frictionibus, lotionibus adjuventur

cum aqua recente frigidula, vino, alcohole aqua mixto, spiritu aromatico, balneis tepidis simplicibus vel saponatis, sulphuratis, aromaticis, adcommodato corporis motu, diaeta digestu facili, modice condita, nec non commoratione in aëre puro, sicco praeprimis regionum quidquam montosarum. — Conferantur, quae circa therapiam febris pituitosae T. I. §. 189. dicta sunt.

Spec. 2. Helminthiasis.

§. 1031. *Helminthiasis* (vermitio, morbus verminosus, Wurmkrankheit, Wurmsucht, Wurmbeschwerden) ea dicitur cachexiae species polyblenniae adfinis, quae vermium praesertim intestinalium generationi essentialiter conjuncta, citra communia cachexiae pituitosae symptomata propriis manifestatur phaenomenis, per vermes inductis.

M. E. Bloch Abhandlung v. d. Erzeugung der Eingeweidewürmer u. d. Mitteln wider dieselben. M. 1 Kupf. Berl. 1782. 4.

Jos. Lengsfeld Beschr. d. Bandwürmer u. deren Heilmittel. Wien 1794. 8.

V. L. Brera med. prakt. Vorlesungen üb. d. vornehmsten Eingeweidewürmer d. m. leb. Körps. u. die sog. Wurmkhten. A. d. Ital. übers. u. m. Zusätzen versehen v. *F. A. Weber*. M. 5 Kupf. Leipz. 1803. 4.

C. A. Rudolphi Entozoorum historia natur. Vol. III. Amstel. 1808—1810. 8. — Entozoorum synopsis etc. c. tab. trib. aeneis. Berol. 1819. 8.

Dr. Bremser üb. leb. Würmer im leb. Menschen. Ein Buch f. ausübende Ärzte. Mit n. d. Natur gez. Abbild. auf 4 Tafeln. Wien 1819. 4.

§. 1032. Sunt quidem vermes varii extra tubum intestinalem deprehensi a viris mox nominatis, de Helminthologia bene meritis, speciatim *taenia hydatigena* vix non in singulis corporis humani partibus internis, *filaria* in externis, *strongylus g.* in renibus, *distoma hepaticum* in cystide fellea, *polystoma pinguicola*, Vielloch (observante *Treutler*) in adipe ovariorum etc., ast hic loci

eorum solum mentionem facere convenit, qui intestina inhabitant, ibidemque Helminthologis adserentibus primario generantur. Sunt auctore *Bremser* (op. cit. p. 76.) sequentes quinque: *1) trichrocephalus dispar* (der Peitschenwurm, Haarkopf) potissimum unicus, intestinum coecum inhabitans; *2) oxyuris vermicularis* (der Pfriemenschwanz) in intestinis crassis praecipue in recto; *3) ascaris lumbricoides* (der Spulwurm) in intestinis tenuibus, *4) botriocephalus latus* (taenia lata, der breitgliedrige Bandwurm) in ditionibus nostris rarissimus, in Helvetia, Gallia etc. frequens, et *5) taenia solium* (der Kettenwurm, der langgliedrige Bandwurm) nobis vulgaris, ambo in intestinis tenuibus nidulantes. (Conf. T. I. §. 195.)

§. 1033. Vermes non raro adsunt singuli, quin symptomata morbosa producant, alias vero inferunt sequentia: a) *idiopathice* rependo, sugendo, mordendo nunc anorexiam, nunc famem praesertim noctu accedentem immodicam, ciborum solidorum et farinosorum appetentiam, sitim mane urgentem, halitum oris mucoso-dulcescentem, linguam crasso obsessam muco, salivationem, nauseam, vomituritiones jejuno adhuc ventriculo et post dulcia ingesta, vomitum ipsum fluidi limpidi serosi, generatim coenaesthesim a sinapi, cepis, allio, armoracia, aceto etc. sumtis alteratam; tormina, dolores colicos praesertim ad umbilici regionem, saepius aeque inexpectato invadentes ac subito cessantes, et lacte mitigari solitos, abdomen inflatum cum anxietate ac dyspnoea, alvum obstipam cum diarrhoea et tenesmo saepe alternantem; b) *sympathice:* pruritum narium ad frictiones provocantem, vitia olfactus, pupillam dilatatam, photopsiam, myrmekopsiam, diplopiam, transitoriam amaurosim, caeruleos oculorum sulcos, palpebrarum spasmos, distorsiones bulbi, dentium stridores, pavores sub somno insomniis turbato, faciem pallidam saepe variantem, cardiopalmum, pulsum frequentem ac durum, quandoque

intermittentem, dyspnoeam cum tussi sicca, urinas pallidas seri lactis instar turbidas, sudores acescentes, vertiginem, aurium susurrum, rarius convulsiones varias ac spasmos, choream St. Viti, epilepsiam, catalepsim, coma, delirium, paralyses transitorias, alaliam, dolores variarum partium absque alia causa; animi dispositionem variabilem utplurimum morosam et invitam; quandoque faciei, palpebrarum, extremitatum oedemata, *febrim verminosam* (T. I. §. 193.); tandem malo protracto et neglecto tabem, febrim hecticam ejusque comites et effectus.

Trichocephali in specie, in cadaveribus adeo frequenter obvii, nullis se produnt symptomatibus; *oxyures vermiculares* pruritum excitant ad anum vesperi praesertim sub lecti calore, tenesmum, fluxus tum muci tum sanguinis ex ano, et in puellis, si ad vaginam proserpunt, pruritum intolerabilem, blennorrhoeam largam, phlogosim, ideoque non raro ad masturbationem ducunt, in adultioribus pruritum vehementem et salacitatem; — *taeniae* frequentes puncturas subitaneas quasi acu illatas, aut morsus in epigastrio potissimum in ventriculi regione, ponderis sensum quemadmodum a corpore in abdomine locum mutante, ibidemque ac ad dorsum frigus causante; motus unduosos circa umbilicum peculiares, nonnunquam omni mense revertentes, ab assumtis acidis, amaris etc. augendos, et aliquando in anxietatem, spasmos, lipothymias transeuntes; in feminis saepius incommoda graviditatem mentientia; attamen taeniarum praesentia secessu singulorum membrorum brevi solet certa reddi.

§. 1034. Symptomata recensita sola diagnosim non omni eripiunt dubio, nam et ab irritamentis morbisque gastricis variis, et plura eorum singillatim spectata ab hydrocephalo producuntur; — nec dispositionis et momentorum excitantium consideratio certitudinem largitur, adesse enim queunt absque helminthiasi producta. Et ver-

mium licet praesentia per eorundem evacuationes evicta, per has tamen subsequumve symptomatum praegressorum levamen aut cessationem nexus quoque causalis vermes inter ac morbi phaenomena nondum pari evictus habetur certitudine, nec ea, quam illi ad haec contulerunt, symbola liquet, quum mali lenimen et sublatio non raro adhibitis potius adscribendae esse videantur remediis.

§. 1035. *Disponunt* ad helminthiasim aetas infantilis et puerilis, debilitas, laxitas universalis praecipue diathesis scrophulosa et rhachitica, polyblennia, et speciatim ventriculi et intestinorum debilitas et laxitas, digestio languida, imperfecta, vitiosa, muci ac pituitae in primis viis abundantia, adeoque remotius omnia momenta, morbosis hisce conditionibus inferendis paria. — Ad causas *excitantes* spectant: esus protractus rerum digestu difficilium, tenacium, mucilaginosarum, aut et polychymiae et polyblenniae faventium, in specie ciborum pinguium, farinosorum et lacticiniorum; vitae genus otiosum, iners, motu destitutum; animi pathemata deprimentia; habitacula humida, depressa, obscura, frigidula; tempestas diutius perstans nebulosa, humida, pluviosa, et frigida etc.

Explicatur his consideratis, cur juxta communissimas observationes fames individui sit infensissimus vermium inimicus, et cur, adserente *Bremsero*, victus parcus et parum nutriens generationi vermium intestinalium non faveat; — intelligitur pro parte saltem, cur aegris, praecipue infantibus, ab omni abstinentibus victu sine medicaminum usu vermes ex ano imo et ore secedant; cur nonnullis in morbis, speciatim typhosis, putridis, et intermittentibus excernantur numerosi; cur tandem helminthiasis et endemica et quandoque epidemica observetur.

§. 1036. Vermes intestinales, cum extra humanum nunquam reperiantur organismum, intra hunc autem in ipso imo foetu inveniantur, *generatione spontanea* s. *aequivoca* dicta, aut, uti *Bremser* nominari hanc mavult,

primitiva oriri posse, et mediante genitura propagari videntur. Probabile est, eosdem ex humoribus intra primas vias secretis qualitate peccantibus, aut saltem nimia quantitate accumulatis, utpote materiis animalisatis, forma adhuc egentibus, generari; ast quomodo ex illis fiant, nos penitus latet.

§. 1037. *Prognosis* ex hucusque dictis fluit. Addantur sequentia: Morbus ab incunabulis nonnunquam ad provectam aetatem et tumulum usque hominem comitatur; levem nulla vel exigua et pauca, gravem magna multaque symptomata, saltem per periodos vexantia, circumdant. Helminthiasis utut frequens aetatis infantilis hostis, non omnium tamen, de quibus inculpatur saepissime, malorum mater est.

Opinio, intestina a vermibus perforari aliquando, indeque mortem induci, vana esse videtur, cum ex investigationibus *Rudolphii* constet, illos necessariis ad id efficiendum organis penitus carere. — Constat tamen observatis, mediante intestinorum osculo ulceroso, inflammatiunculam per vermes aut alias causas inductam insecuto, in cavum abdominis pervenisse, imo herniis incarceratis extrorsum proserpsisse.

Plenilunio accedente symptomata a vermibus saepe exasperantur.

Faustam prognosim non tam vermium viventium, aut mortuorum et partim putredine resolutorum expulsio, in taenia laborantibus non capitis illius secessus, et inde profecta incommodorum mitigatio aut temporaria cessatio fieri sinunt, quam potius individualis, praesertim primarum viarum, in alendos ac regenerandos vermes dispositionis correctio.

§. 1038. Objectum *therapiae* proinde non in eo solum consistit, ut amovendo causam excitantem *i. e.* vermes, tollantur symptomata morbosa ab his pendentia, sed ut ipsa etiam universalis aeque ac tractus primarum viarum corrigatur dispositio, et effectus partim a vermibus par-

tim a necessario in eosdem tractamine relicti exstinguantur.

§. 1039. Vermibus expellendis inserviunt a) *tonica roborantia* generatim, cachexiae principali, helminthiasis fonti, auferendae idonea; b) *anthelminthica*, modo nimirum mechanico aut specifico vermibus infensa, iisque debilitandis aut enecandis paria; et c) *purgantia*. Spectant ad a) pharmaca tonica, amara et amaro-aromatica nota; — ad b), quorum plura etiam incitando et roborando prosunt; sem. cinae, tanaceti, absinthium, allium, cepa, dictamnus albus, valeriana, polypod. filix mas, cort. virid. nuc. juglandis, asa foetida, camphora, ol. terebinthinae, petroleum, ol. c. cerv. empyreumaticum et rectificatum s. *Dippeli;* calomel, tart. emetic. dosi refracta, flor. sulphuris, sal. ammoniacus, aqua calcis, murias barytae, limatura martis, vitriol. mart. artefactum, stannum limatum et granulatum, flores zinci; denique aqua frigida largiter hausta, praesertim soteria salina (*Rosenstein, Pallas, Rudolphi, Bremser*). Horum remediorum efficacia major redditur jejuno mane ventriculo, praegressa diaetae restrictione, et praemisso ciborum multum salsorum aut cum allio, cepa paratorum, radicum dauci sativi etc. usu. Gravante pituita larga aut praemitti aut conjungi aut, dum usus requiritur protractus, hinc inde interpolari debent pharmaca solventia, praesertim salina, vel emetica, vel purgantia; praesente debilitate et laxitate erigentia et roborantia; sensibilitate magna, colicis, spasmis, convulsionibus etc. eminentibus, ex anthelminthicis sedantia et antispastica eligenda sunt, vel mixturae oleosae, oleä blanda, balnea tepida etc. cum illis adhibenda. — Ad purgantia c), quae evacuationem vermium pro parte adjuvant, pro parte autem actione tam in illos quam in ventriculum et tractum intestinalem fortissima efficiunt, referuntur: oleosa pinguia dosi larga, speciatim ol. ricini; sal amarus; rheum; senna; jalapa; gratiola; gummi gutta; helleborus niger

et albus; aloë; ol. croton. tiglii; calomel magna dosi; — sabadilla; geoffroya Surinamensis; helminthochorton; chenopodium anthelminthicum; spigelia anthelmia, cort. rad. punic. granat. etc. etc.

Anthelminthica demum *specifica et purgantia* multifariam nupta in usum vocantur, quemadmodum in electuario anthelminthico *Stoerckii*, et in remediis plerisque contra taenias decantatis. Adserentibus autem *Semmerio* et *Bremsero* (l. c. p. 187.) methodus, qua praemissis anthelminthicis meris purgantia subjunguntur, certiores adfert effectus.

§. 1040. Sunt etiam, quorum applicatio *externa* contra vermes laudatur, remedia, quorum vero usus partim ad colicas verminosas, partim ad casus restringitur, in quibus aegri, praesertim infantes, interna penitus recusant; quin tamen istorum vices queant explere. (*Bremser* l. c. p. 157. et seq.) Nominandae hic sunt: inunctiones olei cajeput, cum balneis tepidis a *Rudolphi* contra colicas verminosas celebratae, petrolei cum succo allii expresso et felle tauri recente (*Mellin*); epithemata ex allio, herba linariae, herba tanaceti, herba absinthii cum aceto (*Lower, Schenk*); linimenta et unguenta ex felle tauri, sapone Veneto, cum oleo tanaceti, aut cum camphora aut aloë etc.; clysteres ex pharmacorum nunc memoratorum variis parati.

§. 1041. *Ascarides* s. oxyures *vermiculares*, consuetim innumeri, in superiore intestinorum crassorum tractu admodum difficulter impugnandi, et ob uberrimam propagationem difficilius exstirpandi, deorsum agantur versus intestinum rectum, et evacuentur. Primo scopo inserviunt semen cinae, valeriana etc. cum rheo, jalapa etc. ea solum dosi juncta, ut alvi parum diarrhoicae sequantur. Commendat *Bremser* electuarium anthelminthicum *Stoerkii*, dosi tamen jalapae minore. (L. c. p. 256.) Rp. Sem. cin. *vel* tanacet. rud. contus. unc. sem., pulv. rad. valer. s. dr. duas, pulv. rad. jalap. dr. sem. —

scr. duos. Pulv. arcan. dupl. dr. un. et sem. — duas. Oxim. scillit. q. s. ut f. elect. D. S. 2—3 M. tägl. 1 Kaffeelöffel voll. Scopo alteri plura ex dictis tum specificis tum purgantibus respondent, evacuata prius alvo directe adhibenda, uti: enemata ex oleo pingui quodam, ex aqua frigida cum sale aut melle, lacte cum allio cocto et aloë soluta, infusis seminum tanaceti, rad. valerianae, herbae absinthii etc. cum oleo empyreumatico corn. cervi, cum asa foetida; — subpositoria ex lardo, ex sapone aut aloë cum melle confecta; — vapores lactis ferventis ad anum admissi; et in casu pertinaci adhibita simul purgantia salina.

§. 1042. *Ascarides lumbricoides* debita sub momentorum generationi faventium ratione remediis supra memoratis impugnantur et expelluntur. Eximia pollent virtute memoratum electuarium anthelminthicum bis terve per diem cochleari parvo ita porrectum, ut sedes aliquot molles, non fluidae sequantur; pulveres a *Bremsero* (l. c. p. 258.) usitati, ex rad. jalap., fol. senn. et tart. vitriolato; tandem ad praecavendas recidivas praesertim in individuis laxis, leucophlegmaticis guttae roborantes (ibid. p. 259.) simul ac evacuantes.

§. 1043. Difficillime plerumque expelluntur *taeniae*, nonnisi fortissimis dictorum anthelminthicorum et purgantibus drasticis, una cum victu parcissimo, digestu facili, multum salso, cum halecibus etc. etc. adhibitis cedentes. Laudata vel maxime sunt contra illas largis dosibus jam pridem: pulv. rad. filic. mar., stannum rasum et granulatum, oleum ricini americani, gummi gutta, scammonium, jalapa, gratiola, calomel etc. etc., passim in arcanis decantatis vendita. Celebratae insuper sunt *methodi* eadem administrandi *variae*, quarum expositionem et analysim criticam *Bremser* habet (l. c. p. 172. — 191.), lectu dignam. — En *praecipuas*:

Selle vesperi aliquot cochlearia olei cujusdam pinguis, subsequente die mane (pro adultis) grana decem

gummi guttae ordinat, et hanc dosim post bihorium, nisi taenia jam secesserit, repeti jubet, simulque enema ex lacte injici. Verme alterum post bihorium nondum evacuato, et absente primarum viarum irritatione intensa dosim gummi guttae eandem tertia vice sumendam esse consulit. Hanc secuturus methodum circumspectione, ne noceat, cautissima opus habet. — *Odier*, qui primus oleum ricini amer. nostris in ditionibus commendavit, adultis mane drachmas tres pulveris rad. filicis maris, et bihorio elapso uncias tres hujus olei, cochlear majus omni media hora, pauco in jusculo porrigit. — Remedium *Nufferianum*, efficacius contra botryocephalum latum quam contra taeniam solium, quatuor constat partibus, nimirum: 1) jusculo aut panatella ex libra una et semis aquae, unciis duabus panis albi, unc. duabus aut tribus butyri recentis et quantitate necessaria salis; 2) enemate emolliente ex decocto manipuli parvi fol. malv. et althaeae, cum olei olivarum unc. duabus et pauco sale; 3) drachmis duabus vel tribus pulveris alcoholisati rad. filic. mar. autumno collectae, in unc. sex aq. tanaceti, vel flor. tiliae, vel communis; et 4) bolo ex calomelis et scammonii aa. granis decem, gummi gutt. gr. sex—septem, cum conserva hyacinthi confecto. — *Primo* memoratum jusculum hora vespertina septima vel octava, postea-quam aeger parcum post prandium nihil amplius comederit, sumitur, et post quadrantem paucum vini concedi potest cum pane bis cocto; deinde enema *secundo* nominatum, si aeger hacce die absque alvo, et generatim in obstipationem pronus fuerit, adplicatur, quod ille pro possibili retinere conetur, postea cubitum iturus. — Altera die summo mane, horis a jusculo sumto octo aut novem elapsis aeger specificum numero *tertio* nominatum in lecto adhuc haurit, et ut vomituritionibus ac vomitionibus saepe accedentibus praecaveat, corticem citri aut simile quid masticet, quin deglutiat, aut vaporem aceti naribus attrahat. Secuto tamen vomitu aeger praeter-

missa nausea dosim repetat, et obdormire tentet. Post bihorium surgit, bolum numero quarto insignitum deglutit, superbibendo vasculum aut duo infusi tenuis theae viridis, et in conclavi obambulat. Actione drastici incipiente aeger potum theatum levem aliquoties vasculatim haurit, donec vermis secedat; tunc nec citius jusculi carnosi vasculum, et brevi post alterum bibere licet. Post prandium tenue lectum petit vel obambulat foris; pro coena parum et cibos digestu faciles comedit. Qui bolum non retinuerint totum, aut eo non sufficienter purgentur, quatuor post horas salis Sedlitzensis aut Epsomensis dr. duas ad octo usque in poculo aquae fervidae solutas sumant. Quibus taenia non expellitur convoluta in globum, sed juxta longitudinem lentius exit, id quod praesente muco largissimo contingere solet, manentes in sella perforata, quin vermem trahant, unum alterumve vasculum infusi theae viridis quidquam calidi bibant, et hoc non sufficiente, sal amarum capiant, nec surgant, donec vermis fuerit solutus. Quibus taenia secessit ante bolum, *Nuffer* non nisi duas tertias boli partes, aut ejus loco sal amarum exhibuit. — Si vermis nec per diem nec proxima nocte exiverit, altera statim die mane specificum, omissoque bolo sal amarum sumendum esse, et regimen uti die praegressa servandum, *Nuffer* proposuit.

Remedio *Herrenschwandi* curandus per biduum mane ac vesperi drachmam pulv. rad. filic. mar., tertia die mane jejuno ventriculo pulverem ex gummi gutt. gr. duodecim, sal. absinth. neutr. dr. sem. et sapon. Starkei gr. duob. sumit; unum alterumve vomitum brevi insequi solitum totidemque dejectiones alvinas aqua tepida aut infuso theato mitigat; et post trihorium unciam olei ricini americani in vasculo juris carnosi haurit. Olei dosis post horam, et nisi taenia secesserit, post bihorium iterum repetenda. Verme non expulso ad vesperam aegro enema ex partibus aequal. lactis et aquae cum ol. ricini unc. tribus injicitur. — *Bremser* remedio huic et methodo parum confidit.

Alston primo aegris exhibet purgans ex decocto-infuso rad. gam. et fol. sennae cum manna, altera die mane jejuno ventriculo stanni puri per cribrum tenuissimum trajecti unciam cum syr. simplicis unciis quatuor; tertia sic et quarta die pulveris stanni unc. semis cum syrupi simplicis unciis duabus, quinta iterum purgans memoratum. — *Pallas* et *Bremser* efficaciam hujus remedii momentaneam confirmant; addit tamen iste, aegros intra tres menses rediisse, per vermis frusta methodi insufficientiam contestatos.

P. Frank (Epitom. L. VI. P. III. p. 286 etc.) victu per triduum tenui et regimine congruo praemissis electuarium spissum ex stanni anglici purissimi granulati unc. una, extr. absinth. drachm. trib. et syr. simpl. vel mell. despum. q. s., cum effectu ordinavit. Hujus electuarii dosim nucis juglandis majoris quater de die adhibuit, et si vermis ab electuario bis consumto non secesserat, drachmas pulveris rad. jalapae duas illi adjunxit. — Feliciter quoque taeniam solium abegit (l. c. p. 287.), praemisso per aliquot dies jejunio sat rigoroso, rad. polypod. filic. mar. drachmis duabus aut tribus ad vesperas cum frigida, altera vero die olei ricini americani uncia dimidia omni bihorio, donec alvus ter quaterve moveretur, porrectis.

Remedium *Matthieui* duas comprehendit formulas sequentes: *A.* Rp. Limat. stann. angl. puriss. unc. un., pulv. rad. fil. mar. dr. sex, pulv. sem. cin. unc. semis, pulv. rad. jalap. resinos., pulv. sal. polychrest. aa. dr. un., M. f. c. mell. commun. s. q. electuar. — *B.* Rp. pulv. rad. jalap. resinos., pulv. sal. polychrest. aa. scr. duos, pulv. scammon. alepens. scr. un., pulv. gumm. gutt. gr. decem, M. f. c. melle communi electuarium. — Praemissis plures per dies victu parco eoque tenui et multum salso, panatellis, vegetabilibus, aegro electuarii *A.* cochlear parvum omni bihorio per duos tresve dies porrigitur, donec videlicet sensationes de verme (?) in intestinis percipiantur; dein aeque cochlear parvum electuarii

B. omni bihorio, donec vermis secedat. Hoc vero consumtum post electuarium non exeunte olei ricini recentis cochlearia aliquot propinantur, aut enema ex eodem injicitur. Dosis pro aetate variat, constitutione individuali, et sexu. — Miscela omnino singularis, efficacem tamen pluribus in casibus se praestitit per me administrata.

Cavendum, ne vermis ex ano prodiens attrahatur; aegro potius manendum in positione quieta, vermis lacti tepido immittendus, et, si regredi inceperit, filamento subligandus est.

Bremser pro expellenda taenia solium celebrat *oleum Chaberti* sub titulo olei anthelminthici. Olei nimirum empyreumatici corn. cerv. pars una et olei terebinthinae partes tres mixtae, et per quatuor dies digestae ex retorta vitrea in balneo mariae destillantur, ita, ut miscelae totius tres quadrantes excipiantur, in usum adservandi. Orditur tractamen ab electuario superius memorato, quod eodem ac contra ascarides modo sumi jubet; hoc consumto quotidie mane et vespere cochlearia coffeana duo olei dicti anthelminthici cum aqua propinat, ad cujus odorem ingratum cito abigendum aquam insuper cum nixu quodam deglutire, contra saporem vero paullum cinnamomi, aut caryophyllum masticare suadet. Consumtis pharmaci hujus unciis duabus et dimidia aut tribus, adeoque decem circiter aut duodecim post dies purgans interpolat mitius v. gr. ex pulv. rad. jalap., fol. senn. et arcan. duplic., deinde olei anthelminthici continuat usum. Tali modo *Bremser* uncias quatuor illius aut quinque, in casibus pertinacibus imo sex aut septem porrigere consuevit. Usus ejusdem protractus ad therapiam radicalem requiri, eoque tolli dispositio ad helminthiasim, aut saltem vermes, ex ovulis in intestinali muco latentibus exclusi interfici videntur. Quoad diaetam omnia solum interdicit, quae pituitae favent, adeoque vermibus generandis praebent

ansam. Curam secundariam de regula superfluam esse declarat; in quibus vero insignem opportunitatem in polyblenniam et helminthiasim animadvertit, usum guttarum tonico-evacuantium (10—30 cum aq. aut vino ter quaterve de die) ex tinct. aloës compos. D. V. dr. un., tinct. mart. pom. unc. un., et elix. vitr. angl. D. Lond. unc. sem. conflatarum (p. 259.) per aliquot septimanas continuari jubet. — Criterium unicum certum, aegrum a taenia esse liberatum, in eo haberi autumat, si per integrum trimestre de verme nihil amplius secesserit.

Olei terebinthinae contra taeniam usus analogus dosibus parvis diu continuatus securior omnino est, certiusque sanationem inducit, quam dosium enormium ab anglis *Burrow*, *Thomson* aliisve decantata administratio.

Breton in casibus octo effectum certum et citissimum expertus est a *cortice radicis punicae granati* in decocto, et in pulvere. Unciae duae cort. rad. granat. recent. coquuntur in aquae libr. tribus ad remanent. libr. un. et sem., de qua mane omni ½ hor. pars quarta propinatur. Taenia inde adhucdum vivens post horam absque laterali effectu malo dicitur secessisse. Pulveris rad. scr. un. pueris ac puellis, scr. duo adultis omni ½ hora quater aut sexies porriguntur. Tentamina multa, et Viennae instituta, egregiam hujus pharmaci virtutem confirmant. (*Köstler*, *Meisinger*, *Jutmann*, in Med. Jahrb. B. XIII. p. 85. 98., B. XV. p. 547. et B. XVI. p. 611.)

Nec desunt, qui praeeunte *Puccinotti oleum crotonis tiglii* commendant, praemissa per triduum diaeta restricta guttam illius in vasculo juris carnosi exhibendam praecipientes. — Nova taeniae expellendae methodus Doctoris *Schmidt* (*Hufeland's* Journ. der pr. H. 1828. August.) firmo adhuc destituitur experientiae testimonio.

§. 1044. Expulsis vermibus organismo toti et speciatim primis viis, ubi opus est, roborandis tonica conveniunt notissima, praesertim amara, amaro-aromatica, ferri praeparata, aquae martiales, vinum, victus

blandus, digestu facilis, motus corporis, aër purus etc. In quorum adplicatione et directione adcommodata consistit *convalescentiae* cura, cujus scopus est, cachexiam, dispositionem universalem in helminthiasim, specialius vero systematis gastrici polyblenniam corrigere, omnesque delere effectus tum a morbo tum a therapia instituta forsan heroica residuos.

Spec. 3. Hydrops.

§. 1045. Nomine *hydropis* morbosa intelligitur humorum serosorum, plus minusve gelatinosorum, lymphaticorum, imo et mucosorum in textu celluloso aut in corporis cavis collectio. Status autem morbosus, qui huic subest collectioni, jam activus, jam passivus, jam plus minusve inflammatorius jam spasticus est, atque nunc in debilitate universali cum humorum dyscrasia, nunc in debilitate aut irritatione locali, nunc in organisationis vitiis etc. consistit. Ex quibus elucet, hydropes non primarios adeo et substantivos morbos, quam morborum potius effectus esse ac symptomata, et in cachexiarum classem referri solum posse, quatenus potiori numero vel ex cachexia originem trahunt, vel huic sociantur, vel eandem progenerant.

Don Monro's Abhandlung von der Wassersucht und ihren besonderen Gattungen. Nach d. 3. engl. Ausg. übers. m. Anmerk. von *Krause*. Leipz. 1777. 8.

Franc. Milmann animadversiones de natura hydropis ejusque curatione. Lond. 1779. Vienn. 1789. Deutsch Braunschweig 1782. 8.

Dr. W. Sachtleben Klinik der Wassersucht u. ihrer ganzen Sippschaft. Danz. 1795. 8.

J. P. Frank de curandis hom. morb. epitome etc. L. VI. p. 134—484.

Cullen, A. G. Richter, Haase, Jahn l. c.

§. 1046. Fluidum in hydrope jam tenue, aquosum est, jam spissum, tenax, mucosum aut gelatinosum, consuetim flavicans et pellucidum, indolis serosae cum

majore aut minore albuminis parte, pro cujus proportione vel jam aëris sub accessu, vel altiore solum aestu coagulatur. Juxta analysim chemicam ex sero, albumine, phosphate calcis, muriate sodae et sulphate potassae constare videtur. — In cavis contentum vel liberum est, vel peculiaribus receptaculis, membranis recenter productis inclusum; hydrops ibi *diffusus*, hic *saccatus* audit.

§. 1047. *Symptomata* et *signa hydropis in genere* sunt: tumor citra nutritionem auctam; cavorum hydropicorum, quatenus cedunt, dilatatio ac tensio; contentorum et adjacentium organorum pressio, atque tum ex malo principali turbatae partium adfectarum ac vicinarum functiones; diminutio caloris, sensibilitatis ac irritabilitatis in organismo vel saltem in partibus hydrope detentis; nutritio laesa, regrediens; secretiones praesertim in renibus, cute et tractu primarum viarum restricta, unde urinae parcae, cutis sicca, arida, collapsa, flaccida, os atque fauces siccae cum siti, alvus segnis, obstipa. — Cetera phaenomena pro morbi principalis indole et gradu, nec non pro collectionis loco multum variant, quemadmodum in varietatum singularum expositione indicabitur.

Morbo diu protracto et increscente tabes evolvitur cum febre hectica, ubique periculo plena, saepe exitus lethalis nuntia. Effatum *Cruikhsankii*, urinas pallidas, partibus gelatinosis onustas, facile excludentes ammonium, et sedimentum floccosum cito ponentes signo esse hydropis universalis, intense autem tinctas, parce fluentes, aestu et acido nitrico non coagulandas, frigore hypostasim formantes coloratam et nitentem, speciebus in statu viscerum abdominalium morboso fundatis esse proprias, momentosis circumscriptionibus restringatur oportet, praxi quotidiana oblatis.

§. 1048. Vix nominari valet locus in organismo, qui collectionum hydropicarum sedem non praebuisset. Harum plures in chirurgiae forum spectant; hic solum per-

tractantur: *hydrops anasarca*, *hydrocephalus*, *hydrorhachia*, *hydrothorax* cum *hydrocardia*, hydrops *ascites*, *hydrometra*, et *hydrops ovariorum*, qua totidem *hydropis varietates* considerandi.

§. 1049. Praemittitur succincta singularum descriptio, sequitur definitio communis earundem essentiae, tandem, quae tam omnium quam singularum causas remotas, prognosim et therapiam concernunt, explanantur.

Quoad modum decurrendi et durationem varietatum hydropis praevie teneatur, hydropem nunc esse *acutum*, qui cito formatur, rapide imo paucos intra dies increscit et modo qualicunque judicatur, nunc vero *chronicum*, qui non nisi lente evolvitur, et diu, nonnunquam per annos, fere immutatus perdurat. In casibus prioris indolis hydrops qua inflammationum acutarum in organis membranosis (§. 249.) terminus adesse, etiam scarlatinam sequi solet, symptomatibus utplurimum febrilibus notae inflammatoriae circumdatus, ideoque *tunc* nomine *inflammatorii* apte insignitus; alias vero cohibitorum vel suppressorum criticorum imo et morbosorum sudorum, diarrhoearum, blennorrhoearum, efflorescentiarum chronicarum, praecipue secretionibus morbosis junctarum (h. metastaticus) effectus, occurrit.

1. Hydrops anasarca.

§. 1050. *Hydrops anasarca* (Hautwassersucht, h. cutaneus) in morbosa humorum supra memoratorum in textu celluloso cutis collectione consistit.

Vel per universam extenditur superficiem, vel ad singulas modo partes, v. gr. caput, manus, pedes etc. restringitur, ubi *oedema* nuncupatur.

Manifestatur intumescentia molli, pultacea, prementi digito cedente et nonnisi lente restituenda cutis pallidae, siccae, plerumque initio frigidae, cum partium tumidarum sensibilitate ac mobilitate imminutis, tensione et gravitate, comitibus utplurimum digestionis humorumque

circuli turbis, delassatione, somnolentia, rarius et tussi. — Levior anasarcae gradus *leucophlegmatia* audit. — Tumor in pedibus eminere consuevit, qui vesperi et post moram stando vel cruribus demissis sedendo protractam increscit, mane vero et post situm horizontalem longiorem recedit. Progrediente malo intumescentia pedum non raro plurimum augetur, et cutis inflammatur, in qua facile fissurae aut vesiculae oriuntur multum humoris serosi plorantes, aut ulcera summis sub doloribus imprimis ardore continuo, in gangraenam abitura; collectio insuper non per omnem modo corporis superficiem augetur, sed hydropi etiam asciti, hydrothoraci, et eminenti sociatur atrophiae.

2. Hydrocephalus.

§. 1051. Distinguitur hydrocephalus in *externum* et *internum*. Ille humorum collectionem cranium inter et cutem sistens, stricte ad hydropem spectat cutaneum, cum hoc non raro jungitur, facile cognoscendus; alias ad hydrocephalum internum ulterius progressum et diutius durantem accedit; — iste vero a) in hydrocephalum internum strictiore sensu, et b) in hydropem ventriculorum cerebri subdividitur, prout nempe serum calvariam inter et meninges vel has ipsas inter et superficiem cerebri colligitur, vel vero in hujus continetur ventriculis.

§. 1052. a) *Hydrocephalus internus stricte sic dictus* non raro foetus in utero adhuc reclusos tenet, summam partus difficultatem et, ubi perforatio evitari nequit, mortem prolis causat; alias primis vitae tenellae annis, praesertim tempore dentitionis, saepius evolvitur, dispositione in ossium cranii a se invicem distantia, et capitis volumine proportionem normalem excedente jam antehac manifesta.

Hydrocephalus internus *connatus* cognitu facilis. Volumen capitis est grande, ossa cranii admodum mollia, tenuia, fere diaphana, multum a se distant, fonticuli

ampli, frons protrusa, et sub fonticulis nonnunquam fluctuatio percipienda. Bulbus oculi deorsum et extrorsum agitur, unde obtutus fixus, obliquus, et oculus palpebris haud sufficienter tectus; regio faciei superior oedematose inflatur. Proles ubera recusat, turbis digestionis et excretionis alvinae variis vexatur, macilenta redditur et debilis, spasmis et generatim hydropis ventriculorum cerebri consuetim sese adsociantis symptomatibus invaditur, et aliquot plerumque a nativitate mensibus defungitur.

Hydrocephalus internus serius aut ocyus *infestans natos*, infantes potissimum diathesi vel et patente jam labe ipsa scrophulosa et rhachitica laborantes adgreditur. Prominent primo ossa frontis, oculi retro arcum orbitae superiorem profundius reconduntur, rubent, et non raro levi phlogosi detinentur chronica; post etiam cetera cranii ossa a se discedunt, et moles capitis pedetentim augetur; tumor ejusdem durus, ad fonticulos modo et suturas mollis, elasticus, fluctuans, et admota ex adverso luce imo diaphanus est. Infantes aegri caput anterius vel ad latera sustentari amant, de cephalaea solum obtusa conqueruntur, male dispositi, morosi, irascibiles, somnolenti, tarde ac difficulter incedere discunt vel loqui; malo ingravescente digestionis, nutritionis, excretionis alvinae turbis laborant, continuo soporosi per menses imo aliquando per annos jacent; oculis semiclausis, dilatata pupilla, pedibus frigidis, tandem et paralyticis, convulsiones saepius patiuntur, et sub his, vel sub comate perfecto, vel, symptomatum deficiente vehementia, ex tabe tandem denascuntur.

Rarissimis in casibus hydrocephalus internus connatus ad aetatem usque virilem protrahitur. Macilenti sunt aegri, infirmi, lenti, utut appetentia et digestio non penitus desint, imo sensus nonnunquam, memoria et intellectus parum aut nihil hebescant. Moles capitis saepe incredibilis, ita ut circumferentia 24—30 pollices metiatur;

ossa cranii tunc multum dimota jam attenuata, cartilaginea, imo membranosa sunt, jam vero multum incrassata; caput versus latera valde distentum, voluminis summam cum facie disproportionem offert, ob gravitatem nonnisi oblique tenetur, aut erectum teneri plane nequit.

K. W. Quin, Abhandl. üb. d. Gehirnwassersucht. A. d. E. v. *Michaelis*. Leipz. 1792. 8.

Rosenstein, *Girtanner*, *Jahn*, *Henke*, *Richter*, *Haase* opp. cit.

A. Gölis, prakt. Abhandl. üb. d. vorzüglichsten Khten. des kindl. Alt. B. I. u. II. Wien 1815—1818. 8.

§. 1053. b) *Hydrops ventriculorum cerebri* (hydrencephalus) nimiae vasorum cerebri exhalantium secretionis, *vel* encephalitide acuta aut chronica non resoluta, *vel* irritatione inflammatoria sive idiopathica sive sympathica inductae, sistit effectum. — Collectio consuetim in ventriculo majore utroque, et in tertio, nonnunquam etiam in quarto, et tunc simul in canali vertebrarum, nec non ipsam intra medullam spinalem deprehenditur.

Acutus est hydrops iste vel *chronicus;* in illo secretio nimia, in hoc resorptio potius languida, insufficiens peccare solet; est praeterea *idiopathicus* vel *sympathicus;* ad hunc *metastaticus* refertur. Nulli quidem aetati, nulli parcit sexui, attamen frequentius teneros circa dentitionis primae periodum ad sextum usque annum infestat.

Formey (v. d. Encephalitis der Kinder; — in s. verm. med. Schriften B. I. Berl. 1821. S. 167—208) opinionem defendit, hydropi ventriculorum cerebri aetate infantili ad perfectam usque cerebri evolutionem saepe obvio non inflammationem cerebri, sed statum subesse huic solum accedentem, exaltatam activitatis cerebri incitationem, intensiorem in hoc vitam et auctam vegetationem; — et hujus effectum frequentem esse humorum lymphaticorum effusionem; adeoque morbum nostrum uni-

ce sequelam sistere evolutionis cerebri infantum praeposterae, rapidae nimis et energicae, et hinc ab hydrencephalo inde pendente quemlibet annis pubertatis occurrentem, utpote ab aliis momentis geneticis profectum, stricte distingui debere. Utut proprietates, quas morbus hydrencephalum infantum efficiens a cerebri evolutione et formatione nanciscitur, minime praetervidendas esse opiner, essentiam tamen morbi primarii in irritatione cerebri inflammatoria cum praevalente in encephalitidem opportunitate, vel in encephalitide reapse formata sitam esse censeo.

§. 1054. In morbi totius *decursu*, spectatis nimirum etiam hujus encephalitidis modificatae aut irritationis inflammatoriae symptomatibus, *stadia tria* notari solent, videlicet: stadium inflammationis aut inflammatoriae irritationis, st. morbosae secretionis, et st. paralyseos. Singulis propria conveniunt symptomata, et non raro celerrima successio.

Ante inflammationem nonnunquam diutius plura sequentium antecedunt symptomatum: gravitas capitis, indifferentia, vertigo, temulentia instantanea a celeri capitis motu, rubor turgorque faciei major, aestus ad frontem, somnus inquietus, non recreans cum vaniloquiis aut gemitu levi; morositas, physiognomia meditabundi; suspiria involuntaria profunda; dysorexia, alvi segnities, urinae parcae, cutis sicca, pallida, delassatio universalis, incertus, titubans absque causa nota incessus.

Stadium inflammationis, nunc paucis nunc quatuordecim diebus et ultra durans, designant: initio frigus, dein aestus ceteraque essentialia febris symptomata; cephalaea obtusa praesertim frontalis, ad tempora usque, aut et totum per caput expansa, nonnunquam cum cardialgia, enteralgia alternans; aestus capitis; lineamenta faciei pallidae mutata; oculi morbose sensiles cum pupilla coarctata, divergentes, quasi in orbitam retracti, et sub somno semi-clausi; auditus valde acutus; nares

siccae, labia sicca, fissa; halitus ingrate olens; frequens anxietatis sensus; delassatio; pulsus frequens, irregularis, intermittens; anorexia et apepsia, iteratus vomitus cum putrido ejectorum foetore absque gastrica aliave causa, praesertim post potulenta, trunci erectionem, motum majorem; dolor in epigastrio et hypochondrio dextro obtusus perstans, extenuatio abdominis, alvi obstipatio pertinax; urinae parcae, turbidae, cum hypostasi albida gravi; pervigilium aut somnus interruptus, cum insomniis angentibus, pavoribus, dentium stridore; motus manuum automatici ad caput; collapsa facies et emaciatio universalis cito progrediens; cutis sicca, laxa, coloris cachectici, indicia efflorescentiae in altero stadio ad genas, labia, et faciem externam brachiorum evolvendae, a *Formey* descriptae. — Juxta illum (l. c. p. 185) in infantibus notae hujus stadii characteristicae, statim attentissime aestimandae, sunt: 1) efflorescentia exigua, tenuis, sicca locis nominatis, illi sub dentitione quodammodo similis; 2) urinae turbidae, seri lactis adinstar, post moram puncta offerentes et particulas micantes; 3) insignis in dispositione animi mutatio, et peculiaris sub ejulando sonus, subraucus, ejulatus subitanei; 4) incessus infirmus, lapsus frequens; 5) vomituritio et vomitus ipse fere sub motu solum vel capitis vel totius corporis, cum potulentorum potissimum, raro et esculentorum evacuatione; 6) somnolentia sine somno; 7) imminuta pharmacorum efficacia, praesertim desideratae a consuetis purgantium dosibus evacuationes alvinae. Addit *Formey*, pulsum quidem summe variabilem, mox tardum esse mox velocem, minime diagnosticum, febrim tamen manifestam deficere.

Stadium secundum, st. transsudationis, cujus initium vix cum certitudine cognoscendum, palam fit: symptomatibus febris, congestionis ad caput, et irritationis vel inflammationis cerebri remittentibus, speciatim pulsu minus frequente, molli, debili, inordinato, aestu sitique

imminutis, dyspnoea, frequentibus suspiriis altis, transitu sensilitatis summae in anaesthesiam, situ obliquo in lecto, erigendi impotentia, motu automatico frequente manus tremulae ad caput, hocce dum truncus erigitur relabente, digitorum in aures, os, praesertim in nares siccas actione; voce nasali vix intelligibili; strabismo cum obtutu consuetim deorsum directo, diplopia, aliisque visus hallucinationibus, motibus palpebrarum semi-hiantium spasticis; sensuum omnium citra auditum valde acutum stupore; halitu male olente et alvi obstipatione perdurantibus; urinis parcis, claris, coloris aurei, involuntarie fluentibus; cute sicca, rugosa; debilitatis et emaciationis augmento. Ad stadii finem conscientia plena, usus sensuum, loquela, aliqualis appetentia nec non attentio quandoque redeunt, ast pauca post momenta spei vanae horrenda ingruunt *stadii ultimi*, *paralyseos*, symptomata, quae sunt: haemiplegia, spasmi universales tam clonici quam tonici, praesertim opisthotonus, tremores brachii non paralytici; partium resolutarum calor sano inferior; amaurosis; echymoses conjunctivae bulbi; baryecoia aut surditas; vomituritiones frustranae; febris intensa; rubores genarum circumscripti fugaces; sudores partiales frigidi, viscidi; tandem pulsus filiformis, tremulus, intermittens, respiratio difficillima, stertorosa; extremitatum frigus aestuante adhuc capite; spasmorum solutio et placida mors.

Formeyo adserente, qui stadium alterum ac tertium contrahit, facta in cerebri ventriculos effusio, et cum hac cito multumque auctum vitae periculum in infantibus proditur: 1) inquietudine et morositate aegrorum parvulorum in apathiam conversis, clamoribus hinc inde interruptam, et nonnisi mutando situm capitis pro tempore abigendam; 2) sublata lucis fuga, pupilla morbose dilatata, in plerisque strabismo; 3) comate somnolento palpebris imperfecte clausis, delirio placido, succussionibus attactu provocandis; 4) vomitu rariore reddito imo

cessante, magna quorumvis porrectorum voracitate, dummodo caput sustentatum sit; 5) pulsu lento irregulari, temperatura cutis variabili; et 6) alvo obstipa, excrementis siccis, duris, profunde coloratis.

§. 1055. *Hydrencephalus chronicus* fere ut acutus nonnisi aetatem infantilem infestans, pariter adfectionis cerebri chronicae moderate inflammatoriae effectus est et sequela. Differt ab acuto, praecipue stadio primo, per levitatem symptomatum febris, congestionis atque inflammationis facile praetervidendorum, per lentam eorundem evolutionem, et in omni stadio per decursus segnitiem.

Morbus iste *cum verminoso* infantum, et in specie cum *febri verminosa* aliquam ostendit similitudinem, ast eminet in istis status gastrico-pituitosus praecurrens et concomitans; febris luculenter remittit, imo saepius fere intermittit, valetudine infantum parum laesa; pupilla dilatata quidem cernitur, sed absque photophobia, absque rubore oculorum et inflammatione; signa primariae ac essentialis cerebri adfectionis a *Formey* enumerata deficiunt; anthelminthicorum et purgantium caute propinatorum virtus symptomata ambigua sicut et totum morbum levat, nonnunquam discutit.

Odier, med. Abhandlung v. d. Wassersucht der Gehirnkammern. A. d. Fr. Leipz. 1785. 8.

L. Formey v. d. W. der Gehirnhöhlen. Berl. 1810. 8.

J. v. Portenschlag-Ledermayer d. ä. üb. d. Wasserkopf. Wien 1813. 8.

A. Gölis, *A. G. Richter*, *Haase*, *P.* u. *Jos. Frank* opp. cit. *Hufeland's* Bibl. d. pr. Heilk. 1819. St. 8. 9. 10., und 1820. St. 2. *Übersicht der Schriften üb. d. Hirnwassersucht.*

3. Hydrorhachia.

§. 1056. *Hydrorhachia* (Wassersucht des Rückgraths) est humorum indolis supra indicatae in specu vertebrali, frequentius intra velamenta, rarissime in medullae spinalis cavo collectio.

Connata saepius quam serius *adquisita* occurrit. In

casu priore plerumque cum imperfecta columnae vertebralis formatione, incompleta vertebrarum singularum ossificatione (*spina bifida*, dem gespaltenen Rückgrathe, der Rückenspalte) conjuncta est, et ejusdem ac immediate morbi velamenti externi seu duri medullae spinalis effectum sistit. Manifestatur tumore non dolente, elastico vel maxime regionem lumbalem, rarius cervicem aut dorsum intra unam vel aliquot vertebras, ubi deficientibus processibus spinosis hiant, rarissime columnam vertebralem totam ad os sacrum usque occupante. Tumor hicce initio pisum aut nucem avellanam magnus, mox late insidens, mox e petiolo tenui pendens, pomi aut pyri formam referens, lente increscit, quandoque pugni aut minoris capitis infantilis molem assequitur, clamando, tussiendo, sternutando et sub nisu ad alvum protruditur ac tenditur magis, plerumque fluctuans, nonnunquam imo diaphanus.

Hydrorhachia non raro hydrocephalo interno et hydrencephalo nupta adest. Vulgares ejus *sequelae* sunt: extremitatum inferiorum, sphincterum vesicae et ani debilitas magna, imo paralysis cum involuntariis lotii ac faecum evacuationibus, hinc inde ulcera extremitatum earundem gangraenosa, et tabes. Pressione tumoris momentanea non doloris signa, sed continuata convulsiones et paralyses excitantur; rupturam spontaneam ab expansione nimia, ulcere, gangraena, sicut paracenthesim artificialem subito mors insequi solet; sanationis tamen per cautam, iteratam puncturam ope acus tricuspidis planae recentia prostant exempla. Plures, imo ultra viginti annos haec hydropis varietas perdurasse utut rarissime conspecta est.

§. 1057. Admodum difficilis et incerta hydrorhachiae diagnosis est aetate, qua vertebrarum formatio et ossificatio jam est perfecta. Adjuvant illam praegressa, v. gr. post violentiam externam, medullae spinalis inflammatio, extremitatum inferiorum debilitas eminens, motus impo-

tentia cum imminuto calore, earundem postea uti et sphincterum ani et vesicae paralysis; diathesis individui scrophulosa, arthritica etc. etc.

J. J. Gild diss. de spina bifida. Vienn. 1754.
Rosenstein, Girtanner, Henke, Richter, Haase opp. cit.

4. Hydrothorax.

§. 1058. *Hydrothorax* (die Brustwassersucht) sensu strictiori morbosam humorum memoratorum collectionem in alterutro vel utroque thoracis cavo sistit; sensu latiore *hydropem* insuper *mediastini*, et (oedema) *pulmonum* comprehendit. — In hydrothorace stricte sic dicto humores vel libere collecti adsunt, vel receptaculis propriis, aut vesicis (hydatidibus) ad pulmones vel ad pleuram adhaerentibus, plurium nonnunquam librarum quantitate continentur.

§. 1059. Hydrothorax, nisi pneumoniam aut pleuropneumoniam immediate exceperit, initio et gradu levi difficulter cognoscitur, cum asthmate spasmodico et cum organorum respiratoriorum polyblennia facile commutandus. Quomodo acuti subita ex inflammationibus nominatis infauste judicatis cognoscatur origo, jam ibidem T. I. §. 354. expositum fuit; sed et aliis in casibus ad ortus rationem semper probe attendendum.

Communissima illius symptomata sunt: *dyspnoea constans* motu, sermocinatione protracta, pressione epigastrii sursum versus diaphragma directa, prandio, vespere, coelo frigido et humido exacerbanda, et nonnunquam de nocte subito cum suffocationis instantis sensu adeo ingravescens, ut aeger terrore percellatur; aliquando incubus; situs horizontalis supinus, sicut in alterutrum latus ob spirandi angustias ardue aut non concessus; *tussis* brevis, sicca, aut sputa cruda, serosomucosa expectorans; *vox* rauca, quidquam depressa; *dolor* in pectore obtusus, pressivus, saepe ad humeros, nucham, imo ad brachia protensus; horum manuumve

stupor; pulsus irregularis sub dyspnoea magna intermittens, inaequalis, parvus, suppressus, saepe durus, non in utroque carpo semper aequalis; — serius *noctes* inquietissimae ob iteratos insultus suffocativos fere insomnes; sensus *fluctuationis* in pectore sub celeri situs mutatione, sub thoracis concussione ac commotione, dum humores largi sunt et libere collecti; *sonus obtusus* a percussione pectoris ad methodum *Auenbruggeri*, quandoque latus prae altero magis fornicatum cum respiratione inaequali; habitus cachecticus, leucophlegmaticus cum *oedematibus* ad costas, ad latissimum dorsi, in facie specialius in palpebris superioribus, ad partes genitales, in alterutris vel utrisque manibus ac pedibus; postea febris hectica cum siti praeprimis vesperi et noctu intensa, urinis parcis, turbidis, crassis, hypostasim largam, pallide rubram deponentibus, doloribus in pectore urentibus, scindentibus; adsociata hydrocardia et, nisi antecesserint, ascites et anasarca; tandem diarrhoeae colliquativae et sudores, extremitatum superiorum stupor continuus imo paralysis; lypothymiae; sopor; mors suffocativa vel apoplectica.

De Haën, de hydrope pectoris. In rat. med. T. V. c. 3. T. VI. c. 4.

P. Frank, *Richter*, *Haase* in opp. cit.

5. Hydrocardia.

§. 1060. *Hydrocardia*, *hydrops pericardii* (Herzbeutelwassersucht) rarius sola quam hydrothoraci juncta occurrens, collectionem nunc ad uncias nunc ad libras duas et ultra sistit; cognitu semper difficilis.

Symptomata constantiora sunt: sensus *pressionis*, *ponderis*, *anxietatis* in praecordiis perstans, per motum corporis, per loquelam intensiorem sed et consuetam, maxime autem et subito per situm in latere dextro et in dorso valde augendus; sensus *cordis aquae innatantis*, cum *pulsu* ejus jam hic jam alibi certum intra spatium percipiendo, et insolitas, a palpitatione hic mi-

nus constante diversas *motitationes tremulas* (undas seri a motibus cordis) offerente, oppressio pectoris; *vox rauca*, debilis, quandoque loquelae difficultas; insultus *lipothymiae* et metus suffocationis; *tussis* sicca, spasmodica; angor spasticus globo hysterico analogus, et viris non parcens; *pulsus* lentus, nonnunquam frequens, consuetim mollis, parvus, in brachiis praesertim irregularis, intermittens; congestiones sanguinis ad superiores corporis partes cum aurium susurru, vertigine, pulsatione carotidum, faciei turgore; sitis modica; urinarum copia haud eminenter imminuta; morbo diu durante habitus cachecticus, tumor faciei praesertim palpebrarum et labiorum sublividorum laxus; emaciatio; frigus extremitatum haud constanter tumentium cum peculiari gasteralgia et abdominis totius sensibilitate; haemorrhagiae tandem subitaneae, convulsiones, et mors sub phaenomenis vel soporosis, vel suffocativis, vel apoplecticis.

Senac, Corvisart, Testa, Kreysig opp. cit. de morbis cordis. *P. Frank, Richter, Haase* opp. cit.

6. Hydrops ascites.

§. 1061. *Hydrops ascites* s. *abdominis* collectionem humorum superius indicatorum in cavo abdominis sistit. Est *diffusus* vel *saccatus*.

a) *Prior* (freye Bauchwassersucht) *praevias* longo tempore appetentiae, digestionis, excretionum alvi, humorum circuli in visceribus abdominalibus laesiones habere solet, imo haud raro dolores rheumaticis similes per abdomen, ad lumbos et extremitates inferiores, dein manifestari *intumescentia* abdominis aequabili, initio tensa et subdura, serius cedente, situm trunci mutatum sequente ita, ut semper loco inferiore adaugeatur et protendatur; umbilico protruso; humorum *fluctuatione* sub celeri corporis versione, et sub exploratione, dum in situ aegri vel dorsali genubus elevatis attractisque sic cruribus, vel erecto, palma imponitur abdomini et per al-

teram idem e regione pulsatur; *pressione* ac *plenitudine epigastrii* post rarum licet cibum; digestione et excretione alvi turbatis; celeri tumoris incremento et hydropis ad genitalia ac extremitates inferiores protensione; *dyspnoea* pro ratione tumoris abdominis praecipue sub incessu, scalarum ascensione, a nutrimentis ingestis et sub situ dorsali; palpitatione cordis; tussi brevi, sicca. His adjunguntur *communia hydropis symptomata:* sitis, urinae parcae, alvus segnis, siccitas cutis laxae, flaccidae cum cachexiae phaenomenis, morbo ingravescente et *icterus, tympanites;* emaciatio, hydrops universalis; tandem febris lenta cum sudoribus ac diarrhoeis colliquativis; symptomata *scorbuti;* ultimo anxietas solum sedendo quidpiam levanda, pervigilium, ischuria renalis, insultus suffocativi, lethalis viscerum abdominalium gangraena, vel apoplexia.

Decursus hujus hydropis acutus v. gr. a peritonitide, mesenteritide, scarlatina etc. rarior est quam chronicus, tunc et *duratio,* prouti morborum ejus principalium, nonnunquam in annos protracta.

b) In *hydrope abdominis saccato* humores serosi jam paucis aut numerosis in cystidibus parieti abdominali aut visceri cuidam adnexis *(h. asc. cysticus),* jam proprio ad peritoneum morbose formato in sacco, jam intra peritonei, omenti, aut mesenterii duplicaturas continentur *(h. peritonei, omenti, mesenterii).* — *Prodromi* praecursoribus hydropis ascitis diffusi haud absimiles saepe adsunt, praesertim dolores supra memorati variae intensitatis. Incipit obscure cum *sensu gravitatis,* pressionis, tensionis in abdominis regionibus antehac dolentibus et cum extremitatum inferiorum pondere; accedunt postea *tumor* tensus nondum fluctuans, abdomen non aequabiliter distendens, non dolens, mutato situ sedem non aut valde parum mutans, consuetim ab inferiori parte adscendens, lentissime increscens, aliquando umbilicum herniae adinstar protrudens, et plurimum expansus asci-

tem diffusum aemulans, ab eo tamen dignoscendus praeter originis et progressus rationem nunc indicatam per sitis, febris, habitus cachectici, proportionati pedum oedematis defectum, per appetitum, digestionem, catamenia etc. diu utcunque vigentia.

Morbus hic, quin ceteram valetudinem multum laedat, diutissime, non raro plures annos perseverat. Quandoque rumpuntur sacci velamenta, et liquidum vel in cavum abdominis effunditur, ascitem nunc constituens diffusum, vel per ostiolum penes umbilicum factum extrorsum dimittitur. Alias, etsi post annos, exulcerationes fiunt, cachexia universalis, febris lenta, lethiferae.

Monro, Milman, Sachtleben, P. Frank, Richter, Haase opp. cit.

7. Hydrops ovariorum.

§. 1062. Est hydrops saccatus, in ovario sinistro frequentior, cum humorum in tubis *Follopii* collectione saepe conjunctus. Raro, si unquam, morbum substantivum, inflammationis potius ovarii alterutrius chronicae, aut scirrhi comitem sistit, atque effectum.

Ardua est initio diagnosis ejus ac incerta. Sensu ponderis et dolore obtuso pressivo supra cristam ossis ilei communiter diu praegressis, manifestatur tumore ibidem formam et magnitudinem nucis juglandis, ovi gallinacei vel anserini offerente, initio saepe adhuc mobili, ponderis et stuporis femoris ejusdem lateris sensationi juncto, lentissime increscendo tandem per totum abdomen sese expandente, plane non, aut amplo solum sub volumine fluctuante, graviditatis tunc aemulo, quacum unitus quidem adesse potest, a qua tamen ipsa per absentiam mutationum graviditati propriarum in orificio et collo uteri, obliquam modo directionem nacti, per mammas collapsas, flaccidas, et per durationem multo longiorem distinguitur. Adsociantur serius digestionis laesiones, cachexia, pertinax leucorrhoea, animi dejectio,

moeror, urinae parcae, hydrops universalis, febris lenta; — quandoque fluidum pro parte in abdominis effunditur cavum; — et morbus longo post tempore, nonnunquam viginti et ultra annis elapsis, morte terminatur.

Monro, Milman, Sachtleben, P. Frank, Richter, E. de Siebold opp. cit.

8. Hydrops uteri.

§. 1063. In *hydrope uteri (hydrometra*, Gebärmutter-Wassersucht), humores vel in uteri cavo, clauso nimirum ejus orificio, libere aut intra cystides (*hydrometra hydatica, cystica*), vel in ejusdem parenchymate colliguntur (*oedema uteri*). Nunc solus occurrit ac purus, nunc cum graviditate conjunctus.

Prior intumescentia uteri supra symphisim ossium pubis adscendente et abdominis expansione *graviditatem* potest *mentiri;* diagnoscitur tamen ab ista (Dreyssig Handbuch d. med. Diagnostik Th. II. Erf. 1803. S. 37 — 41.) per formam tumoris aequabilem, minus acuminatam, fluctuationem exploratione externa et vel manifestissime interna per vaginam facta percipiendam, incrementum plerumque celere, et augmentum ac imminutionem certis temporibus praecipue catameniorum deficientium periodis animadvertenda; per extenuationem, tensionem et contractionem orificii uteri; per motuum in utero illis a foetu analogorum defectum; ponderis sensum in imo pelvis ac pressionis deorsum quasi uteri prolabentis; mammas molles, flaccidas lacte destitutas; et per longiorem graviditate durationem. Malo ingravescenti successive adjunguntur: dysorexiae et dyspepsiae augmentum, nausea, vomitiones, flatulentia, tormina, urinae parcae, difficiles, alvus obstipa, dyspnoea, anxietas, tussis, palpitatio cordis, cum pulsu inaequali, intermittente; tandem, nisi humores sub doloribus, nisum ad partum aemulantibus, per vaginam cum euphoria hinc inde se-

cesserint, oedema pedum, hydrops universalis et tabes, quibus mors inducitur.

In *gravidis hydrometra* coëxistens cognitu admodum difficilis, maxima cum probabilitate defenditur, ubi hypogastrium atque totum postea abdomen magis, ac ab utero gemellis gravido solet, ast aequabiliter expanditur; et ubi tertio mense et serius hinc inde humores serosi sub phaenomenis, qualia abortum instantem annuntiare consueverunt, per vaginam effugiunt, quin abortus sequatur. Tales evacuationes, si contingant partus tempore, liquoris amnios profluvium antecedunt. Foetus saepe bene nutritus est ac sanus, nonnunquam tamen, praecipue liquoris amnios copia exsuperante, pusillus, emaciatus, et quandoque mortuus in lucem editur.

Monro, Milman, Sachtleben, P. Frank, Richter, E. v. Siebold, Haase opp. cit.

§. 1064. De hydropum *decursu, durationе* et *terminationibus* scitu necessaria ex illis fluunt, quae de eorum varietatibus supra exponebantur.

§. 1065. *Causa* hydropis *proxima* est ea inter secretionem et absorptionem disproportio, qua *vel* nimia humorum, seroso-mucosorum, lymphaticorum in dicta corporis cava aut in textum cutis cellulosam secretio excedit; *vel* resorptio nimium languet aut deficit una cum peccante sanguificatione et praevalente qualitate humorum serosa; *vel* utrumque simul obtinet vitium.

Generatur autem *hydrops a nimia secretione:* per victum nimis lautum, potus spirituosos, suppressas sanguinis aliorumve humorum evacuationes normales, habituales aut imo morbosas, uti catameniorum, lochiorum, epistaxis, fluxus haemorrhoidalis, fonticulorum, ulcerum diuturnorum, transspirationis, sudoris etc. etc.; per noxas quasvis statum irritativum aut inflammationem ipsam inferre valentes, quas hydropes potissimum acuti sequuntur; per contagia quaedam, praecipue scarlatino-

sum; per impetiginum chronicarum, praesertim secretionibus morbosis junctarum, suppressionem.

Hydrops a resorptione languida, inerte, favente debilitate universali aut tantum locali inducitur: per quaslibet noxas et morbos, universim debilitantes et specialius imperfectam sanguificationem et dyscrasiam humorum serosam inferendo, aut energiam systematis lymphathici infringendo pares, quales sunt: nutrimentorum penuria et qualitas prava, animi adfectus et pathemata deprimentia; aër humidus, frigidulus, multum variabilis; vitae genus sedentarium; abusus remediorum debilitantium, relaxantium, solventium, praecipue salinorum, nec non narcoticorum; humorum dispendium quodvis largum et protractum; morbus omnis gravis, exhauriens aut cum debilitate chronica et digestione ac sanguificatione imperfectis incedens, uti: febres intermittentes cum viscerum abdominalium infarctibus, hinc prae ceteris quartanae; chlorosis; phthises ulcerosae; scorbutus etc. etc.

Simili modo, et vasorum lymphaticorum pressione simul causatur hydrops: per tumores, indurationes viscerum abdominis speciatim hepatis, lienis, glandularum mesenterii, per stases pertinaces in systemate venae portarum. Sola singulorum vasorum lymphaticorum per tumores vicinos, uterum gravidum pressione, obstructionibus, indurationibus, suppurationibus glandularum lymphaticarum, angustationibus, dilatationibus, rhexi vasorum lymphaticorum singulorum, praepedito et turbato humorum libero motu, adeoque ratione mechanica, locales potissimum inducuntur collectiones hydropicae.

§. 1066. Ex hac causarum, proximae et remotarum, differentia perspicitur, *dispositionem* ad hydropes quoque non unam eandemque ubivis esse, sed *ad activos* (utplurimum acutos) in plethora aut humorum in genere abundantia, circulo eorum alacri et forti, valido ad cavi cujusdam corporis viscera adpulsu consistere, — *ad pas-*

sivos (vel maxime chronicos) in debilitate, compage corporis tenera, molli, praesertim laxitate partium solido-mollium v. gr. cutis a praegressa insigni pinguedine, in irritabilitatis defectu, torpore, dyscrasia serosa, pituitosa, scorbutica, humorum ex cavi cujusdam visceribus refluxu nimis segni vel diu impedito.

Disponunt autem in specie ad hydropem *anasarcam:* scarlatina praesens ac mox superata; erysipelas; morbi cutanei chronici; constitutio corporis iners, phlegmatica, polysarcia in sexu sequiori potius ac masculino; aetas senilis; — ad *hydrocephalum* internum et hydropem ventriculorum cerebri: aetas infantilis et vel maxime foetus cum diathesi scrophulosa, nonnunquam propria familiis proclivitas hereditaria; — ad *hydrorhachiam* pariter aetati infantili magis familiarem, probabiliter: constitutio genitricis phthisica, scrophulosa, rhachitica; — ad *hydrothoracem:* constitutio laxa, leucophlegmatica, iners; aetas provecta; mora diuturna in atmosphaera humida, paludosa, depravata; sessio nimia; pravus thoraculorum prementium, fasciarum, vestium arctarum, stringentium usus; incurvationes, obliquitates et varii generis deformitates organorum thoracem constituentium; pleurae ac pulmonum incrassationes, indurationes, suppurationes; — ad *hydrocardiam:* pubertatis periodus praecipue in sexu sequiore, chlorosis; animi pathemata protracta; — ad hydropem *ascitem diffusum:* aetas media et provectior, praecipue in subjectis laxis, phlegmaticis, melancholicis; infarctus chronici, indurationes, scirrhi hepatis, lienis, pancreatis etc.; — ad *hydropem ovariorum:* aetas provecta, speciatim anni climacterici, inductae phlogosibus incrassationes ovariorum, indurationes; — ad *hydrometram* citra graviditatem: laxitas ac debilitas universalis, vitia uteri organica; orificii uteri praeclusio, atresia qua vitium formationis primariae, aut inflammationum sequela; cum graviditate: plethora in genere,

praesertim a praegressarum excretionum morbosarum retentione; forsan et coitus frequentior.

§. 1067. Generatim hydrops morbum sistit gravem. Acutus quandoque summe periculosus est, effectibus non nisi promptissimo auxilio congruo cohibendis, quandoque imo lethalis, ut hydrocephali historia comprobatur; — chronicus admodum pertinax, saepe insanabilis. In ceteris *prognosis*, penes symptomatum et decursus considerationem, dispositionis momentorumque causae excitantium indole ac duratione, virium vitalium et nutritionis statu, viscerum in cavis hydropicis, et massae humorum conditione, praesentia aut defectu febris symptomaticae, se- et excretionum, speciatim urinarum, ad sitim et fluida adsumta proportione, qualitatibus, vel maxime definitur.

Hydropes recidivas amant malas.

Hydrops anasarca ceteris minus periculosus, et sanatu facilior.

De hydrocephalo interno quid sentiendum sit, ex illius historia prodit. Hydropem ventriculorum cerebri acutum infantum initio stadii secundi adhuc sanabilem esse, *Formey* contendit.

Hydrorhachia hydrocephalo interno aut hydropi ventriculorum cerebri consuetim sociata, nisi spina bifida adsit, difficillime cognoscitur, et partim ex hac simul ratione vix unquam sanatur.

Hydrothorax periculo plenus est, raro sanabilis, praesertim ubi organicis viscerum in thorace sitorum producitur vitiis, ubi longae jam durationis est, ubi symptomata nervosa gravia, inflammationes chronicae, febris lenta, aphonia, frequentiores insultus suffocatorii adsociantur.

Conditiones et symptomata similia in ascite, hydrope ovariorum, hydrometra nullam pariter spem sanationis concedunt.

§. 1068. In hydropum *therapia* requiritur, ut momenta causae excitantia, si quae adhuc adsunt, amovean-

tur, ut, qui accumulationi hydropicae subest, morbus princeps seu universalis seu topicus tollatur, ut humores collecti per varia organismi colatoria, aut pro re nata directe per paracenthesim educantur, et omnis ulterior praepediatur accumulatio. Humorum collectorum effectus non raro ita urgent, ut prae omnibus cura in istos symptomatica dirigenda sit. Saepe et his et morbo principali simul congrue mederi datur.

§. 1069. *In causis occasionalibus amovendis* ad diversitatem indolis earum, ad actionis durationem, sedem etc. attendere opus est. Sic v. gr. suppressae evacuationes normales, morbosae, criticae uti sanguinis, sudoris, puris, suppressae impetigines uti scabies, herpetes etc. juxta indicationes saepius expositas restituantur oportet, aut artificialibus, quoad fieri potest, subpleantur; sic potuum spirituosorum, remediorum debilitantium, solventium, evacuantium, narcoticorum abusus illico sistatur etc. etc.

In morbum principalem pro indole, gradu, sede, decurrendi ratione et stadio illius agatur. Sic in statum acutum inflammatorium aut plethoricum, quem pluries optimo cum successu tractavi, methodus antiphlogistica, speciatim depletiones sanguinis, solventia, eccoprotica, et omne regimen antiphlogisticum; — in spasmos sinceros medicamina moderantia, pacantia, narcotica, et pro re nata irritamenta antagonistica; — in debilitatem universalem cum irritabilitate exaltata vel depressa, solidomollium laxitate et humorum dyscrasia serosa, remedia roborantia, incitantia, nutrientia et corrigendis humoribus specifice idonea; — in excedentem vasorum exhalantium activitatem deprimentia, nimium circuli vigorem debilitantia, derivantia; — tandem in vasorum resorbentium inertiam remedia systema vasorum lymphaticorum specifice exstimulantia, sunt adhibenda.

Ubi morbi principales arte superiores, v. gr. phthisis pulmonalis, hepatica, intestinalis, indurationes,

scirrhi viscerum etc. etc. abigi nequeunt, non nisi symptomaticae locus conceditur therapiae, partim eorum lenire symptomata, partim collectos evacuare humores adlaboranti.

§. 1070. Pro humoribus collectis eliminandis *norma* valet generalis, colatoria singula libera sustinere et activa, praecipue autem excretionem per renes promovere. Ab hac non deflectendum, nisi hydropis origo, sedes, et organismi totius conditio indicationem, excretiones per intestina aut per cutem specialius, vel cum urinarum excretione simul expediendi, aut necessariam aut eminenter proficuam suppeditent.

Ad *diuretica*, juxta plenam eorum in organismum efficaciam, et juxta morbi principalis characterem essentialem seligenda, referuntur: cremor tartari, kalia aceto scillitico saturata, acida vegetabilia et mineralia seorsim et in connubio vario cum alcohole in elix. acido *Halleri*, in spir. aetheris nitrici, muriatici, sulphurici, in aethere acetico et sulphurico; vinum austriacum et rhenanum; radices petroselini, levistici, ononidis spinosae, polygalae senegae; baccae juniperi cum praeparatis; roob ebuli; scilla, digitalis purpurea, colchicum cum inde praeparatis; terebinthina et cetera balsama nativa; hydrargyrum; aquae soteriae acido carbonico foetae: Selterana, Joannea, Rohitschensis, Sternbergensis etc. Horum quibusdam et externus est usus, uti pannis baccarum juniperi suffimigio imbutis, inunctionibus therebinthinae ad regionem renalem, unguento hydrargyri etc.

Solventia et *purgantia* mitiora characteri essentiali inflammatorio aut plethorico, morbi initio, individuis junioribus conveniunt et robustis; fortiora, imo et drastica, quemadmodum jalapa cum calomele, gummi gutta, scammoneum, gratiola, helleborus etc. etc. omni tertio, quinto, septimo die diureticis interpolata, in hydrope pertinaci cum laxitate et torpore universali, et statu pri-

marum viarum pituitoso nonnunquam felici cum successu adhibentur.

Emeticis raro quidem conceditur locus, deficiente vero contraindicatione in ascite, anasarca chronicis, oedematibus pertinacibus multum illa proficere possunt, vi sua irritante et concutiente accumulatorum resorptionem humorum et excretionem potenter promovendo.

Sudorifera adjuvante cum regimine calido, speciatim partium adfectarum fotus per linteamina sicca calida, cineres, sales calidos etc., fomenta, frictiones cum pannis suffitu baccarum juniperi, olibani, succini, styracis impraegnatis, involucra ex linteo aut serico cerato, praecipue in hydrope anasarca prosunt ex imminuta transspiratione, suppressis efflorescentiis cutaneis orto, nec non in oedemate.

Auxilio chirurgico per scarificationes cutis, paracentheses abdominis et pectoris, ubi collectos ad humores facile et sine alio pervenitur damno, evacuatio illorum brevissima praestatur via. Haec vero eliminandi ratio certis in casibus mox statuendis nunc plurimum levat, nunc ad curam radicalem necessaria requiritur, in aliis inutilis manet, in aliis imo noxia evadit.

§. 1071. Quoad therapiam *singularum* superius memoratarum *hydropis modificationum*, praeter generalia hucusque exposita, sequentia adhuc specialia notentur praecepta:

In *hydrope anasarca* acuto, sub initium consuetim inflammatorio, saltem activo, sic et in ceteris omnibus hydropis varietatibus acutis, curatio juxta easdem indicationes decidenda et dirigenda erit, quae contra hydropes inflammationum pedissequos (§. 290.) statuebantur. Essentiale est, morbos principales auferre, crises eorum evacuatorias facilitare, promovere, aut restituere, et ad finem perducere, simulque in restituendam excretionem forsan subpressam, causam hydropis coëfficientem, attendere, et sic ulteriorem sistere effusionem, et resor-

ptionem adjuvare. — In hydrope anasarca chronico, utplurimum passivo, remediis in causam morbi proximam et characterem essentialem directis, internis saepe scopo adjuvante externa junguntur mox nominata. — Oedematibus insuper situs horizontalis, deligatio partis, et, si extremitates occupant inferiores, tibialia conveniunt arctantia. Humorum evacuationem per cutis incisiones, aut vesicantia moliri, non nisi debilitatis magnae et humorum dyscrasiae defectu consultum censeatur.

Hydrocephalum internum acutum regimine summe sollicito et curatione adcommodata nonnunquam initio cohibere, serius difficulter et raro conceditur sanare. Stadio inflammatorio salus modo expectanda ab accommodato tractamine antiphlogistico per sanguinis depletiones, refrigerantia ac purgantia pharmaca, nec non capitis lotiones, fomentationes ac perfusiones frigidas circumspecte adhibitas. Ad stadii inflammatorii finem diureticorum quoque remediorum, inunctionum mercurialium, et vesicantium ad nucham usus faciendus est. — Tentamina *J. Gloveri* (M. ch. Ztung. 1819. II. 299.) et *G. Freckletonii* (ibid. 1822. I. 74.), punctionibus ope lanceolae, et iteratis seri evacuationibus morbum sanandi, transitorium induxerunt levamen, mortem avertere non valuerunt. In casibus potius chronicis auxilium ab illis quandoque expectandum. *J. Lizars* (ibid.) hydrocephalo chronico operationem frustra quidem opposuit, *J. Vose* tamen (ibid. 1819. IV. 276.) in infante septem annorum instituit, sanitate coronatam. Sic aestimari quoque merentur in morbis hujus speciei chronicis derivantia fortiora per ulcera artificialia ad nucham, et penes haec moxae ad suturas adplicatio, a *Moulin* (*Hufeland's* Biblioth. d. pr. H. 1820. S. 324) commendata; lenta, cautissima per lineas emplastri adhaesivi (juxta *Bernard*), vel per fasciam circularem (juxta *S. G. Blane*) compressio.

Hydrops *ventriculorum cerebri acutus* pro mutabili stadiorum charactere diversam exigit therapiam. Ma-

gnarum ad caput congestionum, sicut encephalitidis aut meningitidis reapse praesentis tempore, penes regimen, strenue antiphlogisticum, indicantur sanguinis depletiones topicae vel simul universales, purgantia antiphlogistica, enemata evacuantia pro alvo (juxta *Formey*) frequente cienda, fomenta et perfusiones capitis frigidae; phlogosi fracta interne crem. tart., tart. tartaris. etc., vel calomel (gr. semis - unum omni 1 — 2. hora) administrata ita, ut eis quotidie plures (quatuor — sex) dejectiones alvinae impetrentur, et ad insignem usque symptomatum inflammatoriorum imminutionem sustententur. Urinis tali sub decremento adhuc parcis, deficientibusque aliis excretionibus criticis, digitalis calomele nupta dosibus parvis, nec vomitum nec vertiginem inferentibus, perutilis est. —Inchoante stadio morbosae in cerebri ventriculos secretionis pro ulteriore et lethali effusione, siquidem possibile, praevertenda requiruntur remedia citissime derivantia, uti: purgantia efficaciora, calomel dosibus majoribus, aut rheo, jalapae etc. junctum, clysteres evacuantes, vesicantia cum suppuratione diu sustentata ad nucham, brachia, femora aut suras, frictiones abdominis cum aceto scillitico. *Formey* (verm. med. Schriften B. I. S. 201 u. ff.) propriis ductus experientiis tum periodo priore encephalitidis, tum statu hydrocephalico, illam adeo frequenter excipiente, praestantissimum declarat remedium perfusiones capitis rasis capillis aqua frigida, omni hora aut bihorio ex altitudine modica rivulo tenui in frontem et capillitium delabente. — Sorte aegri funesta nihilominus non praevertenda, in symptomatum lenimen cura dirigatur.

Hydrorhachia in genere uti hydrocephalus internus tractanda. Et in ista tumor apertus fuit ope acus cum successu nunc felici nunc intentione frustrata. Ad prioris exempla, duo *Cooperi* (M. ch. Ztg. 1815. IV. 137.), unum *Sherwoodi* (ibid. 1817. I. 226.), *Pearsonii* unum, et quintum *Probarti* (ibid. 1831. III. 279.); ad poste-

rioris illa *Otto'i* (ibid. 1818. III. 421.), *Pliny Hayes* (ibid. 1829. IV. 25.) et *A. Vacca* (ibid. 1822. I. 75. et 76.) referantur. Fasciae apte adhibitae initio, nisi hydrocephalus simul adsit internus, ad malum cohibendum quin imo, testantibus duabus *Cooperi* experientiis, sanandum conferre valent, serius saltem difficiliorem reddere tumoris muniti laesionem.

In therapia *hydrothoracis* chronici, generales contra hydropem statutas indicationes sequente, speciatim eximiae ad retardandos morbi progressus nisi ad sanationem virtutes digitalis purpureae, rad. polygalae Senegae, vesicantium ad pectus aut intra scapulas ponendorum, pediluviorum ex decocto seminum sinapis, inunctionum tincturae cantharidum, laudari merentur. Dr. *Burchard* ex nitri et sulphuris aur. antimon. dosi magna forma pulveris, initio quater de die tandem bis porrecta, egregrium obtinuit effectum. (*Hufeland*, Journ. 1831. Mai.) Praeterea in hac hydropis specie sicut in hydrocephalo, etiamsi major debilitas subfuerit, remediorum incitantium, praecipue spirituosorum, vini, et diaetae aromaticae usus magis, ac in hydrope ascite et anasarca eodem caeterum debilitatis cum gradu, restringendus est. *Paracenthesis* pectoris stante diagnosi firma et morbi fonte potius locali quam universali salutem, periculosis urgentibus ab humorum collectione symptomatibus saltem levamen pro tempore ferre valet.

Hydrocardiam sanandi conamina hucdum irrita fuere omnia.

In hydr. *ascite chronico diffuso* penes rationem medendi hydropibus in genere faciendam, speciatim *paracenthesis abdominis* sive *punctio* commendanda. Ubi non debito diutius differtur, ubi morbus non inveteratus, cachexia non notabilis, nulla viscerum labes organica adsunt, non qua palliativum solum remedium evacuans considerandа, sed liberando viscera abdominalia, efficaciam diureticorum, tonicorum aliorumve indicatorum adjuvan-

do, et therapiae radicali nil obtrectando saepe salutifera evadit. — *In h. ascite saccato peritonei* nec a diureticis, aut diaphoreticis, aut purgantibus, nec a mercurialium usu interno et externo quidquam cum certitudine expectandum; verum punctio prodesse plurimum valet imo sanationem adjuvare, si tempestive instituitur, si humores intra musculos abdominales et peritoneum vel intra hujus duplicaturas continentur, nec pluribus saccis aut cystidibus separatis inclusi, et si organorum degeneratio deficit.

Hydropis ovariorum curatio rarissime scopum assequitur; humores enim pluribus contineri solent loculamentis, et etiamsi possent paracenthesi omnes evacuari, consuetim tamen praesentes indurationes remanerent non resolvendae. (Conf. Med. Jahrb. d. k. k. österr. Staates. Vol. XI. p. II. pag. 263.)

Cura *hydrometrae citra graviditatem*, indicationes generales cum eo sequitur respectu singulari, ut collum uteri quandoque concretum, aut orificium pseudomembranis praeclusum operatione chirurgica aperiatur. Paracenthesis uteri urgentibus modo reservatur casibus, quibus nempe humores per uteri orificium subduci nequeunt.

§. 1072. Cura *convalescentiae* ex hydrope eo tendat oportet, ut non effectus solum illius restantes v. gr. partium expansio, relaxatio, et morbus principalis tollantur, sed novae etiam praecaveantur accumulationes. Priorem in scopum consuetim roborantia universalia et topica, adcommodatus corporis motus, aër purus, siccus, moderate calidus, diaeta eupepta, et pro re nata fasciae ac ligamenta cedunt, quae partes sustentent laxas, et successive constringendo etc. firment. Recidivae ut praevertantur, potentias hydropem generatim causare valentes, speciatim occasionalia varietatis nunc devictae momenta sedulo evitare oportet.

Spec. 4. Tympanitis.

§. 1073. *Tympanitis* (Pneumatosis, Windsucht, Trommelsucht) est cachexiae species, abdomine per fluida gaziformia chronice tumido et tenso, tumore proinde elastico et, dum pulsatur, sonante insignis.

§. 1074. In *intestinalem* et *abdominalem* distinguitur, prout fluidum aëriforme vel in tractu intestinorum vel extra eundem in abdominis cavo continetur.

Cognoscitur utraque tumore abdominis elastico, tenso et, dum pulsatur, sonante, borborygmis, torminibus ac lumborum doloribus pertinacibus, continua alvi obstipatione, singultu, nec non vomitu frequentibus, dyspnoea, siti, dysuria, et insigni delassatione.

W. Trnka de Krzowitz histor. tympanitidis. Vienn. 1788. 8. *P. Frank* Epitome etc. L. VI. P. I. p. 38—138.

§. 1075. Dignoscitur autem tympanitis intestinalis *ab abdominali* per tumoris inaequalitatem, tuberositatem, dolores colicos, borborygmos et frequentem flatuum secessum, levantem; — *a colica flatulenta* per evolutionem successivam, incrementum segne, durationem longam; — *ab hydrope ascite* per levitatem corporis specificam, tumoris elasticitatem, et fluctuationis defectum.

§. 1076. Tympanitis variis intensitatis suae gradibus *durationem* amat longam, diversissimam. Raro in sanitatem redit, plerumque tabe accessoria et febri lenta terminatur in mortem.

§. 1077. Ad *disponentes* et *excitantes* spectant causas: vitae genus sedentarium, victus vilis, praesertim nimius flatulentorum usus; potatio aquae, potulentorum emollientium, relaxantium excedens, ac generatim potentiae nocentes et morbi omnes, quibus digestio, humorum digestoriorum secretio, atque ceterae organorum ad digestionem facientium functiones turbantur, nervisque viscerum abdominalium modo hucusque non explicato prava conciliatur dispositio, quales sunt: hypochondriasis,

hysteria, haemorrhoides, mensium suppressio, diarrhoeae, dysenteriae, viscerum abdominalium suppurationes cum puris in cava abdominis, ventriculi, intestinorum effusione.

§. 1078. *Essentia* tympanitidis in decompositione humorum nunc memoratorum, aut materierum in intestinis contentarum in formam gazis consistit, cujus rationem proximam debilitas universalis, et vel maxime organorum dictorum topica, cum vitiosis humorum qualitatibus, suppeditat.

§. 1079. *Prognosis* pro mali causis, sede, duratione, gradu, et constitutione subjectorum varia quidem est, in plerisque tamen casibus infausta, quemadmodum supra jam adnotabatur.

§. 1080. *Curatio* primo causas respicit. His aut abactis aut non abigendis gas in intestinis accumulatum aut expelli aut in formam fluidam condensari debet, in abdominis cavo contentum per paracenthesim saltem palliativo evacuari modo, et ulterior evolutio praepediri. Hunc in finem experientia suppeditat: aquam recentem, pro re nata vino mixtam aut acido sulphurico diluto, muriatico oxygenato nuptam; aquam calcis, magnesiam ustam; solutionem sodae purae tenuissimam; ammoniam puram liquidam maxime dilutam; carbonem praeparatum; — scopo roborante et motum peristalticum intendente: anisum, carvum, foeniculum, mentham piperitam, flores chamomillae, calamum aromaticum; acida mineralia dulcificata; amara pharmaca; corticem Peruvianum, ipsumque ferrum; — scopo antispasmodico eadem remedia cum valeriana, castoreo, asa foetida, atque opio. Externe ope cannulae intestino recto immissae liberior aëris secessus, aut extractio ope siphonis tentatur, aut expulsio per clysteres ex aqua cum aceto, per fomenta frigida abdomini imposita, frictiones abdominis ope linteaminum calidorum et suffimigiis imbutorum, lotiones spirituosas, linimenta ir-

ritantia, cucuphas aromaticas et camphoratas, nec non per balnea tepida aromatica, embrocationem.

§. 1081. Recuperata in casu felici *convalescentia* causae excitantes sedulo vitandae sunt, et longo adhuc tempore remedia roborantia, adcommodatus in aëre libero et puro corporis motus, diaeta animalis magis ac vegetabilis cum moderato vini blandi usu requiruntur.

Ordo III. *Cachexiae cum praedominante systematum subordinatorum adfectione.*

Genus I. *Cachexiae cum praedominante adfectione systematis membranarum.*

Species: Morbus venereus.

§. 1082. *Morbus venereus* (lues venerea, syphilis, venerische Krankheit, Lustseuche) est cachexia contagiosa, quae contagio proprio per corporis superficiem suscepto producta, locis immediatae hujus actionis ab inflammationis aut ulcerationis specificae symptomatibus orditur, et ulterius progrediens variis efflorescentiis, rhagadibus ac ulceribus cutaneis mali moris, faucium, speciatim tonsillarum, palati mollis, uvulae, dein oculorum, tandem periostei et ossium ipsorum inflammationibus et ulceribus cum doloribus osteocopis nocturnis, tophis, et carie sese prodit.

J. Astruc Abhandl. aller Venuskrankheiten. A. d. Franz. von *Heise*. Frf. u. Leipz. 1760. 8.

P. Fabre, vollst. Abh. v. d. Erkenntn. u. Cur der ven. Krankheiten. A. d. Franz. von *Tode*. Kopenh. 1777. 8.

John Hunter Abh. üb. d. vener. Krankheit. A. d. Engl. mit 3 Kupf. Leipz. 1787. 8.

A. Fr. Hecker deutl. Anweisung, die ven. Khten. zu erkennen und richtig zu behandeln. 2. neu bearb. Aufl. Erfurt 1801. 8.

G. Swediaur von der Lustseuche; nach der letzten franz. Ausgabe übers. von *Kleffel*; mit Vorrede u. Anmerk. von *K. Sprengel*. 2. mit den Zusätzen der 4. franz. Ausgabe vermehrte Ausgabe. 2. Thle. Berl. 1803. u. Wien 1813.

Jos. Lourrier, k. k. Rathes etc. nosographisch-therapeutische Darstellung syphilitischer Khtsformen.; nebst Angabe einer zweckmässigen und sichern Methode, veraltete Lustseuchenübel zu heilen. Wien 1819. 8.

Cüllerier Abhandl. üb. d. Tripper u. Nachtripper, Bubonen u. Schanker. Mit Zusätzen u. s. w. herausgegeb. v. *J. K. Renard.* Mainz 1815. 8.

J. Wendt, die Lustseuche in allen ihren Richtungen und in allen ihren Gestalten u. s. w. 2. Aufl. Bresl. 1819. 8.

Dr. Simon jun. üb. unreine Behaftungen der Geschlechtstheile etc. 2 Thle. Hamburg 1830 et 1831. 8.

Cullen, *v. Hoven*, *Jahn*, *Haase* opp. cit.

§. 1083. De aetate morbi venerei, origine et historia opiniones et hodie adhuc multum divergunt. Evictum fere habetur, illum qua specialem in Europa, et primo quidem in Italia, ultimis seculi decimi quinti annis innotuisse. Scripsit de illo ante *Marcellum Cumano* (1495.), quem primum hucusque nominaverant auctorem, anno 1494. *Nicolaus Scylati.* (Med. chir. Ztung. 1817. IV. 253.) Pejore tunc temporis charactere imbutus fuit ac hodiedum, rapidius multoque vehementius decurrit. (*Hensler*, Geschichte der Lustseuche. Altona u. Hamb. 1783.) — Incertum adhuc est, num lues ex lepra, aut ex Jaws vel Pians Indorum et epidemia febrili adsociata suam traxerit originem; constat autem, eundem nunc non nisi contagio specifico produci et propagari. Hujus natura non satis liquet; proprietates sequentibus exprimuntur: vehiculo gaudet tam muco puriformi, membranarum mucipararum secreto morboso, quam ulcerum fluido ab infectione ortorum; non exclusive, praecipue tamen organa adficit mucipara et serifera, atque systema lymphaticum absorbens, parcit musculis ac visceribus, pulmones si exceperis; qua contagium fixum nonnisi contactu plagarum tenerrimarum, epidermide spoliatarum aut laesarum immediato et mediato, intercedentibus nimirum variis corporibus uti vestibus, vasis etc. agit; nondum constat, an per genituram et nutritionem in utero materno in foetum

transeat; ut suos inferat effectus, vehiculi minima, haud determinanda jam sufficit quantitas; hos ipsos non illico suam post actionem producit, quin tamen temporis intervallum accuratius quam intra unum et sex septemve dies generatim definiri queat; effectibus ejus, morbo venereo locali aut universali, non uti variolis, morbillis etc. receptivitas in infectiones posteras deletur; morbus localis naturae viribus aliquando, universalis nunquam debellatur, sed sibi relictus organismum miserrime devastando mortem inducit.

Via et ratio communicandi contagium syphiliticum communissima in coitu habetur; nec tamen infectiones per suctionem, oscula, frictionem, contrectationem, sicut per laesiones ope instrumentorum viru venereo contaminatorum praetervideantur.

§. 1084. Infectionem una alterave formarum supra nominatarum morbi localis (inflammatio specifica aut ulceratio) in infectionis loco vel ejus vicinia prodiens, *syphilis topica*, sequitur, antequam morbus universalis, *lues syphilitica*, evolvatur. In genitalibus formae illae sunt triplices: *1) blennorrhoea; 2) ulcus;* et *3) bubo syphiliticus.*

Has nunc breviter exponam, dein ad penitiorem luis syph. pertractationem transiturus.

§. 1085. *1) Blennorrhoea*, medorrhoea *syphilitica* (der Tripper, perperam *gonorrhoea* dicta) mucosum vocatur aut puriforme vel ex urethra (blennorrh. s. medorrhoea urethrae, Harnröhren-Tripper) vel in sexu sequiore etiam e vagina profluvium (blenn. s. medorrh. vaginae, Scheiden-Tripper), contagiosum, a membranae partium nominatarum muciparae irritatione aut inflammatione (urethritide, kysthitide) pendens, per contagium syphiliticum producta. — Pruriunt initio et ardent urethrae orificium et fossa navicularis, rubet illud leviterque tumet, dein aestus per urethram protenditur totam; prodit in conspectum postea fluidum initio limpi-

dum, tenue, acre, successu temporis flavicans, virideſcens, et spissius evadens, non raro sanguine striatum; adsunt jam ardor intensus sub mictu, insolitus ad coitum stimulus, erectiones membri summe dolorificae, praesertim noctu, cum pollutionibus, nonnunquam et partium vicinarum rubor, intumescentia, dolor.

Virorum medorrhoea apertius inflammatoria, altiori gradu symptomatibus gravioribus admodum dolorificis magnam partem sibi propriis nupta esse solet. Sunt hae: priapismus, chorda, phimosis aut paraphimosis; prostatae, glandularum inguinalium, testiculorum, funiculi spermatici phlogosis, plenaria imo profluvii suspensio (blennorrhoea sicca); ischuria; nonnunquam ophthalmia blennorrhoica, non minus vehemens et acuta quam periculosa; febris comes inflammatoria. — Medorrhoeam *feminarum* pruritus et ardor urethrae, praesertim sub mictu, labiorum pudendorum internorum imo et externorum, nec non majoris minorisve vaginae partis aestus, dolor, tumor durus, rubor, uberiore cum secretione superius memorata, raro febris notabilis, comitari solent.

§. 1086. Decurrente ad normam morbo, diaeta, regimine ac Therapia summe adaequatis inflammatio intra novem, quatuordecim dies, profluvium intra quatuor, vel quinque septimanas cessat; illis vero adversis, peccantibus quibuscunque circumstantiis aliis, inflammatio aut saltem secretio morbosa evadit chronica, *blennorrhoeam secundariam* dictam constituit, per menses saepe, imo per annos durantem. Sequuntur insuper blennorrhoeam ob inflammationem non dispulsam et profluvium non rite absolutum vel interceptum, suppressum haud raro *strictura* in urethra imo et in vagina, quandoque ulcerationi illius junctae; incrassationes, indurationes colli vesicae hujusque ipsius cum dysuria, stranguria inde causatis chronicis; carunculae in urethra; intumescentia prostatae chronica et induratio; cachexia specifica, scrophulis analoga.

§. 1087. 2) *Cancer venereus* (der Schanker, chancre) ulcus syphiliticum quodlibet vocatur, sive ab infectione immediate exortum (cancer syphil. *primarius*), sive ex morbo universali qua symptoma profectum (canc. syph. *secundarius* s. *symptomaticus*). Hic *de primario* interim tractatur. Communiter iste in lamina praeputii interna, in frenulo et glande virorum, in pudendorum labiis, clitoride, vagina feminarum obvius est. Tribus, sex, quandoque pluribus, imo, ut refertur, viginti diebus et uno ab infectionis occasione vehemens oritur pruritus aut ardor, macula dein conspicitur ibi rubra aut tuberculum parum elevatum, dimidiatum milii granum aequans, vesiculam gerens minimam, fluido limpido turgidam, quae post unum alterumve diem rupta, epidermide destructa in ulcusculum mutatur orbiculare, dolens, cum marginibus elevatis crassis, duris, callosis, fundo lardaceo, inaequali, admodum sensibili, ichorem producens acrem, summe contagiosum i. e. ulcera ejusdem naturae generando parem, cito deorsum saepe simul circumferentiam notabiliter exedens, hocque modo totam quandoque partem consumens. Cancer sanatus cicatricem ideo relinquit concavam, lentissime solum vel nunquam explanandam. Alias efficit, et subsequas habet excrescentias varias nunc molles, fungosas aut carneas, nunc duras saepe cartilaginosas, nunc parum nunc multum prominentes, nunc basi lata nunc angusta adnexas (petiolatas), magnitudinem lentis, nucis avellanae, juglandis et quandoque multo majorem, figuram istarum, aut ficuum, mororum, fragorum, cristae galli etc. aemulantes, *condylomata* (Feigwarzen) dictas, quae variis in plagis, circa anum, in perineo et interfemineo, in pudendorum labiis, et praeputio frequentius, propullulant, superficiem asperam, quidquam ichoris aut imo sanguinis ex rhagadibus fundentem exhibent, aut verrucas duras, siccas, insensiles, aut indurata phymata s. tubercula sistunt.

§. 1088. *3) Bubo* syphiliticus (die Leistenbeule, der Bubo) tumor glandularum inguinalium supra tendinem musculi obliqui externi abdominis sitarum inflammatorius dicitur, consuetis inflammationis symptomatibus vario gradu, imprimis tensione magna, dolore, febri stipatus, nonnunquam femoris lateris adfecti stupore conjunctus.

Distinguitur in *idiopathicum* et *sympathicum* s. consensualem, in *substantivum* et *symptomaticum. Idiopathicus*, quem a contagio immediate et sine blennorrhoea aut cancro praeviis vel adhuc praesentibus suscepto ortum nominant, simul *substantivus* est, et multo rarior quam *sympathicus*, ab urethritide, balanitide, phimosi aut paraphimosi syphiliticis provocatus, et *symptomaticus*, syphilidem topicam ab ulcere praesente aut jam sanato ulterius progredientem pro fonte suo agnoscens. Idiopathicus et symptomaticus, dum sibi relinquuntur, raro sanationem, resolutionem, subeunt, suppurari potius consueverunt, hinc inde in indurationem, rarius in gangraenam terminantur. Uterque progressum syphilidis saltem pro tempore, ast indeterminato, fixae sistit, suppuratus in casibus nonnullis imo eandem terminasse visus est, et sic evolutionem morbi universalis praecavisse. Sympathicus s. consensualis inflammatione idiopathica sanata vel infracta, si haec simplex est, brevi disparere solet, si vero cancro nupta, perstare amat et in symptomaticum commutari.

§. 1089. Una alterave aut omnibus simul syphilidis topicae formis praegressis et persistentibus, si infectio nec modo nunc indicatio in illis limitata, exstincta, nec per therapiam congruam sublata fuerit, post unum alterumve mensem *symptomata luis universalis* intrant. A febri plerumque miti, facile quandoque praetervidenda initium sumere, ceterum, etsi non constanti semper ordine evolvi et progredi conspiciantur, primo tamen in cute, postea in mucipara faucium membrana, serius in

periosteo ipsisque ossibus, tandem in oculis aliisque organis compositis patefieri solent. Defoedatur autem *cutis* tam *efflorescentiis* variis maculosis, papuliformibus, tuberculosis, pustulosis, herpetis, lichenis, scabiei aemulis, furfurantibus, quam *rhagadibus* ac *ulceribus*; invaditur *membrana mucipara* locis nominatis inflammatione, ulceribus phagedaenicis (cancris secundariis, symptomaticis), excrescentiis, polypis; — *periosteum* tandem et ossa inflammationibus cum doloribus nocturnis, gummatibus, tophis, exostosibus, carie infestantur.

§. 1090. *1*) *Exanthema* a) *maculosum* in pectore primum et facie comparens, dein per ceteram quoque corporis superficiem diffundendum, in maculis profunde rubris consistit, coloris cuprei aut rubiginosi, lentem ad grossum argenteum usque magnis, exacte limitatis, nec prominentibus, nec dolorificis. Epidermis in his iteratim desquamatur, in tenuem degenerat crustam, aeque pluries deciduam et resarciendam, sub qua cutis madere incipit, et sensim exeditur ulcere rotundo, parum dolente, materiem secernente spissiusculam, pallide viridem, sebo liquato haud absimilem. Dum ulcerum ejusmodi singula coalescunt relictis substantiae consumtae notis, nova formantur, sicque integer nonnunquam labitur annus. In capillitio maculae dictae capillorum faciunt defluvium, quandoque alopeciam, olim perquam vulgarem, sub unguibus successivum eorum secessum, succedaneorum inaequalitates, aspredines, degenerationes, et ad eorum radices ulcera multum dolentia.

§. 1091. b) *Pustulae, flores veneris* dictae, primo tubercula sistunt dura, acuminata, durante inflammatione, dum tanguntur, valde dolentia, quae sensim fluido replentur limpido aut flavicante, quidquam exedente, postea in crustam exsiccando obscuram, sero delabentem, macula rubro-brunea aliquantum depressa per septimanas remanente. In facie primum prodeunt, per frontem

ad tempora utrinque protensae *corona veneris* audientes, sed nec aliis corporis regionibus parcunt.

§. 1092. c) *Efflorescentiae herpeti, licheni, scabiei similes* ab iisdem non venereis quoad formam vix nisi colore obscuro, cupreo distinguuntur. Sic et d) impetigo *furfurans* macularum profunde rubrarum defurfuratione continua, indeque nata cutis asperitate solum manifestatur. Certitudo diagnosis ex morbi principalis cognitione, aestimatione symptomatum ceterorum et decursus totius capienda est.

§. 1093. Omnes istae exanthematum formae morbo invalescente saepius e) in *ulcera* mali moris, *cancros syphil. secundarios* s. *symptomaticos*, convertuntur, ad ossium cute sola tenuiter obtectorum viciniam communiter sita.

§. 1094. *2) Cynanche faucium syphilitica* initio symptomatibus catarrho similibus, levi dysphagia, raucedine, aut voce depressa praecipue vesperi, siccitate et aestu in faucibus tempore noctis, maculis profunde rubris et tonsillarum, veli penduli, uvulae, ipsiusque pharyngis tumore modico notari, et brevi absque dolore insigni transire in *ulcera* solet cum marginibus elevatis callosis, fundo excavato, lardaceo. Quae non raro et organa mox nominata cito devastant, et ipsa imo ossa palati et nasi corripiunt. In naso speciatim qua *ozaena syphilitica* (vener. Nasengeschwür) profluvium ichoris foedi, hinc inde particulis ossium carie destructorum remisti, vocem ingratam nasalem, foetorem causant intolerabilem; proserpente devastatione dolorifica nasi collapsum et completam jacturam inferunt. Inflammationes hujusmodi et ulcera in pariete faucium postico facile cariem vertebrarum colli, in larynge et trachea tussim, raucedinem, aphoniam, ipsamque phthisim laryngeam et trachealem producunt.

§. 1095. Cum faucium adfectione nunc descripta vel paulo post non raro supervenit *3) ophthalmia syphilitica*,

inflammatio nimirum conjunctivae tum bulbi tum palpebrarum, cum harum pruritu, rubore bulbi profundo, illachrymatione, doloribus nocturnis, photophobia juncta, quae sub insigni vasorum sanguiferorum dilatatione, conjunctivae quandoque in massam carni similem degeneratione, incrassatione et ulceratione corneae transparentis, facile in hujus obfuscationes, imo in bulbi destructionem transit. Hujus exitus infaustissimi metum praecipue *iritis syphilitica*, priore ceterum multo rarior, secum fert.

§. 1096. *4) Dolores osteocopi*, molestissima omnium luis confirmatae symptomatum, saepe brevi post cutaneas se insinuant efflorescentias, et cum iis alternant. Non in apophisibus sed in corporibus compactis et quidem in imo ossium tam longorum quam teretium sedem habent, prope infra cutem jacentium, uti tibiae, fibulae, radii, ulnae, claviculae, scapulae, sterni, ossium cranii etc.; de die vix percepti, vehementer insurgunt vesperi praecipue sub tepore lecti, noctuque saeviunt cum sensu ac si corroderentur aut perterebrarentur ossa, horis tandem matutinis remittentes. Sunt inflammationis symptomata, partim ossis substantiam partim periosteum tenentis; mox ossium tumoribus vel mollibus, *gummatibus*, vel duris, *nodis*, aut si materiem cretaceam continent *tophis*, perperam *exostosibus* vocatis, vel rarius *osteosarcosi*, tumori nempe per omnem longitudinem ossis mollis, flexibilis, facile frangendi junguntur; et tumores non sanati in *cariem* cum saniei luridae, foetentis secretione abeunt.

§. 1097. Morbo ejusque nunc descriptis symptomatibus aegri fiunt debiles, habitum nanciscuntur cachecticum, luride pallidum aut terreum, emaciantur, et, nisi lues ad *sanationem*, apertis non raro sub *crisibus* per cutem, renes, intestina *evacuatoriis* contingentem perducta fuerit, in febrim incidunt lentam, haemorrhagias et diarrhoeas colliquativas patiuntur, et, si medela fausto non coronetur successu, horrendis sub cruciatibus,

quorum non minimos propriae conscientia culpae parit, foetore intolerabili, et saepe mutilationibus insigniti, detestabilia societatis humanae spectra, miserrimam exspirant vitam.

§. 1098. Lues venerea per individuales aegrorum constitutiones, climatum diversitatem, complicationes v. gr. cum arthritide, scrophulis, scorbuto etc., nec non per mercurialium usum incongruum vel abusum, varias subit *modificationes;* quae nunc quoad formam, durationem, successionem symptomatum singulorum a descriptis multifariam abludunt, nunc totius morbi decursum segniorem, mitiorem vel rapidiorem vel vehementiorem, adeoque minorem majoremve effectuum deleteriorum intensitatem ostendunt.

§. 1099. Talem modificationem notatu dignam *scerlievo* (malum *Grebingense*) offert, in urbium *Fiume*, *Buccari*, *Novi* confiniis ad littora maris adriatici frequentissimum. Morbus ante annum 1790. non observatus, dein qua scabies venerea descriptus, speciatim syphiliticis variarum formarum efflorescentiis insignitur. *Dr. Jenniker* exactam illius descriptionem communicavit, lectu dignam. (Med. Jahrb. des k. k. öst. Staates. B. V. St. 3.)

§. 1100. *Dispositio* in morbum deleterium nulli mortalium deesse videtur; neque morbus praesens aut devictus ad suscipiendum denuo contagium novamque ideo infectionem tollit receptivitatem. Major haec in individuis junioribus, teneris, albidis, irritabilibus, in organis, uti jam dictum, teneris, epidermide tenuissima tectis, aut eadem per laesiones orbatis invenitur. — *Causa excitans* hucdum unica nota contagium est; nec indubitati prostant casus syphilidis *originariae* i. e. citra morbum eundem et contagium, agentibus potius aliis potentiis ac rerum adjunctis, productae. Inest autem contagium fluido tum puriformi blennorrhoeae et leucorrhoeae, tum sanioso ulcerum, pustularum, rhagadum primarie et secundarie ortarum, imo ut suspicari licet, forsan salivae, ex-

halationi, sudori, lacti, liquido genitali. Contrectatione inficit; actio frictione, contactu protracto, calore loci, ac citra dubium fontis, e quo scaturit, malignitate majore adjuvatur.

§. 1101. Essentiam mali venerei *Boerhave* in acrimonia pinguedinis in textu celluloso contentae, ad pinguem ossium medullam pedetentim proserpentis, — *Hunter*, et post eum ex recentioribus *Hahnemann*, *Fritze*, *Hufeland*, *Hecker*, *Wendt* aliique in *specifica* per propriam contagii venerei facultatem irritantem et partis infectae reactionem producta *inflammatione* et subsequente *suppuratione* consistere rati sunt, ortumque luis universalis a plaga primario correpta per resorptionem virus in massam humorum, indeque actionem illius morbificam in partes remotas, tam cum organo primarie aegrotante intimius consentientes, quam in contagium suscipiendum prae aliis receptivas, diffundendam explicare conati. Utut manca adhuc sit haec idea generalis, perfectior tamen, et quae illustret prae omnibus, in quo specifica contagii insuperabilis et inflammationum venerearum natura, cum constante in suppurationem et ulcerationem nisu consistat, hodiedum desideratur.

§. 1102. Nostro in climate syphilis universalis absque artis auxilio, et absque accommodato mercurii specificis contra illam viribus praediti usu vix sanatur. Sanationem crisibus evacuatoriis haud raro circumdari, supra jam adnotatum est. Casus luis sine mercurio sanatae, quos Angli *G. A. Guthrie*, *J. Hennen*, *J. Thomson*, *Ewans*, *Pope* et alii jactitant, nondum omni erepti sunt dubio, quum *Schmidt*, ut inferius ostendetur, curae hujus fallaciam pluribus in casibus per morbi ad speciem abacti post aliquot menses reviviscentiam abunde comprobarit. Favente licet aegri constitutione, et mercurio tempestive ac aptissime administrato, casus tamen, utut rarissimi, occurrunt sanationem excludentes; quare *prognosis* non ubique faustum sine discrimine promittat even-

tum. Haec eo cautius in subjectis cachecticis, scorbuticis, hydropicis, morbo, animi pathemate, lurido vitae genere, abusu veneris, onania, fame etc. enervatis, quae lente, difficulter, raro perfecte sanantur, circumscribenda est. In junioribus, teneris, sensibilibus, praecipue albidis vel maxime timendi sunt celer morbi localis in universalem transgressus, rapidus istius decursus, devastationes latissimae. Lues adhuc impetiginum sub forma incedens facilius plerumque, forma ulcerum in partibus mollibus jam difficilius, tophorum, exostosium et cariei difficillime sanatur, imo ultima, praesertim ozaenae sub specie, erga omnem medendi rationem rebellis perstat.

§. 1103. *Therapia* in *prophylacticam* et *curativam* secedit.

Prophylaxis infectionem concernit et morbi localis a contagio nati propagationem in reliquum organismum.

Pro infectione partium contactum cum contagio venereo ineuntium aut passarum praecavenda nullum prostat remedium infallibile; pro contagio tamen citissime abstergendo, et, quod forsan inefficax adhuc adhaeret, destruendo multum commendandae sunt instantaneae ac iteratae illarum lotiones, fomentationes, balnea ope aquae recentis, aquae saponatae, solutionis tenuissimae kali, natri aut ammonii caustici in aqua (sic et lotii recenter missi), acidi vegetabilis aut mineralis larga cum aqua mixti etc. etc.

Praesentibus morbi venerei formis primariis topicis, blennorrhoea, cancro aut bubone, prophylaxis in morbum universalem tutissima in eo habetur unica, ut contra easdem therapia mox exponenda confestim et prudenter instituatur.

§. 1104. *Blennorrhoea*, *leucorrhoea* qua inflammatio specifica, cum morbosa secretione incedens, hancque abacta ultro relinquens consideretur oportet, et curetur. Quare stadia morbi duo, inflammatorium et secretorium,

seu praeponderantis inflammationis et profluvii, distingui solent. *Stadio primo* methodus antiphlogistica mali gradui et organo adfecto adcommodata, stadio *secundo* saltem emolliens, et pro re nata tonica tardius, stimulans indicantur. Requiruntur itaque *stadio primo* penes regimen corporis et mentis atque diaetam antiphlogisticam fomenta, cataplasmata, balnea topica emollientia sedulo adhibita, nunc cum infusis, decoctis parum mucilaginosis, emulsis tenuioribus affatim tepide sumtis; nunc simul adjunctis interne eccoproticis magnesia, manna, hydromelle, electuar. lenitiv. etc. omni tamen sale omisso, externe enematibus alvum leniter ducentibus; nunc insuper sanguinis depletionibus topicis hirudinum ope, vel imo universalibus per phlebotomias. Injectiones omnis generis nocent viris stadio inflammatorio, feminis non nisi emollientissimae ex aqua, infusis decoctisve mucilaginosis tepidis, lenissima manu in vaginam factae secretum fluidum acre mitigando, eluendo prosunt. Consensuales colis erectiones, chorda, dolorificae, bubones, testiculorum, funiculi spermatici, prostatae, praeputii phlogoses utpote status inflammatorii in- et extensioris effectus et signa, methodum intensiorem antiphlogisticam universalem cum topica eadem ac emolliente sibi exposcunt. Paraphimosis huic tractamini non brevi cedens, et glans tumida ope manipulationis aptae praeputio protrahendo non facile tegenda lotionem, fotum aut balneum frigidum exposcit, ut inde collapsa intra praeputii laminam internam reprimatur; hoc autem non succedente, aut tumore glandis constrictae praegrandi, manu indiget chirurgica, quae praeputium in directione frenuli incidat.

Pro symptomatum inflammatoriorum imminutione ac decremento pariter restringenda est methodus antiphlogistica, attamen omnes potentiae topice aut universim irritantes et calefacientes sedulo adhuc arcendae, et nonnisi ardore inter mingendum omni abacto, *stadio* morbi

altero, motus levior et victus moderate nutriens concedendus, et methodus emolliens sola cum balneis universalibus, aut cum eccoproticis per vices interpolatis continuanda. — Priapismus et chorda hocce in stadio sublata jam phlogosi praeter consuetudinem perseverantes topice adhibitis emollientibus, interne pacantibus et narcoticis, opio excluso, tolluntur.

Tali modo malum suis cum symptomatibus penitus sanari solet, quin vel remediorum tonicorum, vel roob juniperi, in aqua soluti, ab *Heckero* laudati, usu opus sit. — Profluvio ultra terminum consuetum durante in rationem ejus inquiratur oportet; quae communissime jam in diaetae aut regiminis tum psychici tum somatici peccatis, jam in therapiae praepostere incitantis, adstringentis etc. erroribus invenitur. Ubi fluxus parcior sed ichorosus subviridis, sanguine striatus, ardor sub mictu certam ad urethrae plagulam fixus, contrectatione et leni hujus compressione provocandus et exasperandus, quandoque perceptibilis hoc loco urethrae crassities dolorifica de *ulcere venereo ibidem latente* testantur, penes localem nunc memoratam therapiam instituere mercurialem, ut praecaveatur lues universalis, est necesse. Si se- et excretionum normalium, uti transspirationis, urinarum, alvi restrictio inculpanda, in hasce modo rationali promovendas agendum est. Deficiente alio momento causali si ad laxitatem in membrana mucipara urethrae aut vaginae topicam solam, aut, uti nonnunquam in subjectis cachecticis, debilibus, laxis, scrophulosis, blennorrhoeam, leucorrhoeam iteratim passis, universali nuptam concludere licet, conveniunt topice lotiones iteratae, fomenta, balnea egelida, dein subfrigida genitalium, injectiones cautae refrigerantes, subadstringentes, modice irritantes ex solutionibus saccharī saturni, aluminis, vitrioli zinci, sublimati corrosivi, lapidis caustici, aqua calcis etc. aqua, liquido mucilaginoso temperatis; interne balsama nativa, gummiresinae, resinae, vel et folia

uvae ursi, cortex Peruvianus, tormentilla, gummi kino, ferrum etc. cum diaeta eupepta non aromatica, nec spirituosa. — Usus piperis cubebae dosibus largis, ab *Jos. Adams* imo stadio blennorrhoeae inflammatorio decantatus, nosologiae mali hujus minime consentaneus est, ideo suspectus, quousque observationum et experimentorum numero et varietate requisitis non fuerit comprobatus.

§. 1105. *Cancer venereus primarius* nonnunquam sine omni therapia, alias remediis solum topice administratis, tenui nimirum lapidis caustici, infernalis, sublimati corrosivi solutione, miscela calomelis et opii cum aq. calcis (aq. phagedaenica nigra dicta), unguento mercuriali cinereo, ung. communi vel basilici cum merc. praec. rubro ope lintei carpti adplicato, nec non lapide infernali, quo cancer ipse incipiens et serius margines ejus callosi tanguntur, in casibus longe plurimis sanatur. Cum nihilominus non constet, num et quamdiu immediatus hic infectionis effectus maneat localis; et cum probe notum sit, eodem sublato aegrum ab ulteriore infectionis progressu, indeque lue universali nequaquam certe praemuniri, etsi non ad cancri, nisi rapide extendatur, sanationem, certe ad hujus limitationem et a lue universali praeservationem semper necessarium esse duco, mercurialium simul congruum adjungere usum. — Cancris *secundariis*, symptomaticis, ubicunque obvenerint, universim per curam mercurialem, topice pro rerum adjunctis vel negative per simplicem a contactu aëris, a sordibus, pressione, frictione etc. tutelam, vel positive per simultaneam mercurialium forma fluida aut unguenti adplicationem medendum est. — Eadem erit, quae *cariei* venereae opponatur, ratio curandi.

§. 1106. *Bubones* tum primarii, substantivi, tum cancrorum comites aut pedissequi, diaetam et regimen stricte antiphlogistica, atque pro intensiore aut minore inflammatione et febri symptomatica therapiam topicam emollientem per cataplasmata, et plus minusve antiphlogisticam per

hirudines, vel et eandem hanc universalem, simulque mercurialium usum exposcunt, quo non inflammatio solum glandularum infringatur, sed vel maxime lues praepediatur universalis. Facta suppuratione interest de regula, ut emollientibus abscessus maturetur, et apertura spontanea acceleretur, aut rariore necessitatis casu lege artis nunc caustico nunc cultro aperiatur, suppuratio adjuvetur, et munditie strictissima liberoque puris effluxu resorptio ejusdem pro viribus impediatur. Sedula cataplasmatum, fomentorum, et hinc inde balneorum emollientium adplicatio summe efficax laudanda.

§. 1107. Contra *luem veneream* universalem, variis in vehementiae gradibus et formae modificationibus, tam ante quam post detectas mercurialium vires specificas remedia multa variaeque eorum adhibendorum methodi fuerunt celebratae. Juvabit *guajacum*, *sarsaparillam*, *antimonium*, *kali*, *acida mineralia*, *opium* in memoriam revocasse. Experientia tamen insufficientes esse omnium virtutes evicit adeo, ut practicorum rationalium nemo illa, quoad vires antisyphiliticas, aequiparare mercurio, eique praeferre nunc audeat. Sortem haud faustiorem probabiliter experietur Anglorum *Th. Rose*, *G. J. Guthrie*, *J. Thomson*, *J. Hennen* et aliorum universim decantata, absque dubio tamen ad certos solum specialius definiendos, paucos casus quadrans, methodus, omnes morbi venerei formas primarias et consecutivas sine mercurio, solum ope sarsaparillae, potulentorum mucilaginosorum acido nitrico diluto mixtorum, atque diaetae tenuis tractandi. (*Rust's* Magaz. d. ges. Heilk. B. V. H. 2.) Veritatem sanationum ex hac methodo depraedicatarum jam *C. H. Schmidt* valide concussit relatione, se in casibus pluribus a *Teeden* sibi praesentatis vidisse luem postea evolutam. (Verm. Abh. a. d. Gebiethe der Heilk., von einer Gesellsch. pr. Ärzte zu St. Petersburg. Erste Sammlung. 1821.) Conf. et. *Alex. Simon* jun. l. c.

Pro ea, quam hucusque consecutus sum, experientia, cum potiori practicorum numero mercurium variis in praeparatis pro pharmaco antisyphilitico *unico certo* declarare non haesito. Cum tamen vires illius specificae aeque ac morbi venerei indoles specialis nimis imperfecte adhuc noscantur, administratio illius empiria rationali definiri, dirigi debet, et diaeta et regimine generatim antiphlogisticis adjuvari. Intelligitur inde, mercurium nec in omni malo venereo indiscriminatim sine mora adhiberi, nec quolibet in praeparato sine selectu, neque sine adjuvantibus certis in usum vocari tuto posse. Debilitas magna, nisi syphilidis ipsius effectus, insignis cachexia, diathesis scorbutica, diarrhoeae, sudores debilitantes, haemorrhagiae ante therapiam mercurialem auferri, aut casu urgente plurimum saltem imminui, sordes primarum viarum eliminari, catamenia, nisi nimis parca transire, tribus verbis: complicationes quaevis, impedimenta sistentes, amoveri prius debent. Graviditas, pronitas in haemoptoea aliaque profluvia cruenta magnam in mercurialium usu exposcunt cautelam et restrictionem. Praeparatorum mercurialium virtutem plurimum adjuvant, et salutiferos adaequatae illorum administrationis effectus insigniter promovent aër purus, siccus, amoene calidus, motus corporis adcommodatus, animus erectus, hilaris, victus levis, fluidus potius quam solidus, parcus, aromatibus non conditus, vita sobria, nullo intuitu evagans, balneorum tepidorum, sicut larga potulentorum diluentium, emollientium, diapnoicorum, uti decoctorum radicum bardanae, graminis, taraxaci, saponariae, sarsaparillae, ligni juniperi, guajaci etc. etc. adplicatio.

§. 1108. Absente obstaculo mercurialium usus partim internus fit, partim externus. In illum, quae communissime cedunt, praeparata hydrargyri sunt: *merc. dulcis* s. calomel s. murias hydrargyri mitis; *merc. solubilis Hahnemanni* s. oxydulum hydrargyri ammoniacale;

aethiops mineralis s. sulfuretum hydrarg. nigrum, et *aethiops mineralis* s. sulphuret. hydrarg. stibiat., qui posteriores in infantibus, subjectis sensilioribus, in casibus levioribus cum cutis praecipua adfectione vel soli, vel cum prius nominatis alternati, locum inveniunt; *mercurius sublim. corrosivus* s. murias hydrargyri corrosivus, et *mercurius nitrosus* s. nitras hydrargyri, qui ob vires heroicas pro casibus luis inveteratae, neglectae, difficulter sanandae sic et rapide progredientis reservari solent; praeparata cetera amatoribus facile committuntur. — Usui externo inserviunt: *unguent. mercuriale cinereum* et *citrinum*, multo rarius unguenta e calomele, merc. praec. albo, aut, ad modum *Cirillo*, cum sublimato; *solutiones sublimati* pro lotionibus, fomentis, gargarismatibus, balneis.

§. 1109. Lue nondum in ossibus saeviente communiter calomelis aut m. solubilis H. gr. semis adultis bis de die, mane nimirum et vesperi, cum saccharo forma pulveris porrigitur. Dosis haec si bene fertur, morbusque progrediens exigit, post aliquot (6—7) dies per $\frac{1}{4}$ grani augetur vel eadem ter de die exhibetur, sicque pedetentim ad grana tria — quatuor partitis dosibus per nycthemerum ascenditur, si opus fuerit et nisi febricula (quibusdam mercurialis dicta) et phaenomena salivationis praenuntia et concomitantia, in actionis mercurii specificae per systema lymphaticum totumque organismum jam expansae testimonium, citius accesserint. Sunt autem haec phaenomena: halitus oris foetens; sapor specifice ingratus metallicus, cupreus; lingua flavicante serius viridescente muco obducta, ad radicem, aut tota tumida, sensibilis; glandularum salivalium tumor, tensio, dolor, gingivarum rubor intensus, tumor, retractio, dolor, dentes stupidi, muco tenaci, griseo conspurcati; largum salivae muco tenaci mixtae profluvium; masticatio, deglutitio difficilis, dolorifica; excoriationes labiorum, gingivarum, buccarum, linguae aphthis similes; quibus de-

lassatio, anorexia, apepsia, ciborum speciatim carnium fastidium, borborygmi et tormina, alvus segnis, cephalaea, aurium susurrus, somnus turbatus consuetim junguntur. Intrantibus ejusmodi salivationis symptomatibus usus mercurialium illico restringendus, imo, salivatione uberiore, suspendendus, et phaenomena dicta interea regimine moderato calido, quieto, aequabili, collutoriis emollientibus, tepidis sedulo usitatis, eccoproticis, vel alterantibus, praesertim tartaro emetico dosibus $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{6}$ grani omni 2—3 hor. in solutione, nec non balneis simplicibus tepidis mitiganda sunt. Si durante salivatione symptomata syphilitica, uti solent, multum decreverint; restrictus mercurialium usus continuandus, ob salivationis intensitatem interceptus ea ad finem vergente dosibus initio refractis, dein pro necessitate paulatim augendis resumendus est, atque ad plenariam morbi expulsionem, quae nonnunquam post iteratam salivationem demum impetratur, constanter protrahendus. Imo nisi necessarium, saltem consultum est, omnibus licet luis phaenomenis unam aut plures post salivationes abactis, moderatum mercurialium usum, praecipue internum per aliquod et quidem eo longius continuare tempus, quo rebellem magis sese praestiterat morbus.

Ubi ex mercurialium nominatorum usu metuuntur aut jam inducebantur ventriculi oppressio, cardialgia, tormina, diarrhoea, jungenda illis sunt elaeosaccharum, pulvis gratus aromaticus, aut opium. Praematurae salivationi praecaveatur adnexo sulphure aurato antimonii, vel kermete minerali, atque regimine calido, potu tepido diligenter sumto. Torquentibus doloribus osteocopis efficacissimum palliativum, quo carere medicus nequit, in opio habetur, ceteris narcoticis praeferendo.

Merc. subl. corrosivus forma solutionis in aqua destillata simplici, vel aromatica, addito congrue opio, ita adhibetur, ut aeger mane et vesperi, si ab hoc praeparato therapia inchoatur, $\frac{1}{16}$ partem grani sublimati, si vero

alia jam praemissa fuerint, $\frac{1}{8}$—$\frac{1}{6}$ grani partem capiat, et doses hasce bene ferens morbo poscente sensim ad $\frac{1}{4}$imo $\frac{1}{2}$ grani partem adscendat. Interea ad idiopathica ventriculi et intestinorum gravamina a sublimato facile inferenda potius, quam ad salivationem, sero expectandam, attentio convertenda est maxima. Methodus nuperrime a Professore *Dzondi* (Neue zuverlässige Heilart der Lustseuche in allen ihren Formen. Halle 1826. 8.) celebrata, mercurium sublim. corrosivum forma pilulari, *aucta quotidie per grani quadrantem dosi*, ad symptomatum syphiliticorum disparitionem usque exhibendi, num generatim sit praeferenda, non nisi multiplici genuina decidetur experientia.

Mercurius nitrosus, nitras hydrargyri (solutus) iisdem sub momentis indicantibus convenit, et aquae destillatae aut decocto mucilaginoso additus dosi guttarum duarum, dein trium et quatuor bis de die ordinatur.

Ad acuendam mercurii virtutem antisyphiliticam, et tardandam salivationem proficuum est, praeparatum quandoque alternare.

Cura mercurialis magna *Weinholdii* dicta, in *dosium ingentium calomelis* (gr. viginti, viginti et quinque in tres partes divisarum) diebus 1., 4., 7., 10., 13., 16., 19., imo et 22. vesperi ventriculo vacuo sumendarum, atque (si opus) jalapae et tartari tartarisati diebus subsequis usu pro solvenda alvo consistens, paucos hucusque imitatores nacta, praerogativam ab inventore celebratam reapse sibi non vindicavit; — ceterum methodo Anglorum hydrargyrifugae supra memoratae altero in extremo opposita.

§. 1110. *Inunctiones* unius alteriusve unguenti mercurialis et certas utilitates et damna secumferunt. Laudandae sunt, quatenus immediate in cutem qua sedem primariam et infectionis venereae conductricem agunt, morbum ideo directe ac fortissime impugnant, eique sanando forsan solae sufficiunt; et quatenus organis dige-

stionis minus, ac usus internus, infensae inveniuntur; — vituperandae vero, quia praeposteram facillime provocant salivationem, in cute irritabiliore inflammationes erysipelatosas, et efflorescentiam specificam pustulosam, late expansam, quibus inunctiones intercipiuntur, inducunt; quia incommodae sunt et non absque spurcitie. — Ego quidem lui universali mercurialium *usum internum cum externo* combinatum opponere soleo. Externe ung. merc. cinerei dr. dimidiam — integram, semel, bis de die, plagis cutis tenerioribus et vasorum resorbentium uberiore numero donatis alternatim inungendam curo, suris nempe, et faciebus internis femorum, antibrachiorum, brachiorum. Inunctio ipsa loco tepido, manu calida leniter ast diutius fricando instituitur, et postea partes linteamine calido etc. obvolvuntur. Cute laxiore, inerte, praefertur ung. merc. citrinum efficacius, eadem dosi eodemque modo adplicandum.

Methodus syphilidem *per solas inunctiones* mercuriales diaetamque summe restrictam tractandi, priori jam aevo contra inveteratam et degeneratam juxta normas exacte statutas, teste *P. G. Cederschjöld*, in usu fuit, a *Winslow* imprimis adhibita, et interea oblivioni fere tradita, nostris denuo temporibus in lucem tracta (Med. ch. Ztg. 24. Ergzbd. S. 105 u. ff.), et per *Louvrier* modificata, in mali inveterati, consuetis medendi rationibus resistentis, ossaque devastantis casibus cum successu adhibetur. Consistit autem haec *Louvrieri* in sequentibus: complicationibus, si quae sunt, abactis *cura praeparatoria* incipit cum diaeta admodum parca, stimuli experte, purgante levi e. gr. ex jalapa cum crem. tart., vel infuso sennae composito cum sale amaro aut Glauberi etc., postea balneis tepidis per quatuor sexve dies repetendis, demum purgante iterum subjungendo. Die postera ipsae *inunctiones* inchoantur *ordine sequente:* die prima *mane* drachmae duae ung. m. cinerei cruribus ambobus a malleolis ad genua usque inunguntur modo

superius indicato; — die tertia dosis eadem utrique femori a genubus ad regionem iliacam usque, — die sexta eadem (aut necessitate praesente per drachmam dimidiam nunc aucta) dosis extremitatibus superioribus a carpo usque ad humerum utrumque, — die octava aut nona dorso ab iliaca regione usque ad nucham; — a die septima ad decimam quintam usque inunctiones pro circumstantiis id permittentibus duae aut quatuor *mane*, ordine nunc memorato plagarum manente, instituuntur.

Diebus 16., 18., 20., 22. et 24. inunctiones sero vespere fiunt, et diebus intermediis sicut et 25. summo mane purgantia porriguntur; — die tandem 26. aeger balneo tepido immittitur, in quo mediam post horam cum sp. vini et sapone (sp. saponato) ope spongiae toto depuratur corpore, siccatus recente indusio ceteroque vestitu induitur, et in aliud transfertur cubiculum, leniter temperatum.

Diaeta tractamine toto durante ad juscula cum pane, hordeo, oriza aut cibo levi farinaceo cocto, quater de die quantitate librae unius et dimidiae sumenda, restringitur; pro potu non nisi aqua conceditur, aut decoctum althaeae, bardanae cum rad. liquiritiae infusa, cujus quantitas per nycthemerum haurienda, ne oppleatur ventriculus, libras tres quatuorve non transgrediatur. — Tanta diaetae restrictio, quam post *Louvrier* vel firmissime *Rust* (Magaz. f. d. ges. Heilk. B. I. H. 3.) comprobavit, partem dictae methodi efficacissimae summe essentialem constituit. — Cubile aegri aequabilem semper habeat temperaturam + 14° ad 15° *th. Réaum.*; aër autem in illo, quamdiu curatio durat, non renovetur, indusium ceteraque linteamina non mutentur.

Individualis rerum positio modificationem methodi nunc descriptae non nunquam exposcit, qua fit, ut dosis unguenti singula nunc major aut minor adplicari, nunc inunctiones longioribus aut brevioribus intervallis institui, nunc duratio therapiae brevior reddi aut pro-

trahi, nunc aeger pauco vino refici, meliusve nutriri debeat.

Etiamsi therapia haec desiderato plerumque coronetur effectu, praesertim si intra diem decimum septimum et vigesimum quartum alteratio universalis magna, et crises evacuatoriae non per alvum modo et organa salivalia, sed per cutem quoque et renes contigerint; sunt tamen casus, in quibus iterata requiritur, sunt utut paucissimi, in quibus non sufficit. Cum methodus sit summe heroica, aegrum remedio, abstinentia, purgantibus multum debilitans, summa cum circumspectione suscipienda est, attentissime dirigenda, aegerque quotidie aliquot vicibus invisendus.

§. 1111. Sub therapia vulgari per varia hydrargyri praeparata opus quandoque est, ut debilitati magnae et incipienti statui cachectico per mercurialium restrictionem remediorumque roborantium, et nutrimentorum blandorum, eupeptorum usum occurratur.

Symptomatibus luis solito pertinacius perseverantibus causa investiganda venit, et pro re nata vel therapia interna sola insufficiens per externam, aut haec sola per illam adjunctam intendatur, vel per adjuvantia varia congrue suffulciatur oportet. Recensentur ad ista, praeter sarsaparillam, guajacum et reliqua superius nominata, adhuc decoctum *Pollini*, *Zittmanni* et similia, decocta putaminum viridium nuc. juglandum, caulium dulcamarae, hbae. chelidonii majoris, cort. mezerei, frondium pini; antimonialia; extracta aconiti, hyoscyami, con. maculati; opium. Post usum mercurialium protractum et vix non frustraneum egregiae virtutis inveniuntur *acida mineralia*, specialius acid. nitricum et muriaticum dilutum, a *Scott* iterum in lue cum scrophulis complicata laudatum, tam interne quam externe forma balneorum (Med. chir. Ztung. 1818. IV. 31. u. 38.) adhibita; sicut ammonium olim celebratissimum scopo vires lapsas erigendi, et diaphoresim promovendi, adplicari meretur.

§. 1112. *Symptomata singula* urgentia aut admodum pertinacia, praeter therapiam expositam, saepe adhuc specialem sibi exposcunt; sic ulcera oris, faucium, nasi etc. jam in tractamine cancrorum venereorum superius indicatam; efflorescentiae scabiei, herpeti conformes fomenta, lotiones, inunctiones mercuriales, balnea; condylomata curam eandem aut caustici applicationem nunc solidi nunc fluidi, aut cultri vel forficis vel ligaturae usum; ophthalmiae, nisi intensitas earum per topicas aut imo cautas universales sanguinis depletiones, eccoprotica etc. prius infringi debuerit, initio collyria leniora cum parcissima sublimati dosi, serius paulum fortiora cum opii tinctura, vel unguentum cum merc. praecipit. rubro palpebris, vel merc. cinereum cum opio, hyoscyamo etc. circumferentiae oculorum toti et temporibus adplicandum.

§. 1113. *Convalescentiam* ex lue debilitas universalis, digestionis, assimilationis et sanguificationis languor et imperfecta conditio, indeque partis serosae sanguinis praevalentia, partim morbo partim cura necessaria mercuriali solvente et nutrimentorum parcitate inductae, circumdant; quae ut auferantur, mora in aëre libero, sicco, miti, tepido protracta, motu corporis viribus adcommodato, victu sensim largiore ast eupepto et blando per longius tempus, aliquando tractamine simul leviter roborante opus est, quibus therapia finitur.

Genus II. Cachexiae cum praedominante systematis glandularum vasorumque lymphaticorum adfectione.

Species: Morbus scrophulosus.

§. 1114. *Morbus scrophulosus* (scrophulosis) ea est cachexiae species, praecipue infantili aetati infesta, quae plenarie evoluta tumoribus glandularum lymphaticarum praesertim colli et mesenterii, verum axillarum quoque, inguinum, aliarumque corporis regionum chronicis manifestatur.

Adnot. Scrophula *fugax* (Hagedrüse, Wachsdrüse) intumescentiam singularum colli et inguinum glandularum transitoriam sistit, proinde et per cachexiae defectum a scrophulis veris i. e. morbi scrophulosi symptomatibus, dignoscendam. — *Struma* utut in scrophularum gradu altiore saepe evolvatur symptomatica (scrophulosa), ab aliis tamen et morbis et noxis saepe sola infertur, et stricte qua tumor glandulae conglomeratae a scrophulis differt.

G. G. Th. Kortum commentarius de vitio scrophuloso etc. T. II. Lemgov. 1789—90. 8.

R. Hamilton Beobachtungen üb. d. Scrophelkrankheit, den Scirrhus, Krebs u. d. Rhachitis. A. d. E. Leipz. 1793. 8.

F. A. Weber von den Scropheln, einer endem. Krankheit vieler Provinzen Europens. I. Th. Salzb. 1793. 8.

Dr. Ch. W. Hufeland etc. üb. d. Natur, Erkenntniss u. Heilart der Scrophelkrankheit etc. 3. sehr vermehrte Aufl. Berl. 1819. 8.

Rich. Carmichael, Henning u. *Goodland* üb. die Scrophelkrankheit. Nach d. Engl. frey bearb. von *Dr. J. L. Choulant*. Leipz. 1817. 8.

Die Natur der Scrophelkrankheit u. s. w. A. d. Engl. des *Wilh. Farre* etc. von *Dr. G. W. Becker*. Leipz. 1820. 8.

§. 1115. In scrophulosi *stadia duo*, totidemque intensitatis *gradus* distinguere licet, *diatheseos* nimirum scrophulosae, et *formae* scrophularum *evolutae*.

Diathesim scrophulosam, nonnunquam in infantibus neonatis blepharophthalmia postea et inflammatione conjunctivae jam manifestam, designant: cutis musculorumque laxitas, labium oris superius septumque nasi crassa, tumida, maxillae et occiput lata; cutis vel tenera, tenuis, diaphana cum amoeno faciei rubore vel crassa cum colore pallido, terreo et leucophlegmatia; abdomen generosum (quae phaenomena titulo *habitus scrophulosi* insigniuntur); dentitio tardata, irregularis, ossificatio serotina, opportunitas in rhachitidem, generatim tarda cerebri et facultatum mentis evolutio; magna in sudores pronitas, frequentes inde catarrhi, intertrigines, odor intensus transspirationis, halitus, muci narium acidulus, ingratus; strophulus, prurigo mature comparentes et

saepius recurrentes, tinea faciei, achores; digestio languens, imperfecta, acidum primarum viarum, pituita cum vermitione, colicae, alvus inordinata. Subsistit morbus nonnunquam hoc in gradu, alias ad *altiorem* pedetentim explicatur, quem denotant: *intumescentiae glandularum* supra nominatarum a pisi ad nucis juglandis, ovi columbini, imo minoris gallinacei magnitudinem, initio molles, postea durae, plerumque dolorum expertes, diuturnae, saepius periodice in- et decrescentes (periodis phases lunae et annuas solis sequentibus), quae serius *inflammationes chronicas* patiuntur, in induration-em, suppurationemque malam facile transeuntes, cum *ulceribus* margines elatos, inaequales, laceros, a parte subjacente quasi solutos, laxos, spongiosos offerentibus, materiem ichoroso-mucosam, viscidam, subflavam secernentibus, parum dolorificis, ast pertinacibus, ardue consolidandis, et foedas relinquentibus cicatrices; *inflammationes rebelles* marginum palpebrarum, et conjunctivae cum photophobia molestissima, illacrymatione et secretione puriformi, meatus auditorii externi cum otorrhoea, membranae Schneiderianae cum profluvio puriformi, membranae muciparae organorum respiratoriorum sicut glandularum bronchialium cum tussi chronica, sputis mucosis serius puriformibus, nec non glandularum meseraicarum cum alvo inordinata, potissimum obstipa, *febricula chronica, lenta,* emaciatione, tabe, multum autem tumido ventre, calido et ad contrectationem dolente (vid. §. 946. etc.); malo provectiore similes quoque *in glandulis conglomeratis tumores,* in salivalibus puta, thyreoidea, pancreate; hepar volumine auctum; aliquando *blennorrhoeae* chronicae aut leucorrhoeae cum pruritu, ad partes genitales fricandas invitante, et sic onaniae ansam facile praebente; *efflorescentiae* pertinaces herpeticae, psoricae et aliae; tandem gradu maximo, qua assimilationis, sanguificationis et nutritionis admodum insufficientis et vitiosae effectus, *tumores apophysium* ad

articulos digitorum manuum ac pedum, cubitorum, genuum; femorum (cum claudicatione dicta spontanea), ad spinam dorsalem, verum etiam in ossium digitorum, metacarpi, metatarsi, vertebrarum, quandoque nasi et palati corporibus, initio cuti concolores, dein sub rubore purpureo, splendore ac tensione ejus lentissime inflammandi, in *ulcera* tendines, ligamenta et cartilagines consumentia, in *cariem*, spinam ventosam transituri; caries dentium, ossium emollitio, amplificatio cranii vel cum augmento cerebri vel cum hydrocephali chronici formatione, i. e. evolutio *rhachitidis*. — Sicut inflammationes chronicae organorum respirationi dicatorum symptomaticae saepe *phthisim* (scrophulosam) utplurimum *tuberculosam* pulmonum (§. 971.), glandularum meseraicarum saepe tabem aut *phthisim meseraicam* (§. 946.) habent sequelam, ita et nominatae hic ossium adfectiones symptomaticae effectus pro sede ac intensitate varios, speciatim in columna vertebrali *cyphosim*, scoliosim, lordosim suis cum symptomatibus, in apophysibus *luxationes* sic dictas *spontaneas*, cariem, anchyloses etc. inducere saepe conspiciuntur.

§. 1116. *Decursus* morbi scrophulosi generatim lentissimus est. Morbus tempestate sicca et calida aut frigidula, tempore aestivo, autumnali et hyemali cohiberi in progressu solet, quandoque conspicue imminui, tempestate autem humida et frigida aut tepida, variabili exasperari, tempore vernali resurgere et rapidius evolvi. Aetate infantili et puerili, accedente dein pubertate, si therapia congrua, diaeta et regimen aliaeque circumstantiae generatim faustissimae concurrerint, scrophulosis feliciter sanatur, raro tamen, si unquam, diathesis simul tollitur omnis. Non sanata post variam haud determinandam *durationem* in morbos prius memoratos abit longissimos, variis devastationibus et febri lenta tandem lethiferos.

§. 1117. *Dispositio* in scrophulas saepe hereditaria,

praesertim a parentibus scrophulosis, phthisicis, syphiliticis, morbos diuturnos cutaneos ac nervosos passis, per senectutem, morbos, vitae rationem, venerem, circumstantias domesticas etc. debilitatis, aut aequo junioribus, in proles genitura transfertur; alias adquisita est. Secundum inter et septimum aetatis annum, et in sexu sequiore major quam in adultioribus et individuis masculis; maxima autem in infantibus constitutionis corporis tenerae, imbecillis, cum cute tenui, albida, molli, capillis albido-flavis, oculis coeruleis etc. animadvertitur. — Momenta *excitantia* scrophularum morbi sunt: habitaculum infantum angustum, humidum, frigidum, solis radiis non patens, aëre impuro refertum; clima humidum, subfrigidum, inconstans; spurcities; regimen et educatio emolliens; quantitates ingestorum nimiae, praesertim nutrimentorum crudorum farinosorum aut aliorum digestu difficilium, aut debito minus nutrientium et acido generando aptorum; nimium corporis otium; facultatum mentis contra praematura nimiaque intensio; morbi praegressi cutanei tam acuti ardue superati, imperfecte judicati, uti variolae, scarlatina, morbilli etc., quam chronici praeprimis secretione quadam stipati uti: crusta lactea, tinea favosa, herpetes humidi etc., generatim et morbi quivis multum debilitantes v. gr. diarrhoeae, haemorrhagiae, pertussis etc.; emeticorum, purgantium, fortiter solventium, imo et diluentium, emollientium, relaxantium abusus. Ex quibus intelligitur, cur inter plebem, in urbibus vastis, in vallibus profundis etc. tanta scrophularum sit frequentia.

§. 1118. *Essentia* morbi cum certitudine dilucidari necdum potest. Hypothesis de acrimonia, illi herpetum imo miasmatis syphilitici analoga, nec rationi proximae, nec indoli phaenomenorum morbi explicandae sufficit. Probabilius morbo huic subsunt primario debilitas universalis organorum assimilationi dicatorum et eminentes systematis vasorum lymphaticorum debilitas et inertia, cum

imperfecta et vitiosa lymphae et chyli elaboratione, inde et qualitate sanguinis humorumque se- et excretoriorum omnium vitiosa. Debilitas ista atque inertia vel statim totum per organismum expansa animadvertitur, quemadmodum in scrophulis connatis, vel a parte illius momentosa, communiter aut a cute (et pulmonibus), aut ab officina digestoria egressa pedetentim per totum diffunditur. Inde et ex chylificatione et sanguificatione imperfectis facile, ni fallor, omnium morbi scrophulosi symptomatum essentialium, et sequelarum fluit explicatio, uti sunt: motus lentus, accumulatio, stases lymphae, tumor glandularum lymphaticarum ac durities, lymphae omniumque humorum se- et excretorum dyscrasia, nimia forsan oxydatio succedens, indoles tenax, caseosa fluidi in abscessibus et ulceribus parati, eruptiones cutaneae pertinaces, cutis musculorumque laxitas, flacciditas, universalis emaciatio etc. etc.

§. 1119. *Prognosis* in scrophulis, non ex hereditaria dispositione evolutis, faustior statuenda, quo recentiores sunt in infante juniore, et quo minor adhuc virium vitalium et nutritionis a norma deflexus. In genere morbum durationis longissimae sistunt et sanatu difficillimum. Quae aetatem infantilem circumdederunt, intrante pubertate, praesertim in sexu sequiore, non raro feliciter sponte disparent, serius autem revertentes plerumque, sicut in adultis assolent, sanationem respuunt. Consociata debilitas universalis, eminens cachexia, glandularum tumidarum durities, color variegatus, immobilitas, specialis organorum nobilium adfectio, febris lenta, de exitu morbi lethali summum incutiunt metum. Pessimum est, glandulas singulas indurari et in cancrum abire.

Phaenomena mere externa citra visceris cujuscunque adfectionem non de leviore solum scrophularum gradu testantur, sed saepe mali universalis ad cutem glandulasque exteriores derivati signum, metastasin fere *cri-*

ticam sistunt. Quae summam in therapia locali exposcit circumspectionem.

Benignam tumorum scrophulosorum resolutionem, et affectionum scrophulosarum variae formae in internis cessationem efflorescentiae cutaneae variae prorumpentes, profluvia mucosa et puriformia, diarrhoeae, urinae criticae non raro concomitantur, febres acutae continuae ac intermittentes characteris activi, subinflammatorii quandoque feliciter adferunt.

Effectus analogi pro praedictione ac therapia momentosissimi ab acutis pariter exanthematibus et a vaccina visi sunt.

§. 1120. In scrophulis *curandis*, quae gradu leviori nimis frequenter praetervidentur et negliguntur, *prima* indicatio causas excitantes amoveri et omnes noxas arceri jubet, simul ac regimen et diaetam ad scopum ordinari. Hoc respectu requiruntur: commoratio protracta, motusque corporis sedulus in aëre libero, puro, sicco; mundities omni intuitu exquisita; balneorum tepidorum usus frequens, frictiones corporis totius cum pannis calidis etc.; nutrimenta digestu facilia, bonae qualitatis, animalia prae vegetabilibus, eorumque usus ad ordinem certum dispositus ac moderatus.

§. 1121. Antequam *alteri* indicationi, ipsum morbum auferendum concernenti, satisfieri possit, saepe impedimenta sunt amovenda v. gr. acidum primarum viarum magnesia, lapidibus cancrorum, soda temperandum, pituita accumulata emetico aut purgante congruo eliminanda etc. Morbus autem ipse dein medendi rationem universalem, systemati lymphatico toti specialius prospicientem exposcit, nunc roborantem, nunc stimulantem, irritantem, nunc specificam, nunc antagonisticam; et symptomatibus urgentibus conformiter pro indole, gradu ac sede simul occurrendum. Quae ex methodis nominatis singulae aut combinatae singulis in casibus sint seligendae, per

morbi originem, gradum, progressuum rationem, nec non aegri individui constitutionem definitur.

Valebit autem *methodus roborans*, debilitate universali, laxitate, pallore, humorum penuria praedominantibus; morbo in tabem, suppurationes, ulcerationes, profluvia cujuscunque generis nimia inclinante, imo praesente moderata febri lenta; praegressis causis debilitantibus, speciatim viribus organorum digestionis et musculorum intestinalium per nimis protractum pharmacorum solventium et alcalinorum, de quibus infra, usum magnopere dejectis; aegro noxis debilitantibus haud penitus abigendis adhuc exposito. Conveniunt tum interne variis formis: cortex Peruvianus, cort. cascarillae, salicis, quercus, potus arabicus cum glandibus quercinis tostis, hbae. tonicae omnes amarae, amaro-mucilaginosae, amarae et subaromaticae, amaro-adstringentes, ex pharmacologia notae; rheum dosibus refractis; ferrum et aquae martiales; externe eadem fere balneorum et lotionum formis adhibita, sicut aqua recens egelida aut mera, aut vino vel spiritu vini remixta, praeprimis hepar sulphuris, thermae sulphureae, martiales. Magnae virtutis diaeta et regimen adcommodata prudenter illis uniantur.

Methodus *stimulans* laxitate universali et inertia, praesertim in systemate cutaneo et gastrico eminentibus indicatur. Praecipua in amaro-aromaticis aut mere aromaticis, et in spirituosis pharmacis habentur remedia, qualia sunt: melissa, foeniculum, cinnamomum, mentha, calamus aromaticus, chamomilla, absinthium, salvia etc., infusa vinosa et tincturae variae aromaticae, vinum, spiritus aetheris nitrici, muriatici etc. Saepe remedia hujusmodi, ubi diathesis inflammatoria, humorum orgasmus et febris deficiunt, cum antea nominatis roborantibus aptissime copulantur.

Methodus *irritans* et in systema lymphaticum specialius activa potiorem invenit locum, ubi praevalens hujus systematis inertia multis aut magnis glandularum

tumoribus, in inflammationem minime pronis palam fit, et cum bradypepsia, statu pituitoso, pallido, terreo cutis colore, intumescentia leucophlegmatica, habitu pastoso conjuncta prostat. Laudari tunc merentur: praeparata antimonialia et mercurialia nunc seorsim: sulph. aurat. antim., kermes min., nunc unita quemadmodum in aethiope antimoniali et mercuriali, in pulvere Plummeri; sic et inunctio unguenti mercurialis; terra ponderosa salita s. murias barytae, cujus drachma dimidia in aquae destillatae communis aut aromaticae uncia cum vel absque corrigente soluta guttatim — omni trihorio a guttis decem paulatim ascendendo ad viginti et quadraginta — porrigitur; calx muriatica s. murias calcis, eodem modo minoribus autem dosibus adhibenda; soda, kali et alcali volatile in statu miti potius quam caustico, et spongia marina, quae vel usta in pulvere, scr. semis ad dr. semis bis terve de die, vel in frusta discissa et solum tosta in decocto, ex hujus uncia per digestionem calidam 24 horis protractam, dein decoctionem ad colaturam librae parato, addita corrigentis aquae aromaticae congrua quantitate, dosibus cochlearis cibarii unius aut duorum omni trihorio praescribitur; sapo medicinalis interne cum corrigentibus ac adjuvantibus necessariis, sic et in unguentis, emplastris, venalis in balneis, fomentis administrandus; ostracodermata; magnesia; guajacum; jacea viola tricolor, polygala senega. — Plerisque horum remediorum degeneratio lymphae *specifice* ac potenter oppugnatur. — Liquor potassae Disp. Londin. interne (dr. un. ad duas cum vehiculo grato bis de die) propinatus cum inunctione (gr. octo ad quindecim) unguenti merc. fort. ad extremitates summe proficuus a *Fare* (l. c.) celebratur.

Methodus *antagonistica* systematis vel nervosi vel circulatorii mobilitatem atque agilitatem potius quam virium vigorem imminuendo, vires ac reactionem systematis lymphatici augere intendit. Priori locus est, ubi sensibilitas ac irritabilitas in toto excedit organismo, et vita

mentis prae illa corporis noxie praedominatur. Inserviunt huic methodo narcotica et narcotico-acria, uti: opium, hyoscyamus, belladonna, conium maculatum, caules dulcamarae, tam interne in substantia, extractis, infusis, decoctis, quam externe in decoctis, unguentis, emplastris ad tumores, abscessus, ulcera scrophulosa. Alteri autem, humorum scilicet circulationis moderamini locus est, ubi horum adest orgasmus, febris symptomatica subinflammatoria, ubi collectiones hydropicae, respirationis molestiae, tussis imminent aut jam vexant. Remediis congruis accensentur infusa, decocta, emulsa pacantia, emollientia, tussilago farfara, specifica digitalis purpurea, acida mineralia diluta, elix. acid. *Halleri*, acid. muriat. oxygenatum. — Remediis utriusque methodi antagonisticae, cum in mali essentiam ea directe non agant, et digestioni et sanguificationi emendandae pleraque non faveant, pro rerum positione nunc victum blandum, eupeptum, nunc pharmaca simul adaequate roborantia aut stimulantia adjungere oportet.

Ex hucusque de morbi scrophulosi curatione dictis facile est, in casibus obviis eruere, num aliquae et quaenam methodorum memoratarum sint combinandae, et quae proinde pharmaca copulanda.

§. 1122. *Palliativum* symptomatum nonnullorum *tractamen* quod attinet, acido primarum viarum saepius molesto magnesia, lapides cancrorum, soda, pulv. ostracodermatum, nec non aqua calcis, in ipsum morbum pariter efficaces, opponuntur; — accumulationibus pituitosis pro necessitate vel solventia, purgantia, vel emetica; — tumoribus glandularum duris fotus siccus calidus simplex, leviter aromaticus cum camphora, sericum ceratum, inunctiones linimenti volatilis, unguenti mercurialis, ung. *Roncalli* (ex felle recente tauri cum unciis tribus pulverati salis culinaris, et olei nucum tribus cochlearibus, leni sub calore digerendo parati), ung. ex succo hbae. digitalis purpureae, emplastrum mercuriale, cicutae, diachyli,

saponatum; — inflammationibus scrophulosis methodus antiphlogistica cum antiscrophulosa prudenter combinata; — ulceribus et cariei scrophulosis fomenta et lotiones cum decoctis, solutionibus remediorum superius enumeratorum roborantium, stimulantium, specifice irritantium, narcoticorum adplicantur; — phthisi tandem scrophulosae tractamen partim contra scrophulas necessarium, partim contra phthises indicatum opponitur.

§. 1123. *Convalescentia*, evitatis omnibus causarum excitantium titulo enumeratis, et habito constitutionis individui omnigeno respectu, per methodum roborantem, aut tonico-stimulantem et nutrientem promovetur, dummodo haec et illa non intercipiantur, nec praepostere deserantur.

Genus III. Cachexiae cum praedominante systematis ossium adfectione.

Species: Rhachitis.

§. 1124. Morbus primo per *Reusner* in Batavia anno 1582, qua phthisis pituitosa, dein per *de Boat* in Irlandia anno 1648, eodem circiter tempore etiam in Anglia observatus est, ibidemque a *Glisson* exacte descriptus; hinc mali anglici nomine (englische Krankheit) donatus. Ab extremis ossium articulos formantium multum tumidis incongrue Germanis *„doppelte Glieder, Zweywuchs“* audit. *Rhachitis* autem a graeco ῥαχις, Rückgrath, spina dorsalis, ob magnas in columna vertebrali mutationes morbo vulgares vocatur.

§. 1025. Est autem cachexiae species, quae infantes a dentitionis primae periodo ad secundum, tertium usque aetatis annum praecipue, sed casu rariore adultos quoque infestans, citra violentiam externam ossium intumescentia, emollitione (osteomalacia), et deformitatibus cum tabe universali sese prodit.

Fr. Glissonii tract. de Rhachitide. Lond. 1650. 8.
W. Trnka de Krzowitz historia Rhachitidis. Viennae 1787. 8.

M. Haller diss. de Rhachitide in *Stollii* dissert. med. ed. *Eyerel.* Vol. I. Vienn. 1788. p. 138—200.

Jos. Veirac Abh. üb. die Rhachitis od. englische Krankheit. A. d. Holl. übers. von *J. B. Keup.* Stendal 1794. 8.

A. Portal Beobachtungen üb. die Natur u. Behandlung der Rhachitis u. s. w. A. d. Franz. Weissenfels 1798.

Rosenstein, Henke, Richter, Jahn, Haase in d. a. W.

§. 1126. Rhachitis, nisi jam connata, circa dentitionis periodum comparere solet, et nonnunquam cito evolvitur. *Dentes* si mox flavescunt, brunei aut nigricantes fiunt et vacillant, de proxima rhachitidis manifestatione certitudinem perhibent. Prodeunt jam *laxitatis solidorum* ac debilitatis, vitiosae humorum qualitatis signa; flaccescunt et attenuantur cutis et musculi, *emolliuntur ossa*, unde incedendi ac standi difficultas, impotentia; *caput* primo nimium augetur volumine, antrorsum prominet, saturae ac *fonticuli* secedentibus ossibus dilatantur, caput rarissimis tectum capillis tenuibus vix erectum tenetur; deinde *ossium* longorum, imo et costarum *fines*, atque abdomen praecipue in epigastrio, marcescente interea reliquo corpore, *intumescunt;* cutis faciei plicosa evadit, turgent venae jugulares, magna urget ciborum appetentia, alvus segnis, faeces excolores, griseae; halitus, transspiratio, urinae — adserentibus *Bolba* et *Malfatti* (*Haase* l. c. p. 430.) multum phosphatis calcis evehentes — et quae eructatione et vomitu ejiciuntur, *acidum* spirant. Malo increscente crura, rarius brachia *incurvantur*, infans gressus facere non addiscit, aut, si jam incesserat, nunc animo solum invito, ardue, vacillando, aut plane non valet ingredi; *spina dorsalis*, dum substantia vertebrarum ossea emollitur et cartilagines consumuntur, brevior fit, et jam *antrorsum* (*lordosis*), jam *postrorsum* (*kyphosis*), jam *ad* unum alterumve *latus* (*scoliosis*) *incurvatur;* intumescunt clavicularum et costarum fines articulati, diversimode arcuantur, et istae potissimum retrahuntur; *sternum* inaequale, rarius impressum quam protrusum et gibbosum, unde thoracis an-

gustatio, dyspnoea, tussis etc., *scapulae* compressae fiunt, aut tumidae, aliquando ossa pelvis quoque plus minusve flectuosa et deformata. Facultates *mentis* simul aut cito explicantur, aut (accedente hydrocephalo interno chronico) infra aetatem tardantur, infantibus tunc inertibus, morosis, stupidis. Longa sub morbi duratione et ulteriore incremento symptomata *scrophularum* paullatim adsociantur, et ossa singula, praecipue vertebrae lumbales — cum extremitatum inferiorum paralysi etc. — *carie* corripiuntur; aegri nunc imbecillissimi lecto adfiguntur, et ex *febri lenta* superveniente aut medullae spinalis majorumve nervorum compressione, aut hydrencephalo chronico defunguntur.

§. 1127. Successu faustiore morbus, utut *semper diuturnus* et communiter per annos protractus, vel ad gradum majorem non evehitur, vel gradus etiam altioris therapia et regimine adcommodatis, aut, praecipue pubertatis tempore, viribus naturae, comparente plerumque efflorescentia chronica, *sanatur*. Alias majores minoresve *ossium curvaturas* et *deformitates* cum variis inde manantibus malis, uti dyspnoea intensitatis variae, opportunitate in haemoptoën, phthisim pulmonalem, hydrothoracem, in partus difficultates, cephalaea, dispositione in apoplexiam etc. relinquit; aut reapse in hydrocephalum aut hydrorhachiam, in cariem, tabem, aut alios adhuc morbos posthumos transit, quibus haud raro lethalis evadit.

§. 1128. *Cadavera* rhachiticorum, quae diu calorem retinent et flexilitatem, musculos exhibent extenuatos, pallidos, flaccidos; ossa defigurata mollia, facile disscindenda, fluidum continentia viscidum, pressione extricandum, medullam plerumque fluidam; hepar, saepe lienem et pancreas tumida et dura, vesiculam felleam liquido albuminoso, bilis loco, refertam; glandulas lymphaticas praesertim mesentericas, quemadmodum in scrophulis, volumine auctas, induratas, saepe substantiam gipseam

includentes; sanguinem pallidum, serosum, mucosum, tenuem, ardue coagulandum; in corporis cavis humorum serosorum accumulationes.

§. 1129. *Dispositio* infantum in scrophulas dispositionem simul in rhachitidem sistit; quare infantes parentibus debilibus, aeque rhachiticis, aut in genere cachecticis, phthisicis, scrophulosis, arthriticis, venereis, senio aut morbo confectis, aut debito junioribus progeniti, ipsique debiles nati, facile in rhachitidem incidunt. — *Causae occasionales* eaedem fere sunt ac scrophularum supra enumeratae, et specialius: lactis materni aut boni nutricis defectus; nutrimenta fatua, aquosa aut tenacia, pinguia, farinosa, crassa, dyspepta, iteratae ventriculi oppletiones et digestionis laesiones, usus rerum acidarum aut facile acescentium; habitaculum angustum, humidum, tenebricosum, mephitide onustum; spurcities; praegressi morbi debilitantes et nutritionem cohibentes; nec non graves matrum lactantium vel nutricum morbi. *Sydenham* (Obs. med. etc. Sect. I. c. 5.) annis, quibus febres intermittentes autumnales epidemice regnarunt, imprimis evolutam fuisse rhachitidem observavit.

§. 1130. *Essentia* rhachitidis nec per hypothesim de acrimonia specifica, quam nonnulli veneream esse voluerunt, nec per illam de peculiari adfectione nervosa cum vitiosa humoris nervei qualitate, explicatur. Probabile potius est, illam in imperfecta assimilatione et nutritione (insufficiente sanguinis oxydatione in pulmonibus et in cute secundum opinionem *Jörg*) in genere, cum retardatis et imperfectis formatione et nutritione ossium in specie, consistere, et acido phosphorico abundante per periosteum secreto (*Haase* op. cit. T. III. p. 430.) relative nimiam terrae calcareae copiam in ossibus solvi, qua phosphatem calcis resorberi, in humorum massam devehi, per urinas autem denuo eliminari.

§. 1131. *Prognosis* ex hucusque prolatis haud difficulter statuitur. Rhachitis per se periculi expers est;

saepe homines ex ea plurimum deformati provectam attingunt senectutem; saepe educationi adcommodatae et prudenti, diaetae, regimini ac therapiae congruis periodo pubertatis cedit. Attamen mortem remote, uti supra dictum, invitare valet, sub nimio cachexiae incremento ex tabe et profluviis colliquativis comitantibus, ex haemorrhagiis, ulcerationibus, carie, hydrope, paralysibus etc. profecturam. Mali ominis est, si infantes prehendit pusillos adhuc, debiles ac teneros; si periodo dentitionis rapide evolvitur; nec non si in adultis, uti nonnunquam in puellis scrophuloso-chloroticis intrante pubertatis periodo, oritur, celeriterque efformatur.

§. 1132. In rhachitidis *therapia* prae omnibus interest, causam excitantem sicut nocivas quasvis amovere, enervare, arcere potentias, omnemque complicationem contrariam v. gr. statum gastrico-saburralem, auferre.

Indicatio *secunda* fere tota, quemadmodum in scrophulis, eo tendit, ut essentiales debilitas, insufficientes assimilatio, nutritio, et ossificatio corrigantur, acidi generatio tollatur, atque symptomatibus singulis gravibus specialis opponatur medela. In scopum priorem obtinendum, uti in scrophularum therapia, de aëre puro, sicco, moderate calido, munditie, victu eupepto, quidquam condito, ceterum aetati congruo, de motu saltem passivo per gestationem, vectionem, oscillationem etc. cura habenda, atque commendandum est, ut stragula ex plumis commutentur cum aliis setas equinas, stramen, foenu, aut herbas levissime aromaticas, bene siccatas continentibus; ut infantes tempore aestivo diu multumque in locis herbosis siccis morentur, a solis autem radiis defensi; ut pannis siccis vapore aromatico impraegnatis, calidis diligenter toto fricentur corpore. His atque usu magnesiae, lapidum cancrorum, sodae, ostracodermatum, aut aquae calcis cum infusis aut aquis melissae, foeniculi, anisi, flor. chamomillae etc., et balneorum adplicatione aromaticorum, quidpiam adstringentium, arti-

ficialium et naturalium sulphuratorum et martialium, incipiens et leviori adhuc gradu morbus saepe feliciter debellatur. Alias cum absorbentibus prudens tonicorum uti infusorum, decoctorum, extractorum amaricantium, specialius laudatae rubiae tinctorum, radicis caryophyllatae, glandium quercus tostarum, corticis Peruviani, martialium etc. constanter continuandorum, requiritur connubium. Externe praeter nominata conducunt etiam balnea ex arena sicca calefacta, actio radiorum solis modica, lotiones cum vino calido, infusis aromaticis, spiritu cremato, sp. vin. camphorato, aromatico etc. instituendae.

Quo manifestior rhachitidis cum scrophulosi patet complicatio, eo magis therapia contra has, §. 1121. exposita, hic quoque suum invenit locum.

§. 1133. *Symptomaticae* ossium *inflammationes* penes tractamen morbo toti accommodatum nonnisi topicum ferunt antiphlogisticum; — *caries*, quemadmodum scrophulosa glandularum ulcera, curetur, et speciatim acidi phosphorici adplicatio externa, a *Lentinio* laudata, ad secreti consistentiam et odorem corrigendum proficua est. Idem sicut acida mineralia diluta statui rhachitidis colliquativo qua palliantia aptissime opponuntur. — *Incurvationes* insignes et *deformitates* cum pendentibus inde paralysibus etc. junctam simul opem chirurgicam per deligationes et apparatus mechanicos adcommodatos, fonticulos etc. necessariam reddunt.

§. 1134. Abactis feliciter rhachitidis phaenomenis curatio tamen roborans per aliquod, diaeta et regimen memoratum per longum adhuc *convalescentiae* tempus sedulo continuentur oportet.

Classis V. *Morbi se- et excretorii.*

CAPUT I. *De morbis se- et excretoriis in genere.*

§. 1135. Hoc vel et *Dyseccrisium Sw.* titulo ad classem quintam referuntur morbi, qui essentiali unius vel plurium organorum se- et excernentium adfectione, atque se- et excretorum a conditione sana quoad copiam vel qualitatem vel utramque recessu manifestantur (§. 37.). Copia autem peccans *vel* exsuperantiam, *vel* parcitatem nimiam aut plenarium defectum se- et excretorum concernit. Casu priore *Profluvium* (fluxus, Ausfluss, Fluss), altero et tertio *Retentio* (Verhaltung, Zurückhaltung) nominatur. Nostra igitur classis *duas ab auctoribus aliis statutas* morborum classes, profluviorum scilicet ac retentionum, *complectitur*, hic *ordinum duorum* titulo pertractandas.

§. 1136. Duobus quidem ordinibus istis, quos *Swediaur* (l. c. Vol. I. p. 175.) *Apokenoses* et *Epischeses* vocat, tertium *Apoplanesium* i. e. se- et excretionum loco normali aberrantium nomine addidit: ratione vero harum aberrationum proxima, forma qua evacuationum, et frequente cum retentionibus connubio consideratis patere mihi videtur, illas nunc primo nunc alteri inseri ordini omni jure posse.

§. 1137. In constituenda hac morborum classe principium minime ab eorum natura essentiali, verum a *forma* communi (se- et excretione morbosa), et *sede* in organismo (organis se- et excernentibus) esse petitum, ipsa

jam denominatio docet. Quare nomen solum nec completam firmamque singularum ejus specierum diagnosim et prognosim suppeditat, nec rationem medendi indicat singulis convenientem, sed naturae earundem quovis in casu enodandae necessitatem prorsus inevitabilem relinquit.

§. 1138. Pro ista vero singularum specierum detegenda natura maximi interest, ut non ad se- et excretionis laesae magnitudinem ac modum, non ad vitiosam se- et excretorum qualitatem, nec ad topica generatim organi adparenter proxime aegrotantis symptomata circumscripta figatur attentio omnis, sed ad cetera simul organa se- et excernentia, eorumque relationes, quibus conjunguntur, sympathicas tam consensuales quam antagonisticas, et ad systema circulatorium, cui intime adhaerent et quo potenter reguntur, extendatur. Experientia enim teste morbi se- et excretorii rarius topici sunt et substantivi, quam malorum potius universalium partes et symptomata sistunt; utroque in casu rationem proximam *jam* actionem vel morbose auctam aut acceleratam, vel imminutam aut tardatam, *jam* conditionem organicam vasorum, glandularum, canalium etc. se- et excernentium partis adfectae vitiosam agnoscunt; atque iste reactionis status cum activitate vitali aliorum organorum se- et excernentium, ac totius vasorum sanguiferorum systematis jam pari, jam opposita, jam normali essentialiter nexus adest.

§. 1139. Reflexiones generales ulteriores ad classis nostrae ordines supra nominatos, et ad eorum genera mox subjungenda aptius exponentur.

CAP. II. *De morbis se- et excretoriis in specie.*

Ordo I. Profluvia; apokenoses Sw.

§. 1140. *Profluvii* nomine quaevis humorum excretoriorum nimia haud secus, ac humorum excretioni non dicatorum omnis evacuatio intelligitur.

§. 1141. Profluvia juxta diversas humorum eliminatorum conditiones *dividuntur* et cognominantur. Sic et sanguinis et humorum secretoriorum occurrunt profluvia; quae naturalia hujus ordinis *genera duo* spectare convenit. Generi *primo* accensentur *species: haemorrhagia narium, stomatorrhagia, haemoptoë, haematemesis, haemorrhois, haematuria,* et *metrorrhagia; — secundo: blennorrhoea* genitalium insons, *spermatorrhoea, salivatio, diarrhoea, cholera, polycholia, diabetes, enuresis,* et *ephydrosis.*

§. 1142. Horum profluviorum quodlibet ab organi adfecti statu morboso nunc substantivo nunc symptomatico, idiopathico vel sympathico, proxime pendet, qui in activitate jam excedente, jam aequo debiliore, cum vasorum organi illius vel circulo vel secretioni inservientium debilitate, laxitate aut laesione organica consistit, atque systematis vasorum sanguiferorum reactioni exaltatae aut depressae, et alteratae humorum conditioni saepe jungitur. Hinc profluvia in *activa, passiva,* et *a laesione vasorum* distinguuntur.

Si nimirum profluvium *vel* irritatione locali aut moderata inflammatione, largam secretionem faciente, *vel* citra hanc impulsu universali forti, nimia humorum congestione et expansione, vasa minora eorumque fines nimium distendente, et non raro rumpente, producitur, *activum* ibi *topicum* hic *universale*, — si vero normali aut justo debiliore sub humorum adpulsu e nimia *vel* vasorum organi, unde manat, *vel* et totius simul organismi imbecillitate et resistentiae defectu (humoribus communiter morbose attenuatis consociato) proficiscitur, profluvium *passivum* priore casu *topicum*, altero *universale* dicitur; — si tandem a laesis causa interna aut externa vasis proxime pendet, si igitur vulneris per vim mechanicam aut per corrosionem, destructionem facti, seu diaereseos, rexeos aut diabroseos est sequela, sive ceterum, ut saepius, activum, sive passivum, sive neu-

trum sit, *profluvium a laesione vasorum* nuncupatur, a prioribus duobus probe discernendum.

§. 1143. Quae irritationis organi secretorii topicae, aut moderatae phlogoseos *symptomata* occurrunt, *profluvia activa*, inter hasce inflammationes utpote morbos principes, quemadmodum catarrhi, apte possent pertractari. — Profluvia *critica* inter morborum acutorum crises suum inveniunt locum. — Profluvia e vasis per vim externam laesis manantia in Pathologiae ac Therapiae chirurgicae forum spectant.

Genus I. Profluvia sanguinis.

§. 1144. *Profluvium sanguinis* (pr. cruentum, *haemorrhagia*, Blutfluss, Blutung) omnis dicitur sanguinis e vasis suis evacuatio morbosa, sive copia nimia, sive loco insolito, sive tempore sanitati alieno contingens.

§. 1145. Leve profluvium cruentum, parcum, et nonnisi guttatim obtinens, *stillicidium sanguinis*, impetuosum vero, largum et celere *haemorrhagia praeceps* (Blutsturz) vocatur.

§. 1146. Haemorrhagiae primo in eas, quae a *reactionis vitio*, et quae *a vasorum laesione* pendent, illae ultro in *arteriosas* et *venosas*, *activas* et *passivas*; deinde in *idiopathicas* et *sympathicas*, *acutas* et *chronicas*; *externas* et *internas*; *puras* et *complicatas*; stricte *morbosas* et *salutares*, quibus *criticae* adnumerandae, distinguuntur.

Arteriosae atque activae omnium frequentissimae sunt. *P. Frank*, *Spangenberg* et *Haase* iisdem jam veram sanguinis secretionem, jam vasorum anastomosim i. e. finium a sanguine adpulso superatorum dilatationem, subesse existimant. Quae opinio supra §. 1142. dictis compleatur est necesse. — Venosae haemorrhagiae, raro sine laesione obviae, vix non omnes passivae habendae, et diapedesi seu sanguine per distentos venarum parietes transsudante fieri videntur.

§. 1147. Haemorrhagiae frequenter a *diathesi corporea*, quandoque integris familiis hereditaria, proficiscuntur. Nunc cito nunc lente intrant, certis nonnunquam symptomatibus annuntiantur, certis singularum saepe pathognomicis stipantur phaenomenis, certosque inferunt effectus.

Activas autem *haemorrhagias* phaenomena intensioris humorum motus, congestionum inde activarum *antecedere* solent, quemadmodum: partium, e quibus profluvium instat, pondus, pressio, tensio, pruritus, dolor, aestus, ardor, pulsatio, intumescentia, functionumque turba, quibus non raro frigus cum aestu alternans, pulsus frequens, plenus, fortis, dicrotus, aut alio modo inaequalis ac inordinatus, cutis turgor, rubor, siccitas, venaeque turgidae junguntur. Symptomata similia illas, quousque activae persistunt, comitari quoque consueverunt, magis vero magisque recedere, quo in passivum propius vergunt characterem.

Haemorrhagiae *passivae topicae* prodromis communiter carentes, aliquando tamen nonnullis congestionis humorum passivae phaenomenis, pressione, tensione, gravitate, dolore obtuso etc., *passivae universales* debilitatis universalis, praesertim in vasorum sanguiferorum systemate praevalentis symptomatibus, sanguinis eminenter venosi, ac tenuis signis, ecchymosibus etc. annuntiantur.

Haemorrhagiae *e vasis ruptis*, laceris, aut quoquo modo mechanico vel chemico *laesis*, nisi vim mechanicam vel actionem chemicam ab extus aut intus adplicatam illico sequantur, prodromos et comites cum activis utplurimum communes agnoscunt.

Haemorrhagiae pleraeque terrore, metu, anxietate aegrorum commovent animum, unde multifariae in circulo turbae, pulsus parvi, contracti, inaequales, inconstantes, pallor, frigus, tremor, variaque phaenomena spastica proficiscuntur, quae somaticis sanguinis jacturae

effectibus complicata characteris haemorrhagiae activi vel passivi diagnosin saepe penitus obfuscant, vel posteriorem mentiendo facile decipiunt, atque ad genus medelae antispasmodicum, excitans, adeoque damnosum seducunt. Quare, ut firma adquiratur diagnosis, praeter symptomata praegressa et praesentia, diversas simul aegri atque organorum sanguinem fundentium diathesim, causam excitantem, ceterosque concurrentes influxus, haemorrhagiae durationem, magnitudinem et modum, jacturae sanguinis ad symptomata praesentia et praeterita relationem, nec non therapiae forsan institutae effectus exactissime ponderare oportet.

J. Burserius, Inst. Med. pract. Vol. III. p. 310 — 318; Vol. IV. p. 27 — 37; 407 — 413; 483 — 488.

S. G. Vogel's Handb. z. Kenntn. u. Heilung der Blutflüsse (als fünfter Theil des Handb. d. pr. Arzneyk.) Stend. 1800. 8.

G. A. Spangenberg, üb. d. Blutflüsse in medic. Hinsicht. Braunschw. 1805. 8.

Phil. Pinel, v. d. Blutflüssen im Allgemeinen, dem Blutbrechen u. Blutspeyen. A. d. Fr. von *Dr. Renard* u. *Dr. Wittmann*. Leipz. 1821. 8.

J. P. Frank, *A. G. Richter*, *W. A. Haase*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 1148. Ad singulas nunc haemorrhagiarum species, ad forum medici imprimis spectantes, supra jam nominatas, transgredior, postea specialibus circa earum durationem, exitus, dispositionem causasque excitantes, prognosin ac therapiam animadversionibus generales ubique praemissurus.

1. Haemorrhagia narium.

§. 1149. *Haemorrhagia narium* (epistaxis, Nasenbluten) profluvium sanguinis dicitur e vasis membranae muciparae cava narium obducentis. Sic ab omni alio distinguitur fluxu, quo sanguis modo quidem accidentali

per nares eliminatur, fontem vero pulmones, tracheam, aut ventriculum, aesophagum agnoscit.

Sanguis jam guttatim, jam rivulo continuante, communiter ex nare una extrorsum, raro per choannas solum in fauces defluit. Epistaxis non per causam traumaticam externam producta, characteris activi, saepe prodromis, de valido nimis humorum adpulsu, congestione igitur activa, testantibus annuntiatur: cephalaea praecipue in sinuum frontalium regione; faciei oculorumque rubore, photopsia, obfuscatione visus; vertigine, obnubilatione capitis, soporositate; arteriarum temporalium pulsatione; aurium susurru; narium siccitate, calore, pruritu, rubedine; pulsu celeri, pleno, nonnunquam in alterutrius brachii arteriis dicroto. Symptomata haec epistaxi intrante minui et cessare, haemorrhagia ipsa quieto sub regimine post unius circiter vel paucarum unciarum sanguinis jacturam silere assolet; quandoque vero continua vel parum ac breviter intermittens ad considerabile usque humorum dispendium perstat, sequelasque inducit, inferius describendas.

Epistaxis frequentius *activa* quam *passiva* est, et saepe, ut in febrium tractatu commemorabatur, *critica;* in subjectis junioribus ad virilem usque aetatem, gracilibus, irritabilibus, vel admodum plethoricis non raro habitualis, in sexu masculino conformatione angusta aut difformi thoracis et habitu phthisico faventibus brevi in haemoptoën transitura, in sequiore mensium anomalias praesagiens, in utroque minitans phthiseos pulmonalis praecursor.

G. Heilmann; diss. de epistaxi. Würceb. 1801. 4.
Burserius, Vogel, P. Frank, Richter, Haase, Jos. Frank opp. cit.

2. Haemorrhagia oris.

§. 1150. *Haemorrhagia oris* (stomatorrhagia, das Mundbluten, Bluten aus dem Munde, Blutspucken) vel

ex gingivis aut dentium alveolis, vel e labiis, buccarum interna facie, palato, vel e lingua, tonsillis, vel ex faucibus suum repetit fontem; qui intuitu dignoscitur exactissimo. Antecedunt quandoque partium adfectarum pruritus et aestus; nonnunquam varices in illis conspiciuntur. Si sanguinis congestio notabilis est, symptomata oriuntur prodromis epistaxeos activae mox descriptis similia, sicut nimia sanguinis jactura similes quoque infert effectus.

Sanguis in oris cavum effusus siquidem pro parte vel in tracheam, vel in ventriculum deveniat, atque excitata inde tussi in primo, vomitu in altero casu ejiciatur, morbus cum haemoptoë vel haematemesi confundi potest, aut cum alterutra complicatus censeri. Solius vero stomatorrhagiae praesentis diagnosin partim causae occasionales et symptomata fortassis praegressa, partim consideratio scaturiginis, quae ore bene colluto per aptam cavi oris ac faucium inspectionem detegitur, et quae deglutitione ac tussi evitatis, nec non cessante sanguinis per tussim ac emesim ejectione sanguinem, dum pronatur caput, emittere pergit, partim tandem symptomatum haemoptoën aut haematemesin idiopathicam comitantium absentia suppeditant. (Conf. §. 1152. et 1155.)

3. Haemoptoë.

§. 1151. *Haemoptoë* (haemoptysis, der Bluthusten, das Blutspeyen) est sanguinis e pulmonibus, vel e trachea per tussim, exspirationem fortiorem, vel retrogradum nonnisi tracheae motum facta evacuatio. Ibi *pneumonorrhagia*, hic *tracheorrhagia* audit.

Fr. Hoffmann, med. rat. systemat. Vol. IV. T. II. p. 51. ets. *Van Swieten*, Comment. in *H. Boerhave* aphor. T. IV. §. 1198. *Burserius*, *Cullen*, *Vogel*, *P. Frank*, *Reil*, *Spangenberg*, *Richter*, *Haase*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 1152. Utut haemoptoë, etsi non per violentiam quandam subito fuerit orta, praecedentibus congestionum

in pulmonibus atque turbati proinde in reliquo organismo humorum circuli symptomatibus quandoque careat, consuetim tamen, utpote communiter activa, sequentes habet prodromos: dyspnoeam, ponderis, pressionis in pectore et intra scapulas sensum, anxietatem, cordis praecipue sub scalarum ascensu palpitationem, aestum e pectore ascendentem, hunc cum horripilatione per corpus reliquum alternantem, pulsum durum, contractum, tensionem et pulsationem epigastrii, saporem subdulcem, sputa dulcescentia, aut salsa aut amaricantia, dedolationem universalem, morositatem etc. Hisce symptomatibus per tempus breve vel et plures dies varia sub intensitatis mutatione praegressis, haemoptoë intrat magno sub eorundem incremento, aestus a pulmonibus et trachea assurgentis, titillationis in ista vel in faucibus vexantis sensu, saepe cum stertore, vel strepitu intra tracheam, fluidi ferventis ebullitionem aemulante. Sanguis copia haud magna et lente solum effusus tussi utplurimum egeritur forti, ipseque fluidus prodit, laete ruber et spumosus, largiter vero et cito extravasatus gravi sub anxietate, conamine intenso cum aut sine tussi, partim fluidus et laete rubens, partim grumosus et ater, per rivulos exprimitur (pneumonorrhagia praeceps, Lungenblutsturz). Aeger sub hac non nunquam animo linquitur, convellitur, aut cuncta asphyxiae phaenomena exhibet, et effusione copiosissima, aut dum dormit, viribus exutus, aut sine juvamine dorso incumbit, suffocari potest. Haemorrhagia durante animi deliquio quandoque silet, varia tamen post intervalla facile revertitur, fixas tunc quandoque periodos secutura. Febri aperta et irritationis vel inflammationis pulmonum symptomatibus communiter stipatur.

§. 1153. Sanguinem autem ex trachea, non ex pulmonibus, scaturire, parca ejus copia, cum tracheae muco miscela, sub titillationis, aestus aut ardoris in aliquo tracheae loco sensu, cum levi vel absque omni tussi, cum exiguo tantum conatu ejectio, dyspnoeae tandem,

febris, pulmonis laesi causarum ac signorum defectus comprobant. Contingentibus ad haemoptoën conamine valido, vomituritione, ipsoque vomitu, faciem haematemesis adjunctae morbo tribuentibus, error ne committatur, ad aegrorum dispositionem, aetatem, causas excitantes, symptomata pectoris mox exposita, colorem sanguinis et admixta, exactissime attendendum est.

4. Vomitus cruentus.

§. 1154. *Vomitus cruentus* (haematemesis, gasterorrhagia, das Bluterbrechen, der Magenblutfluss) est sanguinis vel e ventriculi ipsius vasis depluentis vel ex organis vicinis: liene, hepate, intestinis tenuibus etc. in illius cavum delati per vomitum ejectio. Longe rarius laete rubens et fluidus quam nigricans et coagulatus est sanguis, jam purus jam ciborum rudimentis, pituita, bile, aliisve primarum viarum contentis remixtus; non raro per alvum simul excernitur. — *Morbus niger Hippocratis* (melaena, die schwarze Krankheit oder das schwarze Erbrechen des *Hippokrates*) speciatim dicitur sanguinis viscidi, atri, picei, corrupti saepe ac foetentis per vomitum eliminatio, vel per alvum simul secessus, stasibus sanguinis in abdominis visceribus, praesertim in systemate venae portarum, gravioribus et diuturnis essentialiter junctus.

Hippocrates, de morbis. L. II. Sect. V.
Fr. Hoffmann, *Burserius*, *Vogel*, *P. Frank*, *Spangenberg*, *Richter*, *Haase*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 1155. Haematemesis raro caret prodromis (*P. Frank* l. c. p. 196.); communiter enim, longo nonnunquam tempore, eam antecedunt: variae appetitus ac digestionis turbae, indispositio animi, tristitia, dysphoria universalis, ventriculi pondus, gasteralgia cum pronitate in lipothymias, secretio salivae acris, acidae, nec non succi gastrici in oris cavum eructandi aquosi, aciduli, vel acidi, quandoque acris caustici, consuetim cum bu-

limia; repletionis sensus in epigastrio, hoc idem tumidum, calor ibidem vel et alibi in abdomine urens, pulsatio fortis, ructus frequentes transitorie levantes, singultus, nisus in vomitum; sapor sanguineus; dolor in hypochondrio sinistro saepe tumido ac duro rarius in dextro, vel in intestinis tenuibus praecipue in umbilici regione, nonnunquam in lumbis et dorso constringens, punctorius aut pressivus; horripilatio frequens, aestus fugax, delassatio magna, inquietudo insignis, pulsus parvus, vacuus, plerumque intermittens, frigidi viscidique sudores. Durante vomitu cruento sudores isti et anxietas increscunt, et palpitatio cordis, visus obfuscatio, susurrus aurium, vertigo, tremor, lipothymia superveniunt; sanguis quantitate admodum diversa, aliquando per rivos summo cum vitae discrimine, imo ad mortem usque extricatur. Haematemesis per plures de die insultus consuetim, post plurium intervalla dierum quandoque, ingruit, atque cibo potuve ingesto facile revocatur. Mox a vomitu aeger, quod gesteralgiam et enteralgiam attinet, sublevatum, viribus vero exhaustum se sentit; insultibus autem cito se excipientibus gasteralgia, epigastrii intumescentia, dolor ad lienem punctorius, inquietudo, virium dejectio magna, lipothymiae brevia infestant per interstitia. Si sanguis pro parte e ventriculo in tubum devenerat intestinalem, vel si haemorrhagia in ipso superiore intestinorum tenuium tractu contingit, sanguis per alvum etiam, vel cum vomitu simul vel serius et sub symptomatibus, qualia a sordibus gastricis ibi generantur, speciatim sub doloribus colicis, excernitur.

Dignosci haematemesis potest a quolibet alio sanguifluxu, specialius etiam a sanguinis ex intentione vel modo fortuito deglutiti, quemadmodum in prolibus sugentibus (*J. W. Schmitt*, Med. Jahrb. d. k. k. öst. St. B. IV. St. 2. S. 86 ets.), vel materierum analogarum rubrarum aut nigricantium, e. gr. succi myrtillorum, cerasorum, praeparatorum martis nonnullorum etc. vomitione,

per symptomata haematemesin antecedentia et comitantia, per consuetam sanguinis vomitu redditi conditionem supra memoratam, atque pedissequam haematemesis debilitatem dedolationemque eminentem, copiae sanguinis ejecti minime correspondentem, nec non proprias materiarum aliarum, rite examinandarum, qualitates tum physicas tum chemicas.

Haematemesis, morbus non admodum rarus, feminas intra trigesimum et quinquagesimum aetatis annum frequentius, mares raro, rarissime infantes et seniculos plectit. Passiva saepius quam activa, utplurimum symptomatica, nonnunquam imo critica observatur; incerta post intervalla facile revertitur.

5. Haemorrhois.

§. 1156. *Haemorrhois* (haemorrhoides sanguineae, fluxus haemorrhoidalis cruentus, der Goldaderblutfluss) e symptomatibus morbi haemorrhoidalis gradum altiorem designantibus est, et sanguinis jam puri, jam muco, faecibus etc. remixti ex partis inferioris intestini recti et ani vasis profluvium sistit. *Morbus* nimirum *haemorrhoidalis* seu *haemorrhoides* in sanguinis dictis in vasis congestione consistunt, quae major minorve, prout vel ad haec circumscribitur vel ad partium vicinarum aut totius imo venae portarum systematis simul extenditur vasa, phaenomena sede, gradu ac indole multum varia generat, qualia sunt: pruritus, ardor ad anum, perineum et genitalia; tensio, dolor punctorius, frequentia ad alvum molimina in intestino recto; dolores sacrales, per dorsum ad nucham et occiput adscendentes; plenitudinis et anxietatis in abdomine, pressionis in hypochondriis et epigastrio sensus; dysorexia, aut et anorexia, digestio turbata, imperfecta, flatulentia, alvus segnis, inordinata; caput grave, fatuum; — vasorum distensiones varicosae majores aut minores communissime in intestino recto circa orificium ani, *haemorrhoides coecae*, *mari-*

scae dictae, sed in vesica etiam, *haemorrhoides vesicae*, in vagina et utero, *haemorrhoides vaginae, uteri*, in ipsis quoque intestinis et ventriculo, haud congrue *haemorrhoides intestinorum, ventriculi* cognominatae, sanguinis ab illis secretio, qui ex externis libere effluit, ex internis supra recti sphyncterem sitis sub alvi depositione consuetim ardua ante, cum, vel post faeces, saepe cum tenesmo evacuatur, vel muci secretio sanguine striati, vel humoris mucoso-serosi, *haemorrhoidum albarum* s. *mucosarum* nomine nota; sudores molesti, prurientes, ardentes, herpetes rebelles in perineo et scroto; — mariscarum tum ex- aut internarum *inflammatio* cum ardore vehemente, alvi excretione admodum dolorifica, febre, sessione ac motu denegatis, inquietudine, anxietate, et in subjectis valde irritabilibus cum convulsionibus imo, ubi *haemorrhoides furentes* audiunt; inflammatione iterata, neglecta aut perperam curata indurationes quoque, recti angustatio, suppuratio, ulcera mala, fistulae, imo gangraenae.

G. E. Stahl, Abh. v. d. goldenen Ader. Leipz. 1729.
Fr. Hoffmann, med. rat. syst. T. IV. P. II. p. 87.
W. Trnka de Krzowitz, histor. haemorrhoidum, omn. aevi observ. continens, edit. *Fr. de Schraud.* T. III. Vienn. 1794—1795. 8.
F. Hildebrand üb. d. blind. Haemorrhoiden. Erlangen 1795. 8.
S. Vogel, Reil, P. Frank, Richter, Jahn, Haase, Jos. Frank opp. cit.

§. 1157. Accidit nonnunquam, ut vasa dicta memoratorum sanguinis congesti symptomatum singula aut plura exhibeant, periodis jam fixis jam irregularibus per annos recurrentia, quin profluvium manifestetur sanguineum, cujus loco nonnisi mucosum aut mucoso-serosum hinc inde palam redditur. Instante haemorrhoidali sanguinis profluvio enumerata congestionis activae symptomata, sub his circumstantiis *molimina haemorrhoidalia* nuncupata, multum intendi consueverunt, et profluvium

ex haemorrhoidibus externis, internis, vel utrisque simul eminente cum gravaminum praegressorum lenimine et plenaria haud raro cessatione ingruit, dummodo nec nimis parcum nec debito largius sit, atque continuet. Nimium enim, vel aequo diutius durans, saepe nimis recurrens profusum, subjecta debilia, exhausta, morbis viscerum abdominis gravibus et chronicis detenta infestans, transitorium si quod adfert levamen, e contrario debilitatem potius, dedolationem, dysorexiam, dyspepsiam, dyscrasiam humorum, scorbutum, macilentiam, tabem, hydropem post se trahit. Haemorrhagiae imo praecipites ex vasis haemorrhoidalibus visae sunt lethales. Observatio, quae per intrantem fluxum sanguinis haemorrhoidalem symptomata praegressa, saepe molestissima consuetim mitigari et auferri docet, adserto „haemorrhoides fluentes esse salubres“ ansam praebuit, nonnisi relative vero.

§. 1158. Morbus haemorrhoidalis in regionibus septentrionalibus frequentior ac in meridionalibus, in nostris nunc longe vulgarior ac quondam, sexum masculinum prae sequiore aetate matura a trigesimo ad quinquagesimum annum, raro infantes et feminas (probabiliter ob sanguinis per menses derivationem et excretionem) plectit; aetate senili successive imminui solet et cessare. Fluxus ipse periodum amat jam regularem jam irregularem; nunc activus nunc passivus est, nonnunquam et criticus. Ubi fluxus habitualis praepediti vel suppressi loco haemorrhagia vel stillicidium sanguinis ex varicosis organorum contiguorum aut remotiorum vasis contingit, pro partium ita adfectarum ratione incongrue satis haemorrhoidum vesicae, ventriculi, pulmonum, oris etc. cognomen nanciscitur.

6. Haematuria.

§. 1159. *Haematuria* (mictus cruentus, das Blutharnen) est sanguinis e renibus, aut uretheribus, aut vesica manantis, per mictum evacuatio.

Dignoscitur hoc modo a quovis sanguinis ex urethra citra mictum stillicidio aut profluvio, ut in haemorrhagia ab urethrae, prostatae, vesicularum seminalium, penis laesione. Haec Pathologiae et Therapiae chirurgicae objectum sistit.

Copia sanguinis in haematuria jam major jam minor est, ipseque jam pellucidus et laete ruber, jam turbidus et coloris profunde rubri, aut nigricantis, nunc sincerus fluidus aut grumosus, nunc lotio remistus excernitur sanguis.

Fr. Hoffmann, diss. de haemorrhag. viar. urinar. Hal. 1730. — in opp. cit.

Vogel, *Reil*, *P. Frank*, *Richter*, *Haase*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 1160. Fontem, e quo in haematuria prodit sanguis, exacte eruere, plurimi interest; quare dispositionem, noxas occasionales, symptomata praegressa et praesentia ponderare, nec non urinarum conditionem explorare oportet. Haematuriam *ob sanguinem e renibus scaturientem* saepe nulla, saepe vero, ubi calculus renalis in culpa est, magna antecedunt symptomata, ut: dolores in renum et vesicae regione vehementes, lancinantes, spastica testiculorum attractio, femoris in latere adfecto stupor, dolores colici, abdominis inflatio, alvi obstipatio, et generatim suppurationis nephritidem secutae phaenomena; — sanguis urinis intime mixtus, ut plurimum moleste, varia quantitate secedit intense aut obscure ruber, chartam vel linteum album lotio immissum rubro tingit colore, et, nisi admodum largus, nec per moram nec per frigus aut aëris accessum praecipitatur. — *Sanguinem ex uretheribus* venientem, nisi forsan praesente in illis dolore ac tensione specificis, quales calculus per illos pressus irritando ac laedendo producit, alio ab haematuria renum diagnostico certo distinguere non datur. — *Sanguis e vesica* proficiscens notatur sequentibus: praecedunt vesicae adfectae sym-

ptomata, speciatim calor, pressio, contractio, ardor in eadem et in urethra; dolor in perinaeo; priapismus; anxietas; quibus, cum habitualis fluxus haemorrhoidalis aut impedimentum aut suppressio plerumque subsit, haemorrhoidum quoque symptomata non deesse consueverunt, diagnosin adjuvantia. Sanguis missus lotio non intime mixtus esse solet, brevi ab illo separari, et plurimam partem coire. Jam in vesica fortasse coagulati grumi aut massae polyposae quandoque vermiformes dysuriam, imo ischuriam, et symptomata illis a calculo analoga efficiunt. Grumi minores per urethram secedentes, et exploratio chirurgica plerisque in casibus dubio eripiunt diagnosim; sed revera calculi quoque in vesica aut in renibus coëxistere possunt, haud semper facile cognoscendi.

7. Metrorrhagia.

§. 1161. Nomine *metrorrhagiae* (hysterorrhagiae, haemorrhagiae uteri, Gebärmutterblutfluss) non quodvis solum sanguinis ex utero profluvium citra menstrua et lochia contingens, sed et haec ipsa comprehenduntur, quatenus copia excedunt, aequo diutius perstant, priora (menstrua) citius subintrant aut nimis frequenter recurrunt, et quatenus alterutra organismo damnum inferunt.

Fr. Hoffmann, diss. de haemorrhagia uteri. Hal. 1730.
M. Stoll, praelect. in div. morb. chron. Vol. II. Vindob. 1789. p. 104. 381.
A. le Roy, v. d. Blutflüssen während der Schwangerschaft, bey u. nach der Entbindung. A. d. Fr. von *J. F. Lobstein*. Strassb. 1803. 8.
Vogel, *Reil*, *P. Frank*, *Richter*, *Spangenberg*, *Haase*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 1162. Metrorrhagia citra menstrua et lochia contingens, utplurimum activa, in *non gravidis*, *gravidis* et *parturientibus* occurrit. Omni in casu sanguis vel ex utero aut (raro) vagina sola, vel ex hac, et illo simul provenit varia quantitate, blandus aut acer, jam intense

ruber ac fluidus vel pallidus et aquosus loturae carnium similis, jam profunde rubens et pro parte coagulatus, muco pariter aut coagulis variae formae remixtus, sine vel cum speciali odore, jam continuo jam certis modo temporibus, ceterum multiplicibus sub phaenomenis fluit, partim a principali, qui metrorrhagiae subest, morbo, partim et vel maxime a *vario uteri statu* pendentibus.

Utero enim *non gravido* metrorrhagiam saepe orgasmi humorum, congestionis ad partes genitales atque viscera per vasorum anastomosin iis conjuncta, irritabilitatis exaltatae et partialis virium suppressionis praecedunt symptomata, uti: dolores in dorso, lumbis, regione iliaca utraque, hypogastrio, sensus plenitudinis in isto cum reali intumescentia; tenesmus versus genitalia, frequens ad mingendum nisus; extremitatum inferiorum gravitas; tumor dolorque haemorrhoidum; alvus clausa; frequens horripilationis cum calore alternatio, sitis, pulsus frequens, inordinatus; gravitas ac dolor vel capitis cum vertigine auriumque susurru, vel ventriculi cum vomituritione ac vomitu; dyspnoea cum anxietate et cardiopalmo; delassatio ac dedolatio magna. Menses jam fluentes symptomatibus hujusmodi stipati aut copia nimia aut duratione protracta in metrorrhagiam degenerare solent.

Haemorrhagiae uteri *sub graviditate* accedentes, altero tertiove illius mense frequentiores, doloribus ad partum communissime stipantur, quos abortus plerumque, vel et partus sequitur praematurus. Menstrua gravidas nonnullas primis adhuc mensibus salutantia per dolorum dictorum absentiam, et orificium uteri praeclusum ab haemorrhagiis dignoscuntur.

Haemorrhagias uteri sub et a partu contingentes doctrina artis obstetriciae fusius pertractat.

Lochiorrhagia similibus ac menstrua nimia symptomatibus saepe circumdatur, in keneangeiae autem atque verae virium exhaustionis phaenomena facile transituris.

In metrorrhagiis, quae sub graviditate et a partu fiunt, attentio in *haemorrhagiam internam* i. e. in uteri cavum contingentem, nunc externae, patenti sociatam nunc solam, convertatur maxima, necesse est. Sunt autem uteri indeque hypogastrii, mesogastrii expansio cum ponderis ac tensionis sensu, dolor alicubi in uteri ambitu ortus obtusus, faciei cutisque pallor, extremorum frigus, debilitas magna irruens, vertigo, visus obfuscatio, alienatio, animi deliquium, pulsus parvi, debiles, intermittentes etc., quibus de metrorrhagia interna certiores reddimur.

§. 1163. *Decursus* haemorrhagiarum in genere, quemadmodum pluribus jam locis indigitabatur, nunc continuus nunc intermittens, nunc acutus imo acutissimus, nunc lentus est; unde *duratio* jam brevis jam longa.

Activae non excedentes moderato humorum adpulsu, vasis contractis et coagulato sanguine extravasato saepe brevi et sponte, vehementes vero nonnisi auxilio artis apto sistuntur; facile recurrunt. — Passivae chronicae, et in recidivas aeque pronae solent observari. Longior ceterum haemorrhagiarum, speciatim ante recensitarum, duratio, reditusque frequentior in eminente organismi vel singulorum organorum dispositione, in causarum occasionalium similiumve his noxarum actione perstante aut iterata, et incongruis aegrorum regimine ac diaeta, in principalis, qui haemorrhagiam parit, morbi duratione aut repetitione, nec non in tardata curae convenientis adplicatione aut neglectu suas inveniunt rationes.

§. 1164. Haemorrhagiae vel *sanantur*, vel activae in passivas, aut ambae in varios transeunt *morbos*, vel *lethales* fiunt. Noxii haemorrhagiarum tam acutarum quam lentarum effectus probe considerentur oportet. Stipantur autem acutae, praecipites, debilitatis ac delassationis sensu; turgore vitali et calore imminutis; vigoris cordis arteriarumque lapsu, pulsu proinde languido, debili,

intermittente, pallore universali, praecipue faciei, labiorum etc.; extremitatum, successive et totius superficiei frigore, horripilatione frequente et horrore, obnubilatione capitis, obtutu languido, visus obfuscatione, aurium susurru, vertigine, hallucinatione sensuum multifaria, delirio placido, sopore, oscitationibus ac suspiriis, prodromis lipothymiae, hac ipsa superveniente, spasmis, convulsionibus, ipsa imo morte. Haemorrhagiae lentae sensim intrantem et pedetentim increscentem virium corporis mentisque facultatum, sensuum, motuum voluntariorum et involuntariorum, specialius systematis vasorum quoque sanguiferorum, digestionis, sanguificationis et nutritionis debilitatem; emaciationem; se- et excretionum vitia; cachexias omnis generis, maxime statum pituitosum, chlorosim, hydropem, scorbutum; opportunitatem in nevroses multiplices, hasque ipsas; tandem tabem, sine vel cum visceris alicujus ulceratione, inducunt.

Epistaxis excedens *in specie* amnesiam quandoque, imbecillitatem mentis, visus languorem aut coecitatem, siccitatem narium perstantem, odoratum obtusum aut anosmiam infert.

Pneumonorrhagia saepe nimis ansam tussi chronicae et phthisi pulmonum ulcerosae suppeditat; praeceps non raro citissime interficit.

Haematemesis digestionis vitia omnis generis relinquit chronica, cachexias mox memoratas effectura; vel in vasorum sanguinem fundentium phlogoses lentas atque suppurationes abit periculo plenas; vel insigni sanguinis dispendio vitam cito extinguit.

Haemorrhoides non in locales modo intestini recti, ani, perinaei, vesicae, vaginae morbos, supra enumeratos, sed saepe in arthritidem etiam abeunt, quam communissime comitantur.

Haematuria per sanguinis grumos aut coagula in vesica basim largitu saepe calculis urinalibus formandis.

Metrorrhagiae saepe sterilitatem, vel (causa earum proxima) et ineptitudinem ad coitum pariunt.

§. 1165. *Dispositio* in haemorrhagias vel *universalis* est vel *localis*.

Universalis ad activas dispositio in plethora vera, magna systematis sanguiferi irritabilitate, vigore insigni, forti cordis vasorumque sanguinem vehentium actione, et in alacri sanguinis ipsius vita consistit. Hereditaria saepe, ceteroquin temperamento sanguineo, aetati juvenili et mediae virili sociata, nonnunquam vitiosa etiam corporis, speciatim thoracis conformatione, viscerumque thoracis et abdominis tumoribus, infarctibus, indurationibus inducta deprehenditur. — *Localis in* haemorrhagias *activas* dispositio, quae pariter hereditaria esse, organis singulis per se aut evolutionis aut periodicarum functionum tempore specialius competere, vel noxarum et morborum effectu adquisita adesse potest, in organorum singulorum structura vasculosa, irritatione forti cum adaucto humorum adpulsu ac eminente irritabilitate suas habet radices. Quare species haemorrhagiarum septem hucusque expositae haemorrhagias membranarum multum superant frequentia; hinc epistaxis aetati infantili ac puerili, haemoptoë juvenili, haemorrhoides et haematemesis virili mediae communiores; hinc metrorrhagiae durante fluxu menstruo, sic et brevi ante ac post eum frequentiores; hinc haemorrhagiae organorum supra diaphragma sitorum saepissime (non absolute tamen, nec exclusive) characteris activi observantur.

Causis haemorrhagiarum *activarum excitantibus* accensentur: plethora vera per evacuationum sanguinis quandoque et aliorum humorum seu normalium seu habitualium restrictionem, vel suppressionem, per lautum ciborum potuumque bene nutrientium usum inducta; sanguinis orgasmus a calore externo praesertim frigore praegresso; valida systematis sanguiferi concitatio per irritantia, calefacientia, aromatica, spirituosa ciborum

condimenta, potulenta, pharmaca, quibus narcotica, opium imprimis, addantur, in abusum tracta; per corporis motus intensionesque nimias, vehementes animi adfectus, excedentes mentis lucubrationes, systematis sanguiferi morbos, in specie inflammatorias omnis generis febres; per multifaria porro irritamenta topica, immediate vel mediate modo mechanico, chemico aut dynamico potenter agentia; partialis tandem humorum congestio ex inhibito alibi circulo per frigus externum, horrorem febrilem, spasmos, convulsiones, per vasorum sanguiferorum angustationem, coarctationem ab interna vel externa compressione, tensione, constrictione, a corporis singularumve partium situ, positione, motibus, intensionibus inadaequatis, nec non ab intumescentiis, indurationibus, excrescentiis, curvaturis et s. p. factam.

§. 1166. Dispositio in haemorrhagias *passivas universalis*, vel hereditaria, vel phlegmatico temperamento, constitutioni pastosae, senio provecto conjuncta, vel cachexiis variis producta occurrens, in cordis arteriarumque debilitate cum serosa sanguinis indole praevalente, atque vasorum minorum insufficiente resistentia, laxitate, — *localis* in vasorum sanguiferorum textura aut tenera nimis et debili aut laxa, irritabilitate obtusa, depressa, contractilitatis viriumque motricium, praegressam ob expansionem nimiam, defectu, consistit. Hinc passivae haemorrhagiae consuetim sunt secundariae i. e. activis vel et morbis aliis debilitantibus, relaxantibus inductae; qua ex ratione senectuti potissimum conveniunt, et haematemesis, fluxus haemorrhoidalis cruentus, metrorrhagia praeprimis a laborioso, protracto aut nimis celeri, a gemellorum partu non aeque raro, ac haemorrhagiae ceterae, passivo indutae charactere observantur.

Ad *excitantes universales* haemorrhagiarum *passivarum causas* in genere spectant, quaecunque corporis, in specie systematis sanguiferi vires directe vel indirecte multum debilitant, ejus irritabilitatem deprimunt, hu-

morum massam attenuant, vasa capillaria se- et excernentia laxa reddunt et inertia, uti: dispendia humorum, ipsius imo sanguinis, profusa et protracta; inedia, aut nutrimenta vilia, corrupta; nimiae virium corporis et facultatum mentis intensiones praegressae; aër valde calidus perstans, praecipue simul humidus, sic et nimis levis, impurus, requisito carens oxygenio; adfectus animi et pathemata deprimentia; pharmacorum solventium, debilitantium, narcoticorum abusus; atque generatim causae febris putridae, scorbuti et morbi maculosi haemorrhagici; lurida vivendi ratio et morbi exhaurientes; contagia nonnulla, speciatim pestis, typhi, variolarum, morbillorum. — Causae haemorrhagiarum passivarum *localium* sunt: vasorum organi singuli sanguiferorum inertia, relaxatio, atonia, paralysis ab irritatione, oppletione, expansione nimiis praegressis, a commotione, contusione, deligationis, fulciminis externi assueti ablatione etc.

§. 1167. Ad haemorrhagias *a vasorum laesione* oriundas *dispositione* peculiari opus non est; quae tamen facilius per puncturas, scissuras, ictus, lacerationes, contusiones, sicut per vasorum ulcerationes et corrosiones *causantur*.

§. 1168. *Epistaxin* in *specie*, in quam aetas infantilis et juvenilis, caput grande, thorax angustus disponunt, praeter causas haemorrhagiarum communes mox enumeratas provocant: calor intensus, ictus solis, potus, motus corporis animique adfectus concitantes, calefacientes; commotiones capitis validae nec non sternutatio, emunctio narium, tussis, clamores, vomitus, nisus ad alvum, ad partum vehementes etc.; vulnera, contusiones, ulcera, polypi narium; collaria stricta; humorum in pulmonibus stases, in cavis pectoris accumulationes, viscerum abdominalium, hepatis praesertim et lienis infarctus, intumescentiae aliae; ventriculi, intestinorum oppletiones.

Stomatorrhagia dentis evulsione, variarum cavi oris plagarum, linguae, palati utriusque, gingivarum, alveolorum, maxillarum laesionibus, ulceribus oris scorbuticis, syphiliticis, aphthosis, gangraenosis, carie, calculis ductus salivales lacessentibus producitur.

In *haemoptoën* aetas juvenilis cum thorace complanato, angusto, brevi maxime disponit. Excitant eam: violentia traumatica multiplex, contusio, lapsus, ictus pulmones fortiter commoventes, horum vulnera, onerum graviorum elevatio, gestatio, intensio nimia sub alvo dura excernenda, sub partu, coitu, emesi, tussi, sermocinatione, declamatione, cantu, tubarum, cornuum etc. flatu; cursitatio, choreae, equitatio etc. excedentes; aër vaporibus acribus v. gr. acidorum mineralium, benzoici, arsenici, sublimati corrosivi etc. onustus; nimius potulentorum exaestuantium usus quemadmodum vini, cremati, coffeae; saburrae gastricae variae irritantes; vermes; tandem pressio, constrictio viscerum abdominis per ligacula, vestimenta omnis generis debito angustiora etc.

De haematemesi causanda inculpandi sunt: haustus potuum exaestuantium immodici, concutientes animi adfectus, ira in specie effrenis; vomitus frequens ac violentus; vulnera ventriculi ac laesiones a sanguisuga deglutita, festucis osseis, acubus, venenis acribus causticis, emeticis ac purgantibus drasticis etc.; varices ruptae; — de *morbo nigro Hippocratis* sanguinis stases pertinaces et dyscrasiae, vitia organica.

Ad *haemorrhoides* coecas et fluentes aetas virilis et provectior, faventibus praecipue constitutione corporis tenera et imbecilli, atque vita sedentaria vel effrenata vivendi ratione, *disponit. Causis* earum occasionalibus adnumerantur, quaecunque aut humorum adfluxum intendendo aut refluxum tardando, debilitando, inhibendo congestionibus, stasibus sanguinis in abdomine favent, qualia sunt: potuum spirituosorum, aromaticorum, alio-

rum exaestuantium, vinorum imprimis generosorum, spirituum, tincturarum, potus arabici, condimentorum aromaticorum, nec non pharmacorum acrium solventium ac purgantium, in specie aloës, abusus; diarrhoeae protractae, magni ad alvum evacuandam nixus, frequens ac pertinax alvi obstipatio; enematum, pressariorum abusus; equitatio immodica; excedens coitus, onania, paederastia; ascarides vermiculares; amenorrhoea suppressionis, graviditas iterata, partus difficiles; ani, vaginae, uteri prolapsus, hujusce inversio, retroversio; status erectus diu protractus, sessio nimia trunco multum pronato et super pulvinaribus mollibus; thoracula, fasciae abdominales, caligae etc. stringentes; viscerum abdominis, mesenterii in specie, hepatis, lienis, uteri intumescentiae, infarctus, indurationes.

Haematuria, citra communes haemorrhagiarum causas, a violentiis regionem renum, uretherum aut vesicae ferientibus per verbera, ictus, contusiones, lapsus, concussiones sub equitando, per strata inaequalia, saxosa vehendo, a calculis urinalibus, phlogosibus, abscessibus, ulceribus, cancris, diureticorum speciatim cantharidum, balsamorum, olei terebinthinae abusu, haemorrhoidibus, fluentium praesertim ani suppressione, amenorrhoea suppressionis aut emansionis, statu tandem putrido in febribus colliquativis, scorbuto, variolis ac morbillis malignis, producitur.

Dispositionem in *metrorrhagias* educatio mollis, phantasiae per eroticorum lecturas exaltatio, circumstantiae quaequae instinctus sexualis evolutioni praeposterae faventes, ipsa mensium fluentium periodus, suppeditant. *Excitantur* metrorrhagiae *extra graviditatem:* coitu nimis frequente ac impetuoso, praesertim brevi ante, sub aut mox post menses celebrato, masturbatione; remediorum potenter irritantium, exaestuantium emmenagogorum, aut catharticorum, aut diureticorum, vini, spirituosorum, potus arabici, potulentorum calidorum, calefacientium

vel relaxantium, pediluviorum ejusdem indolis et efficaciae, prunarum cruribus interpositarum etc. abusu; ira, motibus corporis validis, praecipue choreis, cursitatione etc.; porro uteri retroversione, prolapsu, inversione, molis, polypis; varicibus illius aut vaginae, cancrosis vario loco ulceribus. *Durante graviditate* metrorrhagias pleraeque potentiarum nocentium mox recensitarum inferre valent, nec non onerum gravium elevatio, gestatio, violentiae abdomini praesertim hypogastrio illatae, sternutatio, tussis, vomitus vehementes, spasmi, phlogoses, febres, diarrhoeae, dysenteriae, tribus verbis, quaecunque placentae ab utero solutionem praematuram et incompletam efficiendo paria sunt, normalis imo orificii uteri dilatatio mensibus ultimis, placenta huic aut oblique cervici insidente. — Metrorrhagiae *sub* et *a partu* fiunt: a simili placentae situ, sicut ab ejusdem ad normam sitae solutione, ob nisus nimis cito se insequentes partum praecipitantes, praematura et incompleta; contractione uteri ob spasmos, placentae residua aut grumos sanguinis retentos imperfecta, inaequali; laesione, vulneribus, laceratione, ruptura vaginae, colli uteri, hujus ipsius per caput nimis grande, vel rudem manuum instrumentorumve adplicationem; praeterea ab universali debilitate et speciali uteri relaxatione ob partus numerosos ac difficiles, leucorrhoeam chronicam, intensos ac protractos ad partum labores, uteri a foetu robusto, gemellis, exsuperante liquore amnios, expansionem. — *Lochiis fluentibus* metrorrhagiam varii in diaeta errores, victus debito lautior et stimulans; praepostera lecti fuga, incessus, onerum elevatio etc. etc.; praetermissa prolis e mammis nutritio, animi adfectus concitantes, excedens cubiculi temperatura, usus potulentorum theatorum relaxantium calidorum etc. nimius producunt.

§. 1169. *Indoles essentialis haemorrhagiarum* generatim et specierum singularum una semper eademque non est; *activae* enim, quemadmodum de profluviis in

genere (§. 1138.) dictum, reactioni nimiae vasorum sanguiferorum substantivae vel symptomaticae, idiopathicae vel sympathicae, forti nimis sanguinis expansi adpulsui, et vel morbosae ejusdem a vasis capillaribus secretioni, vel per horumce anastomosin aut et diaeresin expressioni innituntur; — *passivae* ab activitate vasorum sanguiferorum nimis debili, sanguinis diluti congestione atque vasorum capillarium eundem exire patientium laxitate, dilatatione proxime pendent; — causa *ceterarum* proxima in vasorum per vim traumaticam ex- vel internam laesione consistit.

§. 1170. Haemorrhagiae *activae*, epistaxis in specie, haemorrhoides cruentae, metrorrhagia non raro *criticae* observantur, in subjectis junioribus maxime, vividis, laute pastis, plethoricis, in febribus inflammatoriis, morbisque acutis indolis phlogisticae cunctis, in malis tam acutis quam chronicis a profluviorum cruentorum (normalium, habitualium) suppressione ortis, in valida systematis circulatorii concitatione et insigni humorum orgasmo. Salutares sese praestant, si mali magnitudini respondent, et quousque modum non excedunt; inhibitae vel suppressae per depletiones sanguinis artificiales nunquam perfecte supplentur vel compensantur; nimium protractae vero, et debito largiores in passivas abeunt, vario gradu, uti superius §. 1164. exponebatur, obfuturas. — Haemorrhagiae activae, etsi nullo intuitu proficuae, in genere prognosim minus infaustam, ac passivae, fieri sinunt.

Quo praeceps magis ac vehementior irruit haemorrhagia, quo largior sanguinis copia evacuatur vel in corporis effunditur cavum, viresque vitales inde magis debilitantur, vel viscerum nobilium functiones turbantur, inhibentur gravius; quo difficilius causa excitans tolli potest, quo aegrius in haemorrhagiae fontem agere conceditur, quo major virium debilitas et exhaustio seu causalis seu effectiva, eo periculosior illa ipsa habenda est.

Haemorrhagiae generatim facile recurrunt. Altera saepe in alteram abit. Variae earum species non raro alternant, multifariam vicariantes.

Protractae haud secus ac saepe revertentes vasorum partis distensione et laxitate, atonia, osculorum dilatatione inductis, atque habituali fere reddito sanguinis adfluxu, magnam in recidivas opportunitatem relinquunt.

Habituales factae haemorrhagiae, item periodicae nunquam cito supprimantur; graves enim sequelae, periculo plenae, et pro rerum adjunctis imo lethales inde metuendae forent. Tractamen earum ad principia rationalia statuendum est, omni cum circumspectione et cautela perficiendum.

Infantibus teneris, subjectis cachecticis, exhaustis, senibus haemorrhagiae plus damni ac aliis inferunt.

Ad prognosim singularum haemorrhagiae specierum spectantia ex iis praecipue desumantur, quae de earum terminationibus (§. 1164.) sunt exposita.

§. 1171. In *therapia* cujusvis haemorrhagiae in causam ejus, indolem totam, et immediatos ac mediatos effectus omnis convertatur attentio. — Haemorrhagia *salutaris*, quousque talis manet, non sistatur, sibi potius committatur non turbanda, imo necessitatis casu moderate promoveatur, et nonnisi quae copia excedente, fluxu impetuoso, duratione longa, vel loci dignitate nocere minatur aut jam *noxia* evasit, sine mora cohibeatur. Quae tunc, ut quaecunque alia absolute nociva, curanda erit.

Causa nimirum occasionalis agere continuans quam citissime tollenda est, adeoque nunc calor externus nimius temperandus, nunc irritamentum gastricum modo conveniente eliminandum, immutandum, nunc suppressum sanguinis aut aliud profluvium revocandum etc., porro principalis adfectio, quae rationem haemorrhagiae proximam sistit, localis vel universalis auferenda. Quae tamen, ubi haemorrhagia praeceps et admodum larga urget, saepe non nisi hac prius palliando moderata et pro

tempore cohibita, therapiae directae et efficacioris fieri potest objectum. In genere penes curam pro haemorrhagia qualicunque coërcenda et sistenda susceptam, variae ceteroquin illius indoli adcommodandam, quoad *regimen* requiruntur: animus pacatus, corporis quies, ac positura pro vario haemorrhagiae loco apte definienda, et quidem speciatim in epistaxi et stomatorrhagia situs erectus et modicum pronatus, in haemoptoë erectus et (saepe) in latus alterutrum inclinans, in haematemesi dextro incumbens, in haemorrhoide fluente horizontalis, in metrorrhagia denique dorsalis ac horizontalis pelvi simul evelata; pressionis omnis externae libero sanguinis circulo obstantis ablatio, hinc solutio vestimentorum cujuscunque tituli arctorum, ligamentorum etc.; aër aegrum ambiens purus, temperaturae moderatae, subfrigidae potius quam calidae, integumenta, stragula levia, nequaquam calefacientia. Curam reliquam character, gradus, duratio, modus haemorrhagiae, atque circumstantiarum specialium et individualium complexus indicant.

§. 1172. *Activae* igitur haemorrhagiae, prout *vel* ad statum inflammatorium prope accedunt aut cum eo reapse complicantur, *vel* hujus loco exaltatam potius systematis sanguiferi irritabilitatem ac mobilitatem habent comitem, tractamen apte modificatum sibi expetunt. *Priores*, nisi per ipsam sanguinis jacturam cito satis compositae, aut pro necessitate saltem restrictae fuerint, methodo antiphlogistica universali i. e. debilitante, refrigerante, humorum circuitum moderante aut sola, aut aequali topicae juncta, vel et profluvium immediate cohibente opus habent. Remedia huc spectantia universalia sunt: regimen ac diaeta stricte antiphlogistica, evitatis in specie cibis ac potibus calidis omnibus; potulenta et pharmaca potius subfrigida et refrigerantia, quemadmodum: aqua recens aut pura aut acido vegetabili quodam, succo citri, berberum, acido tartrico, cremore tartari etc. addito; decocta mucilaginosa cum acidis nunc nomi-

natis, aut nitro; emulsa ex seminibus cucurbitarum aut amygdalis dulcibus pariter nitrata; nitrum in pulvere cum saccharo solum, aut cremori tartari nuptum; eccoprotica et enemata evacuantia antiphlogistica, nisi haemorrhagiae sede in primis viis prohibeantur; imo phlebotomiae. Prosunt istae organo sanguinem fundenti, quoad fieri potest, proxime, plerisque in casibus in brachio alterutro institutae (partim evacuando et debilitando, partim derivando simul) in plethora vera, magno sanguinis orgasmo et concitato ac forti humorum motu; similiter in pulmonum, ventriculi, canalis intestinalis, aliorumve viscerum nobilium haemorrhagiis, facile per se aut per nimiam, quae subest, sanguinis congestionem periculum adferentibus. Sanguinis e vena mittendi copia congestionis symptomatumque haemorrhagiam comitantium (febris v. gr., inflammationis, tussis etc.) intensitate, individuali aegrorum constitutione, anni tempore ac tempestate, constitutione regnante epidemica, atque therapiae praemissae effectu definitur.

Haemorrhagiae *activae non inflammatoriae notae, febrique*, sed systematis sanguiferi *erethismo potius* junctae non directe debilitantia, sed moderantia et pacantia exposcunt remedia, in specie emulsa, mixturas oleosas, olea blanda recentia, purissima amygdalarum, seminum papaveris albi, imo olivarum aut lini; ipecacuanham dosibus refractis; digitalem purpuream; acida mineralia nota.

Remediis localibus adnumerantur: frigus mediante aqua frigida per lotiones, epithemata, injectiones etc. adhibitum; solutio nitri, salis amoniaci in aqua sine aut cum aceto admisto; glacies, nives parti haemorrhagia laboranti ipsi aut vicinae impositae; glutinosa adplicata, quemadmodum gummi arabicum, tragacantha, amylum; absorbentia vasorum fines mechanice obturantia, uti linteum carptum, turundae, trombi, argaricus chirurgorum, spongia subtilis praeparata etc., per adaequatam apteque

directam pressionem adjuta; — cucurbitae siccae et scarificatae, hirudines, locis quidquam remotis administratae. Laudatos a multis fotus humidos tepidos, utut aeque remotis in locis, pediluvia, manuluvia tepida in hoc haemorrhagiarum genere indiscriminatim commendare expertus nequeo. — Topica frigoris adplicatio penes regimen superius expositum in haemorrhagias universim activas non prius valet, quam statu activo universali per therapiam antiphlogisticam universalem, mox descriptam sublato, irritatione igitur omni systematis arteriosi jam dissipata, et localibus solum haemorrhagiarum causis proximis, dilatatione nimirum finium vasorum capillarium, insufficienteque contractilitate, restantibus. Imo cura localis exposita generatim sistendo sanguinis profluvio activo non sufficit, nisi orgasmus sanguinis, motusque intrinsecus, et nimius humorum ad organum adpulsus per remediorum universalium usum fracti antea fuerint vel simul nunc frangantur: quid? quod tractamine ejusmodi universali tardato aut plane omisso noxia fiat per temporis dispendium. Sedandae autem haemorrhagiae activae a causis mere topicis pendenti, parcae, sine conspicua systematis arteriosi compassione, et ex organo non nobili contingenti illa et par est, et sola sufficit.

§. 1173. Haemorrhagia *in passivam inclinans*, vel *passiva* gradu leviori jam reddita, externe praeter nunc nominata remedia (depletionibus sanguinis topicis exceptis, jubente videlicet solum magna sanguinis congestione praemittendis), modice irritando adstringentia adhuc exigit: frigidas aluminis, hujus et gummi kino, vitrioli martis aut zinci solutiones, acidum sulfuricum aqua dilutum; interne adstringentia pariter, non calefacientia, ut: alumen, acidum sulf. dilutum, elix. acidum *Halleri* cum aqua, decocta tenuia corticum salicis, hippocastani, quercus, radicum tormentillae, ratanhiae. — Haemorrhagia aperte passiva quantocyus sedetur oportet, nisi habitualis jam sit facta, tractamen lentius exposcens. Hinc

primum saepe conamen in haemorrhagiae locum dirigatur et eo tendat necesse est, ut sanguinis jacturam cito cohibendo una saltem juguletur morbi increscentis conditio. Ubi vasa sanguinem fundentia immediate attingere conceditur, quemadmodum in epistaxi, stomatorrhagia, fluxu haemorrhoidum, haemorrhagia vaginae, auxilium promptissimum in eorum compressione aut sola aut remediis adstringentibus, irritantibus, sanguinem cogentibus, uti praeter jam memorata vino, alcohole, aqua vulneraria *Thedeni*, unita, apte adhibita, praesto habetur. Ubi compressio fieri nequit, remedia haecce in usum trahuntur sola, atque haemorrhagiae fonti quam proxime admoventur. Hunc in finem jam iisdem impraegnatae turundae (in epistaxi), splenia (in eadem, nec non in haemorrhoidum, renum, vesicae, uteri haemorrhagiis), trombi linei (in haemorrhoidum internarum, vaginae, uteri profluviis sanguineis) adplicantur, jam ipsa qua fluida naribus attrahenda, qua collutoria et gargarismata, epithemata (in haemorrhagiis cunctis ante nominatis), aut qua injectiones (in intestini recti, vaginae, uteri haemorrhagiis) usu veniunt. Ceterum pro debilitatis universalis huicque junctae in systemate circulatorio majoris vel irritabilitatis vel inertiae gradu, et pro majore minoreve sanguinis in resolutionem nisu mox mitiora sedantia, mox erigentia et incitantia, mox coagulantia, adstringentia, tonica, mox eorum quaedam nupta v. gr. adstringentia vel diffusibili stimulo activa cum narcoticis, prae ceteris indicantur. Ad mitiora systemati nervoso nimis mobili sedando, et sanguifero nimis irritabili moderando paria referuntur: castoreum, moschus, camphora, opium aut extr. hyoscyami cum emulsis, mixturis oleosis, vel cum modice adstringentibus acidis mineralibus, alumine, sero lactis aluminoso, et antagonistice irritantibus sinapismis, vesicantibus etc. Ad erigentia, incitantia inertiae, laxitati, irritabilitati dejectae, et statui ad paralysin accedenti maxime congrua numerantur: eadem haec epispastica, fomenta (pro rerum positione

jam frigida jam calida, saltem egelida), lotiones, frictiones spirituosae et aromaticae, interne tinctura cinnamomi sola, aut infusis aromaticis, vel decoctis adstringentibus, acido sulfurico, phosphorico ets. nupta; vina rubra, in specie Budense, liq. anod. min. *Hoffmanni*, aether sulfuricus, tinctura nervino-tonica *Bestuscheffii*. Ecogentium, stipticorum, tonicorum numero sunt: alumen sine et cum gummi kino, vitriolum ferri ceteraque praeparata martialia, acida mineralia jam nominata, elix. acid. *Haller.*, et elix. vitriol. *Myns.*, rad. tormentillae et ratanhiae, cortices salicum, hyppocastani, quercus, chinae. Sal culinare dosi unciae semis vel integrae in aquae unciis paucis solutum, ac illico haustum, urgentes pneumonorrhagias et metrorrhagias (probabiliter frigus causando, et antagonistice irritando) subito cohibuisse observatum est; sic nitrum quoque, dosi drachm. duarum ad unciam semis in aquae aut fluidi mucilaginosi unciis quinque, sex solutum, et duobus tribusve haustibus intra aliquot horas, vel per cursum diei sumtum.

§. 1174. In haemorrhagiis a vasorum sanguiferorum laesione considerandum, num statu systematis sanguiferi activo vel passivo stipentur. Utroque in casu contra hunc idem, quod contra haemorrhagias activas vel passivas nunc docebatur, tractamen instituendum est. Haemorrhagia vero in laesione mere locali sola plenam rationem agnoscente, pro loci natura eo adlaborandum, ut vasa laesa immediate aut mediate comprimantur, vel mediis glutinantibus et mechanice occludentibus aut chemice coagulantibus obturentur, vel chemice aut dynamice irritantibus et incitantibus ad contractionem indeque laesi praeclusionem sollicitentur. Hisce respondent scopis remedia *localia*, paragraphis praecedentibus ad haemorrhagias activas et passivas sedandas commendata; selectus eorum dignitate vasorum laesorum, arteriarum vel venarum, haemorrhagiae ratione, jacturae sanguinis magni-

tudine et effectu, et organi laesi statu inflammatorio vel non inflammatorio indicatur.

§. 1175. Juxta haec principia omnes, ubicunque obtineant, haemorrhagiae aestimandae sunt et curandae; in *speciebus* tamen *singulis* supra expositis locus et propria organi sanguinem fundentis conditio propriam quoque *medelae modificationem* hinc inde exposcunt. Quae sequentibus fere continetur: Si *epistaxi* per fluida naribus attrahenda, injicienda etc. obices ponuntur, caute procedendum, ne provocentur sternutationes. Duratio epistaxeos pertinax opem chirurgicam, narium obturationem, inevitabilem postulat.

In *pneumonorrhagia* et *tracheorrhagia* quaequae tussim facile excitantia, pulveres, fumus, vapores acres, sermocinatio, cantus etc., — in *haematemesi* ad vomendum invitantia, — in *haemorrhoide cruenta* quaequae diarrhoeam inferentia, pharmaca, potus, cibi acres, aciduli etc. sedulo vitentur oportet. Sedantia, quemadmodum olea pinguia, blanda, superius nominata, mixtura oleosa, emulsum, linctus, mixtura gummosa, decoctum mucilaginosum saepe promptissima palliativa, imo curativa sistunt, praesertim si ibi cum antispasticis congruis, hic cum solventibus mitioribus et alvum communiter obstipam moventibus aut copulantur, aut interpolatim porriguntur. Ex his magnesiae et cremoris tartari cum saccharo miscela, et electuarium lenitiv. D. V. magnam sibi pepererunt frequentiam. Pulverem ex rad. rhei drachma sem., magnesiae, boli armen. et sacchari ana drachm. una, in doses quatuor divisum, et intra nycthemeron consumtum *ab Hildenbrand* in *passiva uteri profluvia* tum sanguinea tum mucosa magnopere depraedicat. Tussis itaque et vomitus non qua causae solum principales haemorrhagiarum supra commemoratarum, sed qua symptomata etiam concomitantia tanti semper sunt pro therapia momenti, ut, nisi mitigata et ablata fuerint, impos-

sibilis non raro frustra desideraretur morbi principalis et haemorrhagiae sanatio.

In *haematuria* a potulentorum copia et omnibus, quae urinarum secretionem promovent adeoque frequentiorem quoque sollicitant excretionem, abstineatur oportet.

§. 1176. Ex symptomatibus haemorrhagiarum effectibus aut comitibus saltem, momentosiora specialem sibi in therapia respectum expetunt. Quare *terror*, *animi inquietudo*, *anxietas*, et inde pendentes cutis aliarumque partium spasmi, explicatione prudente, solatio, spe quam citissime pacentur, abigantur; *motus febriles* terrore metuque producti animo composito plerumque cito cessant, ceterum causis et febris characteri convenienter tractentur; *sitis* potu largo qualitatis indicationi principi et toti tractamini correspondentis sedetur; *animi deliquium*, si leve est et haemorrhagiam multum restringit aut penitus sistit, lente solum et circumspecte, contrario autem casu quantocyus discutiatur faciem aqua recente conspergendo, aërem liberum admittendo subfrigidum, leviter faciem versus movendo, acetum aut si opus irritantia supponendo naribus, partes varias attamen ab haemorrhagiae loco remotas leniter fricando; *somnolentia* et invincibilis fere in somnum propensio gravi sub debilitate, protractis ac largis ab haemorrhagiis, in subjectis debilibus, sensilibus, irritabilibus, opportunitate in spasmos et convulsiones aut his ipsis praesentibus, sicut continuante adhuc sanguinis orgasmo, modice sed continua cum invigilantia prudente adimpleri potest; statu sub colliquativo, et fere paralytica systematis sanguiferi inertia et atonia, si haemorrhagia exigua, per vices solum permittatur, si vero larga, penitus dispellatur necesse est.

§. 1177. Haemorrhagia sedata tractamen contra eam institutum salutiferum atque regimen diaeteticum longiore brevioreve adhuc tempore continuare plerumque opus est, prout haemorrhagiae indoles, locus, duratio aut reditus, organi, quod sanguinem fuderat, systematis cir-

culatorii totiusque organismi status, momenta morbi causalia, nec non aegrorum constitutiones atque relationes externae id exegerint. Quaecunque insuper hoemorrhagiae specialis recidivam inferre valerent, praevertenda et arcenda, atque debilitas, laxitas et atonia, keneangea, macilentia etc. inde restantes per methodum nutrientem, roborantem, excitantem cum cautela et circumspectione prudente corrigendae, tollendae sunt.

Ut haemorrhagiarum imprimis chronicarum, saepe reversarum praecaveantur recidivae, summi est momenti, habitualem humorum adfluxum pedetentim inhibere, aliorsum derivare, et aequabilem restituere sanguinis circuitum.

Genus II. Profluvia humorum secretoriorum.

Spec. 1. Blennorrhoea genitalium.

§. 1178. *Blennorrhoea* (blennorhagia, profluvium mucosum, der Schleimfluss) generatim dicitur nimia muci qualitatis communiter morbosae ex aliqua corporis parte se- et excretio.

§. 1179. Blennorrhoeae omnes sunt *symptomaticae*, a morbo jam universali jam locali, primario vel secundario pendentes. Morbus universalis vel in totius cutis adfectione cum praevalente membranae muciparae singularum aut plurium partium irritatione aut inflammatione i. e. in catarrho (§. 550 et seq.), vel in cachexia, status pituitosi seu polyblenniae titulo §. 1024 etc. descripta, consistit. Morbus localis pariter membranae muciparae organi adfecti vel irritationem aut inflammationem jam acutam jam chronicam, quandoque specificam, vel debilitatem et laxitatem offert. Blennorrhoeae itaque ut haemorrhagiae, jam universim vel topice activae, jam passivae sunt, atque decursum jam celerem, acutum faciunt, jam lentum, chronicum; nunc simplices aut compositae, nunc purae aut complicatae observantur. Mucus ipse jam tenuis et serosus, jam spissus et tenax; jam diaphanus,

vitreus, jam albescens, flavidus, viridescens, caerulescens, griseus, nigricans aut rubicundus; mitis inodorus ac insipidus aut acer et foetens; purus vel sanguine, pure, succo gastrico, enterico, bile etc. remistus et copia nunc exigua nunc maxima secedit.

§. 1180. *Catarrhi acuti* et *chronici* jam Tom. I. §. 550 et seq., *polyblennia* et comitantes eam *blennorrhoeae* §. 1024 etc., *syphiliticae* in tractatu de syphilide §. 1085 jam sunt expositae. Restat igitur, ut hic de profluviis partium genitalium mucosis non syphiliticis, de blennorrhoea et leucorrhoea, quam insontem vocant, adhuc agatur.

§. 1181. *Blennorrhoea urethrae insons, benigna* (der gutartige Tripper, der tripperähnliche Schleimfluss), et *blennorrhoea vaginae* aut *uteri insons* (leucorrhoea, fluor albus benignus, der gutartige Schleimfluss der weiblichen Geschlechtstheile, der gutartige weisse Fluss) profluvia ex urethra, et in feminis e vagina imo utero sistunt humoris mucosi aut seroso-mucosi, viscidi, saepe lactiformis, initio blandi et inodori nec pruritum nec ardorem causantis, successive vero acredinem et odorem nauseoso-salinum induentis, nonnunquam flavidi aut viridicantis, citra infectionem syphiliticam orta.

P. Frank, Richter, Haase, Jos. Frank, opp. citat.
El. de Siebold, Jörg, Mende, Osiander in opp. de feminarum morbis.

§. 1182. Profluvia haec nunc parca sunt nunc larga imo largissima, de nocte remittunt aut plane silent, mane recurrunt uberiora, et motu validiore, nixu ad alvum, potibus spirituosis, victu aromatibus multum condito aut salso, acri etc. promoventur.

Leucorrhoea in specie levioris gradus, et quae ex utero scaturit, saepe paucos solum per dies ante et post menstrua comparet, quae malo increscente mucosa magis quam cruenta secedunt, vel et mucoso supplentur profluvio; majoris autem gradus et e vagina solum profecta continuat, dictis vero periodis notabiliter augetur. Nisi

cachexia aut virium subsit exhaustio, diu satis sine magnis molestisve saepe fertur symptomatibus, pedetentim vero et e genitalium morbo in se spectato et ex humorum jactura prodeunt: debilitas, dolores sacrales, lumbales, dorsales, gasteralgia, dysorexia, dyspepsia, bradypepsia, ructus, flatulentia, alvus inordinata, faciei pallor, cutis musculorumque laxitas, tremor artuum et titubatio, angor et cordis palpitatio sub motu ac intensione virium, somnolentia, oculi irrorati, vitrei, annulis caeruleis sulcati, palpebrae obscurae, bruneae, obtutus languidus, mensium, nonnisi rarissime debito largiorum, anomaliae, insignis vaginae et uteri relaxatio indeque prolapsus; sterilitas, saltem magna in abortus facilitas. Mucus aut neglecta munditie, longiore igitur in vaginae plicis retentione, aut morbo principali increscente acer redditus *modo* nunc *secundario* inflammationem illius cum pruritu, ardore non autem plane sub mictu, et pudendorum externorum ac femorum arrosiones, excoriationes producit, cum pedissequis ulceribus foedis, saniem discolorem fundentibus. Similiter inde in maribus, munditie posthabita, glans et praeputium adficiuntur. Tandem debilitas, emaciatio, habitus cachecticus conspicue increscunt, febricula evolvitur lenta, cum tussi sicca, sudoribus nocturnis, intumescentiis oedematosis, quandoque metrorrhagiis et tabe completa. — Attamen leucorrhoea sicut blennorrhoea urethrae virorum chronica saepe, utut tarde, in sanitatem abit. Leucorrhoeam diuturnam non raro polypi uteri, callositates, indurationes, carcinomata vaginae, uteri, ovariorum sequuntur.

Nota. Diagnosis blennorrhoeae et leucorrhoeae non syphiliticae a syphilitica saepe admodum difficilis nec a symptomatibus singulis, nec ab initii morbi ratione tuto desumitur, sed ubi aegri dubium discutere nequeunt vel nolunt, ab omnibus simul momentis diagnosticis prudenter aestimatis repetenda est. — Idem de firma profluviorum istorum a puriformibus, purulentis aut ichorosis, quae a vaginae, uteri, ovariorum, vesicae, aut prostatae abscessu vel ulcere proficiscuntur, distinctione valet.

§. 1183. *Sedes* blennorhoeae virorum non syphiliticae membrana urethrae mucipara, leucorrhoeae eadem vaginae, aut uteri, aut utriusque simul, aliquando tubarum ipsarum est (*P. Frank*, epitom. etc. L. V. p. 177.). *Leucorrhoea uteri* non aeque facile ac vaginae cognoscitur. Probabilem de ejus praesentia conjecturam permittunt: manifestatio ejus, saltem in principio, nonnisi ante et post menses, his vero fluentibus cessatio; longior pedetentim ac continua tandem duratio et conspicuum menstruorum successive parciorum tandem deficientium periodis augmentum; citra morbosum pressionis, tensionis aut doloris in vagina sensum cum doloribus aliisque incommodis in abdomine et uteri regione, cum sterilitate, vel magna in abortus proclivitate connubium; coagulorum lymphae, nonnunquam sub tenesmo dolores ad partum aemulante, secessus; insignis organorum digestionis sympathica adfectio, oppressio ventriculi in specie, gasteralgia, anorexia, tarda et imperfecta digestio, flatulentia, alvus obstipa, cephalaea sensim evolutae, quibus brevi cachexia gravis, macies, imo febris tabifica superveniunt.

§. 1184. Profluvia mucosa nunc considerata licet plerumque, praesertim initio, ab *irritatione* aut *phlogosi* membranae muciparae *chronica*, per causas tum topicas tum universales producta, pendeant, non raro tamen a *debilitate* universali aut vel maxime locali, *laxitate* et *congestione* humorum *passiva* proficiscuntur. Quare blennorrhoeam urethrae virorum et leucorrhoeam feminarum insontem in *activam* et *passivam* distinguere oportet.

§. 1185. *Dispositio* in *activas* genitalium blennorrhoeas in irritabilitate totius organismi et istorum praecipue organorum exaltata, instinctu sexuali admodum incitabili consistit, et priore intuitu tempore mensium ac lochiorum maxime viget. — Dispositio in *passivas* e contrario in debilitate et laxitate universali aut praevalente locali, in serosa nimis sanguinis indole, et passiva humo-

rum in imo ventre, praesertim in membranis genitalium muciparis, congestione radicatur.

Causae feminarum, et majorem in partem virorum blennorrhoeam excitare *activam* valentes sunt: a) *idiopathicae:* heterogenea varia vaginam offendentia, ut pessaria, spongiae, turundae etc., ascarides vermiculares, fluida irritantia injecta, humores acres ex utero depluentes, frequens titillatio genitalium et frictio, instinctus sexualis provocatio inanis, masturbatio, coitus debito frequentior, lasciva in genere ratio vivendi; prunarum cruribus interpositarum, pediluviorum irritantium abusus; abortus; tumores omnis generis ac indurationes tam vaginae quam uteri; b) *sympathicae:* vermes in primis viis, scrophulae praesertim in glandulis meseraicis eminentes; dentitio difficilis; remedia irritantia; multum exaestuantia aromatica, balsamica, resinosa, acria spirituosa, saepe nimis emmenagogorum titulo in abusum vocata; c) *antagonisticae:* suppressae alibi secretiones morbosae, praeprimis serosae, mucosae, saniosae, diarrhoeae itaque chronicae, sudores habituales pedum, haemorrhoides fluentes, ulcera crurum chronica etc., sic et eruptiones cutaneae chronicae, scabies, herpes, tinea etc. suppressae; rheumatismus diuturnus, arthritis haemorrhoides in membranas dictas translatae. — Causis excitantibus leucorrhoeae *passivae,* in quam activa omnis per durationem longam, nimiam humorum jacturam, nec non digestionem, sanguificationem ac nutritionem laesas transmutari potest, accensentur, a) *idiopathicae:* partus difficiles cito sese excipientes, frequens ac stipatum morbis puerperium, frequens abortus, onaniae vitium, coitus praematurus, nimium repetitus, infectiones syphiliticae praegressae, metrorrhagiae, nimis calidum genitalium regimen; b) *sympathicae:* vitae genus molle, otiosum, protracta super pulvinaribus foventibus sessio, somnus nimius, cura, moeror, amor infelix aliaque animi pathemata deprimentia, potuum theatorum, calidorum, rela-

xantium, pharmacorum purgantium abusus, victus fatuus, pinguis, mucilaginosus, farinosus; habitaculum humidum, humido-frigidum; tempestas continuo humida, frigida simul, nebulosa; in genere causae polyblenniae quoque (§. 186. et 102.), et chloroseos (§. 1027.), quarum symptomatibus leucorrhoea saepe deprehenditur adgregata.

§. 1186. Leucorrhoea puellis et nuptis urbium vastarum incolis admodum frequens est, in Batavia et Polonia fere endemica. Rebellis utplurimum, et sanata licet a levibus facile revertitur occasionibus. Quae organismo infert, damna jam recensebantur; singularem sibi vindicat attentionem passivae morborumque hujus principalium in posteritatem influxus, siquidem graviditates non deficiant. Sanationi plurimum obsunt magna totius organismi et genitalium in specie debilitas et laxitas, febris depascens, scorbutica diathesis, cum malis rheumaticis, arthriticis, scrophulosis, herpeticis pertinacibus connubium, nec non provecta menstruis jam silentibus aetas. Vitia organica, indurationes, scirrhi insanabiles, polypi operatione non tollendi, adversum plane suppeditant praesagium. In puellis junioribus intrante menstrua periodo, in feminis graviditate nonnunquam aufertur. Ceterum prognosis variam sequitur constitutionem individualem, causam excitantem aut morbum principem, leucorrhoeae durationem, indolem, copiam et effectus, sicut complicationes et s. p.

§. 1187. Malum generatim ardue sanandum in casibus bene multis *praecaveri* facile posset, si expositiones rationales seriaque medicorum monita obsequiosas saepius invenirent aures. Prophylaxis autem ab evitatis causis occasionalibus (§. 1185.) essentialiter pendet; quo intuitu puellis in urbe degentibus gravis sunt momenti (*P. Frank* epit. L. V. p. 245—246): educatio tam physica quam moralis prudens, rationalis mentis culturae et delectationum, imprimis lecturae definitio, directio;

tempore pubertatis congrua circa menstruorum dignitatem, circa turbarum aut suppressionis eorum causas et effectus adversos, ideoque necessarias in vitae genere, victu, diaeta, regimine etc. regulas et cautelas informatio.

§. 1188. In leucorrhoeae et virorum blennorrhoeae insontis *tractamine* potentiae ac circumstantiae toti organismo et genitalibus speciatim noxiae omnes eviten-tur oportet et auferantur; quae inter causas excitantes sunt enumeratae (§. 1185.). Morbi praeterea universa-les aut topici, profluvium parientes symptomaticum, gra-vioribus cum eorum symptomatibus, inductisque fortasse jam effectibus tollantur. Leucorrhoeae igitur aut blen-norrhoeae virorum ab irritatione locali vel et phlogosi, quemadmodum saepe in principio, plethora et virium vi-gore stipata pendenti methodus medendi universalis anti-phlogistica, plus minusve generosa, localis emolliens per fomenta humida, cataplasmata, balnea tepida, et nonnisi in feminis per injectiones emollientes lenissime factas, opponatur, utque omnes se- et excretiones normales simul rite procedant, sedulo curetur. Depletionibus san-guinis raro opus est topicis. Irritatio localis vel phlogosis, profectaque inde blennorrhoea causalem cum arthritide, rheumatismo, efflorescentiis cutaneis chronicis, sudoribus, ulceribus, haemorrhoidibus, scrophulis etc. nexum agno-scens, curam in haec simul mala secundum normas in eorum tractamine statutas dirigi, pharmacorumque ibidem commendatorum selectum speciali casui congruum fieri jubet.

Deficientibus vero symptomatibus irritativis tum uni-versalibus, tum topicis aliis nisi forsan effectivis, a muci nimirum secreti per longiorem in vaginae plicis retentio-nem (sedula munditie neglecta) corrupti acrimonia pro-ductis; blennorrhoea potius vel nunc vel jam ab exordio in debilitate et laxitate universali aut locali sive causali sive effectiva suum agnoscente fontem remedia interna indicantur tonica, adstringentia, amaro-aromatica, et in

membranas genitalium muciparas specialius activa, ut: trifol. fibr., centaur. min., quassia etc.; herb. salicariae, cortices salicum, quercus, hippocastani, chinae, cascarillae, martialia, alumen, gummi kino; elix. acid. *Hall.*, tinct. aromatico-acid., marrubium alb., millefol., salv., myrrha, olibanum, balsama naturalia; adjuvanda victu bono eupepto, modice condito, cauto vini Budensis usu, motu in aëre libero frequente moderato, balneis aut tepidis aut frigidulis simplicibus vel aromaticis, vel sulphureis, vel martialibus; lotionibus cum aqua egelida, frigida; frictionibus siccis totius cutis superficiei modicis, exhilaratione animi etc. etc. — Inter remedia topica, quae communiter evitari nequeunt, et debilitate et laxitate nonnisi locali adhuc restante sufficiunt sola, memorantur: aqua egelida et frigida lotionibus, injectionibus, epithematibus inserviens; alumen, vitriolum album, gummi kino, saccharum saturni in eadem vel in decocto cort. salicum vel quercus soluta; haec ipsa aut decocta herbae salicariae, fol. salv., rad. tormentillae sola; aqua calc. per se, vel jam lacte, mucilagine, jam uno alterove decoctorum nominatorum varia proportione remixta, injectionibus dicata. Praemissa, ut mucus eluatur et vagina depuretur, injectione simplice aquosa, situ dorsali natibus quidpiam elevatis medicatum injiciatur fluidum ac femoribus decussatis per minuta imo semiquadrantem retineatur. Eadem fluida spleniorum vel spongiae in coni formam adaptatae ope etiam vaginae immittuntur. Insuper huc spectant: fumigationes ex pulveribus aromaticis, olibano, succino, styrace, mastiche etc. ad genitalia externa, vel mediante tubulo in vaginam directae, nec non hypogastrii, regionis lumbalis et sacralis, femorum lotiones cum vino, spirit. vini, camphorato, aromatico etc. — Quibus omnibus in remediis topicis administrandis cum cautela incedendum est; speciatim quod injectiones concernit, si largum est et inveteratum profluvium, lente solum et successive ad tonicas fortiusque adstringentes, ne

suppressionis repentinae inferantur damna, confugiendum, et, si vaginae peccat sensibilitas, a blandis inchoandum, his pro re nata mucilago, extr. hyoscyami, op. aquosum etc. admiscenda sunt, ac nonnisi pedetentim ad fortiores transeundum.

Leucorrhoea ubi a vitiis organicis, polypis, scirrhis, ulceribus vaginae vel uteri carcinomatosis aliisve pendet, citra medelam horum indoli convenientem ipsa variam indicat therapiam, et quidem mox quae depuret, acredinem malumque corrigat odorem per injectiones ex decocto semin. lini, succo dauci sativ. expresso; quae specifice agat, per decocta cicutae, hyoscyami, belladonnae injecta, aut solutiones merc. sublim. ($\frac{1}{8}$ — $\frac{1}{6}$ grani partem pro fluidi uncia), vitrioli cupri (eadem proportione), aquam calcis etc., mox quae adstringat, per decocta putam. virid. nuc. jugl., cort. salic. etc.

§. 1189. Sublato, nisi cum morbo principali insanabile sit, profluvio mucoso, partim recidivae occurrendum causas fugiendo, remediaque localia per varium tempus continuando, partim effectus a morbo relicti auferendi sunt tractamen per diaetam, regimen corporis ac mentis, atque pharmaca simul instituendo, quod et illis ipsis et causalibus, siquidem perstent, morbis tollendis idoneum sit. Ab arbitrario vini et spirituosorum quorumvis potuum usu, et blandimentis ac irritationibus voluptuosis repetitis, cum vel sine instinctus sexualis complemento, ut attentissime sibi caveant, convalescentes serio moneantur est necesse.

Spec. 2. Spermatorrhoea.

§. 1190. *Spermatorrhoea (gonorrhoea,* der Samenfluss) seminis nimia copia secreti et plerumque simul succi prostatae excretionem involuntariam significat.

§. 1191. Evacuatio haec initio nonnisi de nocte nimis frequens, aut et repetitis eadem nocte vicibus, sub insomniis lubricis et penis erectionibus, per ejaculatio-

nes singulas contingit, *pollutio nocturna* dicta; postea de die quoque levioribus irritamentis voluptuosis, aspectu feminae, statuae, picturae etc. sensibus indecenter blandientium prolicitur, *pollutio diurna* vocata; tandem imo vix non continuo guttatim sine omni voluptuosa, sed a mechanica solum per incessum, equitationem, alvi exclusionem irritatione, sine sensu libidinoso et penis erectione procedit, *gonnorrhoea* seu *spermatorrhoea completa* audiens.

J. E. Wichmann, de pollut. diurna frequentiore sed rarius observata tabescentiae causa. Goett. 1782. 8.

Fr. Hildebrand, über die Ergiessungen des Samens im Schlafe. Braunschweig 1792. 8.

§. 1192. Symptomatum per spermatorrhoeam pedetentim inferendorum potiora sunt: corporis mentisque functionum omnium languor atque debilitas, hebetudo, animi dejectio, amblyopia amaurotica, dyspepsia, emaciatio, spasmi et convulsiones multiplici sub forma, impotentia virilis, eminens extremitatum inferiorum imbecillitas cum lumborum doloribus ac incessu arduo delumbi, cachexia, tabes dorsalis. (Confer. §. 938 ets.)

§. 1193. *Disponunt* in spermatorrhoeam debilitas et irritabilitas universalis, et praematura inde instinctus sexualis evolutio. *Excitant* eam: onania, coitus excedens; diureticorum et aphrodysiacorum abusus; irritatio genitalium sympathica per sordes gastricas, vermes, viscerum abdominis infarctus et vitia organica, nec non ductuum emissariorum prostatae glandularumque seminalium paralysis, vulnus, exesio.

§. 1194. Gonorrhoea momentosis omnino adnumeranda morbis est. Ponderatio et *prognosis* debito sub individualis aegri respectu ex dictis facile depromitur.

§. 1195. Quod *therapiam* concernit, arceantur primo et fugiantur, quaecunque in corpus aut animam agendo genitalia irritare, et humorum ad ea congestiones vel seminis plane evacuationes producere valent, ut: irrita-

menta libidinosa, potus spirituosi; stragula mollia nimis, plumosa, situsque in illis, dorsalis praecipue aut abdominalis; cibi tenaces, digestu difficiles, flatulenti, aromate conditi multum nutrientes, sero imprimis vespere comesti; urinarum in vesica, sic et durarum siccarum in recto faecum accumulatio etc. Onaniae in specie sub attentissima indefessa invigilantia occupatio continua, motus, labor corporis adcommodatus ad defatigationem usque, mentis lucubratio, animi distractio, et sedulae expositiones rationales opponantur. — Dein morbus principalis congrue tractetur. Contra praedominantem, si gonorrhoeae subest, debilitatem ac irritabilitatem topicam pharmaca tonica et sedantia nota, ex illis praecipue camphora, ex his narcotica, opio excepto, gradui perfecte adaptata, simulque balnea, lotiones egelidae, frigidae, epithemata talia ad perinaeum valent. Irritatio idiopathica aut sympathica, si sublata causa perstiterit, methodo medendi atque regimine concordante antiphlogisticis compescatur. Pollutiones nocturnae praepediri saepe possunt, si scrotum una cum pene suspensorio lineo (non calefaciente), laxo exceptum tenetur, ut ingruentibus forsan membri erectionibus aeger expergefiat. — Ductuum excretoriorum prostatae et glandularum seminalium exulcerationes raro admittunt sanationem; hinc malis jacturae seminis sequelis pro possibili occurratur.

§. 1196. *Convalescentia*, praeter noxarum omnium fugam, pro morbi principalis diversitate, jam roborante, jam moderante et pacante, jam refrigerante et negative debilitante tractamine adjuvetur.

Spec. 3. Salivatio.

§. 1197. *Salivatio* (ptyalismus, der Speichelfluss) debito largior est salivae vitiosae se- et excretio.

§. 1198. In febribus septicis, gastricis, in variolis nonnunquam *critica*, ceterum ubique *symptomatica* deprehenditur. Est autem symptoma *vel* irritationes glandu-

larum salivalium aut inflammationes, cum aut sine laesione ortas, locales, idiopathicas, sympathicas sive metastaticas ab ictibus, percussionibus, refrigeratione, gingivarum, linguae, tonsillarum etc. phlogosi, a dentitione difficili, aphthis, vermibus, a tinea capitis, crustae lacteae, aliarumve efflorescentiarum chronicarum, sicut variarum se- et excretionum suppressione concomitans; *vel* morbis universalibus, speciatim hypochondriasi, hysteria, specificis ab hydrargyro alterationibus systematis lymphatici productum; *vel* a ductuum salivalium, eorumve orificiorum relaxatione aut paralysi, laesionibus pendens.

§. 1199. *Dignitatem* salivationis jam majorem jam minorem copia et qualitas salivae, profluvii duratio, causa morbusve principalis, organorum oris fauciumque vicinorum compassio, atque effectus in totum organismum redundantes definiunt. Excessum ejus omnia nimiarum evacuationum deficientisque nutritionis symptomata, repentinam vero suppressionem organorum vicinorum aut remotorum inflammationes, cum congestionibus et insigni in humorum effusiones nisu, excipiunt.

§. 1200. *Therapia* salivationis non criticae, et modicae circa influxus solum tum eam promoventes tum supprimentes, et hoc intuitu frigus praecipue et adstringentia colatoria et gargarismata vitanda versatur; largioris autem causam excitantem aut principalem morbum auferri jubet. Hinc dentium cariosorum prominentias irritantes aut laedentes obtundere, amovere, ulcera oris ad sanationem perducere, irritamenta gastrica, vermes eliminare, praesentem forsan glandularum salivalium, linguae, tonsillarum etc. inflammationem tractamine ad artis regulas instituto, universali, topico, antiphlogistico, diluente, emolliente, derivante per sanguinis depletiones, antiphlogistica emollientia, solventia, eccoprotica, diapnoica, per collutoria, cataplasmata, pediluvia emollientia etc. rite curare oportet. Salivationem a mercurialibus inductam, symptomatibus irritationis plurimum fractis, usus florum

sulph. in pulvere, hepatis sulphuris aeque ac camphorae in decocto mucilaginoso cohibere valet. Sublatis symptomatibus irritativis tonica, adstringentia indicantur collutoria et gargarismata, ex decocto cort. salicis, quercus, infuso fol. salv. sine vel cum alumine, aqua egelida dein frigida pura, solutione aluminis etc. aquosa. Salivationi a ductuum salivalium relaxatione, paralysi pendenti praeter mox memorata per irritantia v. gr. rad. pyretri, pimpinellae, calam. arom., semin. sinapis, cort. cinnamom. etc. forma masticatoriorum, vel collutoriorum cum aut absque alcohole occurritur.

§. 1201. Superstitem morbo sanato majorem adhuc glandularum salivalium irritabilitatem, quae sponte pedetentim non componatur, usus collutoriorum tonicorum ante memoratorum, sine acribus aut spirituosis adjuvantibus, diutius continuatus tollit.

Spec. 4. Diarrhoea.

§. 1202. *Diarrhoea* (alvi fluxus, defluxio, der Durchfall, das Abweichen) dicitur iterata celerisque humorum debito largius ac morbose secretorum, cum vel sine faecibus, per alvum ejectio, cum vel sine dolore et febre contingens.

Van Swieten: comment. in *H. Boerhaave* Aphor. T. II. p. 311. ets. *M. Stoll*, praelect. in div. morb. chron. T. II. Vienn. 1789. *J. P. Frank, S. G. Vogel, Richter, Haase, Jos. Frank* opp. cit.

§. 1203. Est autem diarrhoea a) ratione originis: *primaria* et *secundaria; idiopathica* et *sympathica*, cui *vicaria* et *metastatica* subordinandae sunt; *substantiva*, *symptomatica* et *critica;* b) ratione indolis: activa et passiva; *inflammatoria, nervosa* et *septica;* c) ratione connubii: *febrilis* et *non febrilis; pura* et *complicata;* d) ratione decursus ac durationis: *acuta* et *chronica* sive *habitualis;* e) ratione relationis ad causas: *epidemica* et *sporadica;* f) ratione effectuum: *salutaris* et *noxia;* g) ratione diversorum humorum aliarumque ma-

terierum se- et excretarum, nec non causarum: *stercorosa* seu *saburralis*, a collectis in ventriculo et tractu intestinali saburris, et a diaetae vitiis; *verminosa*, ab ansa multiplici, vermibus praecipue intestinalibus cum eorum secessu; *cibaria* seu *lienteria*, celeris ciborum parum vel non digestorum potuumque per praecipitem ventriculi ac intestinorum debito irritabiliorum motum peristalticum dejectio; *biliosa*, jam T. I. §. 168. memorata; *serosa*, a transpiratione suppressa per refrigerium, aërem humidum ac frigidum, potus frigidos, aut glaciem conditam (diarrh. rheumatica s. catarrhosa), a rheumatismo vel catarrho ad intestina transgresso, efflorescentia cutanea repulsa etc. (d. metastatica), pariter intestinis per purgantia aliasve substantias vehementer irritatis; *mucosa*, ab enteritide, dysenteria praegressa, a primarum viarum debilitate, laxitate et excedente muci secretione in polyblennia, scrophulis, diarrhoeis in genere chronicis; *cruenta*, in infantibus recens natis a sanguine cum lacte simul sucto et deglutito (*J. W. Schmitt*), in adultis ab haemorrhoidibus internis, purgantibus drasticis, venenis acribus, aliisve substantiis primas vias potenter irritantibus aut imo laedentibus; *alba*, incongrue *chylosa* dicta, potius *puriformis* (*fluxus caeliacus* auctorum, Milchruhr), ab humorum tractus intestinalis lymphaticorum, serosorum et mucosorum morbose alteratorum secretione, ex debilitate ac laxitate; a passivis humorum congestionibus in visceribus abdominis, praecipue autem chronicis glandularum intestinorum et mesenterii inflammationibus in arthritide, scrophulis, moliminibus haemorrhoidalibus, metastasibus lacteis, et a morbis cutaneis chronicis suppressis; tandem et *ichorosa* (*fluxus hepaticus* auct., Leberfluss), sub doloribus colicis fluidum seroso-cruentum, loturae carnis simile evacuans, non ab ulceribus hepatis solum, sed a varicosis etiam venarum in intestinis, speciatim haemorrhoidalium dilatationibus; a fluxus haemorhoidalis externi suppressione, intestinorum alio-

rumve viscerum abdominis ulceribus, intestini recti fistulosis.

§. 1204. Symptomata diarrhoeam partim praecedentia partim comitantia pro causarum morborumque principalium diversitate multum variant; communissima sunt: dysorexia aut anorexia, ventriculi oppressio, abdomen inflatum ac tensum, borborygmi, cutis sicca et frigens, sitis, urinae parcae, dedolatio, pulsus inordinati, quandoque intermittentes; tormina nonnunquam vel dolores hinc illinc scindentes aut lacerantes fugaces, cum nausea et vomituritione transitoriis. Diarrhoeis chronicis, sic et effrenibus ardor in intestino recto, tenesmus, debilitas magna, ipsae lipothymiae, faciei collapsus ac defiguratio, febris, aut intestinorum phlogosis et gangraena, vel tabes, hydrops superveniunt, succedunt. Fausto vero in casu evacuationes rariores fiunt, copia et fluiditate minuuntur, symptomata comitantia simul numero ac intensitate decrescunt, donec tandem dissipentur.

§. 1205. Insigniuntur in specie diarrhoea gastrica *saburralis* seu stercorosa, et *biliosa* phaenomenis, statum saburralem ac biliosum designantibus, in febre gastrico-saburrali ac biliosa recensitis; *lienteria* ingestorum nutrimentorum tam solidorum quam fluidorum vix ingestorum celeri partim adhuc crudorum partim parum mutatorum per alvum emissione, praecedente saepius bulimia, comitantibus nonnunquam ventriculi gravitate ac plenitudine, nausea, torminibus, hypochondriorum ardore; *serosa*, tempore autumnali quandoque cum malis rheumaticis simul epidemice regnans, doloribus colicis praeviis saepe utcunque intensis, sensatione flatuum secessum mentiente, nisu ad excretiones admodum celeri et valido, excretorum copia magna et fluiditate, atque malis diarrhoearum majorum sequelis cito ingruentibus; *mucosa* vere et autumno adulto cum variis adfectionibus catarrhosis non raro epidemica, ceterum in subjectis inertibus, debilibus, scrophulosis saepius obvia, symptomatibus catarrhalia aemu-

lantibus, uti: plenitudinis sensu, tensione, expansione, sensilitate abdominis, dejectionibus alvinis initio non dolorificis et fluidioribus, postea dolore et quandoque tenesmo stipatis, spissis, mucosis, diversimode coloratis, quae statu chronico, et a vermibus pendentes cum alvi retentionibus alternare consueverunt; *alba* aut *puriformis* qualitate peculiari fluidorum excretorum pro chylo olim habitorum; *ichorosa* denique, fluxus hepaticus incongrue vocata, ichoris foetentis, brunei, saepe sanguine remixti secessu, nec non symptomatibus, variorum cum primis viis communicantium viscerum ulcerationes significantibus, notantur.

§. 1206. *Disponunt* ad diarrhoeam debilitas organorum digerentium in genere, magna eorum seu naturalis seu morbosa irritabilitas, se- et excretionum aliarum serosarum aut muscosarum, transspirationis cutaneae praesertim restrictio. Hereditaria quandoque haec dispositio, integras vexans familias offenditur. — Momenta causae *occasionalia*, quorum alia epidemice, alia jam epidemice jam sporadice agunt, partim idiopathica sunt partim sympathica: consensualia vel antagonistica. a) *Idiopathice* diarrhoeas gignunt *activas:* exsuperans nutrimentorum, praeprimis irritantium, multum salsorum, acidorum ingurgitatio; fructus horaei immaturi, acidi, austeri; reliquiae ciborum non digestae, crudae vel depravatae; potus acidi, non perfecte fermentati, aut corrupti; substantiae quaevis remediorum solventium et purgantium, atque venenorum acrium numero adscribendae, saliva acris deglutita praesente ptyalismo, bilis abundans et acris, succus pancreaticus talis, pus, sanies, vermes; — *passivas:* cibi pingues, oleosi, fatui, facile acescentes, mel atque mellita, saccharata, fructus aciduli copiosi; lac pingue, sic et acescens. b) *Sympathice* diarrhoeas *activas* producunt: dentitionis opus; refrigeratio, abdominis maxime et pedum; catarrhorum, rheumatismi, vel arthritidis ad intestina migratio; — *antagonistice:* cohibita transspiratio cutanea, efflorescen-

tiarum variarum, ulcerum cutaneorum, sudorum chronicorum, sic et salivationis, lactationis, fluxus haemorrhoidalis, expectorationis diuturnae suppressio, repentina oedematum chronicorum dispulsio. Sympathice diarrhoeas *passivas* inducunt: metus, anxietas, terror, deprimens animi adfectus omnis, nec non imaginationis potestas. — Tandem c) qua *symptoma* diarrhoea utplurimum *activa* chronicas tractus intestinalis, pancreatis, hepatis, glandularum meseraicarum phlogoses ac suppurationes, potissimum *passiva* febres nervosas simplices characteremque febrium nervosum in genere, febrim putridam, phthises purulentas omnes, aliosque morbos bene multos extremo in stadio comitatur.

§. 1207. *Causa proxima, essentia* diarrhoeae partim in uberiore humorum simul vitiatorum intestinalium, aut bilis, succi pancreatici aliusve fluidi morbose producti secretione, partim in accelerato nimis motu peristaltico per tubum intestinalem, debitoque parciore, non proportionata, resorptione invenitur. Secretio autem largior ab humorum adfluxu jam per idiopathicam vel sympathicam vasorum capillarium, glandularum, viscerumve secernentium irritationem, jam per vasorum absorbentium laxitatem et inertiam adaucto, — motus peristalticus celerior jam ab irritatione, jam a debilitate ultro proficiscitur.

§. 1208. Diarrhoea *salutaris* esse potest, si materiae peccantes, eam facientes aut alentes, vel quoquo alio modo noxiae, vel morborum febrilium crisi in intestinorum tractum delatae, per eam moderata sub humorum jactura eliminantur; si viscerum abdominalium infarctus, humorum in pulmonibus, in aut ad caput congestiones, in abdominis, pectoris, cranii cavis, in textu celluloso cutis etc. collectiones, morborumque formae et symptomata inde pendentia, uti: digestionis, assimilationis, nutritionisque vitia, febres intermittentes rebelles, gravamina haemorrhoidalia, hypochondriasis, melancholia, arthritis, epilepsia, cephalalgia, visus ac auditus vitia,

dentitio difficilis, tussis chronica, dyspnoea, nec non pertinaces morbi cutanei, per diarrhoeam tolluntur, aut magnopere saltem sublevantur. Ast et salutaris duratione vel nimio humorum dispendio in nocivam convertitur diarrhoea.

Quo major ac celerior, aut diutius protracta humorum jactura, quo morbus principalis gravior, insigniorque digestionis turba stipatus, quo momentosiora simultanea sunt tum topica tum universalia symptomata, dolores nempe, febris etc., eo certius citiusve malae diarrhoearum sequelae, supra recensitae, ingruunt. Diarrhoea pervicax tabi, phthisi, cachexiis cum hydrope, scorbuto etc. accedens mortis utplurimum nuntia est.

Mali sunt ominis: ciborum ac potuum mox ingestorum praepostera et fere non mutatorum dejectio, materierum copiosarum puriformium, purulentarum, imo saniosarum, dissolutarum coloris brunei, cinerei aut nigricantis, sanguinis multi praecipue dissoluti eliminatio; diarrhoeae ipsae, quae febri lentae et meteorismo junctae hunc non minuunt; quae superveniente vomitu, alias nonnunquam levante, minime decrescunt; quae completa sub anorexia continuant; quae inscio contingunt aegro; quae pharmacis ac regulis diaeteticis et regimine psychico congrue ordinatis atque rite servatis resistunt; quaeque facile admodum ac frequenter redeunt.

Subjectis junioribus lauteque nutritis diarrhoeae haud aeque ac senibus et exhaustis obsunt. Hystericas vel pessime adficiunt.

Diarrhoeae chronicae repentina cessatio raro sine notabilibus manet malis sequelis; febre, dolore colico vehemente, abdomine expanso ac sensili stipatae enteritidem facile gangraenescentem minantur, cephalaea dira, nausea, exaltata oculorum auriumque sensibilitate, photophobia etc. circumdatae encephali vel meningum inflammationem metuendam faciunt etc.

Prognostica reliqua ex iis, quae de diarrhoeae varie-

tatibus causisque supra, nec non de morbis ejus principalibus vario exposita sunt loco, facile depromuntur.

§. 1209. Diarrhoea *salutaris non oppugnanda* directe, sed, nisi casu necessario potius promovenda, justos solum intra limites retinenda est; unde quaecunque ad noxas spectantia arceantur oportet et fugiantur. Modum vero transgredi minitans, vel jam transgressa, sicut diarrhoea nullo respectu proficua, generatim pro causa ejus, pro morbo principali seu universali seu topico, pro ejus ipsius symptomatumque comitantium magnitudine, atque redundante in organismum totum effectu curanda venit. Primarum igitur viarum sordes et contenta peregrina congruo aut emetico aut purgante quantocyus eliminentur, vel, si acria, venena in specie sint, largo simul attenuantium aut involventium purgantibus apte nuptorum aut cum iis alternantium usu mitigentur, vel qualitatibus essentialibus chemice immutentur et innocua reddantur, qualia in aqua fluidisque aquosis, mucilaginosis, mucilaginoso-oleosis, in oleis pinguibus recentibus, et intuitu certo in potentiis chemicis adaequatis praesto habentur. Hinc sordibus ac substantiis acidis, rancidis penes potulenta blanda aquoso-mucilaginosa, specialius magnesia, lapides cancrorum, soda carbonica, opponantur, — venenis acribus vegetabilibus potus mucilaginoso-aciduli, et purgantia acidula, mineralibus vero acribus sapones, kalia carbonica, sulphur, hepar sulphuris simul ac aqua, lac, serum lactis, emulsa, decocta saturata radicum althaeae, salep, symphiti off., hordei, orizae etc., gummi arabicum vel tragacanthae aquae aut lacti admixtum, et similia affatim potata, olea pinguia blandissima per se vel forma emulsi spurii aut enematum mucilaginoso-oleosorum assidue adhibita; nec non fomenta, cataplasmata emollientia abdomini imposita, balnea moderate calida. In diarrhoea a venenis acribus, si dolores vehementes atque continui, symptomata concomitantia, subjecti ratio

justum de enteritide imminente incutiunt metum, venaesectio ne differatur.

Ubi vermes diarrhoeam faciunt, cura jam exposita (§. 1039. ets.), diaeta parca specificisque prius debilitandi remediis, forti expellantur purgante.

Diarrhoeae biliosae juxta principia et regulas therapeuticas, ad febrim biliosam explanatas, tractentur.

Dentitionem difficilem comitans diarrhoea non nisi immodica et vere noxia cohibeatur modo, quo humorum ad caput congestio non inferatur, aut jam praesens non plane augeatur. Citra convenientem gingivarum curationem decocta blanda mucilaginosa, mixturae gummosae, enemata mucilaginosa, amylum gerentia, frictiones abdominis, fotusque calidi sicci communiter sufficiunt; syrupus diacodii, tinctura opii cautissima manu porrigenda, mucilaginosis addita ad urgentes solum necessitatis casus reservetur.

Diarrhoeae a refrigerio regimen calidum initio praesertim in lecto cum diaetae restrictione, haustus potuum theatorum ex decocto rad. vel infus. fol. alth., flor. verbasc., flor. sambuc., fl. tiliae etc. assiduus, hinc inde cremor hordei vel orizae conveniunt; illa tamen pergente, quin saburrae culpam gerant gastricae, *tinctura* opii prioribus addenda, vel pulvis *Doweri* requiritur. Si diarrhoeae juncta adest adfectio universalis catarrhosa vel rheumatica, et febris ex eodem simul nata refrigerio, illius magnitudo, hujusque gradus et indoles, nec non diarrhoeae *catarrhosae* vel *rheumaticae* dicendae ad utramque ratio serio pensitentur oportet, ut remediorum in cutem ac tubum intestinalem agentium adcommodatus fiat selectus, ut consentanea instituatur morbi totius medela, et ne diarrhoea, sine distinctione omnino necessaria, statim opiatis supprimatur.

Diarrhoea suam ab efflorescentia cutanea, sudore habituali, oedemate, ulcere chronico etc. suppressis, siccatis, repulsis originem ducens exigit, ut in illa mala revocan-

da vel pro possibili supplenda, et in ceteras excretiones omnes adcommodate promovendas opera impendatur.

Diarrhoeam ab animi pathematibus deprimentibus ortam animi quies, motus corporis adaequatus, diaeta restricta, sollicita ciborum potuumve exquisitio, regimen calidum, infusum flor. chamom., aut melissae, menthae etc. vel modicum vini blandi, cito plerumque componunt.

Diarrhoea chronicarum in abdominis visceribus phlogosium, scrophularum, scorbuti, phthiseos pulmonalis etc. symptoma tractamen requirit partim his ipsis morbis indicatum, partim speciale symptomaticum huic uniendum, quale mox generatim exponetur.

In diarrhoeis purulentis et ichorosis citra therapiam morbo toti convenientem, pus et ichor potu largo, fluidis blandis, mucilaginosis interne sumtis atque per enemata adplicitis diluantur, mitigentur, eliminentur.

Cura diarrhoeae febrium nervosarum, putridarum, typhi contagiosi etc. symptomatis in istorum jam morborum tractamine fuit statuta.

§. 1210. Diarrhoea autem amotis licet causis occasionalibus continuante, vel causis non eruendis, aut non auferendis, vel jam in chronicam protracta, remedia, quibus tollatur, aut insanabilis saltem coërceatur, indicantur varia, prout diarrhoea vel activa in statu intestinorum irritativo, aut solum erethismo, vel passiva in eorum debilitate, laxitate, resorptionis defectu radicatur. Conveniunt *activae:* a) remedia, quae secretionem auctam, irritationem deprimunt, ipsaque irritantes mitigant humores, qualia in infusis decoctisve bene mucilaginosis, in mucilagine gummi arabici etc. habentur; b) quae irritabilitatem (erethismum) imminuunt, motum peristalticum aequo celeriorem tardant et cohibent, quemadmodum praeter substantias mucilaginosas opium in specie, ipecacuanha dosibus minimis nauseam levem cientibus, eadem opio nupta in pulvere *Doweri.* In diarrhoeam primario vel secundario *passivam* in genere valent: a) quae roborando

et excitando primarum viarum totiusque organismi debilitatem ac laxitatem corrigunt, ut: salicaria, lichen island.; rad. colombae, arnicae; cortices salicum, ramorum quercus, simarubae, cascarillae; glandes quercinae, rad. tormentillae; alumen, gummi kino, utrumque junctum; b) quae incitant aliasque secretiones, imprimis transspirationem cutaneam, intendendo simul humorum ad intestina adfluxum restringunt, ideoque in usum trahuntur frequentissimum, nonnunquam *opio* hic *vere specifico* aptissime unita. Sunt hujus generis: interne infusa flor. chamom., herb. millefol., menthae, fol. salviae, herb. absinth., cort. cassiae lign., cinnamom., nuc. moschat., macis; majore sub debilitate cum tempore camphora, vinum, praecipue blandum subadstringens cum aut absque cinnamomo; liq. m. *Hoffm.*, aether sulphuricus, tincturae aromaticae variae; rheum dosibus refractis cum elaeo-saccharo; externe fomenta abdominis sicca calida, simplicia vel aromatica; frictiones modicae ope linteaminum fumo aromatico impraegnatorum, illinitiones, lotiones, fomentationes aromaticae, aromatico-spirituosae, balnea simplicia vel aromatica; sinapismi, vesicantia; enemata mucilaginosa, aromatica, opio addito; nec non motus, ubi conceditur, corporis adcommodatus. Remediorum dictorum variorumque praeparatorum selectus, definitio dosium, combinationes, et adplicandi rationes a casu quovis speciali prudenter considerato, et circumstantiis individualibus rite aestimatis definiuntur. Enemata involventia, vel, charactere diarrhoeae passivo obtinente, et excitantia, adstringentia cum aut sine opio reliquam therapiam semper, maxime vero, ubi morbus princeps intestina crassa speciatim rectum concernit, indoleque inflammatoria in hoc destituitur, adjuvant.

Diaeta simul strictissime exquisita digestu facilis, mollis, succulenta potius quam fluida, ejusque convenientis copia cautissime restricta, omnis dyspepsiae sicut potus largi avidaeque ingurgationis fuga absolute requiruntur.

§. 1211. Ut convalescentia ex diarrhoea promoveatur, morbus principalis forsan adhuc perstans, hujusque ut et diarrhoeae effectus auferendi sunt. Post diarrhoeas igitur activas nullo saepe opus est medicamine, sed regimine solum diaetetico mox designato, et ab omnibus recidivae ansis cautela. Post diarrhoeas passivas methodus nutriens, et speciatim digestionis organa roborans plerumque requiritur; quem in finem amaro-mucilaginosa, amara, amaro-aromatica aut spirituosa, imo debilitate et laxitate eminente, martialia conveniunt, hisque diaeta, facilis digestu, bene nutriens portionibus exiguis sumenda, vinum blandum, adcommodatus in atmosphaera libera motus, atque sollicita errorum diaeteticorum et refrigerationis fuga conjungenda.

Spec. 5. Cholera.

§. 1212. *Cholera* vi vocis (χολη bilis, et ῥεω fluo) profluvium bilis exprimit, unde germanica denominatio „*Gallenruhr*“ derivanda. Insigniuntur autem titulo cholerae (Brechdurchfall) vomitus ac diarrhoea vehementes iteratae, simultaneae vel cito sese mutuo excipientes, cardialgia, enteralgia et meteorismo stipatae.

Th. Sydenham, Obs. med. etc. Sect. IV. c. 2.
B. L. Tralles, histor. choler. atrocissimae. Vratisl. 1753.
M. Tallmann, diss. de Cholera. In *Stollii* diss. ad morb. chron. spect. ed *Eyerel*. Vol. II. p. 240 ets.
P. Frank, *S. G. Vogel*, *Richter*, *Haase*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 1213. Duplicem in tractatu cholerae *varietatem* distinguere oportet, unam *vulgarem* seu *nostram*, alteram *indicam*, seu *orientalem* appellatam.

1) *Cholera vulgaris* frequentius subito quam praegressis per horas vel nycthemeron *prodromis* intrat, uti sunt: delassatio, nausea, flatulentia, ructus nidorosi, amari aut acidi, acres, pyrosis, oppressio ventriculi, plenitudinis et anxietatis in epigastrio sensus, ventriculi intestinorumque dolores; urinae turbidae, crassae, flavo-

griseae, foetentes cum ardore missae, largior salivae adfluxus. *Intrante* cholera symptomatum horum pleraque increscunt, invadunt aegrum anxietas maxima ab epigastrio vel et ex toto assurgens abdomine, sitis clamosa, externorum frigus, calor ardens internorum, horror cum aestu alternans; pulsus simul parvi tanguntur, spastice contracti, duri, admodum accelerati, irregulares. Vomitu in principio et alvo cibi communiter, potulenta, pituita, aut et alia primis in viis contenta, postea fluidum biliosum coloris varii, acre, olidum, parciore aut largiore pituita nonnunquam et sanguine remixtum, egeruntur. Accessus vomitionum dejectionumque alvinarum adeo cito se excipiunt, ut paucarum spatio horarum triginta et plures adhuc numerare contingat. Continuante malo, increscente imo ejus ferocia vires cito labuntur, pulsus admodum debilis fit vix percipiendus, collabitur facies, pallet, defiguratur, friget corpus sudore viscido tectum, ungues livent, accedunt lipothymiae, spasmi atque convulsiones variarum partium v. gr. pharyngis, diaphragmatis, musculorum brachiorum, surarum etc., deliria. Quibus brevi remittentibus, constantique ulteriore sub decremento cholera sudoribus ac urinis feliciter judicatur, atque saepe satis nostro in climate in *sanitatem* terminatur; *vel* vero rebus adverse cedentibus in gastritidem aut enteritidem *abit*, suppuratione, ulceratione vel gangraena saepe laethiferam; *vel* vehementia non refrenanda primo jam aut secundo, tertio quarto die, virium vitae exhaustarum vel apoplexiae sub phaenomenis aegrum *interficit*.

Inter *mala posthuma* insignis in diarrhoeam aut alvum obstipam propensio, cardialgiae, colicae, spasmi vesicae urinariae, vitia digestionis frequentius observantur.

§. 1214. Cholera *idiopathica* occurrit aut *sympathica; febrilis* aut *non febrilis*, haec rara et vel initio solum talis, illa nunc febri inflammatoriae, specialius inflammatorio-gastricae, biliosae, rheumaticae etc. in decursu

quandoque indolem nervosam vel colliquativam adsumenti juncta, nunc et symptoma grave, vel imo periculosam *febris intermittentis* larvam sistens; *sporadica* aut *epidemica*, nostro in climate tempore aestivo haut infrequens, aut *endemica*, zonas torridas Indiae tum orientalis tum occidentalis, littora Coromandel, Bengaliam, insulas Sumatram, Javam etc. plectens. — Cholera *sicca* vocata (*Sydenham* op. cit.) impetuosam sine vomitu et sine diarrhoea sistit ructuum flatuumque simul explosionem. Rarissima est. — Cholera Indiae etc. endemica, *indica*, *orientalis* dicta speciatim infra exponetur.

§. 1215. *Disponunt* in choleram nostram insignis ventriculi intestinorumque irritabilitas ac debilitas, magna in vomitum ac diarrhoeam propensio jam praegressa. Dentitionis opus, hysteria, hypochondriasis, polycholia plurimum favent cholerae. Tempore fervido diu perstante eminens in eandem opportunitas observatur. — Ad momenta causae *excitantia*, quorum nonnulla epidemicam generant choleram, referuntur: a) *idiopathica:* grave quodvis in diaeta peccatum, speciatim ingurgitatio nimia potuum frigidorum, et acidulorum, nec non cerevisiae recentis necdum defaecatae, musti, fructuum horaeorum refrigerantium, ut persicorum, melonum, cucumerum etc.; doses nimiae tartari emetici, zinci sulphurici, purgantium drasticorum; venena acria, sublimatum imprimis et arsenicum; materiae acres, acidae, rancidae, putridae seu ingestae seu intus productae, degeneratae; quandoque et vermes; b) *sympathica:* adfectus animi vehementes, imprimis ira, metus, anxietas, terror, moeror gravis; excretionum normalium vel habitualium, praecipue sudoris, mensium, haemorrhoidum fluentium, fonticulorum etc. suppressio; imperfecta exanthematis, erysipelatis, insultus arthritici evolutio, aut evoluti repulsio. Cholera *symptomatice* nonnunquam dentitionem difficilem, enteritidem, peritonitidem, hepatitidem, insultus hystericos et hypochondriacos, febres intermittentes, comitatur.

§. 1216. *Natura* cholerae in vehemente ventriculi, intestinorum tenuium, ipsiusque imo hepatis irritatione valida cum nervorum iis prospicientium adfectione, impetuosisque inde motibus tum antiperistalticis tum peristalticis consistit, quibus contenta modo convulsivo sursum deorsumve acta, magno cum virium nixu excutiuntur. Hanc de cholerae natura sententiam partim symptomata, momenta causae disponentia et excitantia, partim observationes suppeditant, choleram in subjectis nonnullis facile in exhaustionem universalem, in aliis in acutas viscerum mox nominatorum inflammationes facile transire, cadaverumque sectionibus inflammationum in illis vestigia et gangraenae, communiter fuisse inventa.

§. 1217. Cholera aestate et autumno saepe epidemica malum omnino vehemens et terrificum, sibi permissa vero, vel minimum neglecta, aut plane perperam tractata periculo plenum sistit. In infantibus teneris, in adultis tam in phlogoses pronissimis quam e contrario debilitatis et exhaustis, in senio confectis utplurimum cito, imo intra nycthemeron lethalis evadit. Alias nostro in climate curatione tempestiva et congrua feliciter saepe sanatur.

§. 1218. In *therapia* eo primum adlaborandum, ut causae irritationis vehementis ventriculi et intestinorum quantocyus tollantur aut enerventur, et irritatio ipsa, ne in inflammationem abeat, citissime componatur. Si itaque irritamenta in ventriculo aut intestinali tractu qualiacunque faciunt choleram, atque hac ipsa non cito expelluntur, eliminationem eorum potu tepido fatuo largo iteratisque enematibus facilitare, accelerare; atque exigua fortasse residua iisdem, vel pro re nata involventibus, aut chemice decomponentibus remediis, quantum possibile, obtundere ac enervare oportet. Normae, quas hic sequi, remedia quae adplicare fas est, in tractamine diarrhoeae (§. 1209.) memorabantur. — Si evacuationes humorum, exanthemata, insultus arthritici suppressi in culpa sunt, plerumque non tam cito, ac ad inflammationem vel virium

exhaustionem praevertendam requireretur, restitui possunt aut abunde suppleri; directe igitur, sicut in priore quoque casu, *in irritationem* ventriculi intestinorumque infringendam, *exaltatam irritabilitatem* deprimendam, et demulcendas materies excretorias acres agatur necesse est. Princeps auxilium pro circumstantiarum indole vel in depletionibus sanguinis vel in opio, vel in utrisque apparatu pacante ac demulcente adjutis praesto habetur. In subjectis plethoricis, validis, minante generatim phlogosi phlebotomia, sanguisugae epigastrio utplurimum diutius dolenti adplicandae, pusillae emollientium, demulcentium, mixturae gummosae, emulsi amygdalini, mixturae oleosae etc. doses, enemata mucilaginosa, fomenta, cataplasmata emollientia abdomini imponenda, indicantur. Urgenti nimium vomitui et potio Riveri, pulveres aërophori (ex sodae bicarbonicae gr. quinque, acidi tartrici gr. sex et sacchari gr. quindecim conflati) cum aqua sub effervescentia sumendi, — diarrhoeae effreni enemata parca mucilaginosa, amylina cum tinct. opii opponantur. Deficientibus inflammationis metuendae indiciis, praevalente potius *indole* irritationis *nervosa, spasmodica*, opium potentissimum se ostendit remedium. Porrigitur tertia statim, vel media grani pars in substantia, aliquoties brevia post intervalla, vel tincturae op. simpl. aut compos. guttae sex, octo cum saccharo aut cum aqua melissae, cinnamom. simpl., chamomillae, aut menthae etc. Accedit virtute vinum blandum annosum, chochleatim modo hinc inde sorbillandum. Inter externa prosunt: enemata aromatica opium gerentia; epithemata aromatica aut sicca aut vino, spiritu vini aut aromatico madefacta, levia; lotiones abdominis spinaeque dorsalis cum vino aut spiritu quodam aromatico tepido; scutum stomachicum e theriaca; semicupia moderate calida. Morbo pertinacius continuanti cucurbitae siccae, sinapismi per abdomen, vesicans ad epigastrium ultro conveniunt. — Choleram febris intermittentis larvam cortex peruvianus et opium, tem-

pore intercalari congrue administrata, certo certius debellant.

§. 1219. Ut *convalescentiae* debite prospiciatur, omnis ad recidivam ansa, omnis organorum digerentium turba et irritatio cautissime fugiendae, restans irritabilitas magnaque in recidivas proclivitas tollendae, et vires deperditae sunt restaurandae. Secundum ac tertium in scopum usus pharmacorum blandorum, erigentium specialius mucilaginoso-amarorum et amaro-aromaticorum, forma decocti aut infusi, opio nuptorum, parvis modo dosibus sumendorum, omnino commendandus. Radix colombae maxime, dein lichen islandicus cum seminibus foeniculi, melissa, mentha etc. jure celebrantur. Quorum virtus victu facili, bene nutriente, modicum condito, vino blando, exhilaratione animi, aëre libero puro, motibusque in eo adcommodatis adjuvetur oportet.

§. 1220. 2) *Cholera orientalis*, speciatim *Indica* dicta, in India orientali humida, paludosa praesertim ad Gangetis littora a multis retro annis *endemica*, saepe pestis adinstar *exitialis*. Morbus cholera antiquissimis temporibus notus, forma tamen, qua nobis comparuit, recentiore exorta esse videtur aevo. Cholera hac sub forma, inferius delineanda, in *Hindostan* anno 1770 ex summa annonae penuria primum exorta, immanes statim inter populum strages edidisse fertur. Endemica post jam majore jam minore Indos mulctavit saevitie. Praegressis tempestatis constitutionibus per aliquot annos insolitis, ab anno 1817 in regno Sinensi, in Persia, dein in Asiaticis, tandem Europaeis Russiae ditionibus iteratim epidemica visa est; donec anno 1830 ulterius expansa Poloniam quoque, 1831 austriacam Galiciae partem, Borussiam, Hungariam, Austriam, speciatim Metropolim ipsam, Silesiam, Moraviam, Bohemiam incurreret, et in alterum usque annum 1832 hinc illinc devastando continuaret, nullo abhinc sui vestigio relicto. In Batavia, Belgia, Gallia, Anglia gras-

satam fuisse, in Hispania, Portugallia necdum cessasse, satis constat.

Ut innumeros fere de cholera scriptores taceam, nostratum solum praecipuos propriis observatis et experientiae innixos nominare liceat:

Andr. Wawruch, k. k. öff. ord. Profess. etc. Versuch die Natur der ostindischen Cholera pathologisch zu enträthseln. In d. med. Jahrbüchern B. XI. St. IV. p. 530; B. XII. p. 260 u. 400; B. XIII. p. 337 u. 498.

Dr. Fr. Güntner, Director etc. Beobachtungen üb. d. epidem. Brechdurchfall; gesammelt im k. k. allg. Krankenhause in Wien. Daselbst B. XI. p. 554 u. B. XIV. p. 34. — Krankheitsgeschichten von Cholerafällen, welche im k. k. allg. Krankenhause in Wien beobachtet und behandelt worden sind. Daselbst B. XII. p. 89; 244; 383 u. 500 u. B. XIII. p. 34.

Dr. Joh. Wagner, a. o. Profess. d. patholog. Anatom., einige Bemerk. üb. d. Cholera-Epidemie in Wien, aus d. pathologisch-anatomischen Gesichtspuncte. Das. B. XI. p. 491.

Dr. J. J. Knolz, k. k. Profess. etc. Beobachtungen der Wiener Ärzte üb. d. epidem. Brechruhr und ihre Heilart; aus den vorgelegten Berichten derselben zusammengestellt. Das. B. XII. p. 37.

Dr. Joh. Wisgrill, a. o. Profess. etc. Resultat d. pathologisch. und therapeutischen Erfahrungen üb. d. epidemischen Brechdurchfall, gesammelt in d. Filial-Cholera-Krankenhause Nr. 5 in Wien. Das. B. XII. p. 105. 202.

Dr. J. M. Prchal, Physicus d. Rakonitzer Kreises üb. d. i. Zaleschcziker Kreise in k. k. Galizien um sich greifende Brechruhr; aus d. diessfälligen Krankenbeobachtungen verfasst. Das. B. XI. p. 372.

§. 1221. *Praecedere* choleram, nisi subito invadat, communia consueverunt symptomata, solis metui ac terrori praecurrentibus certe non adscribenda: delassatio, animi dejectio, imminens animi deliquium; inquietudo, per vices anxietas abdominalis, dysorexia, dyspepsia, borborygmi, magna in diarrhoeam proclivitas, diarrhoea ipsa, transpiratio manca, urinae parcae; varia passim phaenomena catarrhalia aut rheumatica, imo febres ga-

stricae, gastrico- et catarrhoso-nervosae subacutae, intermittentes cum eminente aut diarrhoea aut vomitu aut utroque symptomaticis. Ipsum morbi, seu e prodromis evoluti seu absque his inopinate irruentis, *introitum* nostris in regionibus designarunt: frigus extremitatum, dein universale, tactu potius cognoscendum quam ab aegris accusatum, pectoris et epigastrii oppressio, dolor, anxietas; borborygmi, tormina, diarrhoea vel plurimum ac repente aucta, vel nunc ingruens profusa cum fluidi sero lactis aut decocto orizae, salep etc. similis secessu, floccis albidis intermixtis; vomitus simul aut paulo post accedens largus cum fluidi similis albicantis evacuatione, quod non consueto preli abdominis motu manifesto, sed sola, ut videtur, diaphragmatis et ventriculi actione, cardia et oesophago penitus relaxatis, per os quasi e syphone exprimebatur; facies nunc collapsa, prorsus defigurata, senescens, rugosa, pallida, caerulescens, oculi adparenter minores, in orbitam relapsi, annulis caeruleis imo nigris insigni latitudine profundissime sulcati, cutis praeprimis in facie, collo, manibus pedibusque jam dilute jam profunde caerulea, imo fere nigra, laxa, rugosa, sub attactu pastacea, elasticitatis et turgoris omnis expers, ingrate frigida, viscido nonnunquam tecta madore, labiorum, unguium cyanosis eminens aut nigredo; lingua frigida, pallida aut livens, muco albo quasi creta aut calce obducta; halitus frigidus; vox rauca, sono specifico alto (vox cholerica) depressa simul et debilis, respiratio lenta, parva, laboriosa, suspiriis intercisa; sitis clamosa cum avido aquae frigidae desiderio; extremitatum praecipue inferiorum spasmi tonici maxime torquentes, anomale periodici, motus spontanei vero, sensus externi, auditu quandoque difficili excepto, integri constantes, interni quidquam languidi permanente conscientia; ischuria renalis; pulsuum in arteriis defectus, in corde imbecillitas summa, inaequalitas, intermissio;

sanguis spissus, nigricans, ideo e vena aperta, lentissime stillans, aut nonnisi premendo emulgendus.

Symptomata recensita cito plerumque explicantur, citoque increscunt, variam ceterum variis in casibus intensitatem assecutura. Rebus enim fauste cedentibus incrementum uno alterove die successive fieri, nec altissimum cholera gradum attingere, deinde quoad vomitum imprimis, evacuationes alvinas et dolorificos extremitatum spasmos mitigari, vomitu et alvo materies biliosa excerni, pulsus restitui, insurgere, imo febrilis fieri, turgor vitalis, calorque redire, modicum augeri, cyanosis pallescere, dissipari, imminui sitis, sudor universalis vaporosus calidus prodire, et aliquae mingi urinae observantur. Sic paucorum dierum spatio aeger pristinae redditur sanitati. — Infausto autem successu symptomata exposita numero et vehementia citissime ac impetuose invalescunt, urgent praeprimis vomitiones, dejectiones alvi exhaurientes, spasmique immanes, frigus marmoreum et alienatio faciei summa evadit, pulsus nullus tangitur; et aeger exhaustus jam primo vel altero nycthemero morti traditur. Vel cholera in acutam transit gastritidem aut enteritidem subsequa plerumque gangraena; vel in soporem febrilem, vel in febrim nervosam cum torpore abit rarius sanatam; vel in diarrhoeam moderatam quidem sed protractam fatiscit.

§. 1222. Cadaverum sectionibus, citra externa nunc descripta, prout mors *vel* virium *suppressionis vel* revertentis aut progressae *reactionis stadio* insequuta fuerat, sequentia notatu digniora inveniebantur: *primo in casu* vasa meningum sinusque, ipsa cerebri substantia et medulla oblongata nigro oppleta sanguine, plexus chorioidei eodem turgidi; lingua caerulescens, strato tecta mucoso, membrana mucipara cavi oris, narium, faucium flaccida, discolor, saepe livida, viarum respiratoriarum, in specie laryngis, admodum sicca, maculis partim obscure rubris partim lividis obsita; nervi vagus,

sympathicus magnus, phrenicus et hypoglossus valde sicci, pericardium coloris rosei, cor plerumque flaccidum siccum, pars ejus dextra dilatata sanguine nigro fere coagulato referta, vena cava adscendens et portarum vena eminenter dilatatae, simili distentae sanguine; ventriculus saepe in medio constrictus, fluidum continens per vomitiones reddito analogum, membrana villosa maculis notata rubris, lividis aut rubiginosis, duodenum discolor et quemadmodum pylorus muco tenace viridicante aut bile effusa obductum, intestina tenuia reliqua quidquam dilatata, eorum tunicae sero tumidulae hincinde luride griseae vel parum rubellae, glandulae *Brunneri* et *Peyeri* incrassatae et intumescentia circumscripta elatae, ideo tunica villosa ibidem inaequalis aut tuberculosa, contentum intestinorum tenuium fluidum sero lactis simile, raro viridescens, flavicans, aut flaccos gerens mucosos, intestina crassa gase expansa laxa, lividis foedata maculis, fluidum mox descripto aequale continentia; vesicula fellea saepe bile spissa viridescente viridi-nigricante aut brunea repleta; hepar, lien vix mutati, renes flaccidi, vesica urinaria communiter contracta, rarissime lotium parcum coloris straminei continens; ganglion semilunare citra texturae alienationem superficie roseum, multos venarum plexus offerens; musculi livido-rubri, densi, rigidi, fibrae eorum singulae contractae. *Casu altero*, incipiente nimirum et progressa reactione, mortuorum sectiones externum quidem habitum mox descriptum, quasi paralysi defunctorum, et characteristicam ostenderunt cyanosim, in organis tamen essentialiter adfectis insuper reactionis majoris imo inflammationum producta demonstrarunt, quibus speciatim accenseantur: extravasatum serosum modicum a pleura, spissius et ad cordis superficiem formam exanthematis miliaris referens a pericardio, serosum tenue a peritoneo productum; glandulae Brunnerianae et Peyerianae exsudato albogriseo magis tumidae cum orificiis dilatatis exstantibus, per totam intestinorum te-

nuium tunicam villosam, imprimis in ileo prope valvulam Tulpii numerosissimae, seminis papaveris aut milii instar elevatae, in intestinis crassis glandularum substantia quidpiam solum tumida. Mortuorum *ex secundariis cholerae adfectionibus* cadavera alias, et pro istorum differentia diversas obtulisse mutationes, per se intelligitur; harum tamen utpote non specialium et aliunde notarum mentione hic supersedeo. (*J. Wagner* l. c., et *Berres* Erfahrungen gesammelt bey den Sectionen der in verschiedenen Stadien der Cholera Verstorbenen. In den med. Jahrb. etc. B. XIII. p. 111 etc.

§. 1223. In choleram orientalem eminenter *dispositi* sunt observati: metu, anxietate agitati, terrore perculsi, animi adfectu aut pathemate deprimente quocunque mulctati, rerum penuria pressi, frigori, tempestatis injuriis expositi, veneri, baccho dediti, lurido vivendi modo fracti, neonati haud secus ac senio confecti; porro aegri febribus nervosis, diarrhoea neglecta, nevrosibus, cachexiis praesertim phthisi pulmonali, tussi chronica, hydrope, marasmo detenti. — *Causa excitans* princeps propria fuit, ignotae licet indolis, *constitutio atmosphaerae epidemica;* qua factum est, ut non insignis modo in diarrhoeas et vomitus proclivitas, omnium solventium speciatim salium eccoproticorum usum prohibens, sed febres etiam catarrhoso-gastricae, gastrico-saburrales, biliosae, intermittentes, nervosae, maximo in diarrhoeam, hinc inde et vomitum nisu stipatae, epidemicae per menses increscendo choleram epidemicam antecederent; ut cholera in urbe aut pago vix inchoata illico plurimum variisque in locis ejus erumperet, quemadmodum Vindobonae diebus 14. 15. et 16. Septembris 1831 centeni subito fuerunt correpti; ut sub maximo constitutionis illius vigore influxus alii morbifici, diaetae errores praesertim et refrigerationes, non morbos sibi aut constitutioni annuae respondentes adeo, diarrhoeas nempe, vomitum, dysenterias, febres gastricas etc., quam fere ex-

clusive choleram progignerent epidemicam; ut occasiones tunc ad morbum terribilem producendum jam minimae sufficerent; ut aliis e malis decumbentes morti proximi serosas adhuc dejectiones et habitum cholera prehensis similem exhiberent; ut animalia denique domestica varia symptomatibus pariter adfici cholerae hominum non absimilibus observarentur. — Observata pro *contagioso* etiam cholerae *fonte* pugnantia nostris in ditionibus stabilita defuere.

§. 1224. De cholerae orientalis *natura* fere coecutimus. Cholera haec remotam cum febre ephemera protracta *maligna* analogiam offert. *Stadium enim frigoris* cum suppresso fere humorum circulo et respiratione parva, ideoque sanguinis oxydatione suspensa, praedominante igitur indole ejus venosa et cyanosi effectiva, cum transspiratione, salivae, urinarum secretione, exhalationibus internis suspensis, exorbitantibus autem humorum serosorum in primis viis secretione et largissima identidem per os et alvum expulsione, cum praecordiorum anxietate et spasmis extremitatum inferiorum summe dolorificis, per unum aut paucissima perstans nycthemera, *morbi exordium* proprie constituit, saepissime jam laethale. Sequitur casu laetiore *stadium reactionis* virium sensim liberatarum et gradu vario insurgentium, redeunte circulo manifesto, imo ad febrilem aucto, redeunte simul calore et turgore vitali, cyanosi recedente, vomitus contra, diarrhoeae, sitis, spasmorumque imminutione notatum. Finem imponit *stadium criticum*, per vomitum alvumque nunc rariorem et biliosam, sudores universales vaporosos, revertentem urinarum se- et excretionem, spasmorum silentium, viriumque restitutionem insignitum. Quibus non turbatis, non interceptis *convalescentia* aegrum sanitati reddere consuevit.

Attamen quae sit virium suppressionis et speciatim cutis aeque ac systematis circulatorii pareseos causa proxima, num haec cutem, systema circulatorium cor impri-

mis, vel systema nervosum gastricum primarie concernat, num igitur phaenomena cutem et systema circulatorium spectantia, impetuosae in systemate gastrico turbae, vel turba haec potius pareseos in illis obtinentis effectum sistant antagonisticum, decidere non ausim.

§. 1225. *Prognosis* e nosographia cholerae orientalis facile desumitur. Patet inde, magnam ejus esse lethalitatem, hancque epidemiae incremento, fastigio ac decremento exacte respondere; lethalitatem maximam in frigoris, asphyxiae, et cyanosis stadium, minorem in illud reactionis resurgentis, minimam in criticum, praecipue turbatum, incidere. Prioris igitur stadii signa descripta, nisi levia et pauca malam, saltem valde ambiguam, signa stadii alterius, meliorem, tertii demum laetam in genere concedunt prognosim. Reactio justo fortior, seu morbo inducta seu tractamine incongruo, stimulante et calefaciente provocata, jam insignes ad cerebrum, pulmones aut cor congestiones cum sopore ac torpore, dyspnoea, suffocationis metu aut palpitationibus cordis etc., jam veras horum aliorumve viscerum phlogoses cum sequelis non raro lethiferis, jam debilitatem indirectam viriumque exhaustionem producere visa est. Subjecta aetate, aerumnis, dissoluto vivendi genere, morbis fracta, puerperae, infantes recens nati, prae aliis periculose apud nos decubuere, periere. Cholera e diarrhoea neglecta prodiens semper periculosa. Idem de graviore quavis complicatione sentiendum.

§. 1226. *Therapia* generalibus regitur indicationibus. Quum vero constitutionem atmosphaerae peculiarem epidemicam qua causam principem emendare medici superet facultatem, indicationi primae satisfieri solum potest, quatenus ansae cooperantes accidentales, uti saburrae gastricae, refrigeratio, animi adfectus, etc., nec non complicationes noxiae tolluntur, enervantur. Hunc in finem emetica specialius ipecacuanha, saepe admodum proficua inventa fuerunt. — In morbum ipsum directe

agere causae proximae ignorantia impedit, hinc phaenomena eminentia, stadia, individui conditionem etc. probe respicere oportet. *Stadio primo* itaque vomitui, diarrhoeae atque spasmis dolorificis praedominantibus per infusa, decocta mucilaginosa, mixturam gummosam, emulsionem amygdalinam etc. calide parvisque dosibus saepe sumendas, per frictiones lenes; fotum siccum calidum extremitatum dolentium, imo totius sensim corporis superficiei, et in junioribus, robustis, plethoricis per venaesectionem et potus mucilaginoso-acidulos occurrendum est. Hisce remediis statim initio apte diligenterque administratis, et balneis calidis adjuvantibus non raro morbum in alterum, reactionis stadium, cito perducere, et ad faustam disponere crisim contingit. Frigus cutis universale, cyanosis, circuli et respirationis languor, pulsuum parvitas, debilitas, defectus eminentes, adaequata utplurimum phlebotomia praemissa, per ipecacuanham scopo emetico, deinde solum alterante, per lotiones corporis frigidas, frictiones mediante glacie, frequentes aquae frigidae parcae haustus feliciter saepe debellati fuerunt. Symptomatibus iisdem, nec non debilitate vitali, sopore, dyspnoea, cholera ipsa gradu maximo urgentibus, quibus methodi aliae ac remedia varia consuetim frustra fuerant opposita, tentatum posthac tractamen per frigus; quod interne per aquam frigidam, glacialem, imo glaciei frustula, pillularum majorum magnitudinis, omni tertio, quinto minuto primo porrecta, externe per lotiones ope aquae glacialis, frictiones per glaciem nostra sub epidemia quandoque vitam adhuc salvasse observatum fuit, vomitum ac diarrhoeam effrenem et spasmos cito restringendo, componendo, calorem ac turgorem revocando, circulum sensim liberando, restituendo. *Vomitus exsuperans* pulveribus aëroforis, opio, cucurbitis siccis in epigastrio, nonnunquam emetico, ipecacuanha, — *diarrhoea* excedens iisdem ac enematibus amylinis, opiatis etc. refrenari solent.

Stadio altero reactio prudenter dirigenda, insufficiens per stimulos congruos minores majoresque notos adjuvanda; debita per incitamenta lenissima, infusa, aquas aromaticas melissae, menthae, chamomillae etc. cum liquore C. C. succinato, auram camphorae etc. sustinenda; excedens ad congestiones activas majores, aut inflammationes imo cerebri, pulmonum, intestinorum, hepatis etc. aucta, per methodum antiphlogisticam generosiorem, phlebotomiam, hirudines, refrigerantia ac diluentia reprimenda, inaequabilis hic sedando ibi excitando vires in harmonicum reducenda est ordinem. Calomel hepate tumente non inflammato, ad faciliorem bilis se- et excretionem proficuam invitandam parvis dosibus a nonnullis cum fructu fuit adhibitum. — *Stadio critico*, quemadmodum in omni crisi virium status atque reactionis gradus et modus, dein evacuationes criticae probe attendantur oportet, et pro necessitate sustententur, aut intendantur aut coërceantur, methodis ac remediis pro re nata facile definiendis. (Specialiora de his ut de nonnullorum remediorum valore per usum comperto in tractatibus *Güntneri*, *Knolzii*, *Wisgrillii* Med. Jahrbücher etc. l. c. inveniuntur.)

§. 1227. *Convalescentiae* curae, in tollendo residuos cholerae effectus et recidivos praecavendo consistens, penitiore haud indiget expositione, quum partim per effectuum indolem, sedem etc., partim per noxas nunc fugiendas, ex supra dictis omnino notas, indicetur.

Spec. 6. Polycholia, et excretiones biliosae.

§. 1228. *Polycholia* (status biliosus, die Gallsucht, der gallichte Zustand) proxime morbum hepatis suum agnoscit fontem, bilis utplurimum vitiosae secretione nimia modo essentiali sese prodentem.

J. Chr. Reil, opp. cit. T. III. §. 163—192.

§. 1229. In tractatu de febre biliosa (T. I. §. 167.—181.) jam memoratum fuit, secretioni bilis quantitate

nimia et qualitate peccantis propriam hepatis adfectionem, et quidem plethoram cum virtute secretoria exaltata, causam subesse proximam; ibidem et corporis animique dispositio huic morbo hepatis favens, momenta causae occasionalia, nec non symptomata ac phaenomena tam a morbo isto quam ab uberiore ac vitiosa bile promanantia fuerunt exposita. Hic itaque adjungendum restat, polycholiam, qua statum morbosum febre carentem, jam brevi jam diu durare, gradu jam modicam jam vehementem esse, symptomatibus cunctis in febri biliosa recensitis stipari sequelasque post se trahere ibi commemoratas; excretiones biliosas nonnisi altiori polycholici status gradui symptomatice adhaerere, et, quemadmodum hic ipse, nunc breves nunc diuturnas, nunc parcas nunc immoderatas esse, atque praeprimis qua *vomitum biliosum*, *diarrhoeam biliosam*, et *emetocatharsin biliosam* seu *choleram genuinam* manifestari.

§. 1230. *Diagnosis* excretionum istarum qua biliosarum, congruo sub auxiliorum diagnosticorum notorum usu, perfacilis est. *Significatio*, valor earum, et *therapia* conveniens ex iis, quae circa illas T. I. §. 181. —185., et supra §. 1203. et 1218. tradebantur, atque ex principiis de therapia profluviorum in genere statutis deduci possunt.

§. 1231. *Therapia* polycholiae chronicae, cujus germina saepe connata, totique constitutioni individuali impacta, nunquam evellenda occurrunt, pariter jam T. I. §. 177. indigitabatur. Varia instituatur oportet, prout congestio sanguinis activa vel passiva in hepate et toto venae portarum systemate polycholiae subest, et prout activam irritabilitas hepatis aut systematis quoque sanguiferi, vel et nervosi aut normalis aut excedens concomitatur.

§. 1232. *Diabetes* (hydrops ad matulam *auct.*, urorhoea *Swed.*, die Harnruhr) excedens dicitur urinarum communiter in miscela alteratarum, copiam fluidorum ingestorum longe superans se- et excretio, se- et excretionibus caeteris praesertim cutis et primarum viarum, imminutis aut plane suspensis, emaciatione, symptomatibusque ex diuturno humorum dispendio pedetentim propullulantibus stipata.

W. Trnka de Krzowitz, de diabete commentarius. Vindob. 1778. 8.
J. Rollo, Abhandl. des Diabetes mellitus etc. Herausg. von *Heidmann*. Wien 1801. 8.
W. Fr. Dreyssig, Handwörterb. der med. Klinik. B. II. Th. I. S. 345—441.
Cullen, *Burserius*, *P. Frank*, *Reil*, *Haase*, opp. citat.

§. 1233. Antiquitates hujus morbi a *Galeno* (de locis affectis L. V. c. III.), *Celso* (de Medicina L. IV.), et *Aretaeo* (de morb. acut. et chron. L. II.) repetuntur; primus tamen ad materiem saccharinam urinis contentam *Willisius* (Pharmac. rational. Amstel. 1675. Sect. IV. c. 3.) attentionem direxit. *Morton* deinde (Phthisiologia. Lond. 1689. L. I. c. 8.) odorem ac saporem melleum animadvertit; et disquisitiones urinarum chemicae per *Darwin*, *Dobson*, *Home*, *Fourcroy*, *Cruikshank*, *Black*, *Marabelli*, *P. Frank*, *Dupuytren* et *Thenard* institutae extractum saccharinum quantitate haud spernenda exhibuerunt. Morbum proinde cum urinarum hujus indolis, odorem consuetim acidulo-subdulcem, melleum aut violaceum, saporemve melleum aut saccharеum offerentium evacuatione *diabetem mellitum* (honig- oder zuckerartige Harnruhr), cum urinis vero fere limpidis, inodoris ac insipidis, *diabetem insipidum* (geschmacklose Harnruhr) nominare placuit.

§. 1234. Sunt morborum speciei varietates, quarum altera in alteram transire potest (*P. Frank*). In diabete mellito saltem materia saccharina non solum quantitate modo

largiore modo parciore adest, sed quandoque etiam varium per tempus plane deficit, urinae ceterum non aperte largiores secedunt; quae vero in diabete insipido consuetim largissimae, triginta, quinquaginta et plurium adhuc librarum copia intra nycthemeron, excernuntur, pondere ingesta fluida cibosque semper superant.

§. 1235. *Prodromi* diabetis, symptomata plerumque digestionis turbatae, vitiatae cum acidi genesi, frequentiores sunt: ructus acidi, pyrosis, vomitus acidus, pituitosus, appetitus inconstantia; morbi jam existentis *indicia:* siccitas oris fauciumque molesta, ardori sociata, sitis perpetua clamosa sine febre, fames insolita, mictus largus, noctu imprimis frequens. Aeger dum mingit, aut morbosi nihil aut dolores et spasmos in renibus sentit, aut fluidum frigidum guttatim in vesicam depluens percipere sibi videtur. In morbi semper diuturni decursu cutis sicca imo squamosa fit, gingivae intumescunt, parca saliva spumosa, spissa, nauseose dulcescens vel amaricans evadit, excedit saepe appetitus, intrant macies, debilitas, prava animi dispositio, hypochondriasis, remittunt mentis facultates, sensus externi ac interni obtunduntur, febris lenta depascens, nonnunquam pneumonia aut pharyngitis, admodum frequenter hydrops, sensim evolvuntur, sub quibus uti diarrhoeis colliquativis serius accedentibus urinarum omnino restringitur quantitas. Mictus frequens graviter turbat somnum, et nisi summa curetur mundities, lotium saepe depluens partium genitalium dolores, phlogoses, ulcerationes inducit.

Utut morbus in decursu periodos adparentis exhibeat emendationis, remissiones tamen istae brevi solum durare consueverunt, recrudescit postea malum eadem aut intensiore adhuc vehementia, et plerisque in casibus aegros trucidat.

§. 1236. Praeter differentiam supra memoratam diabetes *lacteus* quoque, *purulentus*, *pituitosus* etc. distinguitur; omnes autem illius modificationes *idiopathicae*

occurrunt vel *sympathicae; substantivae, symptomaticae* v. gr. nevrosibus variis, febribus intermittentibus adhaerentes, vel *criticae*, quarum posteriores ambae utpote transitoriae diabetis *spurii* nomine veniunt; *purae* vel *complicatae; continuae* (cum aut sine remissione) vel *intermittentes; manifestae* vel *latentes*, quae nimirum parco quidem sed dulcescentis urinae sub fluxu (*P. Frank*) emaciationem, tabem, viriumque consumtionem inferunt.

§. 1237. De speciali in diabetem *dispositione* certi nil constat. Id solum observatum est, sexum masculinum illo vix non exclusive mulctari. — Causis *excitantibus* omnes noxae ac morbi accensendi sunt, vel renes modo idiopathico aut sympathico directe adficiendo, vel se- et excretiones alias normales aut morbosas restringendo et sistendo secretionem urinarum ultra normam adaugentes, specialius pharmacorum, potuum esculentorumque diureticorum abusus; coitus nimium cultus; — calculi renales, nephritis chronica, abscessus renum, eorundem hydatides (*Bedingfield*); refrigerationes; rheumatismorum chronicorum, efflorescentiarum cutanearum, arthritidis suppressio; imperfecta febrium intermittentium sanatio; viscerum abdominis infarctus, spasmi pervicaces. *Rollo* et *Pemberton* nimium ciborum vegetabilium usum, *Mead* haustus frigidos diabetis causas maxime vulgares esse contendunt.

§. 1238. De diabetis *natura* variae prostant sententiae, a *Dreyssig* (l. c. p. 372 — 385) et *Haase* (l. c. p. 344—356) fusius lustratae. Plerique auctorum, praeeuntibus *Mead*, *Gantz*, *Cullen*, *Dobson*, vitia digestionis praecipue respexerunt, et *Pemberton* ac *Haase* in iis, non in renum secretione, rationem formandi in diabete mellito sacchari sitam esse arbitrantur, licet *Wollaston* (philos. trans. for 1812), e diabeticorum sanguine saccharum elici non posse, contra *Rollo* et *Cruikshank* jam demonstrarit. *Haase* diabetem completum, quem nonnisi mellitum agnoscit, pro morbo habet dynamico et chemico,

ejusque essentiam in succi gastrici et enterici superoxydatione, per morbosam viscerum abdominis, speciatim hepatis ac lienis, conditionem ac functionem producta haerere, atque ex ista (considerata sacchari formatione a *Kirchhof* detecta) tam sacchari ipso in sanguine formationem, quam irritationem renum cum secretione excedente, subsequam maciem etc. etc. explicari posse existimat. *Hufeland* (Journ. d. pr. H. 1818. St. 12.) analogiam sacchari inter et calculorum urinalium genesim videt, conditionem utrorumque principalem acidum uricum liberum exsuperans esse ratus. — *P. Frank* nimiam vasorum absorbentium activitatem inculpat.

Mihi causa diabetis proxima, singulis in casibus vix enodanda, cum illa nimiarum se- et excretionum aliarum in genere convenire videtur. Quare a) nunc in locali humorum in renibus *congestione activa*, eorundem, urethrum, aut vesicae statu irritativo aut moderate inflammatorio lento (*Watt*, *Satterley*, *Bedingfield*, *Formey*, verm. med. Schrift. B. I.), qualem momenta excitantia nephritidis ac cystitidis T. I. §. 447. et §. 457. enumerata, dum moderate diuque agunt, nec non se- et excretionum aliarum, maxime transspirationis cutaneae (*Ritter*, *Wolf*) a consuetis notisque rheumatismorum causis, quandoque ab arthritide, a spasmis diuturnis perstantibus praecipue in visceribus abdominis (*Creuzwieser*), suppressiones diuturnae inducere valent, — nunc b) in congestione humorum *passiva* et renum laxitate ab irritatione nimia praegressa et habituali humorum adfluxu justo largiore, cum universali debilitate et laxitate secundaria, per diureticorum abusum, ipsiusque imo diabetis cujusvis durationem longam producta, — nunc c) quoad diabetem mellitum, *in digestionis*, chylificationis et sanguificationis turbis, quarum indoles vera nondum liquet, in succi gastrici et enterici superoxydatione fortasse consistens, — quaerenda erit.

§. 1239. *Prognosin* in diabete, raros ad morbos

spectante, origo praesertim et causa ejus proxima dirigunt; multis igitur in casibus illa ob deficientem aut vacillantem diagnosin anceps manet ac indeterminata. Ceterum diabetes chronicus et subjecta senilia vexans fere omnis lethalis est. Mellitus ceteris paribus per effectus suos citius deleterius fit; et constanter sanati vix prostat exemplum. Post insipidi raram, et non nisi prima ejus aetate impetratam sanationem magna in recidivas facilitas observata est. Ut *Dessault* et *P. Frank* ita et ego aliquot jam casus diabetis cum hydrope aliquoties alternantis vidi.

§. 1240. *Therapia* diabetis, hucusque admodum fluctuans, nonnisi causis excitantibus atque conditionibus mali, aegri constitutione individuali tota et speciatim statu virium vitalium et humorum universali quovis in casu exacte ponderatis stabiliri potest. Hisce indicantibus definire conceditur casus, in quibus tractamen et regimen antiphlogisticum a *Watt, Satterley, Bedingfield* commendatum, speciatim largae phlebotomiae, depletiones sanguinis locales et frigoris adplicatio (juxta *Formey*) utilem promittant effectum; quibus normae pro nephritide et cystitide curandis traditae conveniant; — in quibus methodus diaphoretica (juxta *Ritter* et *Wolf*), antiarthritica, eccoprotica (secundum *W. Prout*), antispasmodica interna et externa suum inveniat locum; — in quibus remedia incitantia, irritantia, adstringentia, in quibus tonica stomachica, acido adversa, magnesia speciatim usta, dosibus magnis cum diaeta animali (*Ferriar* et *Ayne*), ammonium sulphuratum cum victu mere animali absque omni potu fermentato (*Rollo*), — in quibus denique methodus combinata, imprimis diaphoretica cum antispastica per camphoram, opium, pulverem *Doweri*, alcali volatile (*Neumann* in *Hufeland* Journ. etc. July 1822), balnea, epispastica, praesertim vesicantia sint scopo responsura.

Insanabilitate morbi evicta ad lenienda et cohibenda

pro possibili symptomata, vitamque procrastinandam omnis circumscribitur therapiae finis, cujus partem magni momenti psychicam nunquam praetermittere interest.

§. 1241. *Reconvalescentia* secundum principia generalia promoveatur oportet, simulque maxima insignis in recidivas propensionis ratione semper habita eo major recidivis evitandis navetur sollicitudo ac labor, quo certius istae justum de morbi pervicacia, imo insanabilitate metum secumferunt.

Spec. 8. Incontinentia urinae.

§. 1242. *Urinae incontinentia* (enuresis, unwillkührlicher Harnabgang) facultatis, urinas ad veram usque excretionis necessitatem retinendi, defectui adquiescit.

H. Callisen, principia systematis Chirurgiae hodiernae. P. II. Hafn. 1790.
A. G. Richter, Anfangsgründe der Wundarzneyk. B. VI.
J. P. Frank, *Haase*, *Jos. Frank* et a.

§. 1243. Proficiscitur autem hic defectus vel a) a mentis adeoque et voluntatis liberae absentia; vel b) a sphincteris vesicae viribus contractivis absolute aut relative imbecillibus; vel c) ab impedita ejus contractione; vel denique d) a colli vesicae aut hujus ipsius fistulis extrorsum patentibus. — a) Mentis absentia involuntariumque inde urinarum profluvium, morborum plerorumque deliriis aut sopore stipatorum, saepe et vesaniae symptoma est. b) Absoluta sphincteris imbecillitas vel morborum acutorum aut chronicorum magnae debilitati universali et atoniae junctorum symptoma, apoplexiae sequela, aetatis provectae senilis comes, vel debilitatis et laxitatis topicae, paralyseos aut laesionis, destructionis partialis sphincteris effectus observatur, a protracta per caput infantis sub partu impactum pressione, a contusione, vulnere illius per instrumenta sub partu difficili, sub lithotomia, ab extensione per haerentes diu impactos cal-

culos urinales, per grandium extractionem, a sphincteris ulceratione, commotione medullae spinalis productus. — Debilitas sphincteris relativa contractionem relative nimiam ac involuntariam, vel pressionem vesicae supponit. Prior a spasmis pendet, vel morbos spasticos, epilepsiam, hysteriam, hypochondriasin, choream etc. comitantibus, vel vehemente per lotium acre, calculos, vesicae aut partium vicinarum ulcera, haemorrhoides, menses suppressos, fistulas ani, refrigerium irritatione causatis; pressio in vesicam et urinas contentas a gravido mensibus ultimis utero, ab hujus aut ovariorum tumoribus, prolapsibus, polypis, a vomitu, tussi, sternutatione validis potest exerceri. c) Impedita sphincteris contractio jam calculum in collo vesicae haerentem, idque non perfecte obturantem, jam colli intumescentias, indurationes pro fonte agnoscit. d) Fistulae memoratae inflammationum colli vesicae aut hujus ipsius non resolutarum, nonnunquam et lithotomiae tristes restant sequelae.

§. 1244. Pro recensitis nunc conditionibus forma incontinentiae differt; vel enim involuntarie continuo, guttatim, saepe sine sensu morboso stillant urinae, *enuresis completa;* vel per intervalla tantum urinae, certam ad quantitatem collectae, subito, priusquam aeger ad mingendum parare se possit, cum dolore, spastica vesicae contractione, expelluntur, *enuresis spastica.* Utroque in casu, praesertim priore per vestimenta conspurcanda, foetorem, partium irroratarum pruritum et ardorem maxime incommoda, per earundem arrosiones ulceraque rebellia, per somni turbas, animi inquietudinem etc. noxia evadit.

§. 1245. *Duratio* morbi, *terminationes, sequelae,* praeprimis *sanabilitas* aut *insanabilitas* nonnisi constante circumstantiarum illum generantium ac foventium sub respectu dijudicari possunt et pronuntiari.

§. 1246. *Therapia* in morbum principalem seu universalem seu topicum tollendum, aut, impossibilitate obstante,

imminuendum dirigatur oportet. Qui si mentis absentia aut perturbatio est, in malis acutis frequenter sed in chronicis quoque obvia, tractamine istorum characteri, intensitati, stadio etc. conveniente indiget, ut minuatur aut sanetur. — Si morbus princeps in locali sphincteris vesicae debilitate, atonia aut paralysi consistit, remedia tonica, incitantia, irritantia ad perinaeum vel interfoemineum, vaginam, intestinum rectum, regionem sacralem, lumbalem vel hypogastricam adplicanda sunt, ut: injectiones in vaginam, aut enemata ex aqua frigida, infusis aromaticis, decoctis, solutionibus stipticis; epithemata, inunctiones, lotiones, semicupia adstringentia, aromatica, spirituosa; vesicantia, frequens colli vesicae per specillum titillatio, irritatio, actio in sphincterem electrica. His debilitate universali coëxistente remedia tonica, adstringentia, aut stimulantia diffusibilia congrua, diaeta concordans etc. copulentur.

Ubi vulnera, ulcera, fistulae incontinentiam urinae insanabilem reddunt, chirurgia ad gravia incommoda saltem sublevanda et praevertendos malos urinae continuo manantis effectus facere valet, receptacula urinae, lagenas elasticas adligando, immittendo catheterem obturatum et per vices solum prout necesse aperiendum, vel compressorium urethrae, v. gr. *Nuckii*, adplicando, in feminis spongiam aut pessarium elasticum vaginae intrudendo.

Irritabilitati nimiae et contractionibus vesicae spasticis remedia pacantia et antispastica nunc topica solum nunc et universalia, simplicia speciatim aut aromatica fomenta tepida, inunctiones, injectiones, enemata cum vel sine opio, balnea, interne emulsa, fluida mucilaginosa, vel, prout res postulant, aromatica cum opio, extracto hyoscyami etc. opponantur. Non praetervidendum simul urinas diaeta blanda, et largo aquae, fluidorum, mucilaginosorum, emulsionum et similium potu pro possibili dilui debere et demulceri.

Sphincteris impedita per calculum interpositum contractio, hujus extractionem, et sublatis operationis sequelis non raro adhuc tonica, adstringentia, aut irritantia topica exigit. Contractio per colli vesicae et sphincteris incrassationem, indurationem, desorganisationem impedita, indeque pendens enuresis, sanationem utplurimum recusat.

Spec. 9. Sudor.

§. 1247. *Sudor* (hydrosis, ephydrosis, der Schweiss) dicitur excedens humorum serosorum per cutem evaporatio.

J. P. Frank, Reil, Haase opp. cit.

§. 1248. Ante omnia salutarem, criticum, a nocivo, morboso distinguere juvat sudorem. Quibus in morbis salutaris obvenire soleat, multis hujus Therapiae locis jam prolatum est, et infra adhuc in tractatu de Nevrosibus ostendetur. Nobis hic de sudore solum morboso sermo faciendus. Cum copia plurimum variet, generatim morbosus habendus, qui functionum normalium turbam, veramque virium debilitatem efficit. Quoad qualitates sudor jam tenuis est, diaphanus, in guttas limpidas collectus, jam spissus, viscidus; plerumque pallide flavescens, raro crocei vel viridescentis, rarissime sanguinei vel nigri coloris; odoris varii; et salsi, amaricantis, imo quandoque dulcescentis saporis.

§. 1249. Sudor congestioni humorum in cute activae vel passivae, cum copia vel expansione eorum adaucta et tenuitate morbosa, proxime innititur. Quare symptoma et effectus est: a) moderatae systematis sanguiferi irritationis cum cutis speciatim aut irritatione aut relaxatione, per aëris, balneorum fervorem, nimium vestium, integumentorum fotum, motus corporis validos, potus aquosos largissimos, aromaticos, spirituosos, remediorum diaphoreticorum, narcoticorum abusum, sordes in primis

viis gravantes, irritantes, circuli liberi in organis internis obstacula, se- et excretionum aliarum, intestinis praecipue, renibus, utero praestandarum, turbas, suppressiones inductae; b) morborum debilitati cum universali aequabili vel et praevalente cutis imbecillitate, et humorum tenuitati junctorum, quemadmodum febris putridae, nervosae, omniumque febris specierum charactere putrido vel nervoso gradus altioris stipatarum, virium consumtionis mortem vicinam nuntiantis, marcorum, in specie phthisium ulcerosarum stadio ultimo, immodici denique humorum in cutem adfluxus habitualis, longo plerumque et pharmacorum et regiminis diaphoreticorum abusu generati.

§. 1250. Hacce originis causarumque differentia, sicut sudorum copia, duratione et repetitionibus, effectibus ac sequelis immediatis, quae cum illis aliarum se- et excretionum excedentium conveniunt, subjecti demum aegri constitutione *significatus* ac *dignitas*, inde *prognosis* quoque et cura sudoris definiuntur.

§. 1251. In sudore morboso *curando*, quaequae inter causas ejus indicabantur, primum tollenda sunt et procul arcenda. Hinc frigidula aëris, potuum, pharmacorum congruorum temperatura, vestitus ac integumenta corporis, praesertim partium levissime vel plane non tegi solitarum, levia, irritamentorum gastricorum eliminatio etc. ad sanationem plerumque strictissime requiruntur. Praeterea pro illius indole methodus medendi jam refrigerans, humorum massam imminuens vel congestos a cute derivans, vel debito tenuiores corrigens, jam vero roborans, adstringens, excitans, vel antagonistice irritans, singula aut apte combinata, instituatur. Remedia singulis harum methodorum inservientia, abunde nota, tam in tractamine sudorum criticorum modum transgressorum, quam multis aliis occasionibus iterum iterumque nominata fuerunt et exposita.

Ordo II. *Retentiones.*

§. 1252. Nomine *retentionum* (epischesium, Zurückhaltungen, Verhaltungen) omnis excretio humorum modo normali aut morboso se- et excernendorum, aut materierum aliarum eliminandarum evacuatio nimis parca, vel plane deficiens, inhibita, suppressa intelligitur.

§. 1253. Retentio igitur aut *imperfecta* est aut *perfecta*. In *retentionem emansionis*, et *retentionem suppressionis Cullen.* ultro distinguitur, prout expectata emansit, aut reapse contingens suppressa est excretio.

Utraque semper *symptomatica* est, vel organorum se- et excernentium, ad quae spectant, adfectionem idiopathicam aut sympathicam, vel saepe morbum universalem comitans. Adfectio illa localis vel organa secernentia attinet sola, ubi ob secretionem nimis parcam aut nullam parum, aut nihil excernitur, vel vero apparatum excretorium solum concernit, ubi secretione licet non deficiente aut et exsuperante parum aut nihil evacuatur. In principiorum excretoriorum defectu topico aut universali, vel in debilitate reactionis organorum dictorum, inertia, atonia, vel in irritatione intensa inflammatoria aut spastica, vel in suppressione perfecta aut imperfecta per obstaculum mechanicum inducta, consistit. Universalis, siquidem subest, morbus pariter vel defectus humorum, virium debilitati sive causae sive effectui communiter consociatus, vel inaequalis humorum distributio est, jam a statu inflammatorio febrili, jam a systematis nervosi turbis, jam a partiali se- et excretionum aliarum exsuperantia proficiscens.

§. 1254. Retentionum *effectus* et *sequelae*, momenta *causalia*, *prognosis* ac *therapia* in singularum tractatu aptius exponentur.

§. 1255. Retentiones hic pertractandae, sicut profluvia (§. 1141.), in *duo* discedunt *genera*, retentiones *sanguinis*, et *materierum excernendarum*. — *Primi* generis *species* sistunt: 1) amenorrhoea; 2) suppressio

lochiorum, et 3) suppressio narium haemorrhagiae. Generis *secundi* sunt *species:* 1) suppressio blennorrhoeae genitalium; 2) retentio alvi; 3) se- et excretio bilis imperfecta et suppressa, speciatim *icterus*, et *gravamina a calculis felleis;* 4) secretio urinarum imperfecta et suppressa; 5) urinarum retentio, et *gravamina a calculis urinalibus*, et 6) imperfecta urinarum secretio et transspiratio cutanea, cum nimia vitiosaque bilis secretione: *arthritis.*

Nota. De transspirationis cutaneae suppressione, ejusque sequelis in expositionibus catarrhi ac rheumatismi, febrium atque inflammationum catarrhalium ac rheumaticarum, erysipelatis, diarrhoeae, dysenteriae etc. sermonem feci.

Genus I. Retentiones sanguinis.

Spec. 1. Retentio mensium.

§. 1256. *Retentio mensium* (amenorrhoea, Mangel der monathlichen Reinigung) duplici sub schemate observatur: vel enim menstrua prima ultra solitam puellarum aetatis periodum adhuc desiderantur, aut, quae jam fluxerant, citra graviditatem et lactationis tempus emanent: *menstruorum emansio, amenorrhoea emansionis Cullen.;* vel fluentia turbantur, intercipiuntur, aut suppressa proximis non prodeunt periodis: *suppressio mensium, amenorrhoea suppressionis.* Fluxus sanguinis menstrui debito parcior, aut quoad periodos postponens *imperfectam* sistit mensium retentionem.

§. 1257. Subjecta nonnulla e mensibus emanentibus, nimis parcis, aut lente suppressis saepe longo satis tempore nil effectuum malorum offerunt; pleraque tamen ocyus aut serius, pedetentim aut (repentinam post suppressionem) subito varia experiuntur symptomata morbosa, minime confundenda cum illis, quae morborum principalium phaenomena memoratis mensium vitiis symptomaticis praecedunt. Huc referuntur: debilitatis, inertiae, ponderis membrorum sensus, humorum congestiones, indeque mox

pressio ac pondus in pelvi, hypogastrio et regione sacrali, mox pectoris oppressio, palpitatio cordis, anxietas, mox ventriculi gravamen, dysorexia, dyspepsia, nutritio imperfecta, cachexia, imprimis chlorosis, hydrops, haemorrhoides, icterus, arthritis, nevrosis multiplex; vicariae non raro haemorrhagiae dictos effectus malos pro tempore saltem praepedientes vel auferentes, communissime quidem e naribus, sed ex aliis quoque viis tam consuetis quam casu rariore et ex angulis oculorum, meatu auditorio externo, mammarum papillis, umbilico, digitis, nec non variis cutis plagis. Quandoque excretiones aliae v. gr. sudores, ptyalismus, diarrhoeae etc. menstruorum loco periodice accedunt. — Suppressionem mensium fluentium repentinam dolores intensi, spasmi aliaque symptomata nervosa, vel febres, inflammationes cum nisu in secretiones effusionesque morbosas, vel variae sanguinis congestiones activae, et harum effectu activae haemorrhagiae consuetim profusae, apoplexia sanguinea, paralyses etc. possunt excipere.

§. 1258. *Duratio* amenorrhoeae pro ratione individuae aegrae, morbi principis, causae occasionalis forsan perstantis, effectuum jamjam productorum etc. plurimum et tantopere variat, ut generatim exactius determinari nequeat.

§. 1259. *Dispositae* in *amenorrhoeam emansionis* observantur puellae debiles, phlegmaticae, lentae, imperfecte nutritae, morbo vel inedia, labore nimio, humorum jactura etc. fractae. — Momenta causae *excitantia* aeque ac principales differunt morbi, e quibus amenorrhoea immediate proficiscitur. Sunt autem isti: a) debilitas universalis cum segnitie, torpore et lenta sanguinis crasi, per causas debilitantes communes, in aliis morbis saepe jam nominatas, sive influxus externi vel interni sive morbi illae sint, progenita; b) vel secretio in organis genitalibus per febres, morbos inflammatorios, plethoram topicamque vasorum oppletionem, vel per spas-

mos cohibita, suppressa; vel c) morbi genitalium organici, aliique, ut atresia vaginae, hymen imperforatum, parietum vaginae, orificii uteri concretio, uteri retroversio, indurationes, hydrometra.

Supprimi fluentia possunt menstrua: refrigerio, praesertim pedum; validis animi adfectibus, terrore, ira, moerore, subitaneo pariter gaudio concutiente; influxibus spasmos moventibus quoad subjecta singula diversis; phlebotomiis aut haemorrhagiis profusis citissime derivantibus; victu, pharmacis acidis, austeris, stipticis; morbis plerisque acutis intense inflammatoriis.

§. 1260. *Prognosis* amenorrhoeae utriusque citra relationes generales abunde notas, morbum principalem in specie hujusque intensitatem, extensionem, decursus rationem, et complicationes fortassis obtinentes maxime respicit.

§. 1261. Haec eadem objecta *curam* quoque indicant, dirigunt. Prout nimirum amenorrhoea emansionis vel symptoma debilitatis universalis, penuriae sanguinis, chloroseos aliusve cachexiae, aut effectum insignis humorum derivationis, vel plethorae potius universalis et praecipue localis, aut vitiorum in genitalibus organicorum, aut aliorum inflammatoriorum praeprimis et spasticorum morborum sistit, therapia conformiter vel tonica, restaurans, adstringens, excitans, qualis contra chlorosim et cachexias alias statuebatur, aut humorum ad genitalia adfluxum adaugens, vel vero plethoram universalem et topicam auferens, aut topicis genitalium morbis contraria institui debet. Harum uti remediorum expositionem repetere, supervacaneum foret.

Ubi morbo principali fracto aut penitus sublato menstrua nondum intrant, aut nondum revertuntur, aut nimis parca et remotioribus secedunt periodis; ubi magna in genitalibus obtinet vasorum inertia, vel ubi a longiore mensium retentione periculum imminet, omnibus circuli liberi obstaculis prius abactis, pedetentim et caute, prae-

cipue tempore exspectandi menstruorum fluxus, uti licet remediis in- et externis, eminente donatis virtute, motum sanguinis uterum versus intendendi. Huc spectant: pediluvia et simicupia moderate calida, vapores in vaginam determinati, fomenta, cataplasmata genitalibus imposita, hypogastrii, regionis sacralis, internae femorum faciei frictiones, sinapismi, vesicantia iisdem, cucurbitae siccae his, aut genubus, suris, aut hypogastrio adplicitae; electricitas; saltus modicus, incessus sedulus; arteriarum cruralium per fascias aut tornaculum compressio; — interne borax, gas carbonicum, crocus cum vino calido, myrrha, balsama nativa, frondes sabinae, aloë, helleborus niger, purgantia ac diuretica potenter irritantia. Cura psychica prudens tantum quandoque valet, ut remediis ultimo nominatis, emmenagogorum, pellentium titulo venientibus, supersederi possit.

§. 1262. Amenorrhoea *suppressionis* successive solum inducta, symptomatibusque lente evolutis, iisque moderatis consueta curandi ratio requiritur, qua primum causae excitantes auferantur, enerventur, omnes alii influxus noxii arceantur, dein morbus princeps cum effectibus suis tollatur. Suppressione autem subito nata, menses cito revocando, aut per venaesectionem in pede institutam, aut per hirudines genitalibus aut locis vicinis adplicitas, atque per externa ante memorata remedia, humores adlicientia quodammodo supplendo periculum imminens praepediri, praesens non raro urgens quam citissime abigi debet, ceterisque simul phaenomenis, spasmis nempe, febri, inflammationibus etc. apta medela fieri. Attendendum hic est, num illa simultaneos sistant ejusdem, quae suppressionem fecit, causae, vel vero suppressionis effectus.

§. 1263. Cura *convalescentiae* in arcendos quosvis influxus speciali in casu nocivos, et in tollendos, si qui a morbo relicti sunt, effectus malos dirigatur oportet.

Spec. 2. Suppressio lochiorum.

§. 1264. Lochia iisdem ac menstrua supprimi possunt causis, e quibus diaetae peccata, animi adfectus, et refrigerationes maxime vulgares offenduntur. Inter suppressionis lochiorum sequelas, communes plerumque hujus et causarum ejus occasionalium effectus, dolores, potissimum et spasmi in abdomine, peritonitis, metritis, aliorum abdominis viscerum inflammationes, febris puerperalis spectant. Ut tales praecaveantur, aut in germine statim suffocentur, sordes gastricas eliminando, animi motus humorumque orgasmum componendo, transspirationem cutaneam promovendo etc. lochiorum secretionem restituere quam citissime opus est. Sequelae noxiae therapiam expetunt, causis, indoli, magnitudini etc. earum, nec non individuali aegrarum constitutioni adaequatam. Conf. T. I. §. 546. ets.

Spec. 3. Suppressio epistaxis.

§. 1265. Epistaxis, fluxus haemorrhoidalis, aut aliae adhuc sanguinis excretiones, sive criticae adsint, sive a morboso statu universali essentialiter dependeant, sive in individui habitudinem conversae jam fuerint relative salubrem, curatione laterali, mere symptomatica et generosa, praesertim adstringentium ope, in damnum supprimi facile possunt. Ab erroribus in diaeta commissis, vehementibus animi adfectibus, refrigerio, morbis variis etc. idem effectus est metuendus.

§. 1266. Symptomata *epistaxim suppressam* statim vel successive excipientia sunt: congestiones humorum in organis vicinis, nonnunquam et in remotioribus, adeoque in sinubus frontalibus, oculis, auribus, meningibus, ipso cerebro, rarius in isthmi faucium organis et pharynge, cum doloribus, vertigine, variis olfactus, visus, auditus alienationibus, inflammationibus, secretionibus et effusionibus morbosis imo apoplexia sanguinea. —

Fluxum haemorrhoidalem suppressum sequi solent intensi in intestino recto, regione sacrali, dorso, nucha, occipite, aut in collo vesicae, renibus, intestinis ceterisque abdominis visceribus dolores, inflammationes, vel haemorrhagiae ex iisdem aliisve organis secretoriis, vel et effusiones, multiplici cum digestionis, circuli et respirationis, functionum systematis nervosi, actionum mentis turba, et quandoque cum instantaneo per apoplexiam aut orthopnoeam vitae periculo.

§. 1267. *Cura* ad principia et normas pro menstruis suppressis (§. 1262.) statutas disponenda, auxilia tamen specialius in diversum phaenomenorum morbosorum fontem sunt determinanda.

Genus II. Retentiones excernendorum.

Spec. 1. Suppressio blennorrhoeae.

§. 1268. Blennorrhoeis non syphiliticis ex urethra, vagina, ipsove utero ob humorum jacturam aut derivationem, ob universalem virium debilitatem fortasse silentibus, sinistrae succedere sequelae non solent; easdem vero irritantibus, adstringentibus sive externe injectionum, lotionum, balneorum forma, sive interne praepostere ac incaute adhibitis ante morborum principalium sanationem aut imminutionem congruam suppressas aut partium nominatarum dolores, inflammationes, incrassationes, indurationes, aut vicinarum remotarumve magnam tamen genitalibus sympathiam foventium, prostatae in specie, colli vesicae, testium, ovariorum, peritonei, laryngis, faucium, vel et oculorum, phlogoses cum nisu in secretiones morbosas facile insequuntur. Et specifica systematis lymphatici adfectio, scrophulis similis, summe rebellis nonnunquam evolvitur.

§. 1269. Quanti momenti censenda sit blennorrhoearum suppressio, ex nunc prolatis elucet.

§. 1270. *Therapia*, ubi symptomata morbi sunt moderata, de noxis, quae suppressionem fecerunt ac susti-

nent, tollendis, de profluvio restituendo, atque morbo ejusdem principali topico vel universali perfecte sanando occupetur. Ubi vero suppressionis sequelae vehementes magis urgent, quam ut tali tractamine cito satis auferri et periculo exui possint, symptomatice et quidem pro earum indole, magnitudine, decursu, stadio, sede curentur. Blennorrhoeis dictis restituendis remedia externa, ad augendum humorum in partes genitales adfluxum superius (§. 1261.) laudata, maxime conveniunt. Effectus eorum eccoproticis acceleratur. Blennorrhoeae jam restitutae cura radicalis suo loco (§. 1188.) exposita invenitur.

Spec. 2. Retentio alvi.

§. 1271. Alvi retentio pro gradu vel *adstrictio* (Hartleibigkeit), vel *obstipatio*, *obstructio alvi* (Stuhlverhaltung, Verstopfung) vocatur, prout scilicet faeces diutius retinentur in intestinis et exsiccantur, vel vero excretio earum penitus cohibetur ac suspenditur.

C. G. Ludwig, de causis obstructionis alvinae. Lips. 1770. 8.
C. G. C. Wedekind, Abhandl. von der wahren Kenntniss u. Cur der Krankheiten der ersten Wege u. s. w.
J. P. Frank, *Haase*, *Jos. Frank* opp. cit.

§. 1272. Alvi adstrictionem nonnulli absque incommodis sequelisque manifestis ferunt, ceterum uti obstipationem semper aliorum morborum symptoma, ipsamque ultro effectuum morbosorum fontem esse observamus. Utraque partim ab imminuta vel deficiente humorum entericorum, bilis, succi pancreatici secretione, partim a motu peristaltico nimis segni, lento vel suspenso, nimiaque fluidorum totum per intestinorum tractum resorptione proficiscitur. Secretio autem debito parcior vel deficiens ab insufficiente humorum in canalem intestinalem adfluxu, ab irritationis vasorum, glandularum, viscerum secernentium idiopathicae vel sympathicae defectu, vel ab immodica vasorum resorbentium actione, — iners vero

ac tardus intestinorum motus ab eorundem torpore, atonia et laxitate, vel ab obstaculo mechanico suam repetunt originem.

§. 1273. *Disponunt* ad alvi segnitiem et obstipationem aetas senilis, constitutio laxa, phlegmatica, vita aut sedentaria aut multum operosa cum sudore frequente, hysteria, hypochondriasis, graviditas praesertim prima ultimaque periodo. *Excitant:* a) quae necessariam in primis viis secretionem restringunt, suspendunt, ut: diarrhoeae praegressae undecunque natae; sudores profusi; ptyalismus aliaque profluvia nimia; potus aquosi justo parciores; bilis, succi pancreatici inopia; nimia ventriculi et intestinorum per acria, aromatica, spirituosa irritatio; motus febriles phlogistici cum vasculorum secernentium omnium praeclusione; b) quae motum peristalticum simul partim debilitant, partim impediunt et invertunt, quemadmodum: motus corporis deficiens, oppletio ventriculi frequens, eaque successive inducta canalis intestinalis debilitas, laxitas aut imo partiales distensiones; usus largus aut protractus opiatorum, plumbeorum, adstringentium, aut substantiarum mucilaginosarum, farinosarum, ciborum farinaceorum crudorum, digestu difficilium, glutinosorum; naturalis ad alvum excernendam nisus frequenter neglectus; intestinorum aut debilitas ingens, paresis aut status inflammatorius; vomitus iteratus; — partiales parietum intestinalium incrassatio, induratio, varices, meatus intestinorum angustatio, praeclusio per illas aut per spasmos uti in hypochondriasi, hysteria, vel et per hernias, volvulos (intussusceptionem, invaginationem intestinorum), aut excrescentias polyposas, nucleos fructuum aliaque densa ingesta, per faeces exsiccatas, vermes in globum implicitos, mariscas; partium contiguarum tumores, uterum gravidum, retroversum, polypo distentum, prolapsum; vesicae urinariae incrassationes, indurationes, calculos; per morbosam ani angustiam, atresiam.

§. 1274. Aestimatio et *prognosis* alvi restrictae aut obstipatae a causis, gradu, duratione, inductis jam malis effectibus, nec non ab individuali aegrorum constitutione essentialiter repetendae. Sunt autem effectus adversi intestinorum inertia, torpor, atonia, successiva dilatatio, relaxatio, circulatio in illis et abdominis visceribus impedita, gravamina haemorrhoidalia, anxietas, aestus, dyspnoea, cephalaea, oppressio ventriculi, anorexia, apepsia; febris, nausea, ructus, ingestorum, muci, bilis imo faecum vomitus (*ileus, miserere*), inquietudine magna, anxietate, doloribus colicis, siti clamosa, pulsu febrili, inordinato, dedolatione gravi, intercurrente frigore, lipothymiis, deliriis blandis stipari solitus, et sub sudoribus frigidis, viscidis, nonnunquam fluida quoque, admodum foetente sub alvo, facile decipiente, utplurimum lethalis; haemorrhagiae, apoplexia. (Ein Fall von *Ileus;* und Abhandlung üb. d. Ileus; von Dr. *Ebers* zu Breslau. In *Hufeland's* Journ. 1829. May und Juny.)

§. 1275. *Therapiam* morbus, qui subest principalis, ejus causae atque effectus, alvo restrictae vel obstipae jam consociati, potissimum indicant.

Ubi segnior humorum adfluxus, parciorque in intestinis, hepate, et pancreate secretio ob universalem humorum penuriam, excretiones alicubi profusas, vel ob idiopathicam aut sympathicam irritationem phlogisticam inculpantur, assidua aquosorum sorbilatio, enemata emollientia oleo, aut leniter irritantia pauco sale remixta, excretionum aliarum limitatio, status irritativi inflammatorii juxta principia et per adminicula nota tractamen, conveniunt. — Ubi segnities tubi intestinalis, atonia, torpor causam offerunt proximam, purgantia, praesertim sordibus copiosis accumulatis, initio leniora, his solum inefficacibus fortiora, nunquam tamen drastica sola in usum vocanda, eorumque virtus enematibus assidue adplicatis, modicis abdominis frictionibus iteratis, et, evacuationes

si jam successerint, fotu abdominis aromatico, inunctione, lotione, nec non balneis vel semicupiis tepidis intendenda est. Instestinis depuratis novae sordium adcumulationi per diluentia, solventia ejusdem generis et purgantia, tonicis tamen debilitati exactissime respondentibus nupta, quam certissime praecavetur. — Faeces exsiccatae, nuclei fructuum obturantes ut potu aquoso, medicamine oleoso et eccoprotico, enematibus emollientibus et lubricantibus, et si haec ob intestinum rectum faecibus duris penitus impletum injici nequeant, cochleari aliove instrumento apto expediantur, conandum est. — Vermes in globum convoluti methodo contra vermes (§. 1039.) commendata expellantur. — Incarcerata intestini pars ad chirurgiae praecepta confestim reponi, inflammatio ejusdem praepediri, facta tractamine antiphlogistico generoso, speciatim phlebotomiis citissime debellari debent, et, si id non contigerit, tempus non cunctatione illusoria teri, sed operationi ad aegrum salvandum opportunae navari. *Busch*, Professor Marburgensis, ad hernias reponendas manipulatione apta, balneisque et cataplasmatibus emollientibus frustra tentatis, ex vase instar antliae pneumaticae adplicato optatum ac instantaneum fere obtinuit effectum (*Hufeland* u. *Osan* Journ. 1832. Jul. S. 73 etc.). — Angustationes tubi intestinalis chronicae, plerumque immedicabiles, nonnisi symptomaticam admittunt medelam causas omnes alvum tardantes aut retinentes vitando, congruae imprimis diaetae praecepta stricte sequendo, pharmaca mitia solventia aut enemata levia adhibendo perficiendam. — Ileum semper pro causae aut morbi principis v. gr. faecum durarum, nucleorum obturantium, enteritidis, herniae incarceratae etc. ratione tractare convenit, adeoque jam methodum generatim antiphlogisticam, diluentem, emollientem cum cataplasmatibus clysteribusque correspondentibus instituere, jam specialius vomitus sedantem cum alvum ducente copulare, hinc potionem imprimis *Riverii*, pulveres aërophoros (ex

sod. bicarbonic. gr. sex—octo, et acid. tartric. gr. quinque—sex, cum saccharo), mixturam aromaticam odore saporeque gratam, postea oleosa blanda, ol. amygdalar., ol. ricini larga iterataque dosi cum clysteribus purgantibus electuarium lenitivum aut infus. laxat. continentibus, vel ex infuso fol. sennae cum sale communi aliove antiphlogistico, aut tartaro emetico, vel infuso folior. tabac. (ex dr. duab.) addito sale amaro etc. paratis, in usum vocare, jam prae omnibus tentamina reponendi herniam incarceratam, his vero irritis herniotomiam sine mora instituere. (*Burser.* Institut. med. pract. Vol. IV. §. 111. —113.) In desparatis obstipationis citra phlogosin praesentis casibus haustus aquae perquam frigidae, pediluvia frigida, nec non hydrargyrum vivum tribus, quatuor unciis, et ultra ingestum adhuc profuisse quandoque observata sunt. Calomel cum extracto belladonnae simul ac unguentum de belladonna *Rosati* utile vidit in herniae casu incarceratae. (*Froriep's* Notiz. Bd. 30. S. 272.)

Individuis hystericis, hypochondriacis contra alvi obstipationem solventia non salina antispasticis, chamomillae speciatim, valerianae, asae foetidae, castoreo nupta, enemata emollientia, mucilaginoso-oleosa, aromatica cum oleo, unguenta ac fomenta calida emollientia et aromatica conveniunt. Iisdem sicut haemorrhoidariis serio suadendum, ut pro alvo excernenda fixam quotidie servare horam assuescant, etiamsi initio necessitatis sensu forsan non commoniti.

§. 1276. Quo *convalescentiae* prospici debeat modo, sub justa morborum principalium devictorum, sequelarum superstitum, nec non momentorum causalium supra enumeratorum ponderatione absque difficultate definire ubique licebit.

Spec. 3. Retentio bilis: Icterus.

§. 1277. Quoties bilis justo parcior in hepate secernitur, consequenter et parca nimis defertur in duodenum,

vel quoties bilis utut copia non peccans in istud deduci subito praepeditur, symptomata insurgunt, quorum origo partim 1) principi, qui subest, hepatis, vel organorum biliferorum, vel duodeni, vel simul universali morbo, — partim 2) insufficienti elementorum bilis e sanguine secretioni, — partim 3) bili secretae in ductibus biliferis et vesicula fellea retentae et accumulatae, — partim tandem 4) ejusdem in primis viis defectui adscribenda est.

Symptomatibus primae originis (1.), prout secretio bilis manca debilitatem universalem, sanguinem parcum atque fatuum, excedentes alibi humorum excretiones, vel hepatis functionem humoribus nimium in eo congestis, inflammatione graviore, aut vitiis variis organicis inhibitam, suspensam suum agnoscit fontem, adnumerantur phaenomena debilitatis universalis, sanguinis penuriae, vel magnae humorum congestionis, ut: tumor, tensio, durities, sensus ponderis in hypochondrio dextro ad epigastrium protensi, dyspnoea, ventriculi oppressio a copia ciborum potuumve utut parca ingesta, digestio, sanguificatio, nutritio laesae, imperfectae, hydrops etc.; vel hepatitidis intensae, aut vitiorum organicorum generis varii, indurationum praesertim, chondrosium, scirrhorum symptomata. — Syndromen symptomatum originis secundae (2.) constituunt: indoles massae humorum venosa praedominans, motus lentus, sanguinis in viscerum venis, maxime in systemate venae portarum stases, in haemorrhoides opportunitas, corporis delassatio, laxitas, marcor, mentis remissio, animi dejectio, *tristitia*, desponsio, color cutis pallido-flavus, icterum fere aemulans. — Quae ex bile in organis biliferis *retenta* (3.) sequuntur, sunt: horum distensio, impletio *nimia*, retrogradus versus secernentes in hepatis parenchymate acinos motus, secretionis inde bilis ipsius impedimentum, accumulatae resorptio, inspissatio, visciditas, remanentis crystallisatio (*calculi fellei*), resorptae in sanguinem

traductio, indeque partim in secretoria partim in excretoria organa distributio, hinc tam in cutem et conjunctivam oculi depositio illius, quam per urinas flavo-bruneas, chartam albam aut linteum immissum croceo tingentes colore, crassas saepe et turbidas, per transspirationem ac sudorem, rariore casu per narium, oris fauciumque, tracheae etc. mucum eliminatio (*icterus*). — Ex bilis in duodeno defectu (4.) proficiscuntur: acidum succi gastrici et enterici praevalens, chyli adeoque et complementi sanguinis copia insufficiens, cruditas, qualitas vitiosa, secretionis in canali intestinali parcitas, defectus, alvi segnities, obstipatio, faeces aut tenaces argillosae, aut siccae, globatae albidi vel albo-grisei coloris.

§. 1278. Cum ceteri secretionis mancae ac imperfectae bilis effectus variis cum illorum morbis partim jam pertractati sint, partim inferius adhuc exponendi, hic nonnisi de *ictero* et *calculis felleis* sermonem facere conveniet.

§. 1279. *Icterus* (aurigo, morbus regius, die Gelbsucht) ea est bilis se- et excretionis turba, quae totius corporis superficiei atque oculorum albugineae flavo per varios gradus colore, urinis flavo-rubicundis vel obscure bruneo-flavidis, utplurimum crassis ac turbidis, corpora alba croceo notantibus colore, alvinis excrementis albis aut albo-griseis, dyspepsiae symptomatibus, nonnunquam sudore quoque, saliva, sputis, imo sero sanguinis flavide tinctis atque tingentibus insignitur.

Dyspepsiae autem phaenomena sunt: pressio ventriculi, anorexia, digestio tarda, difficilis, imperfecta, flatulentia, ructus, sapor amarus, acidus, nausea, nisus vomendi, caput obnubilatum, hypochondrio dextro et epigastrio utplurimum tumentibus.

§. 1280. Flavedine dicta in virorem vergente *icterus*, licet incongrue, *viridis*, grüne Gelbsucht, grisescente vel nigrescente *icterus niger*, *melas icterus*, schwarze Gelbsucht, Schwarzsucht adpellatur.

J. B. Bianchi, histor. hepat. s. theor. et prax. omn. morb. hepatis et bilis c. ejusd. visceris anatome. Taurin. 1710.
Burserius, Inst. m. pr. Vol. IV. §. 157.—178.
Stoll, praelect. in div. morb. chron. Vol. II. p. 279.
J. P. Vogler, v. d. Gelbsucht und ihrer Heilart. Wetzlar 1791.
Richter, *Haase*, opp. cit.

§. 1281. Icterus jam *acutus* occurrit jam *chronicus*. Ille febrim biliosam, *flavam Americanorum*, hepatitides nonnullas, statum hepatis et ventriculi irritativum non raro, spasmos symptoma comitatur. Ceterum icterus *continuus* vel *intermittens*, *periodicus*; *idiopathicus* vel *sympathicus*, jam, et quidem saepissime initio, *febri junctus*, jam *non febrilis*, etc., denique jam ab adfectione *hepatis* (nonnullis icterus *hepaticus* dictus), jam *ductuum biliferorum* profectus, ad quem icterus *spasmodicus*, i. *a calculis felleis* seu calculosus, et plerumque i. *neonatorum* referendi.

§. 1282. Flavedinem autem acuto sub statu nonnunquam, chronico semper antecedunt: delassatio, somnolentia citra somnum tranquillum, morositas, capitis gravitas et obnubilatio, anorexia, dolor ventriculi pressivus quandoque et acutus, plenitudo ac tensio in epigastrio, anxietas praecordialis dicta, a cibis sumtis dysphoria et nisus vomendi absque sordibus gastricis, horripilationes recurrentes cum pulsu (nisi hepatitis subsit) lento, dyspnoea sub deambulando aucta, tumor ac tensio in hypochondrio dextro, ructus ac flatulentia, abdomen expansum et sensile, alvus restricta, cutis sicca, tensa, saepe et pruriens. Flavedine ad albugineam primum patente symptomata haec increscunt, accedentibus imo adhuc siti intensa, cephalaea, somno molestis turbato insomniis, quandoque agrypnia, aurium susurru, visus anomaliis, imprimis crupsia cum adparente rerum albarum flavedine, saporis plerumque amarore, ructibus amaris, vomitu bilis herbaceae, acris, ardore sub urinarum faecumque memoratarum secessu augentur.

§. 1283. Icterus *vel* post variam, nunc paucarum septimanarum nunc vero mensium durationem in *sanitatem* abit, quae iteratis sub sudoribus, largis urinis descriptis, ictericis, hypostasim rubicundam, levem dimittentibus, alvo frequentiore molli, intense flavente, epistaxi, redeuntibus ciborum adpetentia et somno, rarius ptyalismo, et efflorescentia aut miliarium aut herpetis aemula prorumpente reducitur; *vel* pro varia morbi principis natura, aut post durationem chronicam atque repetitos relapsus in *morbos secundarios*, praecipue hydropem, scorbutum, tabem desinit, in hepatis indurationes, scirrhum etc., transgreditur, quibus tandem *lethalis* fieri omnino potest.

§. 1284. Sunt autem morbi principes icterum generantes: 1) adfectiones viarum biliferarum, cystidis felleae, duodeni idiopathicae vel sympathicae, excretioni bilis varium per tempus nunc continuo nunc periodice obstacula ponentes, bili igitur retinendae, pro parte resorbendae, aut principio ejus tinctorio saltem in humorum massam transferendo ansam suppeditantes, nempe inflammationes a notis partim generalibus partim specialibus, tam idiopathicis quam sympathicis causis, a spirituosorum abusu maxime, a sordibus primarum viarum acribus, irritantibus, refrigeratione, variarum eruptionum cutis acutarum vel chronicarum suppressione, bilis ipsius acredine, calculis felleis incarceratis; ab ira effreni; a capitis commotionibus et vulnerationibus, — irritatio duodeni vel ductus choledochi spasmodica et constrictio, in hystericis specialius, hypochondriacis aut nevrosi chronica varia mulctatis, in febribus intermittentibus, a causis mox recensitis mitius tamen brevius-que agentibus, insuper ab iracundia, moerore, terrore, aliis animi adfectibus pathematibusque deprimentibus; — motus ductuum hepaticorum et choledochi aut nimis segnes aut retrogradi ab alvi obstipatione pertinaci, ab orificio ductus choledochi spasmorum vi aut labe organi-

ca angustato; — ductus ejusdem mechanica per tumores, calculos felleos, bilem tenacem inspissatam, largum ac viscosum in neonatis meconium, per vermes (*Lieutaud, Ludwig*) obturatio. 2) Morbi in statu bilioso aut fundati aut eidem juncti, quemadmodum polycholia, penes febrim biliosam (T. I. §. 168. ets.) descripta, chronica (§. 1228.) sola haud secus ac varie consociata et complicata, febris biliosa gradus altioris longiorisque durationis, typhus contagiosus aliique morbi febriles, polycholia symptomate vel morbo stipati. 3) Morbi secretionem bilis cohibentes, intercipientes, atque sic, ut videtur, ob principium carbonicum et bilis elementa in sanguine exsuperantia secretionem vicariam per universam cutem invitantes, ut: altiores hepatitidis, activarum aut passivarum sanguinis in hepate congestionum gradus ab hepatitidis causis, refluxus sanguinis per venam cavam ascendentem, atrium et ventriculum cordis dextrum obstacula; tubercula hepatis dura, intumescentiae, gravioresque in genere organisationis alienationes; debilitas universalis maxima cum insigni sanguinis corruptela in febre putrida gradus altioris individuorum temperamenti cholerici; scorpionum, serpentum nonnullorum, imo felium, sciurorum etc. irritatorum morsus.

§. 1285. Ex quibus fluit, *causam* icteri *proximam* esse elementorum bilis in sanguine abundantiam, jam turbata bilis ipsius in hepate secretione, jam secretae per ductum choledochum in duodenum derivatione impedita stipatam. Quare nonnisi ex parte valet opinio eorum, qui icteri cujusvis rationem in vicaria cutis functione, sicut aliorum, qui unice in motibus ductuum hepaticorum et choledochi retrogradis haerere contendunt. Therapiam alterutri sententiae ubique superstructam saepe deleteriam esse debere, omnino liquet.

§. 1286. *Calculi fellei* (biliosi, choletici, die Gallensteine) inter icteri causas supra (§. 1284. 1) nominati, sunt bilis inspissatae concrementa plus minusve compacta,

levia, inflammabilia, coloris fusco-brunei, flavi aut albidi, figurae variae, voluminis granum hordei ad nucem usque juglandem minorem aequantis, texturae communiter aperte chrystallinae. Haec vel radiata est vel concentrice annularis; illa substantiae spermati ceti analogae, haec materiae flavae (cholestearinae) potissimum competit. In vesicula fellea jam singuli, pauci, jam numerosissimi, aut in ductibus biliferis, raro in hepatis parenchymate reperiuntur. Indigitant *illorum praesentiam:* epigastrii gravitas ac tensio, cardialgia; dolores in vesiculae felleae regione, a prandio praecipue, ab ira et corporis commotionibus intrantes, icterus saepe recurrens aut perstans cum segni faecum grisearum, albarum evacuatione, cardialgiae hinc inde et enteralgiae dirissimae, vomitus vehementes, abdominis inflatio cum subsequis nonnunquam diarrhoea biliosa et levante calculorum felleorum eliminatione; quorum secessus primo symptomatibus ceteris desideratam impertitur certitudinem.

Ortum eorum, cui nimius spirituosorum usus magnopere favet, non tam a bilis abundantia, quam a speciali conditione vitiosa, et in viis biliferis, praeprimis in cystide fellea, per impedimenta superius recensita, retentione derivare fas est.

Calculi fellei in sexu sequiore saepius quam in masculino, frequenter in senibus obvii, absque symptomatibus quandoque delitescunt, in cadaveribus demum reperiundi. Symptomata vero eorum nonnisi lenimen admittunt, quoties vel omni therapiae refragantur ipsi, vel morbis viarum biliferarum aut hepatis insanabilibus essentiali connectuntur modo.

§. 1287. *Prognosis* in ictero praeter relationes generales considerandis speciatim morbi principalis indoli, causis, magnitudini, aetati etc. innititur. Icterus quandoque, spasmorum aliorum more, subito prodit, disparet ac revertitur; jam brevi jam longo durat tempore, in menses imo et annos excurrens. Diu protractus, consue-

tim organicorum hepatis vitiorum effectus, in tabem saepe transit, scorbutum, hydropem.

Neonatorum, ut et gravidarum icterus non gravis esse solet momenti, gravissimi vero individuorum atrabiliariorum, cachecticorum, debilium, senio confectorum.

Ubi *calculis* producitur *felleis*, singulis per alvum aut vomitum eliminatis mitigari quidem, cessare, restantibus autem atque serius natis revocari potest.

Color cutis profunde flavus, subviridis, nigricans, ingravescenti morbo respondens, de mala virium vitalium conditione, multum depravata, gravibus non raro vitiis organicis testatur.

§. 1288. *Therapia icteri* morbis principalibus, horumque causis potissimum indicatur. Quare 1) ductuum biliferorum, cystidis felleae, duodeni morbi, sublatis eorum causis, tollantur oportet. Inflammationes videlicet methodo antiphlogistica, emolliente, derivante adaequata cum intensitate ac extensione requisita; constrictio duodeni et ductus choledochi spastica dolorifica, prout causa quantocyus amovenda vel ad phlogoses vel ad systematis nervosi turbas non phlogisticas perducit, remediis vel emollientibus, moderantibus, pacantibus, decoctis, mixturis nempe mucilaginosis, emulsis genuinis ac spuriis cum opio, extracto hyoscyami, ipecacuanha dosibus refractis, vel nervinis incitantibus, ut chamomilla, valeriana, asa foetida, castoreo etc., simul ac fotu, cataplasmate, unguento vel emolliente ac sopiente vel aromatico epigastrii et hypochondrii dextri regioni adplicando, enemate, balneo concordantibus impugnentur; motus ductuum biliferorum nimis segnis aut retrogradus ope solventium, motum intestinorum peristalticum intendentium alvumque expedientium, vel antispasticorum, vel obstaculis mechanicis, uti meconio, vermibus etc. removendis parium concitetur, promoveatur. Meconio evacuando syrupus cichorei cum rheo, vel syr. simpl. cum magnesia communiter sufficit. Ad solventia, stasibus quoque sanguinis in hepate et toto

systemate venae portarum non febrilibus congrua referuntur: graminis, taraxaci, cichorei, saponariae, fumariae decocta, extracta, succi recenter pressi, sales antiphlogistici dosibus refractis, aquae soteriae solventes, serum lactis dulce cum vel absque herbarum succis, sapo, kalia carbonica, rheum dosi refracta, gummi ammoniacum, chelidonium, antimonialia, in casu pertinaciore mitiora hydrargyri praeparata, enematibus solventibus, Kaempfianis, inunctionibus emollientibus, pacantibus, aut parum irritantibus, vesicantibus, sinapismis ad hepatis regionem nupta. — 2) Morbi in polycholia radicantes aut eidem adsociati secundum principia in febre biliosa tradita curentur. — 3) Quod morbos secretionem bilis cohibentes ac intercipientes adtinet, phlogosibus et sanguinis in hepate congestionibus ad normas methodosque notas remedia antiphlogistica: evacuationes sanguinis, pharmaca, potulenta refrigerantia, diluentia cum acidis vegetabilibus etc., obstaculis in vena cava adscendente, atrio vel ventriculo cordis dextro congrua opponantur remedia; indurationes, scirrhi hepatis aut viscernm, e quibus systema venae portarum suas trahit radices, utpote insanabiles pro possibili leniantur; morbi adynamici supra nominati ad modum febris putridae aut scorbuti gradus alti tractentur; vulnus ab animalium venenosorum morsu cito ac potenter irritetur, caustico, ferro uratur, aut excindatur, et contra icterum succedaneum interne diaphoretica et diuretica, alcali volatile (ammonium carbonicum) in specie, sal volat. corn. cervi, liquor corn. cerv., acet. ammoniacale, camphora, quandoque sopientibus, speciatim opio, juncta in usum vocentur.

§. 1289. *Calculorum* symptomata *felleorum* tractamine indoli adcommodato, jam antiphlogistico, aut emolliente, relaxante, jam sedante, jam antispastico abigenda sunt, dein, ut dissolvantur ipsi, conandum. Commendati in hunc finem, per dolorum ac spasmorum intervalla exhibendi, succi herbarum, serum lactis, antimonialia

facilitando potius calculorum per alvum secessui, quam his ipsis solvendis, decomponendis idonei videntur; conveniunt autem sapo longiori tempore porrectus; soda carbonica; aqua calcis ventriculo jejuno per quatuordecim dies et ultra hausta; miscela aetheris sulphurici dr. duar. et ol. terebinth. dr. un. (juxta *Durande*, Mémoires de l'Académ. roy. de méd. T. I. p. 288) guttis duodecim usque viginti super ingesto lactis sero, aliquoties de die, sumta; vel spirit. aetheris nitrici (secundum *Gruner*). *Guyton-Morveau* vitellos ovorum aethere solutos sufficere scopo contendit.

§. 1290. Diaeta toti therapiae, icteri origini et characteri ubique adaptandae, exactissime correspondens ordinanda est. Digestionis organa nullo modo gravet. In stases chronicas apyreticas cum victu solvente, vegetabili, digestu facili usus quotidianus aliquot vitellorum ovi crudorum laudatur.

§. 1291. *Convalescentiae* cura tam diversis, qui icterum fecerant, morbis nunc sublatis, quam restantibus adhuc sequelis indicatur.

Spec. 4. Urinae secretio manca.

§. 1292. Secretio urinarum parcior aut plane nulla, *ischuria renalis* dicta, locum habet: 1) in keneangea; in humorum ad renes adfluxu insufficiente ob majora eorum per sudores, diarrhoeas, ptyalismum etc. dispendia, ob serosorum in textum cutis cellulosum aut varia corporis cava effusiones, ut in hydrope, vel potus congrui defectum; 2) in vasorum renalium secernentium irritatione inflammatoria, vel constrictione spasmodica, quemadmodum in nephritide, omnique morbo febrili aperte inflammatorio (*J. Abercrombie*, Beob. üb. d. Ischuria renalis; in der med. chir. Ztg. 1822. B. I. S. 67); 3) in magna debilitate aut universali, aut renum eminente a potentiis morbisve generatim debilitantibus, maxime ab apoplexiae causis, aut a commotionibus medullae spinalis debilitatem

vel paralysin inferentibus, a concussionibus, ictibus, contusionibus renum ipsorum; 4) in organicis renum vitiis, suppuratione larga, gangraena.

§. 1293. Pro his conditionibus morbosis earumque causis efficientibus, pro universo statu morboso ac individuali aegri constitutione *duratio*, *exitus*, nec non *aestimatio* secretionis urinarum insufficientis aut plane desideratae plurimum variant. Gravissimi momenti est facilis in coma, et hydrencephalum transitus, a *Sennerto* jam, *Riverio* et *Bonneto* notatus, penitius autem a *Fosbrocke* (Med. chir. Ztg. 1826. II. 493) consideratus. *Abercrombie* in ischuria renali jam quinto mali communiter lethalis die coma oriri observavit. Serum in encephalo, saepe exigua modo copia, repertum nunquam lotii obtulit indolem.

§. 1294. *Therapia* momentis indicantibus notis definitur. Varia fieri debet, prout nephritis, febris quaedam inflammatoria, vel debilitas, vel nimiae humorum per alias vias dissipationes, vel extravasata serosa etc. subsunt. Contra ischuriam renalem inflammatoriam adhibitis prius antiphlogisticis potentioribus digitalem *Abercrombie* specialius laudat. Renum atoniae, paresi per fomenta, inunctiones ad lumbos et totam dorsi spinam, balnea irritantia, roborantia, per interna stimulantia communia et specifica, balsama, vinum, baccas juniperi earumque praeparata, cautum imo cantharidum usum occurrere oportet. — Organica renum vitia, et destructiones sanationem recusant, brevi plerumque mortem inductura.

Spec. 5. Ischuria, et lithiasis.

§. 1295. Plenaria urinarum secretarum retentio aut in uretheribus, aut in vesica, aut in urethra, *ischuria perfecta* (vollständige Harnverhaltung), et quidem pro sede *uretherica*, *vesicalis*, *urethralis* audit; lenta solum ac laboriosa (dysuria), aut guttatim modo et sub doloribus contingens illarum excretio (stranguria) nomine

ischuriae imperfectae (unvollständige Harnverhaltung) venit.

M. Troja, üb. die Krankheiten der Nieren, der Harnblase u. s. w. A. d. Ital. übersetzt u. mit Anmerk. von *Spohr*. Erfurt 1788. 8.

Willib. Schmid, v. d. Krankheiten der Harnblase. Wien 1805. 8.

Th. Sömmering, Abh. üb. d. schnell und langsam tödtlichen Krankheiten d. Harnblase und Harnröhre bey Männern im hohen Alter. Frankf a. M. 1809. 4.

Richter, *Bell*, *R. v. Kern*, Schriften über Chirurgie.

§. 1296. *Difficilis* redditur mictus jam organorum excernentium debilitate jam obstaculo gravi superando. Hinc symptoma est: a) debilitatis magnae universalis, vel localis nunc vesicae totius nunc singularum plagarum a potentiis et morbis universim debilitantibus, a nervorum vesicae prospicientium commotione, percussione, pressione etc., a vesicae per urinas retentas, per partiales dilatationes morbosas, transmutationem organisationis arthriticam, syphiliticam, aliam, incrassationem, indurationem, excrescentias expansione nimia; b) symptoma et effectus colli vesicae vel inflammatione, varicibus, vitiis organicis, calculis impactis, sanguinis coagulo angustati, vel spastica sphincteris renitentis contractione, vel prostatae tumore, vaginae uterive distensione, prolapsu, istius inversione, retroversione compressi; symptoma urethrae, inflammatione, membranarum incrassatione, cicatricibus, glandulis *Cowperi* tumentibus, excrescentiis, corporibus peregrinis haerentibus, urethritide aut paraphimosi angustatae, constrictae, orificii urethrae praeputio inflammato praeclusi.

§. 1297. *Ischuria completa* momentis iisdem, gradu summo obtinentibus, efficitur; quare symptoma est: a) perfectae fibrarum vesicae muscularium paralyseos, antagonismo sphincteris perstante normali vel imo adaucto; b) morborum omnium sequelarumque morbosarum, con-

tractioni vesicae ac simultaneae diaphragmatis et musculorum abdominis intensioni insuperabile opponentium obstaculum, adeoque symptoma praeclusionis vel obturationis totalis colli vesicae, urethrae aut ejus orificii, per noxas morbosque ante memoratos inductae; tandem casu rariore effectus quoque uretheris utriusque ob phlogosin, paralysin, incrassationem, indurationem, calculos impactos impervii.

§. 1298. Urinis in vesica diu retentis haec successive expanditur, inque tumorem supra symphisim ossium pubis attollitur pyriformem, fluctuantem, quo presso nisus mingendi excitatur, simul ac lotii pauxillum saepe elabitur; dolores insurgunt vehementes in abdomine ac perinaeo, dispnoea, anxietas, nausea, vomitus, animi deliquia, sudores frigidi, pulsus parvus, contractus, inaequalis, irregularis, alvus obstipa, tandem vesicae inflammatio, communiter per gangraenam lethifera, quandoque tamen per ulcera fistulosa locis gangraenosis facta exitum lotio in perinaeum, intestinum rectum, aut in vaginam parans; vel uretherum dilatatio et urinae in pelvibus quoque renum similiter expandendis retentio, vel rariore in casu uracho aperto ejusdem per umbilicum stillatio.

Urinarum in renum pelvibus retentione, secretioni simul jam plus jam minus obstante, gravitas, pressio, tensio aut dolor in regione renum, sine hypogastrii supra symphisim ossium pubis intumescentia, generantur; sudor, saliva, materiae imo excretoriae variae uti vomitu, alvo etc. eliminatae urinosum spargunt odorem; tumores quandoque cum levamine insurgunt fluido urinoso referti, saepius autem tremores, convulsiones, sitis clamosa, anxietas, horror, coma, delirium, symptomata febris putridae, brevi utplurimum lethalis, vel apoplexia accedunt. (Confer. §. 1293.)

§. 1299. Inter *causas* dysuriae, stranguriae aut ischuriae specialem *calculi urinales* sibi expetunt com-

memorationem. Sunt peculiaria principiorum urinae singulorum concrementa albida, grisea aut rubentia, rotunda, compressa, angulosa, aspera aut glabra, ponderosa, lapidum instar dura aut friabilia, lapillos et arenas aemulantia. Nunc unica nunc pluribus constant substantiis, vel inordinate mixtis vel strata regularia formantibus concentrica; quidam eorum nucleum continent, alii nullum. Maxime acido urico vel lithico, calce phosphorica, ammonio, magnesia phosphoricis, calce oxalica, oxydo vesicae (*Wollaston, Marcet*), et ammonio insuper urico (*Fourcroy*) constant.

Fourcroy, üb. Harnsteine etc. übers. in d. Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Ärzte. Bd. 19. St. 2. S. 299.

Alex. Marcet, Versuch einer chemischen Geschichte u. ärztl. Behandl. der Steinkrankheiten. A. d. Engl. übers. v. Dr. *Phil. Heineken*. Brem. 1818. M. 10 Kupfern.

Magendie, recherches physiol. et médicales sur les causes, les symptomes, et le traitement de la gravelle. Paris 1818.

W. T. Brande, üb. d. med. chem. Behandl. der Steinbeschwerden. Übers. im Auszuge in *Meckel's* deutsch. Archiv f. Physiol. u. s. w. Bd. 4. H. 4.

An inquiry in the nature and treatement of Gravel, calculus and other diseases connected with a deranged operation of the urinary organs, by *Will. Prout*, M. D. etc. Lond. 1821. (Med. chir. Ztg. 1822. I. 113 u. ff.)

W. Ritt. v. Kern, die Steinbeschwerden der Harnblase etc. Wien 1828. 4.

§. 1300. Calculi urinales aut *in renibus* aut in *vesica*, in infantibus dentitionis potissimum tempore, formantur, in uretheribus ceterum et urethra accidentali deprehenduntur modo.

In renibus pressione produntur, dolore ad vesicam saepe descendente et ad ventriculum sursum propagato, stupore femoris eodem in latere testiculorumque attractione, urinarum limpidarum, cruentarum, turbidarum vel sabulo mixtarum excretione parca et tenesmoidea; nausea, vomitu per validos imprimis motus, corporis succussiones a vectione, equitatione etc. facile provocando.

Calculi majores aut asperi aut angulosi, dum per uretheres vesicam versus aguntur, dolores juxta istorum decursum et in lumbis scindentes varia intensitate, horrores, vomitus, spasmos, convulsiones excitant.

Phaenomena de calculis in vesica testantia sunt: pruritus ac dolor in glande (frigoris sensus in hac, simul ac pruritus rodentis in urethra asserente *Henning*), frequens ad mingendum nisus, excretio guttatim, alias radio diviso contingens, mictus subito interceptus, dolor in fine ejus exacerbatus aegrum, ut premendo adjuvet, impellens; tentamina, mictum corpore pronato, femoribus divaricatis, iisdem ut pedibus varia ratione motis, leviter quassatis facilitandi; frequens membri erectio et pollutio nocturna, ponderis in perinaeo prementis sensus, alvi tenesmus. Infantes genitalia contrectando, comprimendo, trahendo, digitum intestino recto vel vaginae immittendo mictum juvare doloremque lenire saepe adlaborant. Cum urinis non raro faeces simul exprimuntur; vel anus procidit. Urinae missae turbidae sunt, foetentes, sedimentum faciunt mucosum, tenax, grave, sabulosum, vel et calculos minores secum ferunt. Ab equitatione, vectione per strata inaequalia, lapidosa, ab erroribus in diaeta, aegri gravius patiuntur. Quum tamen ab haemorrhoidibus, rheumatismo, inflammationibus lentis, suppuratione, ulcere, induratione, degeneratione vesicae urinariae, colli ejus, aut et prostatae similia quodammodo recensitis proficisci possint symptomata, ad noxium praecavendum in diagnosi errorem exploratione vesicae repletae tum per urethram opē catheteris atque specilli, tum per intestinum rectum antea depletum, aut per vaginam ope digiti semper est opus, nisi singuli jam calculi cum cruciatuum dictorum remissione aut silentio temporario eliminati fuerint, vel arte extracti, diagnosin omni dubio eripientes. (Conf. *Kern* l. c.) In dispositionem fors hereditariam, lithiasin in aegri regione frequentem, victum

crudum, digestu difficilem, vina vilia etc. sedula simul attentio convertenda est.

§. 1301. *Brande* duplex in urinis aut sedimentum aut sabulum, qua primum lithiasis signum, indicat: *album* videlicet calce vel ammonio et magnesia phosphoricis, et *rubrum*, acido lithico constans. Sanorum urinis exsuperans semper inesse acidum contendit, phosphoricum communissime, vel uricum et carbonicum, eoque salia dicta teneri soluta.

§. 1302. Calculi *duplicem* agnoscere videntur *originem*, aliam ex vitiosa urinae secretae miscela, aut facili saltem per longiorem in renibus aut vesica moram decompositione, aliam ab incrustatione grumi sanguinis, moleculae muci aut corporis cujusvis peregrini in viis urinariis morantis. Rationem autem remotiorem vitiosae urinarum in renibus secretarum miscelae nisi semper, saepe tamen in digestionis, chylificationis et sanguificationis vitiis haerere, in dubium vix vocabit, qui dispositionem in lithiasin communissimasque causas excitantes mox nominandas consideraverit; — in quo vero consistat peccans massae sanguinis indoles, numque diversorum generationi calculorum eadem semper subsit, enodari nedum potuit.

Eminentem in lithiasin *dispositionem* subjecta scrophulosa, rhachitica, arthritica, masculina prae femininis, infantili et senili potissimum aetate offerunt. — Excitantes habentur *causae*, universales: victus nimium nutriens, in specie animalis exsuperans, aequo crudior, dyspeptus, nimia copia ingestus, spirituosorum, praesertim vinorum juvenum, acidorum abusus; larga caseorum comestio; peculiaris aquarum conditio nonnullis regionibus propria; clima calido-humidum, quoad tempestatem ac temperaturam multum variabile; vitae genus nimis sedentarium, diu protracta cubatio; veneris bacchique cultura nimia; — locales: viarum urinalium debilitas, laxitas, spasmi, vitia organica. (Conf. Beob. über den

Blasenstein etc.; in d. med. Jahrb. Bd. XII. St. 4. pag. 521, 536 ets.) Omnes insuper ischuriae causae, corpora peregrina, grumi sanguinis ansam praebere calculis (incrustationibus) possunt.

An calculorum acido urico constantium genesis organorum digestioni et sanguificationi praefixorum, vel uropoëticorum solorum statui activo aut inflammatorio, genesis calculorum vero, in quibus salia phosphorica, urica et carbonica praevalent, statui debilitatis concomitanti adscribenda est?

§. 1303. *Prognosis* dysuriae, stranguriae, ischuriae citra generales, quae et hic obtinent, relationes, morbo principali causisque excitantibus rite pensitatis specialius adquiescit.

A calculis in renibus phlogoses horum chronicae, induratio, suppuratio, haematuria, phthisis renalis metuendae.

Utut calculi in vesica nonnunquam per urethram extricentur parvi, magni vero lithotomiae ope feliciter saepe extrahantur, nimis frequenter tamen successu temporis regenerantur, raro tunc gravi vesicae adfectioni non sociati.

Remedia chemica, kalia, magnesia, aut acida calculis majoribus vix sufficiunt dissolvendis, forsan tamen, ut *Marcet* opinatur, incremento minorum sistendo, aspredinibus eorum angulisque solvendo tollendis, ipsisque inde minus dolorificis reddendis sufficiunt; sabulo autem decomponendo, eliminando, corrigendis, auferendis qualitativis in genere assimilationis vitiis, horumce ideo productis, se- et excretis nimirum, mutandis omnino paria sunt censenda.

Injectiones in vesicam cautae, quas *Marcet* proficuas autumat, a *J. G. Cooper* semel cum successu instituebantur. (Med. chir. Ztg. 1818. Bd. IV. S. 15.)

§. 1304. *Therapia* dysuriae, stranguriae, ischuriae eo tendat necesse est, ut excitans si agere pergit causa,

morbusve princeps seu universalis seu topicus quam citissime tollantur, et, si hic et illa vel non cito satis vel plane non possunt amoveri, cruciatus mitigentur, utque viae urinarum excretoriae aut naturales dilatentur aut aliae per artem aperiantur. — Quare causas debilitatis, paralyseos vesicae, aut impeditae contrahendi facultatis, causas urinis excernendis obstaculum ponentes internas, externas — supra expositas — modo singulis congruo auferre oportet. Atonia aut paralysis, penes iteratam urinarum accumulatarum ope catheteris evacuationem, interne remediis indiget incitantibus, tonicis, fomentis, cataplasmatibus, lotionibus, inunctionibus irritantibus, vaporibus ac semicupiis, vesicantibus, sinapismis ad perineum, regionem sacralem, supra symphisin ossium pubis adplicandis, enematibus stimulantibus ac irritantibus, fotu calido sicco, frictione modica protracta, frequente. — Partiales vesicae dilatationes attentissime cavendo a notabili lotii accumulatione quandoque adhuc successive sanantur. Membranarum vesicae incrassationes, indurationes citra curam malo principali, ubi restat, opponendam, balneis, fomentis, et praesertim unguento hydrargyri nonnunquam in principio faventibusque ceterum circumstantiis adhuc resolvuntur; frequentius vero et quae senes infestant, semper repugnant medelae. — Colli vesicae, urethrae, praeputii, prostatae inflammationes secundum normas generales notas, habita partis inflammatae ratione tractantur. Tumescentiae colli vesicae, aut prostatae non inflammatoriae, praemissis ubi opus sanguinis depletionibus topicis, jam emollientibus, jam resorptionem sollicitantibus, jam adstringentibus ac tonicis, — membranae muciparae urethrae incrassationes indeque pendentes hujus angustationes longo et perfecte adcommodato cereolorum usu tolluntur, saltem imminuuntur. Spasmus sphincteris vesicae pervicax, spasmodica urethrae angustatio pacantibus, emollientibus, erigentibus topicis, casu necessitatis et universalibus solvuntur.

Uteri descensus, prolapsus, in- et retroversio, vaginae procidentia chirurgicam exposcunt opem. Gravidus uterus si lumine ac pressione dysuriam aut ischuriam facit, primis mensibus elevatio ejus e pelvi, ultimo vero tempore partus proprium sistit remedium; interea tamen externe pro re nata emollientia, pacantia adhibere, adaequatum sub mingendo commendare situm, et jubente necessitate catheteris iterare adplicationem convenit. — Collo vesicae summe angustato aut penitus praecluso, urinae retentae per orificium arte factum, quoties opus est, dimittantur oportet.

§. 1305. Pro *calculis urinalibus*, symptomatum memoratorum causis, e vesica, ejus collo, aut urethra *auferendis* aptum requiritur auxilium chirurgicum. Mechanica calculorum in vesica, ad exempla *J. Leroy* et *Civiale*, perforandorum comminutio, a nostris quoque cum successu instituta, pro certis saltem casibus attentionem maximam meretur. Calculis, si in renibus aut uretheribus haerent, vel si e vesica extrahi nequeunt aut ab aegris non conceduntur, solvendis commendata remedia interna huic scopo, ut supra jam monui, omnino insufficientia, ad novam calculorum generationem praepediendam valere videntur. Injectiones in vesicam, ubi sabuli evacuati analysis chemica speciem calculi evicit, nonnisi maxima cum cautela concedendae sunt, ne irritando vesicam obsint, hujusque inflammatione provocata vitae inferant periculum.

Remediorum laudatorum pars potior chemica comprehendit; et quidem in calculos acido urico solo aut salibus uricis praedominantibus conflatos kalia caustica tutius vero mitia (carbonica), et sapones medicati varii, aquae soteriae kalibus imbutae, *Carolinae* maxime, *Bilinensis*, *Emsensis*, et, juxta *Wichmann*, *Wildungensis*; aqua calcis; magnesia a *Brande* antehac multum celebrata, secundum *Marcet* autem kalibus carbonicis, speciatim sodae postponenda, commendantur; — in calculos ceteros acidum nitricum, muriaticum, in infantibus ve-

getabile aliquod, in subjectis admodum irritabilibus acidum quoque carbonicum in potione Riverii, pulveribus effervescentibus, aquis soteriis eodem acido pollentibus adhibentur. Kalia aqua larga aut fluido mucilaginoso soluta adeoque mitigata, ut gustus organa vix irritent, et quidem carbonica dosi drachmae unius ad duas et ultra spatio nycthemeri, aquae minerales et ea calcis cum lacte aut sero dulci, — acida mineralia et vegetabilia cum aqua, sapones conveniente combinatione pilularum forma in usum vocantur. — Adserente *Marcet* calculorum indoles successu temporis aut sua sponte aut sumptorum pharmacorum efficacia non raro immutatur; quare sedimento mutato summam ille navari vult attentionem, ut et pharmaca adaequate mutentur. Id quod therapiae per chemicas potentias gravem omnino parit difficultatem.

Folia uvae ursi, radix petroselini, scilla etc. utpote incitantia et diuretica ad eluendum facilius e viis urinalibus sabulum, et emendandam in posterum uropoësin facere possunt, gravamina vero mictus a calculis communiter potius adaugent. *Pishob* et *White* decoctum e persicorum foliis bene siccatis in calculos renales adeo valere contendunt, ut breviore aut longiore sub usu et sabulum et minores evehat calculos (?).

§. 1306. *Palliativa* molestiarum a calculis urinalibus cura, saepe sola concessa, radicali juncta semper admodum proficua, de doloribus, spasmis, tenesmo, vomitu per apta remedia, imprimis opium, componendis, de irritatione aut vera phlogosi per emollientia, involventia aut attenuantia, antiphlogistica interna et externa, prout casus exegerit specialis, occupetur oportet.

§. 1307. *Convalescentiae* cura effectus a morbo, subinde et a necessario therapiae modo, relictos habet tollendos, atque recidivum praevertendum. Utrique scopo conveniens tractamen, haud ubique idem, casu speciali quovis propius indicatur.

§. 1308. *Arthritis* juxta ethymologiam a graeco αρθρον, articulus, cum *Swediaur* pro articulorum inflammatione sumenda foret. Hoc sensu arthritis tam substantiva existeret quam symptomatica. Ast longo et ubique fere adhuc vigente receptum est usu, arthritidis nomine (Gicht) insignire morbum sui generis, cujus partem modo, symptoma et metastasin, articulorum inflammatio constituit. Dicitur nimirum *arthritis* morbi universalis species, a manifesta organorum digerentium praeprimis hepatis adfectione ordiens, insufficienti bilis morbose auctae et vitiatae excretioni, urinarum salibus phosphoricis destitutarum secretioni, atque transspirationi cutaneae justo parcioribus juncta, evoluta per febrim, hujus in decursu per inflammationes articulorum summe dolorificas sese manifestans, et in morbosas humorum calcem phosphoricam gerentium secretiones nitens.

Sydenham, tract. de podagra et hydrope. Opp. T. I.

W. Grant, Beob. üb. d. chron. Krankh. B. I. Von d. Gicht u. d. Podagra. Leipz. 1784. 8.

A. Szöövls, diss. de Arthritide. In *M. Stollii* diss. med. ad morb. chron. pertin. Vol. I. Vienn. 1788. p. 73—137.

P. J. Barthez, Abh. üb. die Gichtkr. A. d. Franz. m. Anmerk. v. *C. H. E. Bischoff*. 2 Thle. Berlin 1803. 8.

E. Scudamore, üb. die Natur u. Heilung der Gicht. A. d. Engl. v. *E. Hesse*. Halle 1819. 8.

Dr. Jos. Ritt. v. Vering, Heilart der Gicht. Wien 1832. 8.

§. 1309. Ut arthritis forma originaria pura, et decursu regulari describi rite possit, in *acutam* et *chronicam* praevie distinguenda est. Haec continuationem aut sequelam illius sistit, in evolutione, in decursu turbatae, vel crisim nullam aut imperfectam solum ac irregularem consecutae.

Acuta rarius subito quam post symptomata intrat, varias functionum systematis gastrici turbas exhibentia, per

septimanas, menses, imo annos obscurius manifestiusve praegressa, *opportunitatis in arthritidem* signa. Qualia sunt: dysorexia, digestio vigente etiam appetitu tarda, imperfecta, ventriculi pressio et pondus, quandoque dolor, ructus acidi, amari, flatulenti frequentes, ventriculi et abdominis praesertim a cibornm acidorum aut flatulentiae faventium usu expansio, sapor alienatus, lingua obducta; plethora abdominis, gravamina haemorrhoidalia; secretio bilis ac muci adaucta; alvus jam adstricta jam laxa; somnus postea inquietus; segnities, indispositio, dejectio animi, anxietas per intervalla recurrens, mensium in feminis anomaliae, urinae parcae, corporis volumen nonnunquam auctum sine virium incremento. Phaenomena haec de segni sanguinis in abdomine motu, congestionibus in systemate venae portarum, bilis secretione aucta, digestione vitiata, et secretione urinarum nimis parca testantur; cum haemorrhoidum fluentium et hypochondriasis praecursoribus fere conveniunt, statumque patefaciunt, nomine *arthritidis nondum evolutae, nondum formatae,* insignitum. Quo vero ad evolutionem perfectam i. e. ad febris et articulorum inflammationis introitum accedente, vere utplurimum vel autumno, paucis antehac diebus insolitam membrorum gravitatem, dolores obtusos, spasticos trahentes, aut ardorem, leves motus febriles cum frequente cordis palpitatione, pulsu febrili et inordinato aeger patitur, linguam offert muco crasso tectam, urinas turbidas, mucosas, saepe acidum spirantes odorem, transspirationem restrictam, imo partialium sudorum habitualium defectum; nunc subito insolita gaudet euphoria *(Grant)*, hilaritate eximia, appetitu vivido, digestione facili, somno laudabili, ast ex hoc proxima nocte, maxime secundam inter et quartam horam, per horrorem excitatur, quem aestus, symptomata cetera febris inflammatoriae cum magna inquietudine et sensilitate, nec non dolor primo communiter pollicem pedis et quidem ejus cum osse metatarsi juncturam, vel alium pedis digitum,

vel calcem, malleolum alterutrum, vel et digitum manus tenens, jam acutus urens, lancinans, jam obtusus tensivus, pressivus etc. excipiunt. Febris ac dolor (*febris arthritica, arthritis acuta* nominata) intenso utplurimum calore pulsuque pleno, duro, forti stipati successive invalescunt, donec post nycthemeron circiter subito remittant, aegroque somnum per horas concedant, sub quo sudor universalis levans prorumpit, et articulus dolens rubere incipit ac tumescere. — Haec adfectio ab erysipelate per ruborem dilutiorem, tumorem minorem exacte circumscriptum, splendorem majorem, dolores profundos vehementiores, quandoque omni fere humana patientia superiores distinguitur. — Die quietius, quandoque sine febre, nunquam vero sine doloribus transacta febris ac dolores sequente recrudescunt nocte, et sic vel omni altera die post remissionem viginti quatuor horarum, vel quavis licet die, omni altera vero fortius exacerbantur, decrescente interea quidem febre (*Szöötz*), articulorum autem inflammationibus vel intensitate vel numero potius increscentibus, tumoreque primo inflammatorum insigniter insurgente. Quamlibet exacerbationem diurna sequitur remissio cum crisi intercisa sub sudoribus universalibus in parte imprimis adfecta admodum largis, crassis, viscidis, ubi siccantur, pulverem quandoque levem, micantem, calcem phosphoricam, relinquentibus, cum successiva linguae humectatione ac depuratione, cum urinis turbidis sedimentum mucosum pro parte sabulosum, album vel rubrum, calce phosphorica scatens, deponentibus, nonnunquam cum exanthemate quoque miliformi, vel fluxu haemorrhoidum cruento. Circa diem nonum, undecimum, febre jam longe mitiore, tumor atque dolor pedetentim quoque et sub valido cutis ante simul inflammatae pruritu, quandoque et epidermidis defurfuratione decrescunt.

Accessu tali ad finem perducto, quem in subjectis junioribus et robustis cum septem febris exacerbationibus,

quandoque paroxysmorum speciem praeseferentibus, adeoque die decimo quarto, exspectare licet, aeger convalescit, euphoria, appetitu ac digestione, somno, viribus etc. sensim restituendis.

§. 1310. Dolores arthritici saepius ac vehementius articulos pedum *(podagra)*, quam manuum *(chiragra)*, eosque lateris sinistri communius quam dextri corripiunt. Quo plures simul invaduntur articuli, aut quo saepius invasiones recurrunt, quo magis regimen debitum per libera servandum intervalla fuit neglectum, eo plures (undecim, quatuordecim, imo viginti et una) febris dolorumque exacerbationes ad criseos usque finem accedunt, eo longius itaque invasiones ipsae ultra tempus ante memoratum excurrunt, hac ratione in plures imo septimanas protensae *(Sydenham, Stoll)*.

§. 1311. Arthritis acuta nonnunquam singulas quotidie, imo binas celebrat exacerbationes; nonnunquam intra quotidianas aut tertianas febris jam deest, dolores vero articulorum continuant.

§. 1312. Insultus arthritidis, nisi datis ansis citius sollicitentur, primum omni altero, dein omni anno tempore vernali, serius bis per annum vere nimirum et autumno, peccantibus autem regimine, diaeta, vitae genere luxurioso, inordinato, tempestate etc. imo saepius intra anni revertuntur limites, diutiusque simul durare solent; ut aegro vix per aestatem inducias concedant. Insultus frequentius redeuntes non *crises* solum febris *tardiores*, post septimanas demum intrantes, sed *imperfectas* etiam, sicut *tardam* et *imperfectam* inflammationum in articulis resolutionem, variis cum malis posthumis, efficiunt. Non enim graviores semper digestionis, assimilationis, se- et excretionum turbas, debilitatem universalem, auctamque partium eminenter adfectarum sensilitatem post se trahunt, sed sub et ab invasionibus protractis *symptomaticae* etiam oculorum, meatus auditorii, organorum deglutitionis, pleurae, pericardii, ve-

sicae urinariae, arteriarum majorum etc. *inflammationes* fiunt, decursum plerumque ineuntes *chronicum*, et varias organisationis immutationes, metastases osseas vel calculosas, porosas, alcem phosphoricam, in articulis sodam insuper uricam gerentes relicturae, quae, in hisce *nodi* aut *tophi arthritici* vocatae, pro organis in functione per illas turbatis effectus admodum varios, ut: incurvationes, rigiditatem, deformitates etc. producunt; — variae insuper efflorescentiae cutaneae chronicae, imprimis herpeticae, saepe cum arthriticis alternantes insultibus, atque sic de arthritide continuante testantes; morbi organorum uropoëticorum cum sabuli calculorumve generatione; haemorrhoidum fluxus; hypochondriasis, hysteria; languor digestionis chronicus cum macie, cachexia, hydrope, febre tabifica.

§. 1313. *Insultu* arthritico in evolutione *repente inhibito, suppresso*, vel in crisi intercepto, utplurimum subito vel (in senibus) valida encephali adfectio cum symptomatibus comatosis aut apoplecticis non raro confestim lethiferis, vel (in junioribus, robustis individuis) vehementes pulmonum, cordis, pericardii vasorumque majorum, pleurae, ventriculi, intestinorum, hepatis, renum etc. irruunt inflammationes, requisita etiam ope non neglecta in exitum infaustum nitentes, hinc inde brevi lethalem. *Evolutione* vero vel *crisi* invasionis arthriticae, per noxas externas aut internas, *successive solum* et *imperfecte inhibita* vel illius decursus inordinatus solum redditur ac protrahitur, vel organa nunc nominata nobilia phlogosibus corripiuntur cum levioribus licet aliamque non raro formam exhibentibus, chronicis tamen eorum adfectionibus, nec sine malorum posthumorum metu, paragrapho praecedente enumeratorum.

§. 1314. Hoc plerumque modo arthritis *larvata* i. e. diverso sub morborum schemate delitescens, nascitur. *Schemata*, quorum indoles essentialis arthritis est, numerosissima et multifaria in abdominis, pectoris, et

capitis visceribus, atque in cute obveniunt; *frequentissima* autem fere censenda: dysorexia et dyspepsia, colica, diarrhoea chronicae, gravamina haemorrhoidalia, hypochondriasis, melancholia, metrorrhagia, leucorrhoea, uteri, ovariorum, testiculorum scirrhus, nephritis, dysuria; — tussis, haemoptoë, pneumonia, pleuritis, phthisis pituitosa, hydrothorax, asthma, angina pectoris *Heberdenii;* — cephalagra quotidie vel alternis diebus vespere aut nocte invadens, dolor faciei *Fothergillii*, vertigo, apoplexia, epilepsia, ischias, spasmi varii; ophthalmiae, epiphora, cataracta, glaucoma, amaurosis; — erysipelas chronicum, herpes, tinea capitis, papulae, acne. (*Szöötz* l. c.)

§. 1315. *Differentiae* arthritidis sunt: arthr. *hereditaria* et *adquisita; regularis* s. normalis, supra §. 1309 descripta, et *irregularis* s. *anomala* tempore invasionis, decursus ratione, et sede symptomatum ab illa multifariam abludens; *evoluta, non evoluta* et *retrogressa; aperta*, patens, et *larvata; externa* et *interna; fixa* et *vaga; acuta* et *chronica, febrilis* et *non febrilis.* Arthritidis externae *varietates* podagra, chiragra, gonagra, omagra, cephalagra etc. nominantur.

Arthritis *atonica* dicitur, quae ad quasdam tantum manifestationes, nequaquam ad inflammatorios usque articulorum dolores evolvitur, quorum loco cardialgia, cephalagra cum pronitate in lipothymias comparent, succedente nonnunquam subito apoplexia.

Arthritidem *vagam* dolores notant jam hos jam illos articulos, jam alias quoque corporis partes v. gr. caput ex uno praesertim latere (hemicrania), dentes, crasso saepe tartaro obducendos et carie mox destruendos, periostium alicubi etc. adgredientes.

Arthritis acuta, febrilis et inflammatoria arthritis *validorum*, chronica non febrilis arthr. *debilium*, utut haud semper respondente aegrorum constitutione, adpellatur.

Arthritidis spuriae, pseudo-arthritidis nomen auctores doloribus articulorum mere symptomaticis, quales scorbutum, scrophulas, cancrum, luem veneream etc. comitantur, incongrue tribuunt. Huc etiam arthritis traumatica, rheumatica, saturnina etc. referenda.

§. 1316. *Dispositio* in arthritidem *corporea, habitus arthriticus*, compage robusta, polyhaemia, irritabilitate insigni, et temperamento cholerico aut atrabilario se prodens, saepe hereditaria quidem est, utplurimum tamen non prius quam trigesimum, trigesimum quintum inter et sexagesimum aetatis annum manifestatur. Sexui virili prae feminino inhaeret. Quae in infantia scrophulis aut rhachitidi obnoxia fuerunt vel adhuc sunt individua, in arthritidem quoque multum disposita esse solent. — Momentis *excitantibus* adnumerantur: victus nimis largus, necessitatem excedens, multum nutriens, pinguis et conditus, cum otio viriumque exercitii defectu; potuum spirituosorum, vinorum speciatim juvenum, acrium aut acidorum haustus nimii; vita nimis sedentaria, praesertim repentinus a vitae genere admodum activo in otiosum transgressus; iteratae ventriculi oppletiones, frequentes ab ira vehemente incandescentiae; sed et curae, moeror, aliique animi adfectus et pathemata e deprimentium genere; nimiae corporis facultatumque mentis intensiones, eaeque nocturnae imprimis, et mox a prandio ingesto; coitus praematurus, immodicus, onaniae vitium; purgantium pharmacorum, aliarumque potentiarum digestionem debilitantium abusus, excretionum variarum, bilis in specie, urinae et transspirationis suppressio vel notabilis restrictio, hinc aër humidus ac frigidus, habitaculum udum sole orbatum, mora in regionibus humidis, paludosis, depressis etc., hinc imo rheumatismi et efflorescentiae cutaneae chronicae digestionem multiplici ratione graviter diuque laedentes; fortassis denique contagium proprium transspirationi arthriticorum atque sudori inhaerens.

§. 1317. *Natura* arthritidis revelata nondum innotuit. Ortus ratio, evolutio successiva, symptomata, decursus et crisis morbi, adfinitas ejus cum malis biliosis, febre biliosa in specie, hujus uti intermittentis biliosae in symptomatibus compluribus (gastricis) concordantia, perperam tractatarum non infrequens in arthritidem transitus, status viscerum abdominalium praegressi aeque ac subjectorum in athritidem maxime dispositorum, causarum excitantium, nec non malorum posthumorum conditio ad opinionem ducunt, arthritidem a plethora abdominis praesertim in systemate venae portarum, ideoque a bilis abundantia praeparari et modo essentiali dependere, et a speciali digestionis et sanguificationis laesione, eaque se- et excretionum, imprimis urinae, anomalia proficisci, qua non parcae modo generatim secernantur urinae, sed sales etiam phosphorici (calx et soda phosphoricae) per illas excernendi in organismo retineantur, et nonnisi insufficienter per hoc ipsum aut aliud colatorium secedant, vel vero contra normam per organorum aliorum, praecipue ligamentorum in articulis et vaginarum tendinosarum vasa capillaria incongrue secernantur. — *Scudamore* pariter essentiam arthritidis in plethora ad vires circulationis, specialius in systemate venae portarum et hepate, cum morbosa secretionum canalis intestinalis et renum alteratione consistere defendit, quin tamen penitius exponere sciat, in quo ista secretionum alteratio consistat, quam habeat rationem proximam, quomodo febris arthritica et articulorum inflammationes generentur? et s. p. — *Haase* (l. c. T. II. §. 243.) quaestioni solvendae sese subducit, adserens solum, arthritidem esse articulorum inflammationem, adeoque acutis potius quam chronicis malis adnumerandam; systemati reproductivo specialius inhaerere; arthritidem acutam, charactere inflammatorio eminentius stipatam, morbum esse sincere dynamicum, chronicam, sub lento inflammationum decursu in exsudationes et formanda concre-

menta nitentem, plerumque simul organicum etc. etc. Articulorum modo inflammationem, et quidem rheumaticam ob oculos habuisse videtur.

§. 1318. Ex hucusque expositis essentiale *arthritidem* inter et *rheumatismum*, speciatim articulorum *chronicum*, concipere licet *discrimen*, jam T. I. §. 480. indigitatum. *Dispositio* nimirum in arthritidem saepe hereditaria est, exaltatam organi cutanei irritabilitatem haud ita quam organorum potius digestioni dicatorum, in specie hepatis turbas, et plethoram, saltem in abdomine, concernens; quae dispositio raro ante trigesimum aetatis annum manifeste explicatur, raro et solum mediate per refrigerium, communiter vero per potentias alias supra recensitas *ad evolutionem* evehitur, et febris ac dolorum invasioni jam breviori jam longiori tempore, per annos imo, praecedit. *Prodromi* invasionis arthriticae eorumque incessus sunt *characteristici; invasiones* febriles ipsae, initio validissimae, successive et quidem in ratione tumorum in articulis dolentibus *metastaseos* instar increscentium decrescunt, evacuationes *criticas* agnoscunt proprias, propriosque *morbos secundarios* et posthumos, in principio paucos intra dies finiuntur, frequentius et fixis anni temporibus redeunt, diutius postea durant, et quo frequentius tandem revertuntur, eo minus immunia concedunt intervalla. Arthritis aegrum per vitam comitari consuevit, vix modo alio quam constitutionem totam transmutando eradicanda.

§. 1319. Circa *prognosim* in arthritide notare hic adhuc convenit, acutam decursu normali morbum sistere molestum quidem, dolorificum, facillime recurrentem, et iteratis ab insultibus ardue sanandum, ast quamdiu aetas viresque favent, non periculosum; ex dispositione hereditaria evolutam omni eam evellendi tentamine superiorem perstare. — Arthritis vaga ambulans periculosa fit, ubi inflammatio ad partes internas nobiles transfertur.

Adfectiones variorum organorum symptomaticae, sicut insultus arthriticos suppressos vel imperfecte judicatos insecutae, pro indole, magnitudine in- et extensiva, duratione, sede, functionum inde laesarum dignitate etc. aestimari debent.

In subjectis exhaustis, aut senibus arthritis lentum facere solet decursum, haud debite evolvi, lente ac imperfecte judicari, transsudationes cum praecipitatis calculosis, indurationes efficere. Arthritici aetate senili insultibus arthritidis acutae et normalis rarius, quam larvatae, ac internae symptomatibus plectuntur. Metuendis autem speciatim apoplexiae, asthmati, anginae pectoris, lentis cordis, valvularum praecipue, vasorumque majorum, hepatis, testium, ovariorum, mammarum, uteri phlogosibus, indurationibus, earumque sequelis diversis expositi sunt.

§. 1320. Cum difficillimum sane sit, arthritidem exstinguere, gravissimi semper momenti manet, eandem *praecavere*, dispositionisque hereditariae vel adquisitae plenariam *praepedire* evolutionem. Praedictas fugiendo et arcendo causas excitantes attingere hoc datur; ab infantia vero jam inchoandum est. Commendanda hunc in finem sunt: diaeta simplex partim vegetabilis partim animalis, moderatio in ejus usu, spirituosorum potuum fuga; aër liber, purus, siccus, motus in eo frequens, diligens virium corporis exercitium, tempestatis vicissitudinibus adsuescendi conatus; frequens balneorum egelidorum et frigidulorum usus, natationes; vestitus anni tempori adcommodatus, non exaestuans; cupidinum atque pathematum refrenatio.

§. 1321. *Cura* arthritidis evolutae duplex est, singulorum nempe *insultuum* et *morbi totius* cum symptomatibus. Insultus febriles arthritici *normales*, prout febris plus minusve inflammatoriae est indolis, ut febres inflammatoriae ejusdem gradus, ea tamen cum cautela singulari tractantur, ne venaesectionibus aut purgantibus omnis

frangatur vigor febris, ne proinde inflammationes arthriticae in articulis formari impediantur, formatae turbentur aut plane repellantur, vel evacuationes criticae per sudores ac urinas exspectandae praevertantur, praesentes intercipiantur. Quare febris inflammatoriae gradum, et insultus totius stadium, adeoque febris rationem ad eum, quem articulorum phlogoses ostendunt, evolutionis gradum constanter attendere oportet. Artus dolentes inflammati quietissime teneantur leniter tecti, et mitiore sub inflammatione stupa cannabina vel linea, vel strophio lineo bene siccato, calefacto obvoluti sicce foveantur, inflammatione fortiore fomentis humidis emollientibus vel cataplasmatibus tegantur. Sudor vaporosus universalis et urinae criticae, levamen ferentes, ad normas generales pro crisium cura tractentur. Si sub his atque increscentibus articulorum phlogosibus febris pedetentim multum decreverit, ac denique cessaverit, ne phlogoses istae metastaticae in decursu turbentur, sollicite caveatur. Doloribus vehementibus opponere narcotica, opio vitato, nunc conceditur, pro re nata requiritur. Inflammationes articulorum ubi vel debito segnius formantur vel lentius resolvuntur, levibus membrorum frictionibus siccis opus habent ac motu cauto, absente tantum febre et cute non sudante extra lectum peragendo.

§. 1322. Ubi insultus arthritici decursum faciunt *irregularem*, ubi scilicet phlogoses in extremitatum inferiorum vel superiorum articulis aut plane non, aut imperfecte solum et febre aequabiliter continuante evolvuntur, earumque in locum symptomata invasionis arthriticae in trunco vel imo in viscere quodam, ventriculo potissimum, pulmonibus, organis uropoëticis, cerebro sese produnt, anomaliae talis causa illico eruenda, congruo tollenda modo, simulque eo adlaborandum est, ut arthritis ad articulos determinetur membrorum, legitime hic evolvatur, et perfecte judicetur. Similibus in casibus quoad essentialia, quale in exanthematis substantivi (§. 645.),

in specie scarlatinae (§. 693. ets.) imperfecta in cute evolutione tradebatur, tractamen obtinet.

§. 1323. Arthritide subito vel lente *retrogressa* (variam in casu altero *larvam* induente) pariter valent normae, pro rheumatismi (§. 499) aut efflorescentiae cutaneae retrogressae (§. 645.) therapia praescriptae, ut organon prehensum nobile quantocyus liberetur, et arthritis ad sedem propriam, normalem formam atque decursum regularem reducatur. (Conf. *Sztóóts* l. c.)

1324. Insultu arthritico acuto feliciter finito non *reconvalescentiam* solum juxta generalia praecepta saepius repetita curare, sed eo quoque adlaborare convenit, ut praesens in arthritidem dispositio extinguatur. Certius quam pharmacorum usu id regimine diaetetico apto et constanter servato i. e. agendi ratione quoad cibos et potus, motum corporis et quietem, vivendi modum, consuetudines, animi adfectus, propensiones et pathemata etc. ita disposita impetratur, ut nocentibus, quae in casu speciali invitarunt morbum et produxerunt, directe sit opposita. Hac eadem, praesertim animo hilari, aëre sicco, puro, moderate calido, itineratione, lotionibus primo tepidis, dein egelidis, tandem frigidulis, balneis simplicibus, saponatis, sulphureis, perfusionibus, natatione, et casu necessitatis pharmacis quoque adjuvantibus dispositio arthritica aliquando vere eradicatur, frequentius autem solum imminuitur, insultus proinde arthritici vel penitus praevertuntur, vel futuri saltem rariores, mitiores et breviores, crises eorum perfectiores, convalescentia purior redduntur.

§. 1325. Pro adfectionum arthriticarum *chronicarum* therapia plurimi interest attendere, num in articulis aut externis saltem partibus non nobilibus, vel vero in visceribus obveniant; num symptomatibus inflammatoriis et febrilibus jungantur, et in qua sint ad arthritidem totam relatione, num scilicet prodromos insultus imminentis, vel effectus et sequelas acuti insufficienter evoluti, formati

anomali, suppressi, aut inordinate ac imperfecte judicati, vel vero morbi alterius (complicantis), vigente dispositione arthritica per refrigerium etc. facile inferendi, symptomata sistant? — his enim relationibus non medendi solum methodus in genere, sed remedia etiam indicantur eligenda.

Inde explicatur, cur in nonnullis arthritidis chronicae casibus methodus diluens, emolliendo pacans, diaphoresi ac diuresi promovendis favens, in aliis haec cum specifice sopiente, cum solvente et eccoprotica, in aliis per volatilia aut tonica incitans, roborans, in aliis acido contraria, antagonistice irritans etc. maxime conveniat. Inde quoque patet judicium, de multis diversisque remediis anti-arthriticis celebratis ferendum. Spectant ad haec pleraque contra rheumatalgias (T. I. §. 496.) commendatorum, praecipue vero sequentia: solventia in genere, aquae speciatim soteriae salinae et sulphureae, thermae tales uti: Carolinae, Badenses, Töplitzenses, Trentschinenses, Budenses, Sworzowicenses, Sklooenses, Lubinenses, Wisbadenses etc.; balnea vaporosa; pharmaca sulphurea; kalia praesertim volatile; guajacina; extractum aconiti; caules et extr. dulcamarae; sarsaparilla, calam. aromaticus, rhododendron chrysantum (T. I. ibid.), sabina, gratiola, belladonna; acida nitricum et muriaticum. Laudatum nuper decoctum ex unc. sem. fabar. coffeae crudarum ad colat. unc. decem, duodecim, sic et l'eau médicinale *d'Husson,* tinctura bulbi, florum, et vinum sem. colchici, expectationi non satisfecerunt.

Utut remedia haec sola arthritidi sanandae paria vix inveniantur, partim tamen stases et intumescentias solvendo, liberando viscera eorumque functiones, et circulum regularem restituendo, partim roborando, partim systema nervosum pacando, partim massam humorum mutando, restringendo bilis secretionem, illam urinarum ac transspirationem promovendo ad sanationem essentiali conferre modo, arthritidem ejusque

symptomata multum omnino cohibere ac lenire, atque sic tolerabilem magis reddere valent vitam.

Efflorescentiae cutaneae artificiales, fonticuli, setacea, moxa, nonnisi arthritidis in organa nobilia impetus praevertere, derivare, vel mitigare posse videntur.

§. 1326. In *convalescentia* ex arthritide chronica non aliae, quam circa eam ex acuta mox (§. 1324.) exponebantur, indicationes curam dirigunt.

Classis VI. *Nevroses.*

CAP. I. *De nevrosibus in genere.*

Sect. I. Nevrosium in genere definitio, descriptio, causae, essentia, differentiae, prognosis, cura.

§. 1327. Vasto morborum, apertam nervorum jam singulorum, jam omnium adfectionem secum ducentium, ex agmine stricte non nisi illi habendi sunt *nervosi* (T. I. §. 37.), qui in nervorum singulorum vel totius eorum systematis adfectione proxime ac modo principali consistunt, sensuumque externorum aut internorum functionibus, vel motibus musculorum, vel utrisque simul laesis manifestantur.

§. 1328. Hac tamen nevrosium definitione penitius lustrata patet, easdem *naturalem* quidem ut efflorescentiae cutaneae, vasorum etc. morbi, constituere *classem*, adeo exacte tamen nondum circumscriptas esse, ut ubique certe cognosci tales, ac juxta indicationem unam principalem tractari queant. Utut parum sit certi, quod de morborum nervosorum *natura essentiali* declarari potest, hanc vero non unam ubivis eandemque esse, sed in nervorum singulorum, provinciarum, aut totius systematis nervosi nunc dynamica (virium ac tenoris), nunc materialibus anomaliis praevalentibus consistere, virium proinde manifestationes jam in partibus jam in toto morbose vel auctas vel imminutas, vel impeditas, vel inordinatas, non harmonice convergentes, in modo vitiosas adparere, factis convincimur. Idem de singulis nevrosium speciebus aut formis dicendum. *Therapiam* igitur facturus ex indole, nexu, decursu symptomatum cum conditione functionum nervosarum normali collatis, ex

dispositione, momentorum excitantium qualitatibus et agendi ratione cum symptomatum nervosorum initio et sede computatis, ad nevrosium naturam concludere cogitur.

Fr. Hoffmann, diss. de morbis ex atonia cerebri nervorumque nascentibus. Hal. 1708. opp. omn. T. VII.

H. Boerhaave, praelect. acad. de morbis nervorum, quas edi curavit *J. van Ems*. Lugd. Bat. 1761.

R. Whytt, Beobachtungen üb. d. Krankheiten, die man gemeiniglich hypochondrische, hysterische und Nervenzufälle nennt. 3. verb. Ausg. Leipz. 1784. 8.

Tissot, Abhandl. v. d. Nerven u. ihren Krankheiten. 3 Theile. 2. Aufl. Leipz. 1790 — 1793. 8.

J. B. Burserii, instit. med. pract. T. III.

J. P. Michell, Abhandl. v. d. Nervenkrankh. Wien 1798. 8.

J. P. Frank, de nevrosibus capita duo cum dimidio. In opusc. posthum. ab Josepho filio editis. Vienn. 1824. 8. p. 126—312.

Fr. W. v. Hoven, Versuch üb. d. Nervenkrankheiten. Nürnberg 1813. 8.

Jos. Frank, prax. med. univ. praecepta. P. II. Vol. I. Sect. 1. et 2. Lips. 1818 — 1821.

Cullen, Bd. 3. — *Reil*, Bd. 4. — *Haase*, Bd. 2. — *Richter*, Bd. 7 u. 8.

§. 1329. *Hippocrates* quidem, *Plato*, *Aristoteles*, *Herophilus*, *Erasistratus*, dein *Celsus*, *Galenus*, *Aretaeus*, *Marcellus*, *Cael. Aurelianus*, *Oribasius*, *Aëtius*, *Alexander Trallianus*, *Paulus Aegineta*, posterius praecipue *Vesalius*, *Fallopius* aliique medici eminentes, ac naturae scrutatores bene multi, labore laudabili varias partim pro cerebro, nervis eorumque functionibus, partim pro nonnullis morbis nervosis eorumque causis cognoscendis contulerunt symbolas, attamen de integris nevrosium sectionibus doctrina serius demum fuit culta. *Car. Piso* primum (1618) ab humoribus effusis ortarum sectionem, *Th. Willis* (1677) illam morborum convulsivorum, *Sydenham* hypochondriasin, hysteriam, nonnullaque alia mala nervosa adumbrarunt; *E. Stahl*, *Fr. Hoffmann*, *H. Boerhaave*, *R. Whytt*, *Lorry* varia nevro-

nosologiam spectantia pertractarunt objecta, donec *Tissot* amplum ederet opus classicum. Quem *Burserius*, *Michell*, *Baldinger*, *Kühn* aliique secuti sunt, *Reil* et *van Hoven* vix superarunt.

§. 1330. *Forma* morborum nervosorum in genere plurimum variat. In statu eorum puro i. e. non complicato *a.* a systematis nervosi partibus primario et maxime adfectis, cerebro videlicet, medulla oblongata, et spinali, nervisque cerebralibus ac spinalibus, gangliis singulis inde prodeuntibus; *b.* ab adfectionis eorum magnitudine ac indole; et *c.* tam a dispositionis individualis conditione, quam a causarum excitantium qualitatibus constituitur. Hinc nevroses cum eminentibus functionum organorum sensuum externorum laesionibus *forma differunt* aeque ab illis, quae aberrantibus sensus interni functionibus, ac ab aliis, quae motuum muscularium anomaliis sese produnt. Nevroses sectionis prioris ultro differunt inter se, prout vel sensus communis, vel instinctus quidam naturalis, vel tactus, gustus, olfactus, visus, auditus, — sectionis alterius, prout cogitandi, sentiendi aut volendi phaenomena, — et tertiae, prout musculorum voluntariorum aut involuntariorum functiones eminentius a norma recedere conspiciuntur. Omnes demum pro *charactere* differunt, prout *a.* qua morbi materiales vel dynamici (nevroses cum vel sine materia), materiali nimirum organi cujusdam vitio, congestioni humorum, intumescentiae etc. praegressis, simul ortis, aut modo primum effectivo productis connexae, vel absque his adsunt; et prout *b.* activitate nervorum debito majore aut minore aut inordinata, et sensilitatis excessu (erethismo) aut defectu (torpore), modo vel aequabili vel in variis systematis nervosi provinciis inaequali stipatae manifestantur. Similiter gradus nevrosium major minorve, propria conditio, decursus velox aut lentus, regularis aut irregularis, et his arctissime juncta formae diversitas et mutatio a varia earum magnitudine, vigente vel deficiente dispositione,

causarum intensitate, qualitatibus, et actionis duratione proficiscuntur.

Omnium forma nevrosium praeterea magis aut minus definitur per circumstantias, a quibus illae, quemadmodum quilibet fere morbus alius, in *substantivas* et *symptomaticas*, *primarias* et *secundarias*, *connatas* et *adquisitas*, *sporadicas* et *pandemicas*, *febriles* et *non febriles*, *acutas* et *chronicas*, sanabiles et insanabiles etc. distingui consueverunt.

§. 1331. Nevrosium *decursus* jam velox jam segnis, regularis aut irregularis, continuus continens, remittens, aut fixis vel inaequalibus cum intervallis intermittens, periodicus est. Sine prodromis saepe et aeque subito intrant, ac non raro opinione citius exacerbantur, et cessant vel intermittunt. Periodicae larvatas quandoque sistunt intermittentes. Nevroses, sive breviores sive longiores faciant accessus, eminente symptomatum intensitatis, extensionis, numeri, sedis, successionis inconstantia insigniri, magnam proinde formae suae mutabilitatem offerre solent. Brevius longiusve post interstitium redeuntes jam priore jam et nova vestitae forma cernuntur.

Duratio earum summopere variat, multiplici sub variatione nonnunquam in provectum usque senium, imo ad mortem protensa.

Nunc sine nunc cum conspicuis excretionibus aut *phaenomenis* aliis *criticis:* sudoribus, urinis, eruptionibus cutaneis, partium externarum inflammationibus, abscessibus, tumoribus metastaticis in *sanitatem* terminantur nevroses, vel in *alias* quandoque transmutantur istarum *formas*, vel in *varios morbos* imprimis cachecticos, hydropem puta, tabem, phthisin pulmonalem, arthritidem etc. abeunt. Pleraeque *mortem* nunquam, vel remote solum et pedetentim invitant, nonnullae vero, ut tetanus, convulsiones, epilepsia, apoplexia etc. cito interimere valent.

§. 1332. *Dispositio* in nevroses sensibilitate nimia, aut diathesi nervorum specifica, qualis tempore dentitionis primae ac secundae, intrante pubertate, ante et sub menstruis, quandoque sub graviditate observatur; magna animi mobilitate, et vita psychica somaticam multum excedente conflatur. Hereditaria saepe, integris inhaerens familiis invenitur, imo in generatione nostra, sexu imprimis sequiore, ac majores intra urbes eminens praetervideri nequit. Notis physicis potissimum sequentibus palam redditur: compage corporis tenera, cum cute tenui, molli, alba, quodammodo diaphana, venis caeruleis notata; vultu bene colorato, hilari; crinibus tenuibus, raris, flavidis; corpore gracili; mente dotibus faecunda etc. Fundamenta illius non raro certe per inconvenientem gravidarum vivendi modum, earundem vel infantum recens natorum morbos, per partus praematuros ponuntur, atque germen hocce in prole nata per pravam tum physicam tum moralem educationem, celere corporis incrementum, intensionem facultatum mentis praeposteram, intempestivam instinctus sexualis provocationem atque culturam etc. alitur, evolvitur.

Causis excitantibus adnumeranda, quaecunque nervos singulos vel systema totum a) immediate ac directe, aut b) mediate ac indirecte in peripheria vel in centro irritare, laedere, vel debilitare, vel alterare valent. Ad priora (a) spectant: quaevis irritamenta fortia mechanica et chemica, externe aut interius agendo dolores causantia, adeoque frictio rudis, fortis pressio, contusio, commotio, laesio, combustio, causticorum actio etc.; pharmaca acria, drastica, venena acria narcotica, contagia varia, animalium rabidorum ac venenatorum morsus; vicissitudines atmosphaerae quoad temperaturam atque miscelam repentinae et magnae; nutrimenta vilia ravae qualitatis; potuum spirituosorum, pharmacorum stimulantium, calefacientium, electricitatis tam communis quam galvanicae, magnetismi mineralis praecipue

vero animalis abusus; vehemens omnis vel inconsueta, vel ob idiosyncrasiam adversa in sensus impressio, v. gr. objecta visus crudelia, horrenda vel nauseam moventia, aegrorum insultibus spasticis correptorum adspectus praesertim inopinatus, soni penetrantes ingrati, odores varii atque sapores; omnis corporis intensio immodica, sicut quaevis virium corporis et mentis facultatum adstrictio praematura, excedens, perperam directa; omnes vehementes, aut saepe repetiti, aut diu perstantes animi adfectus et pathemata; vitiorum moralium omne genus; partialis tantum, aut nimis intensa facultatum mentis occupatio. Huc pariter pertinent *morbi* varii tam acuti quam chronici, *vitia organica* jam non perspecta jam sanationem respuentia incephali, medullae spinalis, gangliorum plexuumque majorum, velamentorum, tunicarum ipsis inservientium, nec non partium vicinarum, uti sunt: inflammationes, tumores, indurationes, excrescentiae, ossificationes, suppurationes, ulcera, caries etc. Noxae nevrosibus *mediate* generandis pares sunt: nutrimentorum penuria, fames, inedia, quies, somnusque excedentes, solitudo; subtractio consvetarum in sensus animumque impressionum subitanea, humorum, sanguinis speciatim et seminis dispendia, onania, consociatio et cooperatio musculorum normalis vel habitualis laesa aut sublata; porro similes ante nominatis morbi, organa vero tenentes, a quibus nonnisi mediate nevroses sollicitare valent, adeoque inflammationes, tumores et s. p. ventriculi, intestinorum, partium genitalium, hepatis, cordis, renum, vesicae etc.

§. 1333. Hypothesium fere innumerarum, a *Galeni* tempore ad hodiernum usque prolatarum, physiologicis quovis aevo ex doctrinis scaturientium, de *nevrosium natura* nec una est, quae medico practico satisfacere possit. Singulae, quotquot prostant, aut laterales sunt et nimis angustae, aut vagae basi firma ambituque definito carentes. Ast adjuvantibus utut progressibus in syste-

matis nervosi anatomia, physiologia et pathologia per viros illustres *Prohaska*, *Reil*, *Gall*, *Soemmerring*, *Blainville*, *Meyance*, *Breschet*, *Spurzheim*, *Raspail*, *Flourens* et alios factis, illustrare ita naturam nevrosium nec hodiedum conceditur, ut diagnosis inde certa et therapiae indicatio solida, quibus omnino opus est, deduci queant.

Pro hac materie obscura collustranda, et pro nevrosium pathogenia, sequentes valere arbitror reflexiones: Cerebrum ac nervi substantia propria medullosa, filamentis multifariam decussatis ac junctis composita, et velamine seu tunica membranosa et vasculis plena (meninge, nevrilemate) constant. Non aequali semper gradu ambae videntur aegrotare partes constitutivae; num vero praevalens substantiae medullosae adfectio laesis sensuum externorum et internorum functionibus, ut non pauci contendunt, adfectio nevrilematis praeponderans motibus musculorum anomalis palam fiat, evictum nondum habetur, quia involucrorum et tunicarum membranosarum systematis nervosi functio omnigena illustrari factis hucdum non potuit. Sive autem substantia medullaris sive nevrilema praecipue, vel ambo aequabiliter aegrotent, symptomatumque nervosorum fontem suppeditent, morbus hic nec mere dynamicus nec mere materialis censendus est, sed uterque potius simul mutua unitus conditione, utut gradu et manifestationis tempore disparem *observanti* sese offerat. Quemadmodum systematis vasorum, cutanei, aliusque imo organi cujusvis, ita et morbus iste systematis nervosi nec in reactione vitali topice aut universim nimis aucta, accelerata, extensa, vel debili nimis, lenta, restricta, vel suppressa, vel non concordante, nec in vitio quodam materiali manifesto semper et ubique consistit, sed jam hanc jam alteram adfectionum dictarum apertius praesefert. *Involucra* enim et *tunicae* systematis nervosi eodem modo ac aliae membranae, imprimis seriferae et fibrosae vocatae, humorum in vasculis conge-

stionibus idiopathicis, sympathicis, ac metastaticis, irritationibus inflammatoriis, phlogosibus ipsis earumque effectibus et sequelis diversis, uti extravasatis, intumescentiis, indurationibus etc. haud secus ac laesionibus mechanicis, chemicis, subjiciuntur. Involucrum, tunicam inter et medullam accumulatio humorum, inspissatio, coagulatio obtinere possunt. *Substantia* cerebri, cerebelli, singularum utriusque partium, medullae oblongatae et spinalis, nervorum, gangliorumque et plexuum, jam aequo mollior, humoribus abundans, jam densior, sicca, dura, jam quoad quantitatem, colorem, consistentiam vitiata, jam suppurata, degenerata etc. invenitur. *Receptivitas et agendi facultas* in singulis nervis et toto systemate nunc morbose exaltatae sunt, nunc depressae aut plane exstinctae, nunc modo hucdum non explicando alteratae. Quaelibet tum receptivitatis tum reagendi facultatis morbosa conditio jam in toto systemate aequalis, jam in variis ejus partibus, imo in finibus utrisque, peripheriicis nempe et centralibus, inaequalis imo opposita occurrit; nullum enim phaenomenis sympathiae et antagonismi adeo repentinis gaudet et eminentibus.

Inde functionum morbosarum tam communium quam propriarum nervorum singulorum, provinciarum systematis nervosi majorum, hujusque totius differentias quoad magnitudinem (in-et extensivam) ac modum multiplices proficisci debere, omnino liquet. Ast medicus rei penitus perspiciendae studens non adquiescet adserto nonnullorum, qui statum, e quo laesiones dictae fluunt, naturam, nonnisi humorum assimilatione et nutritione in cerebri nervorumque substantia fundari contendunt. Hoc enim adsertum non modo nimis generalem exhibet sententiam, nevrosium indolem minime explicat, et intuitu acutarum, saepe aeque subito, quam invaserant, disparentium nequaquam intelligitur, sed ad omnes etiam vesaniae casus, qui influxibus sincere dynamicis, mentalibus, ortum debent, adplicari prorsus nequit.

§. 1334. Quum natura nevrosium non una ubique ac eadem, et generatim tenebris adhuc tecta sit, in *characterem* singularum obviarum *genericum* eruendum prima dirigantur oportet conamina, ut eo adjuvante ad *specialem* deinde, si licet, perveniatur. Hunc in scopum requiruntur: 1) symptomata nevroseos essentialia omnia, praegressa et praesentia exacte et complete colligantur, initium eorum, sedes, magnitudo, decursus, conjunctio, mutua inter se et ad organismum reliquum, praesertim ad systema sanguiferum in acuta, ad reproductionem universalem in chronica nevrosi relatio considerentur; 2) dispositio et causa excitans, relatio earundem mutua, et posterioris intensitas, actionis modus ac locus, atque ad systema nervosum vel partes ejus singulas relatio, cum justo tam constitutionis epidemicae, stationariae et annuae, quam influxuum endemicorum respectu aestimentur; et 3) morbi mutationes tum tractamine hucusque facto, tum variis influxibus lateralibus inductae in censum vocentur.

§. 1335. Faciliori proinde nevroseos *cognitioni* favent 1) symptomatum morbosorum repentinus utplurimum introitus; in functionibus propriis systematis nervosi vel altioris, functionibus voluntariis, vel inferioris, involuntariis dicati sedes; systema sanguiferum modo non aequali et gradu multum minore adfectum, pulsus communiter inordinatus, inconstans, saepe tardus; urinae imminente et durante mali nervosi accessu largae, limpidae, aquosae; magna symptomatum quoad locum ac tempus volubilitas, imo formae nevrosium unius in alteram transitus, anaesthesiae v. gr. in hyperaesthesiam, paralyseos in convulsiones, istarum in dolores etc.; multifariae communiter decursus irregularitates, repentinus sine ansa manifesta accessus et recessus; proclivitas in invasiones periodicas; 2) compages corporis tenera, debilis, hujus sensibilitas animique mobilitas insignis; nota aegri aut organorum singulorum nervis ditio-

rum dispositio hereditaria; adfectiones nervosae generis praesertim similis jam praegressae; et 3) effectus methodi medendi in nervosum systema animumque determinatae incitantis perperam nervinae dictae, vel deprimentis, pacantis, vel sopientis etc. salutares observati.

§. 1336. Quod *prognosin* concernit, sequentia notentur: Nevroses communiter sanatu difficiles, saepe non pharmacis adeo quam methodis potius diaetetica et psychica adcommodatis superantur. Non nisi leviores recentes, causam notam facileque tollendam agnoscentes facilius devincuntur.

Adfectiones immediatae aut notabiles mediatae cerebri aut medullae spinalis semper illis nervorum aut gangliorum periculosiores sunt.

Nevroses omnes facile indeterminatisque intervallis recurrunt, profundas facile figunt radices, eoque si non periculosae, perquam molestae saltem fiunt, et saepe inexpugnabiles. Pleraeque animum mobilem, corpus valde sensibile reddunt et in varios influxus summopere receptivum; nonnullae tamen, in specie mania, epilepsia, apoplexia, tetanus, catalepsis, contraria efficiunt.

Dignitatem earum magnitudo et series symptomatum haud semper pro certo designant, quemadmodum spasmi hystericarum tonici et clonici testantur; ipsae tamen morbos alios, ut varias sanguinis congestiones, haemorrhagias, contusiones, distorsiones, phlogoses etc. non raro inferunt.

Nevrosibus, notante *Reil*, morbi organici graves v. gr. phthisis pulmonalis, quandoque praecaventur, saltem differuntur. Malis nervosis chronicis qui mulctantur, febrilibus epidemicis intactos saepe persistere, compertum habemus.

§. 1337. *Cura nevrosium in genere*, siquidem salutares non sint, in notas indicationes principales quatuor implendas tendat oportet. — Quare *primo* causis occasio-

nalibus et, si qui subsunt, morbis congrue occurrendum, omnesque potentiae ac circumstantiae speciali in casu nocentes procul arcendae sunt.

Indicationi secundae ut satisfiat, mali nervosi tum indoles, tum symptomata imprimis gravia aut periculosa horum intensitas forsan periodice recrudescens, decursus ratio, stadium, duratio maxime attendendae sunt. Pro felici nevroseos cujuslibet therapia in genere *sedem* ejus, *characterem genericum*, *formam* ac *indolem specialem*, *decursum*, nec non *conjunctiones* investigare, adeoque exacte eruere plurimum interest: a) quam systematis nervosi partem primario et praecipue occupet? b) num functionibus partis adfectae vel totius systematis nervosi justo majoribus et fortioribus, vel minoribus, debilibus, inhibitis, suppressis, vel inordinatis et in modo prorsus alteratis manifestetur? c) num nervosum systema ceterum ratione aequali, vel alia, vel imo opposita simul patiatur? num in specie totius corporis sensibilitas ac irritabilitas ratione aequali aut inaequali sit exaltata vel depressa? quo modo comes fortasse febris symptomatica, inflammatoria aut nervosa, quo digestio, sanguificatio, se- et excretiones, nutritio procedant? d) num decursus acutus sit vel lentus, continuus vel intermittens; et e) malum ipsum purum vel complicatum? — Quorum respectu sequentia generatim notare convenit:

a) Cura conveniens *in primariam* nevroseos in systematis nervosi altioris aut inferioris provinciis vel partibus *sedem*, quoad fieri potest, proxime determinari debet, et pro vario illius ambitu jam localis jam universalis institui.

b) Therapia haec sive localis sive universalis non eadem ubique obtinere potest, cum *methodi* ac *remedia* ubique et absolute dolores sopientia, antispastica etc. non habeantur, sed pro status totius diversitate variare pariter debeant. Convenit itaque jam *universim mitigans* per remedia in- et externa emollientia, involventia, re-

laxantia, et regimen pro parte antiphlogisticum, ubi malum nervosum ab universali systematis sanguiferi concitatione pendet vel eidem saltem jungitur; jam *specifice pacans* per narcotica nota, ubi morbus nervosus in sensibilitate excedente vel irritatione systematis nervosi praedominante et primaria consistit, sanguinis orgasmo aut nullo, aut levi solum et mere symptomatico stipatus; jam *excitans*, *erigens*, *exhilarans*, ope remediorum vel systematis nervosi generatim, aut singularum ejus provinciarum, aut organorum sensuum singulorum activitatem praeprimis exaltantium, vel aegrorum animo directe faventium, uti sunt: cuncta aromatica, aethereo-oleosa, balsamica, resinosa, gummiresinosa, spirituosa, alcalina volatilia, fragrantia cuncta et sensibus accepta tum pharmaca tum impressiones aliae, in specie musica, ubicunque statu virium universali aut debili aut mediocri obtinente manifestus illarum defectus in systemate nervoso vel singulis in nervis praedominatur; jam *specifice excitans et alterans*, ubi ratio mali nervosi proxima non in quantitativo virium vitio, sed in dispositione systematis nervosi singulari modo alterata latitat, per empyreumatica, ingrate olentia, dein per remedia alterantia olim nuncupata, videlicet arnicam, ipecacuanham, flores ac vitriolum zinci, magisterium bismuthi, tartarum emeticum ceteraque praeparata antimonii; praeparata mercurialia, cuprum ammoniacale, sulfuricum (vitriolum cupri) dosibus refractis nonnisi nauseam cientibus; kalia carbonica, salem ammoniacum; aliqua dictorum combinata ad nauseam usque faciendam et alendam porrecta; emetica dosi plena.

c) *Sensibilitate* et *irritabilitate* universim exaltatis semper blanda remedia, et quoad possibile stimulo carentia, depressis vero fortiora et penetrantia sunt eligenda; *febris* si adest, nexus ejus cum malo nervoso, influxus in idem, character, gradus, decursus probe respiciendi; *anorexia*, *dyspepsia*, *cachexia* obtinentibus re-

media alterantia pro possibili fugienda, methodusque tonica et restaurans in auxilium sumenda; si *status* in systemate nervoso viget *inaequabilis*, parti irritatae pacandae, torpidae, inerti, non reagenti erigendae et excitandae tractamen reliqui systematis nervosi antagonisticum non raro convenit; quemadmodum et disharmoniae systematis nervosi inter et sanguiferi, vasorum glandularumque lymphaticarum, organorum se- et excernentium statum cura jam illius jam istorum antagonistica maxime conducit.

d) Ad nevroseos continuae *exacerbationes*, intermittentis *insultus* acutam convertere opus est attentionem, cum saepe nonnisi symptomaticam admittant curam, radicali remissionum et intervallorum solum temporibus locum inveniente. Symptomatica utut pro symptomatum ratione multum varia fieri debeat, radicali tamen nunquam contradicat; et ideo morbi totius natura aegrique conditio, nisi casu urgente necessitas aliter jusserit, nunquam praetervideantur necesse est. Insultibus nonnullis nevrosium periodicis medela illi, quae febrium intermittentium paroxysmis debellandis par describebatur, conformis instituenda est. Sub insultibus regimen debitum et attentio assidua saepe sufficiunt.

e) *Complicationes* juxta generalia principia alibi exposita, curentur.

§. 1338. Therapia *symptomatica* in genere hic quam prudentissime est dirigenda, quum unica in nevrosibus bene multis, quarum ratio proxima nostrum adhuc fugit intellectum, locum inveniat.

§. 1339. *Nevrosium* periodos plus minusve regulares servantium *paroxysmi*, citra alia phaenomena probe aestimanda, plerumque per evacuationes etiam criticas, sudorem praesertim et urinas, judicantur. Quali hic opus sit curatione, ex toties circa crises tractandas commemoratis facile deducitur.

§. 1340. Summi in nevrosibus curandis momenti adcommodatum vitae regimen est. In hoc definiendo therapeuta in aegri animum praesertim ita agere conetur, ut confidentiam, obsequium, constantiam ejus adsequatur, ad patientiam, spem firmam, hilaritatem eum disponat, atque sic, quantum licet, faustissimum animi et voluntatis in corpus procuret influxum. Summopere ceterum commendari merentur distractiones sociales, quibus animi adfectus non concitentur, conversatio cum individuis caris in sanationis finem prudenter cooperantibus, exhilaratio conveniens, concentus musicus, expositiones sapientes, propositorum solidorum sollicitatio, et in se ipsum imperatio; mora in regione amoena et salubri, adcommodatus in atmosphaera libera motus, probe pensitata quietem inter et occupationes, somnum et vigilias proportio, victus perfecte congruus, sedula circa functionis cutaneae continuam libertatem cura per vestitum adaequatum, frictiones siccas, lotiones, balneorum usum. — Nevrosium chronicarum sanatio a domicilio, climate, vitae ratione, occupationis genere mutandis, ab itineratione, rusticatione, aptis per thermas curis nonnunquam essentiali dependet modo.

§. 1341. In *convalescentiae* cura residuos tollere nevroseos effectus oportet, ac recidivam praecavere. Ad priorem obtinendum finem ipsi effectus posthumi eorumque indoles, nec non causarum excitantium conditiones ducunt. Accessus nevrosium singuli delassationem utplurimum, dysphoriam universalem, adpetitus ac digestionis, circulationis etc. laesiones vario gradu, varioque ast brevi plerumque tempore relinquunt. Quae corporis animique quiete, somno, infusi theati congrui haustu non infrequenter, saltem quousque novus non redierit insultus, dissipantur. Nevrosium diuturnarum aut insultuum saepe recurrentium vulgares admodum effectus pedissequi sunt: debilitas universalis cum sensibilitate nunc adaucta nunc imminuta; digestionis, sangui-

ficationis et nutritionis vigor infractus et modus vitiatus, laesa se- et excretionum conditio, cachexiae; partium prae ceteris adfectarum infirmitas eminens, cum irritabilitate earum jam exaltata, jam depressa vel penitus abolita, humorum congestionibus, emaciatione, paralysi, tabe, ulterioribusque variis hujus sequelis. Mala hujus generis posthuma, consideratis morbis praegressis causalibus, pro indole ac magnitudine tractentur oportet. — Ut recidivae, in quas insignis viget facilitas, praecaveantur, omnes potentiae nocentes (§. 1332.) sedulo evitari debent, et, siquae eminens adest, in nevroses dispositio per aptum vitae regimen omni studio dispositum, omnique attentione et constantia colendum eradicari, aut pro possibili reprimi.

Sect. II. Nevrosium ordinatio.

§. 1342. Quemadmodum in morbis omnibus ita et hic cognitio naturae nevrosium singularum solidissimam divisionis practicae basim et principium tutissimum suggereret. Ne vero cognitione illa deficiente hypothesibus nocivus concedatur influxus, consultius adhucdum est, morborum nervosorum formis adhaerere.

§. 1343. Hoc ducti principio *Cullen*, *Reil*, *Sprengel*, *Swediaur* nevroses in varios titulo ac numero distribuerunt *ordines*. Sic *Cullen* ordinibus quatuor: 1) *comata*, 2) *adynamias*, 3) *spasmos*, et 4) *vesanias*; — *Reil* ordinibus sex: 1) morbos *sensus interni*, 2) *externi*, 3) *sensus communis*, 4) *facultatis motricis*, 5) *sympathiae*, et 6) *morbos nervorum*, quatenus ad vegetationem faciunt; — *Swediaur* sex pariter ordinibus: 1) *ecclyses*, 2) *spasmos*, 3) *algemata*, 4) *dyskinesias* i. e. motus, sensus, aut functiones organorum turbatas vel impeditas, 5) *dysorexias*, i. e. instinctus vitiatos vel degeneratos, et 6) *paranoias* i. e. facultatum mentis deviationes, statuerunt.

§. 1344. Cum systema nervosum in partibus aut provinciis nonnullis functiones suas modo exerat singulari, a ceteris eminenter distincto, cumque proinde functionum istarum in statu morboso deflexus *singularibus ac propriis* manifestentur *formis*, ut supra §. 1330. dictum est: naturae consentaneum esse duxi, inde *divisionis meae* repetere principium. Discedunt itaque nevroses in *sex ordines*, quorum I^mo *dysaesthesiae*, seu nevroses cum praevalentibus deviationibus sensus communis, II. *dysorexiae*, seu nevroses cum instinctuum naturalium alienationibus, III. *hallucinationes* seu nevroses cum sensuum externorum, IV. *vesaniae, paranoiae*, seu nevroses cum sensuum internorum anomaliis, V. *dyserethisiae* (*Swediaur*) seu nevroses cum motuum muscularium aberrationibus, et VI. *nevroses mixtae*, aliquarum aut plurium ex dictis functionum systematis nervosi alienationibus constantes comprehenduntur.

Quolibet in ordine *genera*, et in his *species* infra statuentur. Symptomatum essentialium forma, sedes et indoles praecipua ulterioris divisionis fundamenta suppeditabunt.

CAP. II. De Nevrosibus in specie.

Ordo I. Nevroses cum praedominantibus sensus communis laesionibus.

§. 1345. Morbi huc spectantes ob praevalentem sensationem morbosam a *Swediaur Dysaesthesiae* (a δυς et αισθησις, αισθησια, vitiosa sensibilitas, sensatio) vocantur. Sensus autem communis vel morbose exaltatus et immodicus, vel diminutus et torpidus, vel in modo vitiatus observatur. (*Ph. Hartmann*, theoria morbi etc.) Inde triplex nevrosium huc referendarum genus statui posset, nisi formae huc spectantes fere omnes symptomaticae solum forent, tum nevrosium variarum tum aliorum morborum comites. Exemplo sint *pruritus*, *inquietudo*,

anxietas, *debilitatis*, *frigoris*, *caloris sensatio*, *dolor*, *anodynia*, *anaesthesia* etc.; quorum singula passim in Symptomatologia et Semiotica generali, passim inter morborum specialium symptomata pro valore suo considerantur. Quare ceteris hic missis unicum genus sensus communis morbose exaltati, *dolorum*, *algematum* nomine veniens, accuratius lustrandum duco, aliis cum auctoribus systematis artificialis consequentiam utilitati practicae postponens.

Genus: Dolores.

§. 1346. *Dolores*, qui mihi genus, *Linnéeo*, *R. A. Vogelio*, *Sauvagesio* et *Sagaro* propriam morborum classem, *Sprengelio*, *P. Frankio*, *Swediaurio* ordinem (algematum titulo) constituunt.

Est *dolor* topica sensus communis exaltatio immodica, sensatione mentem graviter adfligente se prodens.

Doloris *sedes* sensus communis organon, adeoque totum est systema nervosum. Inde fluit, omne organum aut nervis ditius aut sensorio communi intimius junctum in dolores eminenter esse dispositum; inde quoque patet, cur morbi majores omnes adfectionem sensus communis habeant comitem, paucique dolorum in specie expertes inveniantur. His *doloribus symptomaticis* ad morbos principales adsignandus est locus; hic de illis modo tractatur, qui praevalentia sistunt morborum symptomata, totamque istorum formam fere soli definiunt. Pro *speciebus* sumuntur; quarum consideratione dignissimae, hic lustrandae, sunt: 1) *cephalalgia;* 2) *odontalgia;* 3) *gasteralgia*, et 4) *enteralgia.*

§. 1347. Sensatio dolorem manifestans varia est: gravans, tensiva, stringens, urens, rodens, mordax, pungens, lancinans, scindens, terebrans, pulsans, imo calida aut frigida; — unde tot doloris *modificationes*, jam magnitudini illius, jam morbi principalis indoli, jam

organi adfecti naturae, jam et causae occasionali respondentes.

§. 1348. Haec sensatio *irritationem* supponit i. e. nimiam nervi aut massae nerveae concitationem, cum vel absque laesione, a causa mechanice, chemice aut dynamice activa inductam. Haec vero *idiopathica* est vel *sympathica*, *primaria* vel *secundaria*, *acuta* vel *chronica*, *continua*, *remittens* vel *intermittens*, *periodica* etc., unde *dolores* ipsi in idiopathicos et sympathicos, primarios et secundarios etc. *distinguuntur*.

§. 1349. Immodica sensus communis exaltatio in organo quocunque obtinens vi summi, qui omnes inter systematis nervosi partes viget, consensus facile ultro extenditur, ab uno ad aliud saepe citissime transilit organon, et vi duplicis nervorum functionis motum quoque nimium, intensitate, extensione, utraque excedentem habere comitem solet aut pedissequum. Ex quibus varia, quae dolores circumdant aut excipiunt, phaenomena repetenda sunt, ut: erethismus universalis, anaesthesia; spasmi clonici et tonici; pareses ac paralyses; circuli humorum, se- et excretionum intensio, acceleratio, retardatio, irregularitas; inflammationes; anorexia, apepsia, dyscrasia et cachexia, etc.

Spec. 1. Cephalalgia.

§. 1350. *Cephalalgia* (a κεφαλη et αλγος, der Kopfschmerz) frequentissimum morborum varii characteris, jam acutorum et febrilium jam chronicorum symptoma est. Illius hic solum fit expositio, quae adeo eminet, ut ea fere sola ejusque effectibus morbus principalis exprimatur. Sine febre talis esse, aut febre effectiva tantum et symptomatica stipari solet.

Fr. Hoffmann, diss. de dolore cephalico. Hal. 1731.
J. B. Burserii, Instit. med. pr. Vol. III. p. 1—33.
S. G. Vogel, kleine Schriften. B. I. Vom Kopf- und Zahnweh. Berlin 1814. 8.

§. 1351. Cephalalgia nunc per totum diffunditur caput, nunc ad latus alterutrum limitatur, *hemicrania* (migraine) dicta, nunc ad plagam angustam circumscribitur; pro hujus formae et pro dolorificae sensationis analogia *ovum*, *clavus* nervosus audit. Jam punctoria sentitur, lacerans, pulsans, terebrans, tensiva, urens, jam obtusa et pressiva; nunc continua variisque temporibus remittens, nunc intermittens, et periodo fixa vel irregulari recurrens; nunc brevis nunc diuturna (*cephalaea*); jam facile sanabilis, jam rebellis aut insanabilis.

§. 1352. *Dispositio* in cephalalgiam praeter generalem ad nevroses, §. 1332. memoratam, specialis in ea habetur amplitudine cranii, quae cerebri molem praeponderare indicat, quae cum collo brevi, crasso, thorace angusto et complanato humorum congestionibus eminenter favet; nec non in majori animi mobilitate, indefossaque mentis facultatum intensione.

Causae occasionales numerosissimae sunt; a) *idiopathicae*: violentiae externae cum contusione, pressione, conquassatione, vulnere partium mollium, impressione, fissura, fractura, festucis ossium cranii, commotione, vulnere cerebri etc., corpora peregrina in partes externas vel internas adacta (cephal. *traumatica* auctorum); subitae magnaeque aëris praesertim temperaturae vicissitudines; calor nimius ab igne, sole; adfectus animi et pathemata valida, vigiliae protractae, meditationes seriae intensae, diu continuatae; vehemens sanguinis impetus, aut congestio, copia nimia, partium externarum, meningum, cerebri vasa, interstitia cellularia, sinus distendens; seri, sanguinis etc. collectio, extravasatum; metastases variae, abscessus, tumores, tophi, excrescentiae, caries, prava cranii conformatio, praematura suturarum coalitio; meninges incrassatae, ossificatae; cerebri suppuratio, ulceratio, induratio etc.; b) *sympathicae*: magna quaevis oculorum intensio, quaelibet gravis admodum vel ingrata, in organa olfactus et auditus

impressio; sternutatio, tussis, vomitiones frequentes, immodicae; vermes casu rariore in cavis narium aut sinubus frontalibus hospitantes; cruditates ac sordes gastricae; ventriculi oppletio, pressio, contusio; viscerum abdominalium praesertim in hypochondriis sitorum infarctus, induratio; vermium intestinalium omne genus; obstipationes alvi; nimia narcoticorum dosis; liquorum fermentatorum abusus; venus immodica, aut turpissima. c) *Symptomaticam* secum gerentes cephalalgiam morbi universales sunt praecipui: febres ac morbi febriles inflammatorii, exanthematici omnes, adfectiones catarrhosae et rheumaticae acutae omnes et chronicarum non paucae, humorum orgasmus et plethora universalis cum praecipua in caput congestione a profluviorum praeprimis cruentorum seu normalium seu habitualium: epistaxis, haemorrhoidum etc. imminutione debito strictiore, suppressione; arthritis, syphilis, hysteria, hypochondriasis et alii.

§. 1353. *Modificationes* cephalalgiae notatu digniores juxta characterem genericum, sedem et magnitudinem, decursum, durationem, exitum, connubium etc. definiuntur. Est proinde cephalalgia *activa*, plus minusve inflammatoria, vel *passiva*, nervosa; *dynamica* vel *materialis; interna* vel *externa; totalis* vel *partialis*, eaque frontalis, lateralis, syncipitalis, occipitalis; *idiopathica* vel *sympathica* et *symptomatica*, et qua talis hysterica, hypochondriaca, catarrhosa, rheumatica, arthritica, syphilitica, etc.; *acuta* vel *chronica; hereditaria, connata* vel *adquisita*.

§. 1354. Cephalalgiam variam pro individuali dispositione, causis excitantibus, morbis principalibus et coëxistentibus, organis adfectis diversa concomitantur *symptomata*, cum his ipsis momentis rite collata ad completam *varietatum* cephalalgiae *diagnosim* plurimum facientia.

Sic cephalalgia *externa* ex doloris per attactum aut pressionem augmento, ex rubore, tumore, laesione quadam

visui patentibus functionibus cerebri nihil aut parum omnino laesis, quandoque sensu aegri; — *interna* vero vel ex mentis stupore, oculorum caligine, impatientia lucis, illacrymatione, aut dolore et rubore, aurium tinnitu aut baryecoia aut dysecoia, vel vertigine, delirio, vel voce intercepta, dysphagia, musculorum cervicalium, masseterum, temporalium spasmo, dolore, membrorum tremore, vel et vomituritione, vomitu, nonnunquam distincta aegrorum explicatione cognoscitur. — Cephalalgia *a vitiis organicis* vehemens esse consuevit, circumscripta et fixa, summe pertinax, functionum mentis sensuumque turbis, suppressioni conjuncta; — interni ac profundi doloris sensatio piam matrem et cerebrum ipsum laborare indicat; — cephalalgia interna continua, sub exacerbatione convulsionibus, spasmis, paralysibus stipata pressionem cerebri a sero, pure, cruore effuso, laminae cranii internae tumoribus, excrescentiis etc. probabilem reddit; — cephalalgia *a plethora universali vel topica* signis alterutrius, vel humorum ad caput congestionis, et causis hujus excitantibus denotatur; vehemens ad sinus frontales fixa cum alternantibus narium siccitate et nimio fluxu, cum sternutatione frequente, ardore, pruritu molesto, foetore, excretis varie alteratis, atque vertigine incedens de praecipua *membranae Schneideriae* vel irritatione idiopathica per insecta, vermes etc. aut sympathica per catarrhi, profluviorum quorumvis etc. suppressionem, vel ulceratione scrophulosa, syphilitica etc. testatur; — cephal. *gastrica* ex sensatione gravativa potius quam pungente, symptomatibus gastricis concomitantibus digestionis turba, ructibus etc., doloris augmento sub digestione, levamine autem a vomitu et alviductione, ex causa occasionali cognoscitur. — *Hemicrania* dolorem capitis unum plerumque latus tenentem sistit, oculo et facie ejusdem lateris saepe simul adfectis, qui per temporis intervalla regularia utplurimum mane vel meridie, rarius vesperi redit, quandoque pe-

riodo lunari vel solari correspondet, febris — effectiva excepta — expers, nonnunquam ad animi deliquium increscens, cum vomitu bilioso et urina lateritia terminans, et non raro cum gasteralgia, enteralgia, odontalgia, otalgia, vel podagra, herpete aliisve efflorescentiis cutaneis alternans; larva febrium intermittentium non infrequens, ceterum nervosa, arthritica, imo et plethorica ex congestione locali. — *Ovum* hystericum, *clavus* hystericus (dolor capitis frigidus *Ettmülleri*, cephalalgia nervosa *Swediauri*) dolor est acutissimus in quadam syncipitis parte, praesertim in vertice vel supra supercilium, plagulam aut punctum fixum, ac si cranium varia circumferentia vehementer depressum vel clavo transfixum esset, occupans, saepe frigoris sensui quasi ab imposita glacie junctus. — Cephalalgia *rheumatica* pungens, lancinans, tensiva, communiter externa, per vices luculenter remittens etc. esse consuevit.

§. 1355. *Prognosis* cephalalgiae a causis morbisque causalibus, sede, magnitudine, duratione, inductis jam effectibus, ceterisque fontibus prognosticis generalibus desumitur. Pauca solum speciatim notentur.

Cephalalgia symptomatica diu durans in substantivam transire consuevit.

Metastatica et repente ingruens plerumque periculosa, nisi curatio apta cito fiat et cum successu.

Capitis dolores etiam exigui non spernendi sunt in senibus, obesis, ad apoplexiam dispositis, quia non raro apoplexia praeter opinionem irruit. (*Aretaeus* de c. et curat. diuturn. affect. L. I. c. 2.) — Apoplexiam pariter, soporem, vel epilepsiam praenuntiat dolor capitis internus, afebrilis, qui repente exortus cum sensuum hebetudine, vertigine, loquelae tarditate, manuum torpore aut paresi adest, somnumque vel arcet vel nimium inducit.

Hemicraniis frequenter obnoxii aetatis progressu, solidescente nimirum organisatione, evolutione systema-

tum aequali, et sensibilitate sensim decrescente plurimum saepe levantur. Qui juvenes hemicraniis laborant, adulti saepe vexantur arthritide.

§. 1356. *Cura* cephalalgiae causis diversis, mali characteri, sedi, magnitudini, quemadmodum in generali nevrosium therapia (§. 1337.—1341.) dictum, adaptetur. — Cura *in causas* morbosque principales dirigenda plurimum varia esse debet, ut ex illarum ac istorum recensione intelligitur. Plerisque in casibus fortiores quaelibet et perquam ingratae in olfactus, visus ac auditus organa impressiones, animi adfectus praevertantur, mentis intensiones vitentur, strictissima corporis quies situ capitis modicum elevato servetur, aër aegrum ambiens purus, modice calidus sustineatur, et diaeta restricta, saltem omni vitato errore colatur oportet.

Pro implenda indicatione *secunda* juxta indolem ac modificationem tum doloris tum morbi principalis irritativam, plus minusve inflammatoriam vel nervosam methodus medendi notissima emolliens, relaxans, refrigerans, debilitans, vel specifice pacans, vel mitior fortiorve incitans, vel alterans, vel antagonistica etc. convenit, casui speciali omnino adcommodanda. Ad externa remedia communissima, cum internis ubique exactissime combinanda, saepe saepius tamen perperam in usum tracta, spectant: a) antiphlogistica et derivantia: aqua frigida jam a veteribus praesertim *Celso* (l. c. L. IV. c. 2.) et *Rhazes* laudata, simplex aut aceto mixta, aut nitro, sale ammoniaco frigefacta panno lineo, spongia aut plebis in morem crusta panis excepta; glacies contrita vesicae bubulae inclusa fronti, temporibus, ut et capillitio, abrasis quandoque prius capillis, adponenda; pediluvia simul moderate calida, enemata simplicia vel parum irritantia; b) stimulantia et irritantia: epithemata calida jam sicca jam humida simplicia, aut aromatica, aromatico-spirituosa; lotiones, inunctiones, odoramenta aromatica, spirituosa; cucurbitae siccae ad caput vel nucham; — c) antagonisticae irri-

tantia ac derivantia: sinapismi, armoracia rasa, vesicantia, lotiones aut inunctiones acres vesicis aut pustulis provocandis pares, ulcera artificialia in nucha, intra scapulas, in brachiis; pediluvia irritantia, frictiones siccae membrorum, imo totius superficiei cutis, electricitas, galvanismus, perfusiones frigidae, embrocatio.

Regimen in cephalaeis chronicis characteris passivi cum methodo erigente concordet, caveatur tamen, ne sub ipsis illarum insultibus aut exacerbationibus, sub quibus status irritativus evolvi assolet, organorum sensuum nervi incongrue feriantur, nec mentis intendantur facultates.

§. 1357. Quae *convalescentiae* facienda sit therapia, ex generalibus pro hoc stadio normis intelligitur, praecavendam recidivam et mali superati effectus delendos respicientibus, hic ad morbi devicti modificationem et ad aegrorum individualitatem adplicandis.

Spec. 2. Odontalgia.

§. 1358. *Odontalgia* (ab ὀδοὺς dens, et ἄλγος dolor, der Zahnschmerz, das Zahnweh), communissimis generis humani cruciatibus adnumeranda, ut dolor omnis, admodum varia est, pungens, lancinans, lacerans, terebrans, urens, pulsans etc., nunc mitior nunc vehemens, aliquando ad desperationem fere torquens, aut lipothymiam, tremores, convulsiones aliaque gravia inducens symptomata, nunc continua continens vel remittens, nunc typo regulari vel irregulari brevi aut longo intermittens, nunc dentem unicum nunc plures concernens.

Burserius, *S. Vogel* l. c.

Dr. Fr. Bird, die Zahnkrankheiten. In *Hufel.* und *Osann's* Journ. d. pr. Heilk. 1829. August. S. 3—41.

§. 1359. Dolor vel a gingivis orditur, vel a periostio, vel a tunica interiore dentis vasculosa et nervea, vel a ramulo aut nervo ipso dentibus maxillae lateris ejusdem prospiciente, vel partium istarum pluribus statim

inhaerere videtur. A singulis profectus brevi plerumque reliquis communicatur. Non omni igitur odontalgiae eadem est sedes primaria.

Nisi inflammationis gingivarum (parulitidis) symptoma jam est, hanc saepissime infert odontalgia, tumorem tunc buccae lateris ejusdem calentem ac rubentem, durum, attactu, motu dolentem habere socium, eoque comparente remittere, aut plane cessare solet. Sapor depravatus, salivae fluxus, anorexia consuetim adsunt; adjunguntur quandoque febris, aurium, oculorum, capitis dolor, pervigilium. Inflammatio sive comes sive pedissequa si protrahitur, iteratur, in gingivis saepenumero in abscessum (epulidem), ulcerationem earum abit, in periostio cariem dentis, corruptionem, fistulam minatur. Ceterum *decursus*, *duratio* et *exitus* proxime ac immediate indole odontalgiae et effectibus, mediate morbi principalis conditione, dispositione subjecti aegri, causis excitantibus aliisque influxibus determinantur.

§. 1360. *Dispositio* ad odontalgiam sicut vitiosa dentium conditio, praematura corruptio et jactura saepe hereditaria per familias observantur, e rhachitide, scrophulis, arthritide potissimum propullulantes. Momentis ceterum, quibus dispositio ad cephalalgiam et ad nevroses in genere, frequentissime vero dentium cariei adquiescit. — *Excitare* odontalgiam valent: a) *idiopathice* quaecunque gingivarum, periostii, nervuli denti prospicientis, aut rami totius alveolaris, imo maxillaris inflammationi aut irritationi majori generandae paria, uti violentiae mechanicae laedentes, acrimoniae quaelibet chemicae, aëris, ciborum potuumve temperaturae mutationes repentinae; refrigerationes capitis, nec non totius corporis; denudato per cariem dentis nervulo solus jam aëris, cibi potusve, pharmaci blandissimi etc. aut calidi aut frigidi contactus; — b) *sympathice* pedum aliarumque partium refrigerium, adfectiones gastricae a saburris, vermibus; graviditas; excretionum, profluviorum

impetiginum suppressiones, crisium in morbis tam acutis quam chronicis turbae; — c) *symptomatice* rheumatismus, arthritis, syphilis, scorbutus, scrophulae, rhachitis, nevroses demum variae, hysteria in specie et hypochondriasis.

Inde *varietates* odontalgiae, earumque cognomina statui solent.

§. 1361. Sive autem sit idiopathica vel sympathica, substantiva vel symptomatica, primaria vel secundaria, dynamica ut ajunt vel materialis, etc. nunc ex *indole* participat activa, irritativa, inflammatoria, nunc ex sincere nervosa. Utriusque characteris *diagnosim* ex fontibus diagnosticis generalibus, in casu speciali quovis rite inquirendis, repetere juvabit.

§. 1362. *Prognosis* praeter momenta generalia considerandа ex individui dispositione, causis excitantibus, doloris indole, intensitate, duratione etc. probe pensitatis desumitur.

§. 1363. Sic et *therapia* pro momentorum mox dictorum diversitate variat. Quoad indicationem *primam* v. gr. odontalgiam a causa traumatica ortam hujus profligatio, quies et aqua frigidula tollunt, et quidquid inflammationi praevertendae convenit. Odontalgia ab acri quodam excitata isto ope aquae tepidae, decocti emollientis eluto, et collutoriis blandissimis mucilaginosis affatim adhibitis brevi cessare solet. Odontalgiae a refrigerio methodus diapnoica universalis et localis cum antagonistice irritante per sinapismos, vesicantia, pediluvia acria, — a saburris gastricis, a vermibus antigastrica, anthelmintica opponitur etc.

Respectu *alterius* indicationis, quomodo odontalgiae subinflammatoriae, inflammatoriae acutae vel chronicae, eidem rheumaticae, arthriticae, scrophulosae, scorbuticae medendum sit, ex praeceptis pro febre inflammatoria, inflammationibus in genere, rheumatismis febrique rheumatica, arthritide, scrophulis, scorbuto rite tractandis

facile definitur; locus adfectus simul remediorum selectorum adplicandi rationem indigitat. Odontalgiae sincere hystericae, hypochondriacae, nervosae cuivis medela occurritur pacante, sopiente, nervina, tam in morbos principes universales, quam in ramos quinti nervorum paris, supra et infra maxillares specialius adfectos propius dirigenda. Locus proinde est interne notis demulcentibus, narcoticis, stimulantibus mitioribus, vel quandoque et fortioribus: opio, hyoscyamo, valerianae, chamomillae, melissae, castoreo, moscho, asae foetidae etc., externe ac topice collutoriis, fomentis, lotionibus, unguentis aromaticis, spirituosis, aromatico-narcoticis, emplastris ex opio, camphora, mastiche et balsamo Peruviano, aut theriaca, aut vesicantibus ad tempora, vel retro aures ponendis. — Odontalgia ex carie dentis curatur, nervum denudatum vel a) defendendo per gossipium, ceram, lamellam plumbeam rite conformatam, cavo dentis inductam; vel b) sopiendo per pilulas ex hyoscyami, strammonii, opii extracto etc. eidem immissas, per fumum tabaci, per succum insectorum certorum, uti coccinellae septempunctatae, curculionis anti-odontalgici, conquassatorum gingivis infrictum; vel c) obtundendo sive per incitationem subitaneam validam ope oleorum aethereorum cinnamom., caryophyll., cajeput, menth. piperit., therebinth., aut naphtae vitriol., liq. a. min. *Hoffm.*, sp. anthos, aq. coloniens. etc. gossipio exceptorum, aut collutoriorum, masticatoriorum acrium ex rad. pyrethri, pimpinellae, seminibus sinap., gummires. mastiche; sive per ustionem ope acus aut fili ferrei candentis; vel d) dentem evellendo. Dolore tamen non urgente evulsio dentis differenda, quia cariei ipsi jam per nunc nominata jam per mitiora praesidia, praecipue collutoria ex herbar., radic. aromat. infusis, per diligentem pulveris dentifricii ex carbone praeparato, magnesia etc. usum, cum summa oris munditiei cura saepissime ponuntur limites. — Odontalgia gravidarum prout a plethora universali vel con-

gestione sanguinis topica, vel a solo uteri gerentis consensu, vel ab exaltata universim sensibilitate proficiscitur, variam exigit curam, characteri ibi irritativo, subinflammatorio, hic potius nervoso rite convenientem, ex nunc memoratis facile ubivis statuendam. — Odontalgiam febris intermittentis comitem aequabiliter cum hac juxta hujus indolem, magnitudinem, stadium etc., larvam autem eodem modo, ac hanc ipsam charactere nervoso stipatam febrim, tractari oportet.

§. 1364. In *convalescentiae* therapia secundum generales institutiones recidiva praevertenda, malique superati sequelae sunt tollendae.

Spec. 3. Gasteralgia seu Cardialgia.

Variet. Pyrosis.

§. 1365. *Gasteralgia* (a γαστηρ, ventriculus et ἄλγος, dolor; *cardialgia*, a καρδία, cor vel orificium ventriculi superius, et ἄλγος; *gastrodynia*, a γαστηρ et ὀδύνη, dolor, der Magenschmerz, Magenkrampf) levior et verosimiliter partialis sensu ponderis prementis, tendentis, fortior contractionis et constrictionis vehementis, admodum dolorificae (hinc *spasmi* denominatio *German.*), anxietatis simul a stomachi regione egredientis sensu, respiratione molesta suspiriis altis intercisa, dolore dorsali quandoque per thoracem et spinam adscendente, cephalaea frontali, ructibus variis, vomituritione, sensu lipothymiae instantis, vel et vomitu ac lipothymia ipsis manifestatur. Gasteralgia vehemente nonnisi pronus conceditur situs, musculis abdominis relaxatis; plurimum angitur aeger, facies pallet, collabitur, deformatur, extrema frigent, tremunt, et aliae spasmis et covulsionibus invaduntur partes, cor palpitat, pulsus duri fiunt, contracti, parvi, inordinati, rari, urinae, nisi sphincteris spasmus renitatur, copiosae, limpidae, aquosae minguntur; alvus tardatur vel et cum tenesmo excernitur. — Vehemens utut pure nervosa, diu continuans in gastritidem potest converti.

Fr. Hoffmann, de dolore cardialgico etc. etc. in Med. rat. system. T. IV. p. II. sect. 2. c. 2.
W. Trnka de Krzowitz, histor. cardialgiae omn. aevi observata continens. Vindob. 1785. 8.
Lentin, Beyträge z. ausüb. Arzeneyw. B. I.
Burserius, *Haase*, opp. cit.

§. 1366. Gasteralgia non morbum sistit sed *symptoma*, variis ventriculi adfectionibus tam idiopathicis quam sympathicis productum; *acuta* ceterum observatur vel *chronica; irritativa* magis minusve *inflammatoria* vel *nervosa; continens*, ubi a phlegmonosa pendet inflammatione, vel tempore incerto parum aut luculenter *remittens*, vel post insultus *intermittens*. Isti cum horripilatione, frigore, oscitatione et membrorum pandiculatione intrare, per minuta imo per horam et ultra torquere, calore dein in extremitatibus redeunte, pulsu insurgente molli, et ad normalem accedente, atque sudore per totum corpus oboriente, calido, aequabili solvi consueverunt. Intervallis variis quandoque sat fixis recurrunt. Alias pro doloris indole, origine, magnitudine etc. aliis quoque sub phaenomenis solvuntur, uti vomitu, diarrhoea, sanguinis stillicidio, eruptione quadam cutanea etc.

Sic faventibus rebus tam accessiones singulae quam principales, qui subsunt, morbi saepe in *sanitatem* abeunt; infaustis vero sub circumstantiis dolor vel in gastritidem, *secundarios* ejus effectus, variaque inde adpetentiae, assimilationis, nutritionis vitia, vel in nevroses multiplices transit, vel tandem his aut illis mediantibus in *mortem*, vix unquam primario illatam, terminatur.

§. 1367. Varietatem gasteralgiae notatu dignam *Pyrosis* (soda, Sodbrennen) exhibet. Est dolor ventriculi urens quasi a flamma aesophagum et fauces adscendente, cum constrictionis in epigastrio sensu, et copiosa humoris limpidi tenuis jam nauseose insipidi, jam acidi aut rancidi, aut amari, imo acerrimi eructatione, ingestorum vomitu, epigastrii inflatione, ructibus et flatulentia,

bulimia; torminibus, constipatione alvi pervicace, saepe adjunctis.

1368. *Dispositio* ad gasteralgiam in magna locali ventriculi vel universali simul sensibilitate vel irritabilitate sana aut morbosa, hereditaria aut adquisita, sociaque potius virium debilitate quam vigore congruo quaerenda est. *Causae occasionales* diversae sunt, aliae gasteralgiam *irritativam*, subinflammatoriam, aliae *nervosam* inferendo pares. *Priorem* idiopathicam, sympathicam, symptomaticam producere causae valent eaedem, quae, dum potentius agunt, gastritidem faciunt (§. 390.) quemadmodum: assumpta nimia vel incongrua, prava aut haeterogenea et noxia deglutita, aut facile degenerantia, emetica, cathartica, validiora; venena acria; condimenta aromatica, resinosa etc. etc.; *nervosam* inducunt, quaecunque ventriculi sensibilitatem ac irritabilitatem nimium extollunt, ut: jejunium protractum, fames dira; moeror aliique deprimentes animi adfectus et pathemata, profusa humorum, praesertim seminis per masturbationem, dispendia, blennorrhoea uterina. Variae tandem nevroses *symptomaticam* habent comitem, hysteria videlicet, hypochondriasis, dysmenia, chlorosis, epilepsia, febris intermittens larvata.

Pyrosi specialius favet digestio languida et imperfecta in chloroticis, hystericis, gravidis, hypochondriacis ex ventriculi debilitate ac peculiari systematis nervosi dispositione, quae haud liquet, et depravata inde humorum digestivorum secretione proficiscens. *Excitant* eam: largior ciborum potulentorumve pinguium, acidorum vel acescentium, austerorum, vinorum vilium recentium usus; succus gastricus degeneratus; bilis uberior, vitiosa, aut insufficiens, inordinata ejus ad ceteros humores digestorios admistio.

§. 1369. Gasteralgia, irritationi nervorum ventriculi, socioque hujus spasmo adquiescens, quousque mitis, brevi durans, ex momentis causalibus facile tollendis,

enervandis profecta, dispositione aegri non conferente, sic et gasteralgia sincere nervosa, periculo fere caret. Diuturnior autem pertinax saepe fit, diathesin universalem in nevroses omnis generis infert, praesentem adauget, digestionem laedit, et ad omnem cachexiarum formam, ad alvi obstipationem, haemorrhoides, arthritidem gignendam plurimum facit; gravibus stipata symptomatibus in gastritidem, morbum plerumque acutissimum et summe periculosum, facile transgreditur.

§. 1370. Ut *curetur* gasteralgia, causae excitantes amoveri, enervari, aut si nequeunt vel res nimium urget, symptomata, dolor imprimis et spasmus, modo indirecto leniri debent et componi. Causas vehementer irritantes, seu idiopathicae fuerint seu sympathicae, eadem ratione, quae in gastritidis cura (§. 393.) tradita est, tractare oportet.

Si *venenum acre* in culpa, si paucum ante tempus ventriculo illatum est, si symptomata valida, speciatim beneficum, qui substantiam venenosam expellat, vomitum nondum excitavit, maxime urget indicatio, pro gasteralgia periculosissima praevertenda emeticum adhibendi promtissimum et certissimum; quod in vitriolo zinci (zinco sulphurico) praesto est. Hoc deficiente vomitum extempla ciere oportet per aquam tepidam simplicem, aut saccharatam vel mellitam, largiter haustam, et inductam postea faucibus pennam oleo illinitam. Excreta sedulo examinata si venenum omne rejectum esse testantur, mucilaginosis, emulsis, mixturae oleosae cum opio locus est; sin contra de residua veneni parte certitudinem, saltem magnam suppeditant probabilitatem, vomitus sustentetur est necesse. Optime id remediis praestatur, quae simul substantiam venenosam diluendo, solvendo, componendo internosque ventriculi parietes defendendo viribus veneni deleteriis infringendis idonea noscuntur; sunt: aqua, lac, serum lactis, larga cum mucilagine, aut saccharo, melle, aut oleo pingui blando, aut pinguedine,

butyro etc. remixta; emulsum amygdalinum, cannabinum; aqua cum ovorum albumine; cetera pro veneni indole seligantur et cum recensitorum singulis apte combinentur oportet. Sic adversus oxyda et salia metallica magnesia usta, sapo, potassa et soda carbonica, creta, hepar sulphuris in fluidis aquoso-mucilaginosis, lacte, sero lactis; saccharum copiosum aqua solutum; substantiarum taninum ferentium infusa, decocta, ut: gallarum, glandium quercinarum, corticum, foliorum quercus, hyppocastani, radic. tormentillae, bistortae etc.; — contra sales non metallicos fluida mox nominata diluentia, mitigantia, involventia; — contra vegetabilia acria, penes fluida eadem, acetum et acida vegetabilia leniora conveniunt. Haustis venenis acidis aut vegetabilibus fortioribus aut mineralibus, vel corporibus kalinis causticis ingestis, cum haec et illa dirissimam organorum oris, faucium, oesophagi etc. phlogosin et destructionem illico inferant, vitriolum zinci omneque irritans excluditur emeticum, excluduntur et reagentia, quibus neutralisentur, nisi plurimum diluta sint et temperata, fluida vero nunc nominata blanda, largissimam per mucilaginem spissa reddita, magnesia, sapone aut oleo pingui admisto, confestim et copiose bibenda indicantur. — Omni in casu, ut ventriculi irritatio per fomenta aut levia cataplasmata emollientia mitigetur, atque intestina per enemata exonerentur, simul tentandum.

Si *sensibilitas* ac *irritabilitas* excedens *cum plethora* universali vel solum locali in causa est, sanguis per phlebotomiam aut hirudinum adpositionem, vel, si opus, per utramque citissime mittatur, et apparatus reliquus antiphlogisticus, emolliens, relaxans, pediluviis ac semicupiis non neglectis, in usum vocetur.

Gasteralgia nervosa irritabilitati ac sensibilitati exaltatae vel topicae solum vel, uti et plerumque, universali juncta est. Obtinente priore, aliaque diathesi morbosa universali deficiente, interne pacantia ante memorata

cum opio, extr. hyoscyami, belladonna, aqua laurocerasi, magisterium bismuthi a gr. sem. ad un. omni hora vel bihorio porrigendum, externe epithemata calida aromatica, sicca vel humida, fomenta spirituosa, lotiones epigastrii cum vino calido, inunctiones ejusdem vel spinae dorsi cum linimentis, unguentis aromaticis, emplastra aromatica opium, camphoram continentia, theriaca; enemata leniter evacuantia prosunt. — Nimia vero totius systematis nervosi mobilitas, cum universali, utplurimum debilitate varii gradus consociata, rationem gasteralgiae proximam exhibent, citra externa remedia mox laudata, balneis calidis aromaticis, enematibus incitantibus cum camphora aut asa foetida, et opio, interne infusis flor. chamom., herb. meliss., millefol., menth. crisp., folior. aurant. etc., elaeosaccharis chamom., macis, menth., cortic. citri etc. aqua vel inf. theato solutis, castoreo, vino, huic analogis liq. an. min. *Hoffm.*, aethere sulphurico etc., liq. corn. cerv., cum vel absque tinct. opii congrue oppugnatur.

Gasteralgia *febris intermittentis larva*, sub paroxysmis methodo nunc exposita mitigetur, apyrexiae tempore, quemadmodum febris intermittens nervosa, cortice praesertim et opio curetur.

Debilitati in gasteralgiae interstitiis hacque sublata per adaequatam medendi methodum nutrientem, roborantem, incitantem occurratur.

Victus et regimen totum methodo medendi, ac remediis ubique necessariis perfecte concordent, et strictissime observentur, cum leves in diaeta errores, animi motus, refrigerium etc. recrudescentias mali facile procreent aut recidivas.

§. 1371. *Pyrosis cura palliativa* remediorum diluentium, involventium, absorbentium: magnesiae, lapid. cancror., cretae, aq. calcis, et pro re nata leniorum emeticorum et purgantium usum, *radicalis* vero causas evitandas, digestionem corrigendam, et systematis nervosi

dispositionem per amaricantia, amaro-aromatica, speciatim nervis amica, congrue emendandam concernit.

Spec. 4. Enteralgia seu Colica.

§. 1372. *Enteralgia* (ab ἔντερον, intestinum, et ἄλγος, dolor, *colica* Auctor., dolor colicus, Darmschmerz, Bauchschmerz, Bauchweh, Kolik) omnis intestinorum dolor vocatur, citra inflammationem vexans. Jam intestina tenuia occupat, veteribus *dolor iliacus*, jam crassa tenet, *colicus* dictus, posteris autem uterque nomine *colicae* venit, aut generico *enteralgiae* comprehenditur. Quae idiopathicae vel sympathicae originis semper *symptomatica*, magis minusve inflammatoria vel nervosa, jam acuta jam chronica occurrit.

J. Purcell, von der Kolik. A. d. Engl. mit Anmerk. von *J. Gesner*. Nördling. 1775. 8.
Burserius, *Haase*, opp. cit.

§. 1373. Dolor colicus mox subito intrat, mox praegressis per unam aut plures horas plenitudinis, pressionis ac ponderis in abdomine sensu, borborygmis, torminibus per vices recurrentibus, anorexia, ructibus, alvo retenta vel diarrhoica cum urinis turbidis etc. Accedit nunc dolor ipse punctorius, lancinans aut constringens varia intensitate, plerumque vagus, aliquando tamen in certa abdominis regione, umbilicali, hypochondriaca alterutra, iliaca etc. diutius fixus aut vehementior, nunc periodicus, nunc continuus quidem sed per vices luculenter mitescens. Phaenomena communiter concomitantia sunt: flatuosa abdominis expansio vel musculorum in umbilici regione contractio, sensibilitas illius praesertim fortius pressi adaucta, jam ructus et alvus clausa, jam diarrhoea; inquietudo, anxietas abdominalis; doloribus sub gravioribus pulsus frequens, durus, contractus, inaequalis, cardiopalmus; respirium difficile; tremor, spasmus et convulsio varia; horripilatio, frigus cum aestu alternans; facies jam pallens, jam rubens et

turgida; dysuria; extremitatum pallor, frigus, facici defiguratio; dysphoria; animi deliquium; deliria; et sub colica protracta et vehemente cuncta enteritidis symptomata.

§. 1374. Quae de gasteralgia exponebantur, de enteralgiae quoque duratione ac terminationibus in genere intelligantur; specialiora adhuc modificationum ejus adumbrationi inserentur.

§. 1375. In dolores colicos, sicut in gasteralgiam, sensibilitas ac irritabilitas vel intestinorum vel totius simul organismi nimia *disponit*, mox connata mox adquisita, et speciatim illa intestinorum a plethora locali vitiis organicis, partialibus canalis coarctationibus quandoque pendens. Causae *occasionales* multifariae, pro parte colicas *inflammatorias*, pro parte *nervosas* generare conspiciuntur. Prioribus accensendae: a) omnes noxae qua enteritidis causae (§. 401.) enumeratae, idiopathicae ac sympathicae, dum actione brevi ac debiliore nonnisi irritationem faciunt; b) potentiae, quarum effectus partialibus intestinorum contractionibus pertinacibus manifestatur, plumbum in specie cum praeparatis, nec non mustum pomorum. Ad posteriores, quemadmodum in gasteralgia nervosa (1368.), influxus omnes debilitantes in- et externi, sensibilitatem ac irritabilitatem nimium efferentes, ut: frigus perstans, humiditas, humorum dispendium grave, adfectus animi et pathemata deprimentia etc. spectant.

§. 1376. Ex hac causarum diversitate plures prodeunt enteralgiae *differentiae*, *varietatum colicae* titulo venientes. Praecipuae sunt: 1) *inter irritativas, subinflammatorias, idiopathicae:* colica saburralis, c. flatulenta, c. biliosa, verminosa, saturnina et pictonum, et a causis mechanicis aut organicis localibus profecta; *sympathicae:* c. hepathica et renalis; *jam sympathicae jam symptomaticae:* c. sanguinea, catarrhosa, rheumatica, ar-

thritica, metastatica; — 2) inter *nervosas*: hysterica, hypochondriaca, et febris intermittentis nervosae larva.

a) *Colica saburralis* seu *stercoralis* jam §. 156. pertractata est. Modificatio ejus notatu digna habetur *colica lactantium*, a lacte matrum vel nutricum per animi adfectus, errores diaetae, refrigerium etc. corrupto, subinde acerrimo facto, saepe dirissima, cum faecum viridium, paucarum et coagulatarum secessu, convulsionibus quandoque gravissimis, imo lethiferis supervenientibus.

b) *Colica flatulenta*, favente peculiari in individuis hypochondriacis, hystericis, sedentariis dispositione, ab alimentis crudis, speciatim leguminibus siccatis, oleribus, fructibus horaeis nonnullis, cibis farinosis faecula paratis etc., concurrentibus masticatione neglecta, dispepsia, motus peristaltici inertia, obstipatione alvi, partiali tractus intestinalis constrictione spasmodica vel organica coarctatione, producitur. Praeter haec tumor et tensio ventris adpulsu resonans, borborygmi, dolores vagi, tractum coli saepe sequentes, tensivi, punctorii, lancinantes, quandoque subito utut transitorie exacerbandi; ad thoracem pariter puncturarum sub sensu adscendentes, respiratio non raro impedita, omnium molestiarum a flatibus ac ructibus secedentibus levamen, cessatio, illam significant.

c) *Colica biliosa* in tractatu de febre biliosa (§. 168.) simul illustrata. Dolor plerumque vehemens, initio vagus, dein quodam in loco constans, quasi intestina perterebrans aut valide constringens, siti magna, ardore ventriculi, abdominis aestu etc. stipatus, vomitu, alvo biliosis levatur, ingravescens in choleram, vel intestinorum imprimis tenuium phlogosin abit.

d) *Colica verminosa*, cujus aeque mentio ad febrim verminosam (§. 196.) facta, ab omni vermium intestina inhabitantium genere, a lumbricoideis tamen frequentius et taeniis causatur. Diathesi et morbo ipso verminoso, symptomatum horis matutinis exasperatione, mi-

tescentia ab assumtis cibis luculenta aut sedatione, levante vermium exclusione cognoscitur.

e) *Colica* auctoribus *metallica* generatim vocata, utpote ab arsenico etiam, cupro, mercurio aliisque causatam metallis complectens, nobis hic ad *saturninam* solum restringitur, a plumbo scilicet ejusque praeparatis cerussa, lithargyro, minio, saccharo saturni oriundam. Quae cum cibis in vase plumbeo vel male vitreato paratis, adservatis, cum vino adulterato, medicaminis titulo, aut alia quacunque ratione ingesta, vaporum forma inspirata pictores praeprimis et tinctores, typifusores, plumbi fossores, aliosque vaporibus in cerussae fabricis expositos toxicatione mulctant. Colica inde saturnina jam subito ingruit, jam lente accedit et ponderis circa ventriculum praesertim ad cardiam sensu, anorexia, sapore salivae nauseosae dulci, apepsia, ructibus, vomituritione, alvo segni, dura et parca praegressis. Nunc dolor intrat in umbilici regione constringens, initio brevis per pauca solum minuta prima durans, successive ad quadrantem horae extensus. Vomitus superveniens aut diarrhoea modica levamen aegris magnum, imo aliquando salutem adfert; sine alterutro autem enteralgia citius redeuntes, majores ac longiores facit accessus, sub quibus dolor praesertim ad umbilicum saeviens saepe adeo torquens, ut aegri summe anxii, curvato antrorsum corpore assidue agitati, in desperationem fere agantur, insignis musculorum abdominis et ipsius umbilici introrsum contractio; ani suspensio dolorifica; pertinax tantaque alvi adstrictio, ut nil egeratur, clysteres ardue admittantur, et horum ope si quid excernitur, durum sit, globosum, griseum, excrementa caprina pene aemulans; dysuria imo stranguria; sitis magna cum oris siccitate et lingua muco flavido aut fusco tecta; pulsus haud frequentes, ast duri ac tensi, fortes, pleni, inaequales imo intermittentes observentur. Malo altiorem in gradum evecto insultus tensionibus et contractionibus artuum dolorificis, dyspnoea spasmodica,

singultu, vertigine, cephalaea cum visus atque auditus debilitate, imo convulsione gravi stipantur, et enteritidis periculosissimae incutiunt metum. Dicti membrorum spasmi quandoque cum insultibus colicae alternant. Abdomen sub attactu et pressione plerumque non dolet, raro sensile, in decursu inflatum ac tensum invenitur, cutis sicca, dentes ac gingivae muco lurido conspurcatae, salivae spissae cernuntur.

Decursu celeri symptomata colicae saturninae sine typo exacerbata ac remissa continuant, donec *vel* sensim mitiora facta intra septimum et decimum quartum diem cessent, *vel* ingravescentia in enteritidem abeant, gangraena facile exitialem. Exitum autem faustum praedicunt, comitantur, indicant dolorum decrementum, exacerbationes rariores, mitiores ac breviores, imo intermissiones perfectae, cutis ac lingua molles, humidae, pulsus molles, fortes aequales, modicae frequentes, flatus cum levamine explosi, alvus faeculenta libera, urinae absque molestiis missae, caput liberum, somnus reficiens, ciborumque appetentia redeuntes. Lentius currente malo et diutius protracto paralyses extremitatum praecipue manuum, linguae, amblyopia, amaurosis, cophosis, sic et parietum intestinalium indurationes, tubi angustationes facile oriuntur, quae ipsa ut et saturninorum absorptio emaciationem corporis et siccitatem summam, *labem metallicam Aucl.* sive *saturninam*, et mortem inferunt.

In *cadaveribus Lieutaud, Stoll* aliique maculas lividas, gangraenosas in intestinis tenuibus rarius in crassis et ventriculo, illa partim constricta partim flatibus multum expansa, duodenum, jejunum, ileum hinc illinc inflammata, singula hinc illinc sicut glandulas meseraicas aliasque lymphaticas scirrhosas, pancreas, lienem durum, hepar obstructum, cystidem felleam bile atra spissa turgidam, et polyposa in atriis cordis venosis coagula viderunt.

Th. Sydenham, Opp. p. 760.

De Haen, rat. med. P. IV. c. 8.
M. Stoll, rat. med. P. II. IV. VI. et VII.
K. G. Kühn, gesammelte Schriften von *Tronchin*, *Strak*, *Huxham* und *Grashuis*, zur Erkenntniss u. Behandlung der Bleykolik. Mit Anmerk. und Nachträgen. Leipz. 1784. 8.
J. B. Burserius, Instit. med. pr. Vol. IV. p. 378 ets.
J. Schreinzer, diss. de colica saturnina. Vienn. 1815.

f) *Colica vegetabilis* Auctor. (col. Pictonum, col. Damnoniorum seu Damnoniensis *Huxhami*, la colique de Poitou *Citesii*, die Cyderkolik) in nonnullis cum colica saturnina convenit, in aliis ab ea differt. Convenit autem fere ratione dolorum stringentium in umbilici regione et hypochondrio dextro, contractionis musculorum abdominis, ani suspensae, anxietatis, dyspnoeae, pulsuum non febrilium, parvorum, contractorum, alvi obstipae aut parcae, durae, globosae, nec non ratione ructuum, vomituritionis, vomitus ipsius sed humoris acidi, acris postea bilis tenacis summe amarae, effectivae emaciationis, exsiccationis cum habitu cachectico, debilitatis muscularis, tremoris, paralysium; *differt* vel maxime primo *per originem* ex vinorum juvenum non aut imperfecte defaecatorum, acidorum, ex uvis immaturis aut pyrorum, malorum, betulae succis paratorum haustu, fructuum horaeorum, succi citri aliorumve acidorum abusu; secundo per *frequentiam* inde non raro *epidemicam;* per comitantia quaedam *symptomata et effectus* nonnullos, uti sunt: dolor hypochondrii dextri eminens, vomitus acidus, lingua muco tecta, spastica musculorum abdominis contractorum ad corpora vertrebrarum adpressio, levamen dolorum sedendo, corpus pronando et ventrem premendo impetrandum, dolor vehemens tensivus in inferioribus praecipue extremitatibus, colicum mitigans, et ipse per sudorem largum, exanthema miliforme aut erysipelas pedum interdum judicandus; urinae flavicantes, vel lateritium formantes sedimentum, icterus quandoque, impetigo rubra, pustulosa, foeda, hydrops, tympanites, vel sopor, apoplexia; — magna in recidivas facilitas.

In cadaveribus *Tronchin* nihil nisi intestina pallida flatibus distenta, *Senac* in quinquaginta et ultra sectis ne vestigium quidem causae mortis detexerunt.

Rara nobis est haec colicae varietas; non aeque in Austria superiore, Moraviae et Styriae quibusdam regionibus; frequens in Anglia praesertim *Pictonii* et *Damnonii* (unde cognominata), in Gallia, et alibi, quum non *Moravicam* et *Austriacam* solum *Fr. Hoffmann*, sed *Franconicam* etiam et *Hungaricam Sennert*, *Japonicam Kaempfer* commemorent.

Fr. Citesii, diatribe de novo et populari apud Rictiones dolore colico bilioso; in Opusc. med. Paris. 1639. p. 167 ets.

Huxham, de morbo colico Damnoniorum eoque maxime epidemico ann. 1724. In opp. edit. *Reichel.* Lips. 1784. T. III. p. 54—85.

A. de Haen, de colica Pictonum, diss. Hag. Comit. 1745. 8. — Rat. med. P. III. c. 2.; P. X. c. 1. et 2.

Car. Strack, obs. med. de colica Pictonum, maxime ob arthritidem. Francof. 1772. 8.

Auserlesene vollst. Abhandlungen von der Kolik von *Poitou*. Aus d. Lat. der Herren *de Haen*, *Grashuis*, *Tronchin*, u. *Strack* übers. v. *K. Fr. Schröder*. Kopenh. 1781. 8.

g) *Colicae a causis topicis mechanicis, organicis* oriundae, ut: pertinace tubi intestinalis per excrementa dura retenta, siccissima, per numerosos cerasorum, prunorum etc. nucleos impactos oppilatione, per parietum intestinorum partiales incrassationes, eorundem aut partium vicinarum tumores, callositates, scirrhos, steatomata, imo per intussusceptionem, volvulum, incarcerationem, partiales intestinorum concretiones etc. angustatione, obstructione, acerrimae quandoque sunt et periculo plenae; in ileum enim seu miserere dictum, et enteritidem saepe transeunt. Specialibus, quibus facile et certe cognoscantur, symptomatibus carent; quare cognitio causarum, ex sollicita in morbos praegressos inquisitione saepe depromenda, colicae ipsius sedes praecipua, decursus,

duratio, effectus, aliaque accidentalia diagnosin saepius illustrant.

h) *Colica hepatica* seu *icterica*, a vesiculae felleae ac ductuum biliferorum *per calculos felleos bilemque* retro *accumulatam* distensione, pressione, irritatione proficiscitur, et, tenuia prae crassis infestat intestina. Ad diagnosin faciunt: morbi hepatis subinflammatorii vel hepatitides ipsae praegressae, dolor in regione cystidis felleae, pondus, tensio in epigastrio, cardialgia, praecipue post pastum et corporis motum, animi ab ira agitationem; dolor ad humerum dextrum quoque adscendens; icterus cum segni faecum grisearum excretione; cardialgia tandem et enteralgia dirissima cum vomitu valido et expansione abdominis tympanitica; quibus diarrhoea biliosa, calculos felleos evehens, levans finem imponit. Ast calculis saepe post septimanas aliquot aut menses iterum generatis eaedem revertuntur turbae. His saepius repetitis icteri signa et consociatae in organis digerentibus et egerentibus molestiae remanent, cachexiam et cacochymiam inducturae. Conf. §. 1286.

i) *Colica nephritica* seu *renalis* a calculo urinali pelvim renis alterutrius, vel uretherem distendente, irritante, laedente proficiscitur. Ad diagnosim conferunt: diathesis rhachitica, scrophulosa, arthritica, morbi renum praegressi, forsan lithiasis jam aperta, dolor obtusus vel acutus in regione lumbali sursum ad ventriculum, deorsum ad vesicam protensus, cruris torpor, testiculi suspensio; dysuria aut ischuria; urinae parcae, turbidae, sanguinem, sabulum, aut mucum tenacem, gravem deponentes; nausea, gasteralgia, vomitus; horum omnium per fortiores corporis ab equitatione, vectione super strata lapidosa etc. motus et concussiones sollicitati accessus aut exacerbationes. Conf. §. 1300.

k) *Colica sanguinea* a sanginis ad intestinorum tractum congestione activa per menstruorum, lochiorum, haemorrhoidum fluxum debito segniorem, insufficientem

aut suppressum orta, unde col. *catamenialis*, *lochialis*, *haemorrhoidalis* nuncupata. Dolores in plethoricis et a fluxu sanguinis repente suppresso vehementes, urentes sunt in abdomine, cum pulsu pleno, forti, duro, inaequali subinde raro, facie rubra et turgente, aestu universali, urinis rubicundis; quibus enteritis facile accedit. Justa momentorum causalium symptomatumque ratio facilem reddit diagnosin.

l) *Colica rheumatica* vel primarie a refrigerio, pedum praecipue et abdominis, vel secundarie a partis cujusvis rheumatismo ad intestina converso exorta, subito plerumque ingruit, et vehemens est doloribus per abdomen, sub pressione sensile, diffusis punctoriis, lancinantibus, per vices remittentibus, interdum cum diarrhoea serosa, fere semper cum aliqua, saepe cum notabili febre conjuncta, in enteritidem tum pronissima. Ad diagnosin symptomata insuper alibi manifesta ducunt, vel comitantia vel praegressa.

m) *Colica catarrhosa*, uti prior, a refrigerio simul cum catarrho, vel ab hoc locis consuetis suppresso originem ducit, atque ab illa vix nisi per potiorem in mucosa intestinorum membrana sedem, majoremque febris nisum in characterem nervosum distinguenda.

n) *Colica arthritica*, ab arthritidis evolutione impedita aut suppressione, cognoscitur: formis morbi arthritici jam praegressis, evolutione conspicua certis anni temporibus deficiente, aut evoluti subita vel segni loci formaeque mutatione, animi plerumque dejectione, morositate, irascibilitate, ischuria vel urinis parcis crassis, turbidis, alvo clausa vel diarrhoica, parca, abdomine tenso valde sensibili, doloribus intestinorum ipsis dirissimis, lancinantibus cum pulsu, nisi febrilis sit contracto, duro, eorumque cum articulis adfectis alternatione, remissione, cessatione. Aeque ac ante memoratae colicae et haec in enteritidem periculosissimam prona est.

o) Non absimilis ultimis tribus varietatibus est *colica metastatica*, ab exanthematum ac impetiginum variarum impedita explicatione vel a regressu, repulsione, unde specialius *exanthematica* dicta, ab intempestiva ulcerum exsiccatione, profluviorum serosorum, mucosorum habitualium repressione etc. pendens.

p) *Colica* denique *nervosa* (spasmodica, convulsiva *auct.*, erethistica *Swediaur*) a morbosa nervorum intestinalium aut totius systematis nervosi sensibilitate potius, quam ab irritamento quodam proficiscitur. Nevroses varias, saepissime hypochondriasin et hysteriam, interdum febres intermittentes (ideo colicas seu enteralgicas vocatas) comitatur, supplet: colica inde *hypochondriaca*, *hysterica*, *intermittens* nominatur. Cognoscitur individui consideratione, investigatione causae excitantis aut morbi principis, sedulo anamnesticorum ac symptomatum praesentium examine, combinatione, computato simul therapiae adhibitae effectu. E communibus nevrosium, et specialibus hypochondriasis etc. signis diagnosticis eminent: horripilatio, oscitatio frequens; urinae tenuis, limpidae excretio iterata, copiosa; sensus contorsionis vagae ac erraticae cum globo per aesophagum ad fauces adscendente; pulsus rari, duri, inordinati, variabiles; dolores cum cardialgia aliisque adfectionibus dolorificis aut spasticis in- et externis alternantes, his accedentibus leniendi, evanescentes; flatulentia jam duodeni ac ventriculi magna cum impedito diaphragmatis motu, praecordiorum inde anxietate, spirandi angustia per ructuum fere continuorum impetuose erumpentium secessum mitigandis, jam intestinorum ceterorum cum palpabili saepe expansione etc., dolores lumborum etc.

§. 1377. *Confundi* enteralgia potest cum enteritide, peritonitide, gasteralgia. Loquuntur autem *pro enteritide* acuta dolor continuus fere continens, urens in aliquo intestinorum loco, brevi plerumque totum per abdomen diffundendus, ad levem quamvis pressionem illico ex-

asperandus; vomitus inanis vel biliosus dolorem augens; abdomen meteoristicum, calens, attactum respuens, pulsatio intrinseca; synocha hujusque symptomata prae spasmorum phaenomenis in reliquo organismo eminentia. Mitiora eadem sed protracta, obscure intermittentia gravem de enteritide chronica movent suspicionem, sollicito anamneseos examine et ingeniosa individui ac totius status praesentis contemplatione, comparatione ultro confirmandam. — *Peritonitidem* ab enteralgia distinguunt dolor magis superficialis et fixus, major attactus intolerantia, calor in loco dolente multum auctus, corporis decumbentis erectio et pronatio (colicas plerumque mitigans) summe dolorifica, symptomatum intestina adfecta testantium, uti nauseae, vomitus, flatuum, alvi diarrhoicae aut retentae defectus. — A *gasteralgia* facilius distinguunt colicam doloris et spasmi locus, symptomatum concomitantium ratio, minor encephali consensus.

§. 1378. *Prognosis* enteralgiae e momentis prognosticis generalibus est repetenda. Colica generatim nunquam contemnenda, licet saepe cito satis terminetur; quandoque enim in enteritidem, ileum, intestinorum gangraenam aut sphacelum desinit. Maxime hinc timendae sunt colicae sanguineae, biliosae, saturninae, nec non rheumaticae, arthriticae et metastaticae. Solatio sunt in colicis dolorum et spasmorum sympathicorum remissio magna, cessatio; alvus sponte secedens; pulsus molles, afebriles, pleni, fortes, aequales, undosi; lingua mollis et humida, sudor universalis, vaporosus, urina normalis aut hypostatica, aliarum se- et excretionum ante suppressarum restitutio. Colica dispulsa sed excrementis difficulter prodeuntibus et caprinis timendum, ne morbus brevi revertatur.

§. 1379. In colicarum variarum *therapia* facienda causae occasionales, sive morbi principes ab iis producti, colicarum singularum fontes aut saltem comites, proxime indicant. Illae amoveantur, enerventur, isti si

indolis irritativae, subinflammatoriae, methodo antiphlogistica, emolliente, relaxante, sedante, si indolis sunt nervosae, incitante, nervina, alterante, specifica tollantur. Quo modo in corpora irritantia, venena acria, et omnes noxas, colicae in inflammationem nitenti producendae et alendae pares procedendum sit, ex therapia gastritidis §. 393., enteritidis §. 403. et cardialgiae §. 1370. intelligitur. — In colica *flatulenta* sordes, si adfuerint, leni purgante inprimis rheo, et clysteribus subducantur; illis vero amotis aut deficientibus, atque intestinorum debilitate et atonia praevalente frictiones levesque abdominis compressiones, interne infusa, aquae, oleosacchara, spiritus chamomillae, anisi, foeniculi, menthae etc., spir. meliss. compos., sp. nitri dulcis, liquor anod. min. *Hoffm.*, vinum generosum et similia prosunt. In magna aëris rarefacti copia et ventris inflatione potus frigidae, ut *Burserius* habet, et frigida extrinsecus admota, gas coërcent et fibras ad reagendum impellunt.

Colicae biliosae solventia blanda, eccoprotica, acidula, vel et emetica, potus aquosi acidis vegetabilibus notis juncti, clysteres solventes, et malo ob hepatis adfectionem aut febrim graviori remedia valentiora, in hepatitidis et febris biliosae tractamine proposita conveniunt.

Quae in colica *verminosa* ad vermes enecandos et expellendos agere oportet, in curanda helminthiasi adnotabantur. Ipso sub accessu colico mixturae oleosae cum ol. amygdal., sem. papav. alb., aut ol. ricin., infusa aut aquae chamom., valerian., absinth. etc. propinantur, catàplasmata emollientia, fomenta aromatica, unguenta, linimenta, enemata anthelminthica adhibentur.

In *colica saturnina* potentiam nocivam, plumbum oxydulatum aut oxydatum, eliminare, decomponere aut obtundere, specificam eo inductam intestinorum irritationem cum partiali eorundem spastica constrictione summa mitigare, solvere et alvum inde pertinaciter retentam movere opus est. Indicationem priorem principem con-

siderare et sequi licet, ubi res est cum colica saturnina a plumbeis ingestis recenter orta. Emeticis aut fortioribus purgantibus ex rheo vel jalapa cum calomele, calomel soli cum saccharo, infuso fol. senn., inf. laxat. D. V. etc. cum enematibus irritantibus, salitis tum locus est. Hoc casu excepto, et complicatione v. gr. gastrico-saburrali, biliosa etc. deficiente, non auctoritati solum *de Haenii*, *M. Stollii*, *P. Frankii* etc., sed propriis observatis sane plurimis innixus interne *opium* esse auxilium praestantissimum contendo, siquidem dosibus consueta majoribus ($\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ gr. omni bihorio pro adultis) in mixtura oleosa, vel (juxta *Stoll* rat. medend. T. II. p. 256 etc.) cum aquis aut infusis aromaticis propinetur, ejusque actio simul externe enematibus solventibus, purgantibus, fomentis, unguentis emollientibus, sedantibus, et balneis saponatis, aut simplicibus moderate calidis adjuvetur. Nonnullis in casibus opium calomeli juxta *Burger*, *Jacobi* et alios, in aliis camphorae et aquis aromaticis nuptum, vel idem aut extr. hyosc. purgantibus interpolatum, juxta *Stoll*, in aliis olei amygdal. loco illud ricini americani juxta *Odier*, egregiae sunt virtutis; propria tamen tentamina et observata nullum mihi suggesserunt argumentum, alumen a *Grashuis*, *Tronchin*, *Percival*, *Quarin*, aut vitriolum album (zinci) a *Moseley*, calomel cum rheo ab *Hunter*, aut nervina cum purgantibus alternanda a *Günther* celebrata opio aequiparandi, eo minus praeferendi. Sedatis pro maxima parte doloribus alvus quoque liberior redditur continuatoque per aliquot adhuc dies, dosibus tamen minoribus ac rarioribus, opio quam optime promovetur. Nunc ad decomponentia, quae in sulphure forma pulv. cum pauco crem. tart., in hepate sulphuris, sapone forma pilulari apte cum rheo, jalapa etc. copulatis, atque balneis sulphureis, kalinis, saponatis habentur, vel ad tonico-solventia, prout casus exegerit, ad amaricantia, amaro-aromatica transeundum. — Paralyses a colica saturnina restantes aut

eam excipientes interne camphora et vegetabilibus camphoraceis, naphtis, liquore, sale corn. cerv., vino, externe unguentis, linimentis aromaticis, sinapismis aut vesicantibus, frictione, electricitate, balneis stillatitiis utiliter tractantur. Manuum paralyticarum sustentationem per asserulas *Pemberton* commendat.

In *colica Pictonum* initio absorbentium et alcalium carbonicorum, deinde incitantium nervinorum et opii, externe fomentorum, unguentorum, balneorum emollientium, aromaticorum, — colica fugata tonicorum usus convenit.

Colicae *a causis topicis* mechanicis, organicis aut intestinorum aut partium vicinarum, nisi auferri istae queant, non sanationem modo excludunt, sed mitigari saepe vix possunt. Hinc pertinax a faecibus duris, heterogeneis, mechanice obstantibus alvi obstructio ut eccoproticis, oleosis blandis, externe enematibus quidquam irritantibus, tandem et fortioribus, fomentis vero abdominis aut dorsi, unguentis, cataplasmatibus lenientibus, frictionibus, balneis, potu diluente largo, etc. quemadmodum in alvi retentae therapia §. 1275. expositum est, reseretur conandam. In colica *ab indurationibus, scirrhis* solventia et narcotica: calomel, antimonialia, sapo et saponacea, cicuta, digitalis, belladonna, aqua laurocerasi cum externis mox nominatis fomentis, balneis etc. in cassum plerumque tentantur, quare uti in colicis ab intestinorum incrassatione, coarctatione vix nisi symptomatum lenimen a regimine stricto potissimum, victu tenui parco, blando, digestu facili, alvi per enemata emollientia, quandoque eccoprotica evacuatione, balneis, et, ubi opus, interjecto hinc inde narcoticorum moderato usu expectare licebit.

Colicae *hepaticae* et *nephriticae* ratio medendi tam palliativa quam radicalis ex iis facile desumitur, quae de causis morbisque principalibus curandis *in Sectione de Retentionibus* tradita fuere.

Colicae *sanguineae*, haemorrhoidalis, catamenialis,

lochialis, curam poscunt, qua fluxuum istorum segnitiei aut suppressionis causa tollatur, fluxus ipsi restituantur aut per venaesectiones in pede, hirudines circa anum, genitalia, ad os sacrum aut abdomen adplicatos subpleantur, doloribusque ipsis subinflammatoriis per emollientia, antiphlogistica in- et externe occuratur.

Colica *rheumatica* et *catarrhosa* symptomaticae ut morbi principes emollientibus, diapnoicis vel et antiphlogisticis potentioribus, postea pacantibus, sopientibus: extr. hyoscyami, opio, pulv. *Doweri* etc., a rheumatismo autem vel catarrho ad intestina converso exortae therapia eadem cum mali alterutrius ad priorem sedem revocatione per epispastica nota, vesicantia, tractandae sunt.

In colicae *arthriticae* tractamine, prout symptomatica vel per metaschematismum aut metastasim producta fuerit, eadem valent curandi principia, iisdemque fere, si opium demas, auxiliis utendum. Omnis illico opera impendenda ut enteritis praevertatur. Id quod de *quavis colica metastatica* monendum est.

In colica *nervosa* seu *spastica* indicationes, medendi rationes atque auxilia congrua prorsus eadem sunt, quae in gasteralgiae nervosae cura §. 1370. exponebantur. Adplicationis modificatio, quam loci diversitas petit, facile invenitur.

Regimen ac *diaeta* omni in colicae varietate curae consentanea ordinentur, et ab aegris exactissime observentur necesse est.

§. 1380. Tractamen *convalescentiae* in recidivas praevertendas et tollendos mali effectus dirigatur. Prior scopus evitando noxas attingitur. Effectus a variis colicis restantes prout differunt, variam sibi expetunt therapiam opportunam. In plerisque tamen casibus de organorum digerentium sensibilitate ac irritabilitate, de debilitate universali emendandis, de methodo proinde demulcente, sedante, erigente, tonica, nec non nutriente rite adhibendis agitur. Quae in convalescentiae post gasteralgiam

cura subjungebantur, monita et hic suum defendunt valorem.

ORDO II. Nevroses cum instinctuum naturalium anomaliis.

§. 1381. Instinctus naturales partim in individui, partim in generis conservationem diriguntur. Illis fames et sitis, his instinctus sexualis accensentur. Priores qua sensus communis modificationes cum hoc et cum universa adsimilatione, nutritione et excretione in intima haerent relatione; posterior maturitatem individui perfectam excipiens, et sanitatis individualis florem exhibens, ratione et voluntate regitur. A statu sano alienatio, sive intensitatem sive modum concernens, in prioribus morbum cum sensu communi vel assimilatione, nutritione, excretione peccantibus, in posteriore morbum somaticum aut psychicum fontem agnoscit.

§. 1382. Ex quibus elucet, *instinctuum naturalium anomalias varios morbos substantivos, quam morborum symptomata esse et effectus.* Licet illae, prout vel famem vel sitim vel stimulum veneris spectant, in *tria* dividi *genera*, et horum quodvis pro aberrationis gradu et modo in *tres* ulterius dispesci *species* possent: artificiosa tamen ejusmodi divisio nosologica adeo parum practici contineret valoris, ut eam indigitasse solum hic loci sufficiat. Ad *species modo praecipuas* succincte exponendas transgredior; reliquae ex morborum principalium consideratione facile aestimantur, et ad eorundem normas tractantur.

Spec. 1. Appetitus excedens.

§. 1383. *Appetitus excedens* (polyorexia, a πολὺς et ὄρεξις, übermässiger Hunger) ciborum desiderio non reprimendo, assumtione avida, deglutitione praecipite, ardueque obtinenda saturatione manifestatur. Inde *voracitas, polyphagia* audit. Debilitati juncta, et esculentis

cito non composita lipothymiam inducens, *bulimia* sive *bulimus* (a βοὺ particula auctiva, et λιμος, fames, Heisshunger) specialius vocatur; cum celeri vix ingurgitatorum vomitu *cynorexia* (fames canina, Hundshunger); cum citata illorum per anum expulsione *lycorexia* (fames lupina, Wolfshunger) audit.

C. Ph. Hartmann, theoria morbi. §. 321.

§. 1384. *Dispositionem* in polyorexiam saepe consuetudo prava, nonnunquam vitia formationis et organica v. gr. ductus choledochus in ventriculum hians, ventriculus aut pylorus incrassatus, induratus, aut angustatus, hicce dilatatus aut relaxatus; quandoque peculiaris systematis nervosi aut in specie nervorum ventriculi dysphoria, quemadmodum in nevrosibus acutis et chronicis: febribus nervosis, hysteria, hypochondriasi, melancholia, nec non in febribus quartanis, et graviditate, suppeditant. — *Causae excitantes* sunt: succi gastrici acrimonia acida aut alia, bilis immediate in ventriculum stillans, amarorum et condimentorum aromaticorum abusus, vermes, potentiae variae stomachum modo idiopathico aut sympathico fortiter irritantes, exanthematum chronicorum, arthritidis etc. suppressio.

§. 1385. *Prognoseos* rationalis praecipua momenta ex morborum principalium indole et aegrorum conditione desumuntur; quibus addatur, polyorexiam in febribus acutis rarius inter bona quam mala symptomata animadverti; in febribus quartanis uti signum pertinaciae esse, ita facillime ansam exasperationibus et complicationibus gastricis, et recidivis suppeditare; bulimiam per iterata animi deliquia, cynorexiam per vomitiones, lycorexiam per lienteriam, debilitatem, cachexiam, tabem, periculosas et imo lethales evadere posse.

§. 1386. *Curatio*, utut dispositione et causa occasionali, nec non morbo principe activo, inflammatorio vel passivo, nervoso, materiali vel dynamico rite investiga-

tis et pensitatis determinatu plerumque facilis sit, saepe tamen, v. gr. vitiis organicis ventriculi obtinentibus, vix nisi mali restrictionem, lenimen valet inferre. Nimia generatim ventriculi sensilitas ac irritabilitas, cum vel absque debilitate universali et vomitu vel diarrhoea, sedantibus praesertim opio, mucilaginosis, emulsis, oleosis blandis, cum vel sine incitantibus ac tonicis, victu facile digerendo, pauco, frequentius sumto componenda est; pylori atonia et dilatatio adstringentibus pedetentim emendanda; ventriculi acidum magnesia, lapidibus cancrorum etc. amaricantibus, amaro-aromaticis corrigendum, et, ne regeneretur, praevertendum; vermes expellendi; impetigines subpressae revocandae, arthritis anomala ad normam reducenda.

Morbo feliciter sublato, ut omni in *convalescentia*, polyorexiae praepediatur recidiva, et superstites successive tollantur effectus. Quem in finem non causarum modo fuga et therapia congrua, sed diaeta etiam prudenter definienda, et summa in ciborum concessorum quantitate temperantia maxime requiruntur.

Spec. 2. Pica.

§. 1387. *Pica* (kitta *Linn.*, allotriophagia *Vog.* ab ἀλλότριον, peregrinum, insolitum, et φάγω, edo; das Gelüste) morbosa est vel unius solum ciborum generis (kitta), vel insolitorum plerumque non nutrientium (malacia), uti cretae, calcis, carbonum, coffeae tostae etc., vel nauseosorum imo et abominabilium, uti aranearum, pilorum etc. adpetentia, cum aut absque aliorum aversione.

§. 1388. Picae, semper *symptomaticae*, *ratio proxima* vel a) in sensibilitatis ventriculi aut totius systematis nervosi alienatione, quemadmodum in chlorosi, hysteria, graviditate, vel b) in depravata imaginatione, ut in mania, nec non perversa ex consuetudine; vel c) in sensatione ventriculi depravata ab heterogenei cujusdam in eo contenti seu forinsecus illati seu ibidem gene-

rati impressione (*Hartmann* l. c.), invenitur, ut a saburrae acidae, putridae, biliosae, pituitosae, verminosae etc. actione, quandoque et in scorbuto. Femininis frequentius ac masculinis infensa subjectis.

§. 1389. *Durationem*, *exitum* picae varium aeque ac *prognosin* spectantia a morbis principalibus desumantur. Pica in gravidis, nisi tertio quartove mense, raro ante partum cessat. In chloroticis, hystericis notabili cum morbi principis imminutione evanescere solet. In mania saepe invincibilis. In febribus acutis non raro periculi index, gravem systematis nervosi alterationem prodendo.

§. 1390. *Therapia* in morbos principales eorumque causas dirigatur oportet. In malis chronicis in mentem insuper agatur, aegros de noxia eorum, quae vehementer adpetunt, in sanitatem efficacia convincendo, et ad abstinentiam serio persuadendo. Tentamine irrito nullaque obstante contraindicatione, pharmaca nauseam, aut vomitum ipsum vel diarrhoeam causantia rebus ab aegro anxie quaesitis, si nocivae fuerint, dosibus circumspecte definitis clanculum addere convenit.

In *convalescentibus*, ne in priorem relabantur consuetudinem, maxime adlaborandum.

Spec. 3. Polydipsia.

§. 1391. *Polydipsia* (a πολυς, multus et δυψα, sitis, der übermässige Durst) desiderium potulentorum est inexplebile, constans, vel debito frequentius recurrens.

Mere *symptomatica* a morbis proficiscitur, in quibus vel a) humorum serosorum ac seroso-mucosorum dispendia aut extravasata de necessaria impetuose monent compensatione: in hydrope, diabete, sudore, diarrhoea, haemorrhagiis, vel b) morbosa nervosi systematis, aut pharyngis modo et ventriculi nervorum incitatio mitigationem a fluidis urget, ut in febribus, inflammationibus, doloribus quibusvis vehementibus diu perstantibus, in

primarum viarum ab ingestis salibus, aromatibus, venenis acribus, a saburris biliosis etc. irritatione.

Ex quibus de *indole, duratione, terminatione, causis, effectibus, dignitate* polydipsiae scitu necessaria sponte fluunt.

§. 1392. *Therapia* radicalis apto morborum principalium memoratorum atque causarum tractamine, palliativa sedulo potulentorum aquosorum, mucilaginoso-acidulorum haustu, et collutoriorum similium, lotionum, fomentorum, balneorum usu absolvitur.

Spec. 4. Instinctus sexualis excedens.

§. 1393. *Instinctus sexualis exorbitantia,* per coitus desiderium ratione et voluntate superius se manifestans, in viris *satyriasis* (hyperorgosis *Sw.*, salacitas inexplebilis), in feminis *nymphomania* (furor uterinus, hysteromania, hysterocnesmus, machlosyne *Sw.*) appellatur.

Satyriasis libidinosa penis erectione frequentiore aut solito fortiore, nonnunquam molesta testiculorum tensione, — nymphomania pruritu vehemente, calore ac tumore genitalium, et continua haec contrectandi propensione stipatur; utraque cum inquietudine, flagrante amplexuum cupidine, pulsu et respiratione acceleratis, humorum orgasmo, siti, agrypnia, et redeunte per vices animi dejectione incedit, altiore in gradu non sedata in pudicitiae neglectum, vesaniam, imo maniam transitura. Utraque statum chronicum frequentius quam acutum et communiter symptomaticum offert.

§. 1394. Mali hujus effectus multiplicem functionum tum corporis tum mentis laesionem exhibent, quales sunt: sensuum hallucinationes, agrypnia aut insomnia continua, amnesia, amentia, deliria, mania, tremor, spasmus, convulsio; dysorexia, dyspepsia, alvi retentio, macies, sudor olidus, pollutiones, tabes nervosa, dorsalis.

§. 1395. *Disponuntur* in hunc morbum subjecta ir-

ritabilia, nevrosibus variis, praesertim hypochondriasi, hysteria vel nimia genitalium irritabilitate, plethora, clitoride praegrande et valde sensibili etc. laborantia, rationis simul lumine et firmo voluntatis imperio destituta. — Momenta *excitantia* tam corporea sunt quam psychica. Ad priora spectant: partium genitalium aut organorum uropoëticorum, imo intestini recti irritatio vel inflammatio idiopathica aut sympathica, inducta per onaniam, virus syphiliticum, ascarides vermiculares in intestino recto nidulantes, aut in ipsam prorepentes vaginam, calculos urinales, diureticorum praecipue acrium et resinosorum sicut aphrodysiacorum abusum, lotium acre accumulatum, quantitatem et qualitatem seminis peccantem sub vita lauta et otiosa a copiosiore seminis secretione ex arteriis spermaticis solito majoribus aut pluribus, a coitus frequentis et consueti interceptione, per sanguinis in utero, ovariis, vasis haemorrhoidalibus congestionem, saburras gastricas irritantes, herpetem, lepram, et elephanthiasin. Psychica sunt: incitatio libidinis nimia, frequens per amorem frustratum aut secretum, celatum, imaginationem lascivam, lectionem librorum, intuitiones picturarum vel objectorum et scenarum, auditum colloquiorum lascivorum, per insomnia lubrica, per maniam, in qua sicut in hydrophobia, hysteria, aliisque nevrosibus instinctus sexualis exorbitantia quandoque occurrit symptomatica.

§. 1396. Cum satyriasis et nymphomania morborum acutorum et chronicorum symptomata potius quam morbos sistant substantivos, ab illis potissimum *phaenomena* utrique sociata, *decursus, duratio, exitus* varii non minus ac *prognosis* et *medela* determinantur.

§. 1397. In *therapia* facienda praecipuus causarum excitantium ac morborum principalium auferendorum respectus habeatur. Quare onaniae deditus strictiori curae psychicae submittatur; urethritis syphilitica, irritatio a vermibus, calculis urinalibus, saburris gastricis, plethora, haemorrhoidibus etc. secundum regulas alibi traditas tol-

latur, victus restringatur nimium lautus, corpus ad virium defatigationem usque exerceatur, intendatur; imaginum et objectorum cupidinem incitantium, vini potuumque spirituosorum omnium inculcetur fuga etc. Methodus simul *palliativa* in orgasmum componendum et sensibilitatem ac irritabilitatem genitalium obtundendam uniatur, in congruo antiphlogisticorum notorum, diluentium, temperantium aut solorum aut camphorae simul dosibus majoribus vix non specifice commendatae, externe in frigidorum et refrigerantium ad genitalia, lumbos, os sacrum adhibendorum usu consistens. Camphorae grana tria ad sex cum nitri granis decem, aliquot per diem vicibus porrecta, egregias saepe vires exserunt. *Diaeta* semper concordet; regimen autem, mentis in specie, semper magnam, aliquando supremam therapiae partem efficiens, versetur circa animi distractiones et exhilarationes in benevolorum amicorum prudentium consortio, circa imaginationis et intellectus cum rebus seriis, aliis occupationem, circa animi adfectus instinctui effreni oppositos: metum, tristitiam, moerorem etc. provocandos, denique circa institutiones morales subjugatae rationis lumen ac voluntatis victae, suppressae potestatem redimendo, roborando idoneas.

Convalescentiae cura generalibus innixa indicationibus ad nota dirigitur praecepta.

ORDO *III. Nevroses cum praevalentibus sensuum externorum alienationibus.*

§. 1398. Ut morbi sensuum externorum laesionibus sese manifestantes rite aestimentur, non tactus solum, gustus, olfactus, auditus ac visus organa separatim, sed cerebro etiam conjuncta considerare, et necessarium animae in illorum functiones influxum rite perpendere oportet. Anima enim attenta mediantibus sensuum externorum organis ad normam constitutis congrue, i. e. modo objectorum in eadem agentium qualitatibus correspon-

dente tangit, sapit, olfacit, audit, videt; incongrue vero i. e. impressionum magnitudini vel qualitati vel utrique non convenienter, aut plane non tangit, sapit, olfacit etc., quamprimum *vel* vitium materiale aut dynamicum in organis sensuum ipsis, aut in nervis ea cum cerebro nectentibus, aut in hoc ipso praesertim in ejus parte cum sensuum, de quibus agitur, nervis communicante, susceptionem, impressionem et conductionem hebetat, impedit, tardat, vel intendit, accelerat, vel quocunque alterat modo; *vel* attentionis debitae aut plenae animi praesentiae defectus, aut mentis stupor perceptionem genuinam et distinctam, aut et omnem reddit impossibilem.

§. 1399. Morbi ipsi, quibus laesio functionum sensuum externorum pathognomonica est, varii tam universales sunt quam locales, idiopathici aut sympathici, metastatici; primarii aut secundarii, substantivi aut symptomatici; somatici aut psychici. Pro formae diversitate in morbos a) cum tactu, gustu, olfactu, auditu, visu nimium exaltatis, acutis, b) obtusis, infractis, aut plane abolitis, et c) in modo alteratis, perversis distingui solent, atque totidem *species generum quinque*, juxta sensuum externorum numerum statutorum, a nonnullis considerantur. Prioribus (a) utut minus apte dolorifici potissimum, *photophobia* in specie, et *otalgia* accensentur; sequentibus (b): *anaesthesia*, *ageustia*, *anosmia*, *dysecoia*, *acoia* (surditas, kophosis), *amblyopia*, *nyctalopia* et *amaurosis* (gutta serena); ultimis (c) tandem: tactus, gustus, auditus etc. alteratio et hallucinatio multiplex: aurium susurrus, tinnitus, bombus, photopsia, crupsia, myrmecopsia, diplopia etc. etc.

§. 1400. Formarum istarum, incongrue specierum declaratarum, pleraeque specialem nec exposcunt, nec merentur perlustrationem; mera enim morborum variorum symptomata non in Pathologiae generalis solum Symptomatologiam spectantia, in *Hartmanni* theoria

morbi egregie pertractata inveniuntur, sed ad morbos principes etiam diagnoseos, prognoseos atque therapiae intuitu referenda sunt. Quaedam vitiato functionum modo sese manifestantes ad illas cum functionum exaltatione revocari omnino possunt. Formas igitur sive species hic pertractandas ad paucissimas reducere licebit: *susurrum aurium; baryecoiam cum ecoia,* et *amaurosin.*

Spec. 1. Aurium susurrus.

§. 1401. *Susurrus aurium* (das Ohrensausen, Ohrenbrausen) cum modificationibus *tinnitu, sibilo, bombo,* in sonorum perceptione citra objectorum externorum actionem consistit.

Ubique phaenomen est symptomaticum, vel a sensibilitate nimia, gravis debilitatis nonnunquam sequela, vel ab irritatione nervorum acusticorum, aut a motibus musculorum auditus internorum tremulis aut convulsivis pendens. Quare in febribus nervosis, nevrosibus chronicis, in his quandoque periodice, a morbis gravibus sub et a larga humorum jactura aeque, ac ab universali et capitis speciatim locali plethora hominum juniorum, frequenti epistaxi subjectorum, in adfectionibus catarrhosis et rheumaticis animadvertitur.

Burserius, Hartmann, Haase, in opp. cit.

§. 1402. *Dignitas* aurium susurrus, et *prognosis* ex morborum ejus principalium conditione fluunt. Ex morbis gravioribus convalescentes in sensibilitatis decrescentis et virium invalescentium ratione liberari successive ab illo consueverunt. In epistaxin, apoplexiam, animi deliquia pronis nuntius saepe est, de insultu instante commonens. Susurrus chronicus adversis sub influxibus in baryecoiam facile, aliquando in surditatem degenerat.

§. 1403. *Cura* aurium susurrus morbis, quorum symptoma occurrit, horumque causis occasionalibus indicatur. Citra fusiorem illius expositionem monere hic sufficit,

remedia topica convenientia non auri solum, meatui auditorio externo, partibusque vicinis esse admovenda, sed per oris quoque et faucium cava adplicari apte posse.

Spec. 2. Baryecoia.

§. 1404. *Baryecoia* (Schwerhörigkeit, Harthörigkeit) auditum vario gradu imminutum, sonorum scilicet fortiorum quoque perceptionem arduam, *acoia* (cophosis, surditas) omnium deficientem sistit.

Valsalva, de aure humana liber. Ultraj. 1707.
Hofmeister, de organo auditus ejusque vitiis. Leydae 1741.
Trnka de Krzowitz, historia kophoseos. Vienn. 1788.
Ph. C. Hartmann, *Haase*, opp. cit.

§. 1405. Utrumque auditus vitium, nonnisi gradu differens, symptomaticum est, ceterorum sensuum adfectionibus omnino frequentius, saepe hereditarium, alterum, si connatum, vocis inopiae semper junctum.

Proficiscitur a morbis, qui vel a) tremularum aëris commotionum susceptionem ac in labyrinthum propagationem reddunt difficilem, inhibent, suspendunt; vel b) impressionem ab his ibidem in nervis acusticis faciendam praepediunt, factam infringunt, tollunt. Quo spectant: auris externae plana nimis conformatio, defectus; meatus auditorii per materiam quamcunque extraneam aut inquilinam, vestientis membranae sthenosin, intumescentiam inflammatorio-scrophulosam, rheumaticam, arthriticam, syphiliticam, aliam, excrescentias, polypos repletio, angustatio, obturatio; atresia congenita aut ab inflammatione, ulceratione adquisita; tympani incrassatio, rigiditas, laxitas, paralysis, erosio, perforatio, disruptio violenta; musculorum tympanum et ossicula tendentium ac moventium inertia, paralysis; ossiculorum ankylosis, caries, defectus; tubarum *Eustachii* a similibus ac meatus acustici causis angustia, praeclusio, atresia; membranae fenestram rotundam claudentis, membranae cavum tympani, labyrinthum, cochleam obducentis similes

iis, quae de tympano nominabantur, adfectiones; cavum tympani per humores varios, coagula inundatum, impletum; vaporis serosi nervum acusticum humectantis copia nimia, inspissatio; — nervi acustici stupor, paralysis ex virium debilitate, exhaustione jam topica jam universali, ob keneangeam igitur haud minus ac plethoram, congestionem, extravasata, quemadmodum baryecoia aut surditas in febribus nervosis cum torpore, in putridis, in subjectis senio, humorum dispendio, cachexia tabida fractis, in epilepsia diuturna, apoplexia, subita vel lenta profluviorum variorum suppressione, a partu frequente, laborioso etc. testantur; nervi ejusdem in suo ad encephalum decursu nec non ipsius encephali cum hoc communicantis compressio, tabes, degeneratio, destructio, magna tandem mentis abstractio, alienatio.

§. 1406. Pro morbis recensitis eorumque causis diversis *decursus* ac *duratio* baryecoiae et cophosis plurimum variant. Hinc alterutra jam *celeris* jam *lenta*, *continua* aut *intermittens*, jam *acuta* jam *chronica* imo per vitam quandoque perseverans, insanabilis occurrit.

§. 1407. *Prognosis* iisdem fere, atque generalibus notis determinatur momentis. Specialius addenda sunt: Baryecoia et acoia diuturnae causis licet tandem amotis haud semper cessant, nervorum stupore, paralysi, tabe etc. sustinendae. Alterutra catarrhi, rheumatismi etc. acuti comes brevi transire, malorum acutorum pedissequa, nisi viribus restitutis, ardue sanari consuevit; a vitiis organicis, quorum nonnulla certam fugiunt diagnosin, raro sanabilis; hinc hereditaria saepe omnem eludit medendi conatum. Idem de socia hemiplegiae, apoplexiam insecutae, de metastatica, praesertim inveteratis metuere fas est. — Cophosis non connata majorem, ac alius jactura sensus in adfligendum animum exercet potestatem, hujusque et corporis languori, hypochondriasi, melancholiae, variis cachexiae formis producendis multum favet.

§. 1408. In baryecoia vel cophosi *curanda* normas

sequi oportet generales. Causis itaque et morbis causalibus primum pro sua quibusvis indole, sede etc. apte occurrendum. Hinc v. gr. conchae auris defectum corniculo acustico tubiformi supplere; meatus auditorii angustiam ab incrassatione, tumore, excrescentia, obturationem ab iisdem aut cerumine indurato, heterogeneis impactis, atresiam, congruo auxilio tum medico locali et universali, tum chirurgico tollere; tympani siccitatem, rigiditatem aqua, emollientibus, oleosis tepidis instillatis, vapore emolliente, laxitatem vero, paresin, paralysin aëre regionum elatiorum sicco, memorati nunc corniculi adplicatione, instillatione, injectione, vapore, fumigatione aromaticis, camphoratis, spirituosis, embrocatione, electricitate et galvanismo, epispasticis, vesicantibus, inunctionibus acribus retro aures, perforatione tympani, a recentioribus hinc inde cum successu tentata emendare, auferre; pus e cavo tympani, nisi evacuatio per Eustachii tubam injectionibus per hanc dexterrime faciendis contingit, iisdem perforato in imitationem *Riolani*, *Valsalvae*, *Jasseri* etc. processu mastoideo in cavum ipsum institutis eluere, aut melius juxta consilium recentiorum (*Zang*, Darst. blut. heilk. Operationen. Bd. 2.) tympano perforato dimittere; tubam dictam intumescentia membranae muciparae, pituita post catarrhos, rheumatismos etc. angustatam, oppletam collutoriis, gargarismatibus, masticatoriis, errhinis leviter irritantibus, derivantibus epispasticis etc. imo eccoproticis, diaphoreticis: sulphuratis, antimonialibus, thermis sulphureis etc. aperire, medentis intersit. Nervi acustici alterutrius stupor, paralysis ex vera virium topica vel universali debilitate, pro fonte hujus et gradu methodum incitantem nervinam aut restaurantem potius, aut utramque exposcit; inter remedia nota de specifico nervorum acusticorum per congruos aëris tremores, strepitus, campanarum sonos, concentus musicos incitamento cogitetur. Virium autem sup-

pressio si subest, nervi ac cerebrum a causa supprimente per evacuantia, derivantia, revellentia, quandoque per opem chirurgicam liberentur. Malum periodicum, febris intermittentis aut comes aut larva, curatione huic adaequata profligatur. Mentis abstractioni, alienationi per curam physicam et psychicam medendum.

Regimen ubique therapiae consentaneum non magnum modo hujus juvamen, sed praecipuum imo in convalescentia momentum constituit; quovis in casu principiis notis ducentibus haud difficulter definitur.

Spec. 3. Amaurosis.

§. 1409. *Amaurosis* (ab ἀμαυρός, obscurus, gutta serena *Arabum*, suffusio nigra *Alior.*, typhlosis nevrica *Sw.*, der schwarze Staar) ea coecitatis est species, quae proxime pendet a morbo, nervum opticum radiis lucis suscipiendis, horumque impressionibus ad sensorium commune propagandis imparem reddente.

W. Trnka de Krzowitz, histor. amauroseos, omnis aevi observata medica continens. Vindob. 1781. P. II. 8.

A. G. Richter, Anfangsgr. d. Wundarz. B. III. p. 423 etc. — Med. chir. Bemerk. Götting. 1793. 8.

G. J. Beer, Lehre v. d. Augenkrankheiten etc. B. II. p. 419—586.

A. Rosas, Handbuch d. theor. u. prakt. Augenheilk. Wien 1830. 8. in T. secundo. — Lehre v. den Augenkrankheiten. Wien 1834. 8.

J. Th. Fabini, doctrina de morbis oculorum. Pesthin. 1831. 8. Edit. secunda.

§. 1410. Rarius subito ingruit quam lente evolvitur amaurosis. Quo in casu *prodromi* observantur: visus interruptus, hemiopia, myodesopsia, visus reticulatus cum reti clara sub luce, et alba versus objecta nigricante, in tenebris autem splendente, apparenter argenteo vel aureo, visus nebulosus, nec non photopsia (marmaryge *Hippocr.*), rarissime oxyopia aut plane photophobia; saepe diplopia nervosa *Beerii*, et inde strabismus, crupsia, metamorphopsia, hinc inde myopia aut presbyopia, coe-

citatis ipsius invasio periodica irregularis, anticipans, vel *amblyopia* amaurotica, qua scilicet objecta quasi per byssum praetensum aut nebulam interjectam de die nigricantem, loco obscuro argenti vel auri adinstar nitentem, in eorum medio distinctiora quam in circumferentia, clara sub luce, sumtis nutrimentis, potu incitante spirituoso exactius, quam sub crepusculis, locis tenebricosis, et horis matutinis cernuntur, quandoque et maculae nigrae oculis continuo obversantur. — *Evolutam amaurosin* sequentia comitari et patefacere solent *symptomata* tum *subjectiva* tum *objectiva:* coecitatis adsertum, sensus siccitatis molestae aut asperitatis quasi ab arena sub palpebris latente, plenitudinis, ponderis bulbi aut procidentiae; vertigo, cephalaea, hemicrania, dolor subinde bulbum occupans aut ambiens acutus, varius; dilatatio aut angustia pupillae insolita, varia sub lucis intensitate perstans, cum margine iridis pupillari plerumque inaequali et anguloso; situs pupillae ab axi bulbi varie deflectens; nigredo ejus inaequabilis, fatiscens, aut in colorem nebulosum, griseum, griseo-viridescentem, aliquando rubellum, aut albo-flavicantem mutata, cum obfuscationis sede profundius retro pupillam conspicienda, et concava; mobilitas pupillae exigua vel nulla, rarius nimia, rarissime normali (quae singula quandoque non nisi oculo sano clauso vel tecto animadvertuntur); paralysis aliquando musculorum singulorum vel bulbi (unde strabismus), aut palpebrarum, vel faciei, vel partium remotarum.

§. 1411. *Causa* amauroseos *proxima* in nervi optici intra cranium delitescentis, aut in retinam expansi sensilitate deficiente consistit; haec vero vel a) debilitati maximae locali vel simul universali immediate aut mediate exortae, vel b) virium nervi optici suppressioni, vel c) vitiis organicis suam debet originem.

Disponunt igitur ad amaurosin hereditas, non raro familiis inhaerens; debilitas magna universalis et prae-

primis topica, cum nervi optici sensilitate aut nimia aut depressa; nevroses variae ex aut cum debilitate praesentes, peculiaris nonnunquam nervorum idiosyncrasia sub graviditate; temperamentum cholericum *(Beer)* cum iridis colore fusco aut nigricante; perstantes sanguinis cum vel absque plethora universali congestiones. — Potentiae morbificae ac morbi vires supprimendo, vel directe vel indirecte debilitando, vel organisationem vitiando amaurosim *producere valentes* sunt: a) retinae aut nervi reliqui quocunque ad originem usque loco, aut cerebri communicantis pressio a sanguine, sero, lympha, pure, idiopathice, sympathice, per metastasim, statum irritativum, inflammationem acutam aut chronicam, modo activo vel passivo congestis, secretis, extravasatis, uti v. gr. post profluviorum sanguinis, aliorum quoque imprimis epistaxis habitualis suppressionem, post imperfectas morborum acutorum crises, ophthalmitides internas, encephalitides etc.; exostoses, tumores cystici aliive in orbitae fundo, foramine optico, ad nervi optici vaginam, vel intra cavum cranii, a syphilide etc.; — b) intensio oculi alterutrius vel utriusque nimia, protracta; objectorum minutorum, multum splendentium, alborum intuitio continua, frequens; abusus microscopiorum; incauta oculorum in lunam solemve directio, repentina lucis diurnae praesertim solis, fulguris actio tenebras excipiens; topicus aut internus narcoticorum: belladonnae, stramonii, hyoscyami, opii, aquae laurocerasi etc., nec non, testante *Beer*, amarorum: cichorei, quassiae etc. abusus; inedia; profluvium quodvis praesertim seminis exhauriens; animi pathemata deprimentia praeprimis pervigilium, lacrymas secum ducentia; morbus omnis indole, vehementia, duratione, symptomatibus singulis exhauriens, ut: febres inflammatoriae, ophthalmitis interna, phlogosis nervi optici, encephali, meningum, febres nervosae simplices, typhosae, intermittentes larvatae et comitatae, nevroses aliae, cachexiae; helminthiasis; haemorrhagiae, impri-

mis epistaxes, diarrhoeae etc.; validae oculorum aut totius corporis per ictum, lapsum etc. concussiones; — c) retinae induratio, ossificatio; nevrilematis incrassatio, induratio, nervi optici exsiccatio, contabescentia, pulpae dissolutio, hujus vel et rami frontalis nervi ophthalmici supraorbitalis sub operatione etc. laesio, dissectio; arteriae centralis aneurisma, vasculorum retinae varices.

§. 1412. Patet ex his, amblyopiam ipsamque amaurosin rarius *morbum* quam *symptoma* deprehendi; utramque ceterum sine vel cum vitiis organicis adesse, *primariam* vel *secundariam*, a morbo *topico* vel *universali* profectam, *continuam* vel *intermittentem*, *periodicam* etc. Variarum *amauroseos modificationum* inde statuendarum: nervosae cum erethismo vel torpore, paralyticae, hystericarum, hypochondriacorum, epilepticorum, am. a narcoticis, plumbo, a statu gastrico saburrali, verminoso, am. rheumaticae, arthriticae, syphiliticae, metastaticae multiplicis etc. *characteres diagnosticos* a morbis principalibus, primariis, eorumque causis, ac therapiae effectibus potissimum depromendos, in operibus memoratis *Beer*, *Fabini* et *Rosas* fusius exposuerunt.

§. 1413. Causarum, morborum principalium, eorumque exordii, decursus, dignitatis, durationis etc. consideratio sequentia in *prognosin* generalia suppeditat: Hereditaria vigente dispositione amblyopia amauroseos est nuntia, haecque ipsa communiter insanabilis; sic et senibus provectis superveniens. Duratio longa arduam pronuntiat, non absolute excludit sanationem. Amaurosis subito orta et recens v. gr. a nimia narcoticorum dosi facilius consuetim, ac lente evoluta, tollitur, nisi laesionem aut celerem humorum effusionem agnoscat fontem. Correpto oculo uno et alter citius seriusve pessumdari solet amaurosi. Mobilitas iridis superstes pro signo sanabilitatis infallibili minime habenda (*Beer*). Amaurosis sanabilis non nisi aptis therapia et regimine diu continua-

tis aufertur. Saepe in uno solum oculo, quandoque in angusta solum retinae parte videndi restituitur facultas. Amaurosin casu fausto sublatam amblyopia excipere solet, vix sananda.

§. 1414. Magni in *therapia* momenti est, praesente adhuc amblyopia, nisi completa subito irruat amaurosis, momentorum causalium amotionem, enervationem moliri. Nimiam igitur lucem moderari, subtiliores proscribere labores, graviter adflictum erigere animum, congestiones, infarctus, tumores syphiliticos prementes etc. auferre oportet etc. Amaurosi vero jam obtinente nunc nervi optici etc. debilitati, nunc virium suppressioni, nunc vitiis organicis adcommodanda est medela. Virium nervi optici aut cerebri *suppressio* methodos ac remedia poscit pro morbis supprimentibus eorumque causis, indole, sede omnino varia. Sic sanguinis, seri congestiones methodum evacuantem, derivantem; adfectiones metastaticae subinflammatoriae, inflammatoriae, congestiones metastaticae antiphlogistico-derivantem et antagonistice emolliendo, relaxando, aut irritando derivantem, revellentem; infarctus viscerum abdominis, sordes gastricae etc. solventem, evacuantem; tumores, exostoses syphiliticae methodum specificam antisyphiliticam etc. etc. indicant. *Debilitati*, habita originis et gradus ratione, interne vel excitantia, nervina, vel alterantia jam mitiora jam potentiora, vel et pacantia, sedantia, externe stimulantia, irritantia etc. opponuntur. Prioribus accensentur: valeriana, camphora, moschus, asa foetida, liquor corn. cerv., sal volat. c. c., sp. aether. sulphuric., ipsi aetheres nec non phosphorus; alterantibus: arnica, pulsatilla, mezereum, antimonialia, mercurialia, emetica, dosibus refractis aut et plenis; his vel incitantibus mitioribus, ubi erethismus peccat, narcotica, uti valerianae, asae foetidae, antimonialibus, pulveribus alterant. *Plummeri* etc. opium, hyoscyamus, belladonna, aconitum, conium maculat. etc. junguntur; — ad externa spectant: lux

prudenter intendenda, libera nonnunquam radiorum solis per vices actio (*Richter*); errhina, sternutatoria; unguenta, lavacra s. collyria, vapores aromatici, spirituosi, aethereo-oleosi, alcalini superciliorum ac temporum regioni, palpebris, ipsi bulbo adplicandi; rubefacientia, vesicantia, fronti, temporibus, processui mastoideo, nuchae imposita; electricitas, galvanismus, cauterium, fonticulus, setaceum, moxa. Amaurosis febris intermittentis symptoma aut larva modo huic conveniente profligatur. — Amaurosis *a vitiis organicis* retinae, orbitae etc. supra memoratis omni plerumque repugnat artis conamini; a laesionibus, consolidato vulnere haud semper evanescit.

§. 1415. *Diaeta* ac *regimen* durante morbo curae semper consentanea, quemadmodum haec quoque ipsa sub *convalescentia*, quovis in casu speciali secundum principia generalia multoties repetita definiantur ac dirigantur.

ORDO IV. *Nevroses cum sensus interni alienationibus; vesaniae.*

§. 1416. *Morbi sensus interni*, seu *morbi animae* (Seelenkrankheiten, Seelenstörungen) status animae dicuntur, essentiali ac praevalente facultatum ejus singularum vel omnium adfectione insigniti. *Facultates* autem *cognoscendi, sentiendi* ac *volendi* puta, i. e. *intellectum, animum* ac *voluntatem*. Qua totidem animae activae directiones considerandae sunt, quas haec sano in statu cum conscientia ac spontaneitate singulas et omnes exercere valet ac manifestare. *Status* igitur *morbosus* habendus est, *si anima conscio facultatum dictarum ac spontaneo exercitio destituitur*, ejusque proinde *functiones in cogitando* generatim (quo speciales animadvertendi, concipiendi, conceptus priores reproducendi, imaginandi, judicandi et concludendi operationes colliguntur), *in sentiendo* ac *volendo* consistentes, jam *singulae* jam

omnes justo debiliores, aut fortiores, aut absque harmonia et suis cum objectis conformitate, adeoque *communibus cogitandi normis hominum sanorum non respondentes*, procedunt.

§. 1417. Ubi animae functionum quoad gradum et modum a norma deflexus conscientiae animae atque spontaneitatis (voluntatis liberae) defectui essentialiter junguntur, morbus, a quo pendent, *vesania* (insania, paranoia *Sw.*, Irrsinn, Wahnsinn, Geisteszerrüttung, Verstandesverwirrung), aut *aegritudo* (Gemüthskrankheit) vocatur. Proprium morborum genus sistunt.

§. 1418. Patet ex his, tres *vesaniarum characteres* haberi *diagnosticos:* 1) facultatis animae, functiones memoratas singulas ac omnes exercendi imminutionem, defectum; 2) conscientiae ac spontaneitatis in illis exercendis imminutionem, jacturam; et 3) harmoniae inter singulas turbam, solutionem, nec non conceptuum, imaginum, cognitionum, judiciorum, ratiociniorum, sensationum, voluntatis varios a conformitate cum objectis, adeoque et a communibus sanorum cogitandi legibus deflexus.

Unde intelligitur, functionum animae laesiones mere symptomaticas ac transitorias: delirium febrile, ebrietatis, deliria ac furores a phrenitide, meningitide, hydrophobia, stuporem sub apoplexia etc., sensuum externorum hallucinationes, somnambulismum etc. ad hunc revocari ordinem non posse.

§. 1419. Magnam *cum vesaniis similitudinem* quoad nonnulla, quibus se produnt, phaenomena *hallucinationes sensuum externorum, animi adfectus ac pathemata*, et *mores quidam tenaces* offerunt. Utut autem *hallucinationes* ex vesaniis nonnunquam symptomatice proficiscantur, hallucinationibus diuturnis animam sensim adsuefieri, mentemque decipi et in erronea ac incongrua deduci posse judicia, experientia testetur, per vigentem tamen animae de se ipsa deque rebus externis conscientiam, sui

igitur ipsius cognitionem et ab extraneis distinctionem a vesaniis differunt. — *Animi adfectus et pathemata* quaequae, uberrimum licet vesaniae praebeant fontem, uti infra ostendetur, ab hac non per varium animi et voluntatis deflexum transitorium aut periodicum, sed per solam animae de se ipsa, de rebus externis, et de iis, quae acta sunt et aguntur, conscientiam, per liberam, utut imbecillem et sensationibus momentanee abreptam, voluntatem distinguuntur. — *Mores pravi* scelerum criminumve patratione detestabiles, per consuetudinem perversam, et pertinacem contra leges politicas et congruum rationis humanae usum renitentiam, consciam ac voluntariam, imo astute quandoque praemeditatam, a vesaniis aperte differunt.

§. 1420. Non pauci insuper occurrunt casus, quibus vesaniae praesentiam multifaria premunt dubia. Ut ad certitudinem summe necessariam perveniatur, praesidiorum diagnoseos omnium investigatione opus est, et usu pensiculato. Singula ideo phaenomena tam praegressa quam praesentia, eorumque sedes, magnitudo in- et extensiva, numerus atque decursus ratio, ad quas cum certitudine eruendas observatio accuratissima, et ingeniosae imo inquisitiones somaticae atque psychicae saepe requiruntur; dispositio fors hereditaria vel adquisita, causae excitantes earumque natura et actionis tempus, directio, locus, duratio; factae demum dubio statu morboso durante mutationes harumque causae summa cum industria investigari debent, et tam singula quam sapienter combinata modo analytico et synthetico in scopum adplicari.

§. 1421. Operis hujusce limites nonnisi succinctam vesaniarum expositionem concedunt, quarum doctrinae momentosissimae firmis fulciendae principiis, atque in praxin securam excolendae viri scientia et arte clarissimi, Psychologi tam Medici quam Juris periti laudabilem, aevo praesertim nostro, dicarunt operam; e quibus eminent sequentes:

J. F. Dufour, Versuch üb. die Verrichtungen und Krankheiten des Verstandes. A. d. Franz., nebst Beob. üb. d. Hypochondrie, von *E. Platner*. Leipz. 1786. 8.

Th. Arnold's Beobachtungen üb. d. Natur, Arten, Ursachen u. Verhüthung des Wahnsinns. A. d. Engl. von *J. Chr. G. Ackermann*. 2 Thle. Leipz. 1784—1788.

W. Perfect, auserl. Fälle von versch. Arten d. Wahnsinns etc. A. d. Engl. m. Anm. v. *Chr. Fr. Michaëlis*. Leipz. 1789. 8.

Al. Crichton, üb. Natur und Ursprung der Geisteszerrüttung. Ein gedr. Ausz. a. d. Engl. Leipz. 1798. 8.

Mich. Wagner, Beyträge zur philos. Anthropologie. 2 Thle. Wien 1794—1795. 8.

Ph. Pinel, philos. medic. Abhandl. üb. die Geistesverwirrungen oder Manie. A. d. Franz. übers. u. m. Anm. v. *Mich. Wagner*. Wien 1808.

J. Chr. Hofbauer, Unters. über die Krankh. der Seele und die verwandt. Zustände. 2 Thle. Halle 1802—1803. 8.

J. Chr. Reil, Rhapsodien üb. d. Anw. d. psych. Curmethode auf Geisteszerrüttungen. Zweyte Ausgabe. Halle. 1817. —Fieberlehre. Bd. IV.

Reil und *Hofbauer*, Beyträge zur Beförderung einer Curmethode auf psych. Wege. 2 Bde. Halle 1807—1812. 8.

J. M. Cox, Bemerk. üb. Geisteszerrüttung. A. d. Engl. übers. und mit Anmerk.; nebst einem Anh. üb. d. Organisation d. Versorgungsanstalten für unheilbare Irrende, von *Reil*. Halle 1811. 8.

J. H. F. v. Autenrieth, Gründe gegen den Materialismus; in den Tübinger Blättern für Natur- u. Arzneykunde. Bd. II. St. 3. S. 289—383.

Traité du délire appliqué à la médecine, à la morale, et à la législation; par *F. E. Fodéré*. T. II. Paris 1817.

J. C. A. Heinroth, Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens oder der Seelenstörungen u. ihrer Behandlung; vom rationellen Standpuncte entworfen. 2 Thle. Leipz. 1818—1819. 8. — Anweisung f. angeh. Irrenärzte zu richtiger Behandl. ihrer Kranken. Leipz. 1825. 8.

Zeitschrift für psych. Ärzte etc. u. für Anthropologie etc. Herausg. von *Fr. Nasse* etc. Leipz. 1818—1826. 8.

Georget, üb. d. Verrücktheit etc. A. d. Franz. von *Heinroth*. Leipz. 1821.

Dr. C. G. Neumann, die Krankheiten des Vorstellungsvermögens, systematisch bearbeitet. Leipz. 1822. 8.

Dr. Mich. v. Lenhossek, etc. Darstell. des menschlichen Ge-

müthes in seinen Beziehungen zum geistigen u. leiblichen Leben. 2 Bde. Wien 1824 u. 1825. 8.

Dr. B. Rush's, med. Untersuch. u. Beobacht. üb. d. Seelenkrankh. Deutsch bearb. von *Dr. G. König*. Leipz. 1825. 8.

C. Ph. Hartmann, der Geist des Menschen etc. Zweyte Aufl. Wien 1832. 8.

§. 1422. Animae morbi, ut alii, in *substantivos* et *symptomaticos*, *primarios* et *secundarios*, *idiopathicos* et *sympathicos* distinguuntur; in *acutos* et *chronicos*, *continuos*, *remittentes* et *intermittentes*, periodicos; in *puros* (dynamicos dictos) et *mixtos* (materiales vocatos) morbo somatico junctos; in *singulos* et *complicatos*; in morbos *facultatis cognoscendi, sentiendi, volendi*; etc.

Ultima haec differentia adeo magni habita fuit, ut *Heinroth* suam *vesaniarum divisionem* eidem superstrueret. Ast minime praetervidendum esse censeo, adfectionem aut facultatis cognoscendi (intellectus ac rationis), aut facultatis sentiendi (animi), aut volendi (voluntatis) nunquam solam occurrere, sed utrique alteri semper unitam, et nonnisi quoad observationem ceteris duabus aut citius in conspectum prodire, aut majorem ac praedominantem adparere. Sive autem intellectus, sive animus, sive voluntas prius aut manifestius et cum praepondio a norma deflectat, *vesaniam defendere* solum convenit, quatenus anima facultate cognoscendi et ratiocinandi i. e. ratione, adeoque et suo, hac mediante, in voluntatem influxu destituta est. Absque hac enim conditione deflexus memorati non vesanias, sed errores (Irrungen), animi pathemata, furorem etc. aliaque vitia psychica sistunt.

§. 1423. Quare congruis rerum conceptibus stabiliendis opportunum esse duco, denominatione *vesaniae*, aut *insaniae* pro nunc definitis animae adfectionibus, quae proprium constituunt *genus*, designandis uti, singulasque earum *species* per adjunctum eminentis facultatum singularum adfectionis nomen notare. Species proinde

memoratu dignissimae modo sequente definiri possent: 1) *Amentia*, proprie vesania cum praevalente amentia; — 2) *Stultitia*, proprie vesania cum stultitia praeponderante; — 3) *Ecstasis*, proprie vesania cum eminente ecstasi; — 4) *Melancholia*, proprie vesania cum praevalente melancholia, seu vesania melancholica; — et 5) *Mania*, proprie vesania cum praevalente mania vel furore, seu vesania furibunda.

Vitia perceptionis, memoriae, imaginationis et phantasiae qua singulares functionum animae turbae ac defectus hic praetermittuntur, et nonnisi in vesaniae speciebus mox qua earum conditiones, mox qua symptomata concomitantia, considerantur.

§. 1424. *Species prima: Amentia* (Blödsinn) dicitur vesaniae species, in praedominante intellectus debilitate, vel defectu completo consistens. Ibi hebetudo mentis (Geistes- oder Verstandesschwäche), hic strictius amentia (ἀνοία *Heinr.*) vocatur. Pro varia gradatione et manifestatione adhuc in *fatuitatem* (Albernheit), universalem intellectus debilitatem infimamque institutionis capacitatem, cum animo adhuc mobili, mentisque sedula sed inani et scopo destituta activitate; in *stupiditatem* (Dummheit), eandem cum animo in transitorios modo adfectus incitabili, et judicio ad mechanica tantum negotia sufficiente; et in *idiotismum* (vecordiam, Stumpfsinn), eandem cum animi aeque ac corporis sensuumque externorum torpore, distinguitur.

§. 1425. *Characteres amentiae* sunt: attentionis defectus; perceptio debilis, lenta, imperfecta; imagines obscurae, incongruae; memoria debilis, phantasia languens aut deficiens; conceptus pauci, indeterminati, inconvenientes; incongrua, perversa judicia et ratiocinia; vel plenaria intellectus et rationis, nec non animi jactura; voluntatis imbecillitas aut inopia cum instinctuum naturalium praedominio, vel summo in morbi gradu submersione, abolitione. — *Externo* etiam

corporis *habitu characteristico*, facultatum mentis imbecillitati aut inopiae respondente amentia significatur, speciatim: musculis faciei, capitis, totius imo corporis relaxatis, habitu igitur neglecto, obtutu fixo, stupido, maxilla inferiore pendula ore hiante, capite pronato, flexa cervice et dorso curvato, brachiis flaccide pendentibus, genubus stando incurvatis, ingressu titubante, pigro, pedibus vix elevatis; loquela lenta, difficili, non distincte articulata; cachinnis et lacrymis, validis animi effervescentiis absque omni, saltem absque sufficiente ansa, animo alias gravissimis sub occasionibus immoto; more gerendi puerili, nugarum inanium actione; — habitu insuper cachectico, leucophlegmatico, alvo segni, et morbo in fastigium provecto illius sicut urinarum involuntario secessu.

Amentia gradus levioris, et sine dispositione hereditaria, per morbos febriles, exanthemata, insultus maniacos nonnunquam sublata fuit. Graves nevroses, apoplexias praesertim et paralyses, saepe antecedit; aeque saepe alias vesaniae formas tum acutas tum chronicas sequitur. Quae a connato cerebri nervorumque cerebralium pendet vitio, amentia insanabilis esse consuevit, vita ceteroquin saepe haud periclitante.

§. 1426. *Varietas amentiae* gradus altioris endemica, congenita et hereditaria, *Cretinismus* est. Hujus jam indicia recens nati praeseferunt in habitu externo admodum deformi, confluentia cachexiae et diatheseos rhachiticae (imprimis hydrocephalicae) atque scrophulosae lineamenta offerente, in lingua voluminosa, crassa, suctione laboriosa; tardius in dentitione serotina, struma, characteribus tandem amentiae tam physicis quam psychicis ceteris, supra enumeratis.

Cretinismus *endemicus* inter vallium angustarum et perquam profundarum incolas in regionibus alpinis ducatus Salisburgensis, Tyrolis, Styriae, Carinthiae, Helvetiae, Sabaudiae etc. invenitur. Minor illius gradus ap-

petitum effrenem, voracitatem, salacitatem, facilitatem in impetuosas iracundiae explosiones secumfert; altissimus completo sensuum, instinctuum naturalium, rationis ac voluntatis defectu stipatur.

J. F. Ackermann, üb. die Cretinen u. s. w. Gotha 1790. 8.
Jos. u. *Carl Wenzel*, üb. d. Cretinismus. Wien 1802. 8.
Dr. J. J. Kno'z, Prof. Beytrag zur Kenntniss des Cretinismus im Salzburgischen. In d. med. Jahrb. d. k. k. öst. St. Neuest. F. B. I. St. 1. u. 2.

§. 1427. *Species secunda: Stultitia* (moria, Narrheit) vesaniae species est, in praevalente intellectus alienatione, et quidem falsa variorum mundi physici et metaphysici objectorum ad aegrum, imaginationibus ridiculis detentum, relatione consistens. Dictis et actionibus manifestatur, non absurdas modo, innocuas tamen, imo ridiculas prodentibus imaginationes, sed harum etiam scopo minime respondentibus.

§. 1428. Stultitia falsam aegri, exaltatam de proprietatibus suis ac valore suo opinionem, imaginationes realitati contrarias, ridiculam sui ipsius illusionem *proximum* agnoscit *fontem*. Attentionis completae et amplae, perceptionis distinctae, comparationis et distinctionis exactae, nec non sui ipsius cognitionis inopia stipatur; hinc garrulitatem superficialem, agilitatem assiduam, fini suo non convenientem, vigore aut aptorum mediorum selectu destitutam, et animi effervescentias inanes citoque transitorias *comites* habet effectivos. Communiter sine febre, longe frequentius chronica quam acuta, aliquot continuare solet septimanis, donec aeger vel eadem minus vivide ast tanto tenacius prosequatur phantasmata, vel cum aliis commutet, vel mobilis ad varia transiliat.

In plenariam plerumque intellectus perturbationem tandemque in amentiam abit; aliquando in maniam permutatur stultitia.

§. 1429. *Species tertia: Ecstasis* (ecthymia *Heinr.*, das Aussersichseyn) ab animi exaltatione varii gradus

initium sumere consuevit. Haec autem in impotente aut penitus deficiente rationis in voluntatem imperio, atque praeponderante aut exclusiva voluntatis per sensus morales modum excedentes determinatione consistit. Altiorem gradum visiones multiplices, et ecstaseos, periodicae rerum externarum oblivionis (somniationis) accessus comitantur, sub quibus anima super omnibus mundanis quasi elata in metaphysicis volitat provinciis. *Somniatio vigil* non inepte ab *Heinroth* adpellatur.

Ecstasis ad varia mundi metaphysici refertur objecta, et vel intellectus imbecillitati, vel sensationum evagantiae, vel utrique unitae innititur. E cultura intellectus neglecta, deficiente rationis evolutione et usu, partiali nimiaque animi ac sensationum, eminentis in hyperaesthesiam et in metaphysica propensionis, cultura *proficiscitur*.

Simili ac stultitia modo *decurrit*. Nonnunquam in hanc, vel in maniam, vel in melancholiam transgreditur, et in amentiam quandoque fatiscit.

§. 1430. *Species quarta: Melancholia* (athymia *Sw.*, Melancholie, Schwermuth, Trübsinn) est vesaniae species cum praevalente animi depressi alienatione, per animum dejectum et continuam atque exclusivam phantasiae circa objecta, tristitia, moerore, anxietate, imo desperatione animam torquentia, occupatione sese manifestans.

Leviore adhuc malo, quousque conscientia constat, animi adflictio ansarum et objectorum realium rationem nonnisi intensitate ac duratione transgreditur; altioribus autem gradibus phantasmata causarum realium vices explent, ratio sensationum supprimitur pondere, languet voluntas, atque his solis determinatur.

§. 1431. Phantasmata variae quidem, plerumque tamen *tristis* sunt indolis. Pro iis, varioquè cum aliis vesaniae speciebus connubio melancholia: in *phantasticam* i. e. diversis vacuis, imo rationi sanae adversis aegri de proprio corporis statu imaginationibus juncta, v. gr. de

membrorum in ceram, vitrum, lignum transmutatione, usus adeoque impossibilitate etc.; *religiosam; demonomaniam*, cum imaginatione aegri, sese a daemone obsessum esse; *erotomaniam* seu melancholiam eroticam, circa amorem purum, ac omni instinctus sexualis implendi desiderio alienum occupatam; *attonitam*, stupidae in se ipsum retractioni junctam; *anglicam*, taedio vitae et in suicidium nisu stipatam etc. etc. Melancholia insuper jam *fixa* est i. e. phantasmatibus semper iisdem aut similibus adhaerens, jam *vaga*, *errabunda*; jam *pura*, jam maniae aut furori, consuetim cum nisu in suicidium, *consociata*; jam *acuta*, febrilis, jam *chronica*; *continua* aut lucidis cum intervallis *intermittens*.

H. Boerhaave, Aphorism. etc. §. 1089—1117.
Lorry, de melancholia et morbis melancholicis. T. II. Paris. 1764. Aus dem Lat. übers. von *C. A. Wichmann*, und mit einer Vorrede von *C. Ch. Krause*. 2 Bände. Frankf. u. Leipz. 1770. 8.

§. 1432. *Ratio* melancholiae *proxima*, jam ab *Aretaeo* non inepte adsignata, est continua fere et adeo exclusiva animae cum passionibus animi reapse causatis vel phantasia procreatis occupatio, ut aliarum a mundo externo impressionum et idearum receptivitatem exiguam offerat aut nullam. Conscientia inde aut omnis aut clara saltem deficit, voluntatis deperditur libertas, pigrities summa, aut actionum omnium vel saltem ad melancholiae objectum referendarum perversitas necessario *sequuntur*.

§. 1433. Melancholia si ex diathesi corporea, temperamento melancholico dicto, ex hypochondriasi cum organorum gastricorum aut cerebri morbo evolvitur, haud secus ac si ex inimicis in animam actionibus profecta notabile per tempus jam perstitit, mutationibus varii gradus in corpore effectivis *manifestam* se reddit. Habitus scilicet externus pallidus, flavicans, aut terreus; obtutus moestus, timidus, languidus, inconstans, aliquando fixus et minax; cutis sicca, densa, in extremitatibus inprimis

tactu subfrigida; corporis emaciatio; humorum circulus lentus; respirium difficile; functionum naturalium motuumque voluntariorum languor, inertia; sensus communis ceterique obtusi; tremores, cardiopalmus, pavores a minimis impressionibus, spasmi tonici et clonici, in conspectum prodeunt.

§. 1434. Melancholia, speciatim ex morbo corpori profunde impacto propullulans, admodum diuturna esse consuevit. Nonnunquam initio aperte febrilis, comparentibus brevi evacuationibus criticis perfecte quandoque tollitur. Sed febre quoque carens, diversis sub excretionibus, comparentibus efflorescentiis cutis chronicis, vel morbis febrilibus fortuito ingruentibus etc., nec non ex animi pathematibus profecta per concitatos animi motus illis oppositos, non raro *sanatur*. Ast saepe nimis in maniam, amentiam, vel in apoplexiam, epilepsiam, catalepsin, paralyses *transit*, quibus aeque ac cachexiis diuturnis: hydrope, scorbuto, tabe et s. p. evolutis, tandem *lethalis* evadit.

In cadaveribus sectis jam nulla, jam varia, certe non semper causalia sed effectiva quoque inventa sunt vitia. Spectant huc congestionum ac inflammationum in cerebro et meningibus, aut in corde, vasis majoribus, aut in variis abdominis visceribus, praecipue in hepate, sequelae: adhaesiones, indurationes, emollitiones; extravasata seri, lymphae, sanguinis; ossificationes; vasorum distensiones, varices; hydatides in plexu choroideo etc.

§. 1435. *Species quinta: Mania* (ecbulia *Heinr.*, furor, die Tobsucht, Tollheit, Raserey) eam sistit vesaniae speciem, quae cum praedominante voluntatis illiberae, respuentis impetu incedit, et effreni destruendi conatu manifestatur.

Communem cum omnibus vesaniae varietatibus conscientiae clarae et spontaneae voluntatis defectum offert, coeco autem et impetuoso in actus vehementes ac destructivos nisu eminet.

Boerhaave, aphorism. etc. §. 1118 — 1127.
Pinel, *Arnold*, *Reil*, *Heinroth* in opp. cit.

§. 1436. Mania igitur conceptuum et cognitionis aberrationibus *acquiescit;* unde ex amentia et melancholia suam non raro ducit *originem.* Animi effervescentiis adeo constanter stipatur, ut *Cullen* imo proximam maniae rationem hoc in symptomate inveniri arbitretur. Inchoantem ac progredientem *denotant:* pervigilium continuum, cephalalgia vehemens, vertigo, obtutus oculorum rubicundorum, splendentium, ac rotatorum ferox, dentium stridores, tremores palpebrarum totiusque corporis, acceleratus et impetuosus humorum circulus, cardiopalmus, respiratio citata ac laboriosa, sitis magna, alvi retentio, sensus ardoris in intestinis, per pectus sensim ad collum et caput adsurgens, quem, ut *Pinel* animadvertit, furoris insultus excipit.

§. 1437. Mania impetus facit jam regulares, jam irregulares, quos in principio brevissima tantum *(mania acuta)*, successive longiora sequuntur intervalla quieta. Illi per horas plerumque aut dies singulos durant, quandoque tamen in septimanas et menses, intervallis fere destituti, protrahuntur *(mania chronica)*. Durante insultu maniaci fortiter clamitant, ejulant aut cachinnos edunt, blaterant, blasfemias effundunt, dentibus strident, corpus aut membra singula valide exagitant, vincula, catenas et sic p. mordicant, in se ipsos et, quoscunque arripere valent, homines vicinos, animalia variaque objecta furendo violentas exercent manus. Hominibus non raro subdole truculentas struunt insidias. Sunt, qui absque furore solum murmurant, dentibus strident, et tetanicam fere musculorum omnium tensionem exhibent (mania *occulta* sive *clandestina)*; qui nihilominus quemvis incaute approximantem derepente ac ferociter invadunt, immaniter laedunt imo trucidant. Vires eorum musculares durantibus insultibus in taurinas augentur modo vix credibili. Insultus quies corporis ac animae, non raro gravis debilitatis

et relaxationis symptomata, imo ad lipothymiam usque sequuntur. Aegri sub insultibus actorum postea consuetim non recordantur, hinc inde tamen eorum memoria recurrit obscura et infida.

§. 1438. Mania acuta non raro feliciter *sanatur*; saepius vero chronica evadit, et in melancholiam aut amentiam *transgreditur*; alias insultibus validis cito sese excipientibus per convulsiones, apoplexiam, virium exhaustionem, longiore morbo atque minore insultuum rariorum sub vehementia per cachexias, speciatim tabem, phthisin, hydropem, scorbutum, in *mortem* terminatur.

§. 1439. *Dispositio* in vesanias saepe congenita occurrit; et momenta causae excitantia cum generalibus nevrosium (§. 1332.) multum conveniunt, hae enim vesaniis symptomaticis saepe junguntur, et in vesanias transeunt. Attamen dispositio in vesaniam vel maxime in animo admodum mobili et irritabili, intellectu exiguo, ratione debili et non culta, mentis cultura laterali, voluntatis firmae et in se ipsum dominii defectu, charactere fluctuante offenditur; et communissimas causas excitantes in validissimis animi adfectibus, vehementibus aut diuturnis pathematibus, subita, frequente utrorumque alternatione, meditatione intensa, immodica mentis de objectis unisonis, praecipue inclinationi non convenientibus aut plane adversis occupatione, magno sensualitatis imperio, moribus ac consuetudinibus pravis, excessibus omnis generis specialius in instinctu sexuali et potuum spirituosorum haustibus, indicare licet. — Scriptorum nonnullorum (*Burrow, Spurzheim, Georget, Lawrence*) opinio, omnes animae morbos, et cunctas vesaniae species unice a materialibus in cerebro mutationibus pendere, adeoque variis a potentiis nocivis materialibus et dynamicis nonnisi mediate oriri, tum per animae humanae immortalis substantivitatem et spontaneitatem, tum per observata refutatur quotidiana, quibus testibus vesania influxibus psychicis, quales ante nominabantur, subito nonnunquam producitur, et aeque cito sa-

natur, atque in cadaveribus non raro ne minima quidem materialis reperitur alienatio, quae de collata in vesaniam faciendam et sustinendam symbola modo rationali inculpari posset (v. *Autenrieth* l. c.).

Specialius *in amentiam disponunt* status supra delineatus, temperamentum phlegmaticum cum memoriae imbecillitate maxima aut defectu; — *in stultitiam* subtilissima erga impressiones externas receptivitas, temperamento plerumque sanguinico juncta, attentio superficialis, volatilis, vanitas, nimis attenta sui ipsius, suarumque corporis ac mentis praerogativarum, realium aut imaginariarum, contemplatio, aestimatio; — *in ecstasin*, temperamento vigente melancholico, nimia animi sensibilitas, sensationum exorbitantia, subjugans ceteras mentis facultates phantasia, hujusque praedilecta de objectis metaphysicis occupatio; — *in melancholiam* eminens animi in passiones propensio, dispositio hypochondriaca, intellectus, rationis ac voluntatis debilitas; — *in maniam* denique, temperamento cholerico aut sanguinico-cholerico praevalente, magna in sensuum voluptates, in animi motus inclinatio, mentis fatuitas, arbitrium pertinax, instinctuum animalium, sexualis maxime, praepondium.

Quum dispositio specialis gravissimi sit momenti, *causarum occasionalium* paucae noscuntur, unam aut alteram vesaniae speciem exclusive provocando pares. Generatim igitur sequentes memoratu dignae: impressionum in sensuum organa penuria, defectus, intensitas aut duratio nimia, frequens iteratio, impressionum diversarum atque repraesentationum iis sollicitatarum alternatio nimis rapida; animi dotum cultura aut neglecta aut inaequalis, omnium aut singularum imprimis mentis facultatum usus neglectus, immodica intensio; attentio generatim deficiens, aut nimium protracta et exclusiva mentis de ideis aut phantasmatibus iisdem vel adfinibus occupatio; omnis nimis vehemens aut saepe recurrens animi adfectus, validum aut perstans pathema, libido quaecun-

que effrenis, speciatim non sedata; omnis nisus rationem subjugans; insignis inter singularum systematis nervosi provinciarum v. gr. gastricae et cerebralis, tenorem et functiones, quemadmodum somaticam et psychicam inter vitam, disharmonia; — potentiae nocivae porro, morbi et morborum symptomata, quibus cerebri, nervorum sensuum, aut et reliqui systematis nervosi totius reactio ultra modum incitatur, debilitatur, exhauritur aut impeditur, aut in modo ac debita ad totum relatione alteratur, uti sunt: partium systematis nervosi mox nominatarum aut continguarum irritationes, inflammationes cum earundem malis posthumis, humorum congestiones activae et passivae, paralyses; acutae et lentae per narcotica intoxicationes; tumores, excrescentiae prementes, tendentes, vitiata conformatio etc. etc.

§. 1440. *Prognostica* scitu necessaria ex iis, quae de vesaniis earumque speciebus hucusque proferebantur, sponte fluunt; praedictio ipsa prudentem praesidiorum generalium pensitationem sibi expetit. Ex supra indigitatis elucet, de maniaca praesertim, de melancholica et ecstatica vesania, rarius de stultitia valere adsertum ab *Esquirol* (Journ. général de Méd. etc. Paris 1814 T. 50.) de vesaniis in genere pronunciatum, has nimirum, aliorum morborum adinstar regulares celebrare *periodos*, certumque durare tempus; omnes totius organismi vires pro earum fine inducendo esse activas, huncque per resolutionem sive *crises* perceptibiles physicas vel morales inferri posse; atque crisium imperfectarum sequelam vesaniam esse imminutam aut chronicam. *Esquirol* remissioni, sub finem primi mensis accedere solitae, summam dicare suadet attentionem.

§. 1441. Vesaniarum *cura* indicationes generales implendo absolvitur. Quare causas excitantes, seu physicae seu psychicae, potentiae nocentes aut morbi fuerint, amovere, enervare, aut pro possibili coërcere oportet. Hoc solum concesso pertinax vesaniae perseverantia

metuenda, vel ejusdem in nevrosin commutatio hinc inde expectanda est. Tractamen in causas per earum naturam, sedem, actionis durationem, habita simul totius status aegri individui ratione, dirigendum. Fusior ejus respectu causarum physicarum variorumque morborum expositio superfluam sisteret repetitionem. Diaeta simul totumque regimen ordinandum est, sanationem secundans. Hunc in finem statum praegressum ac praesentem aegri physicum et psychicum, externasque relationes, nec non influxuum ad regimen diaeteticum spectantium singulorum agendi rationem probe ponderare oportet. — Ubi vitia organica sanationem respuentia fontem vesaniae suppeditant, therapia saepe haud alia, quam ad arcendas potentias nocivas, diaetam ac regimen conveniens statuendum, atque methodum psychicam, speciali imprimis vesaniae adaptandam, sapienter et constanter dirigendam, circumscripta superest.

Ut et vesanus ipse et alii a violentiis, imo nece inferendis, ab incendio etc. praemuniantur, *continuo et strictissime illi invigilare*, liberum cum hominibus commercium praescindere, cultros, fuscinulas aliaque tamdiu denegare illi necesse est instrumenta, donec ex morbi statu de innocuo et prudente eorum usu plena capiatur certitudo.

§. 1442. Causis materialibus, et morbis somaticis topicis aut universalibus v. gr. intumescentiis, humorum congestionibus, plethora etc., ad alendam saltem vesaniam facientibus, ablatis vigore *indicationis secundae* morbosas animae functiones in statum reducere normalem opus est. Methodo id conandum partim indirecta, partim directa, psychica. Illa in irritabilitatem, sensibilitatem, reactionem morbosam, vel stuporem, inertiam, debilitatem, vel dysphoriam totum per systema nervosum aut in singulis modo ejus partibus praevalentem, causalem vel accidentalem, ope remediorum singulis oppositorum auferendam tendit; methodus vero directa conatus invol-

vit, normalem animae functionum spontaneitatem, ordinem atque harmoniam mediantibus impressionibus, conceptibus, sensationibus, judiciis ac ratiociniis certis et definitis, in aegro cum intentione sollicitandis, adaequata instinctuum ejus, propensionum, ac voluntatis directione, et studioso unius alteriusve facultatum et functionum mentis vel moderamine, vel provocatione, usu, corroboratione restituendi. — Hac ducente indicatione in expositarum vesaniae specierum therapia modo sequente procedendum:

Amentiam, sine dispositione hereditaria, etiam causis excitantibus ablatis, emendato, mutato domicilio etc., sanare casu rariore, et imminuere quandoque solum pedetentim contingit, indefessum constantissime eo dirigendo laborem, ut amens infantis adinstar secundum adaequatam educationis normam tractetur, sensus ejus sedulo occupentur et usu perficiantur, attentio primum in objecta sensus potenter ferientia, post successive in alia animum potius adficientia conducatur ac diutius iisdem figatur, loquela exerceatur, perficiatur, mentis facultates excolantur assiduo cum hominibus sanis commercio et institutione, firmetur voluntas, et opprimenti instinctuum animalium, libidinum et adfectuum effervescentium imperio pedetentim subtrahatur, liberetur.

Cretinismus diathesi congenitae innixus, in regionum alpinarum superius nominatarum vallibus obvius, per tractamen idem psychicum nonnisi, rebus fauste cedentibus, imminuitur. Secundant emendationem tempestiva infantum in regiones aut planas, aut modice montosas et patentes translatio, diligens munditiei rerumque salubrium cunctarum cura, educatio intuitu physico et psychico conveniens, corroborans tam externa quam interna curandi ratio.

§. 1443. In *stultitia* plurimi interest, ut aeger de se nimium occupatus per adcommodatos corporis labores et mentis exercitationes attentioni in objecta determinata

adsuefiat, erroneae ejus de se ipso corrigantur opiniones, phantasmata de praerogativis illusoria destruantur, in sensum moralem et intellectum negotia rite peracta laudando, mercede quadam honorando, exhortationibus, ratiociniis, conversatione accepta agatur, propositionum autem rationalium incapax, aut monitis praeceptisve renitens ad ea, quae saluti conveniunt, leniter quoque stringatur.

§. 1444. In *ecstasi* therapiae cardo circa tollendam animum inter et intellectum disproportionem versatur. Hinc mentis cultura generatim promovenda, atque vesanus speciatim aut exclusive de vera objectorum sensationis extravagantis conditione et valore reali informandus, sicut de necessitate convincendus est, penes metaphysicorum aut coelestium contemplationem mundana sublunaria non penitus negligendi.

§. 1445. In *melancholia*, amotis causis somaticis, in inquietudinem et anxietatem multum urgentem pacantia, imo narcotica celebrantur, ut: aqua frigida, decocta rad. alth., salep, emulsio amygdalina, limonada tenuis, — extract. hyosc., belladonn., cicut., stramon., aq. laurocerasi; indicatio autem princeps est, animum adflictum, depressum erigere, liberare, in hilaritatem disponere. Consuetim prius in corpus agendo anima recipiendam in curam psychicam praeparetur necesse est. Huic inserviunt scopo: aër purus moderate calidus; habitatio lucida, sole illustrata, patens; balnea tepida, perfusiones frigidae, sinapismi, vesicantia, ung. e tart. emetico, errhina et sternutatoria, electricitas, galvanismus; internae modicae vini laetificantis portiones, pharmaca aromatica leviter incitantia, quemadmodum: valeriana, melissa, chamom., menth., lavandul., crocus, chenopod. ambrosioid. etc.; — morbo jam diuturno et systematis gastrici inertiae conjuncto emetica, purgantia fortiora, remedia alia plexus abdominales potenter irritantia et alterantia, uti arnica, gratiola, heleborus niger,

sulph. aur. antim., kerm. miner.; methodus nauseam faciens, immerito pene oblivioni tradita, per parvas tartari emetici, ipecacuanhae, zinci sulphurici, etc. doses; externe enemata solventia, irritantia, fonticuli, setaceum, moxa, subita et inopinata in aquam frigidam immersio (juxta *Helmontium*, *Willisium*, *Boerhaavium*); actio in gyrum, in sella rotatoria aut in lectulo rotatorio, celerius ac fortius agente sed et pulmonibus facile nocivo, oscillatio. — Ceterum et vel maxime, ubi melancholia causas agnoscit morales, summa cum patientia et constantia eo adlaborandum est, ut aegri attentio ab imaginationibus fixis ad repraesentationes reales ac reminiscentias dilectas per objectorum illum circumdantium cum novis commutationem, per labores corporis et mentis occupationes congruas, encomia et dona adaequata, personarum gratarum consortium, expositiones ac persuasiones praesertim intervallis liberioribus aut plane lucidis, magicos musicae concentus, lusus leviores, librorum exhilarantium lectitationem derivetur; ut de phantasmatum suorum vanitate convincatur, vel per impressiones repentinas circumspecte tamen institutas in excitandos agatur adfectus, animo ejus alium, etsi non directe priori oppositum, tenorem impertiendo idoneos. Haec moliturus melancholicos alios medicus hilariter, blande, facile, alios serio, rigorose, constanter tractet et quandoque sese directe opponat eorum phantasmatibus, necesse est.

§. 1446. Therapia *maniae* duplex est, insultuum scilicet, et morbi totius sub illis lucidisque sub intervallis. Sub insultibus maniacum ope thoraculi aut cingulorum aut in sella propria firmiter continere, atque, ne sibi aut aliis vim inferat, impedire oportet. Quies ac tenebrae, nec non aqua subfrigida et acidula, si affatim ingeritur ad insultus infringendos brevioresque reddendos multum faciunt. Plethora, ingens sanguinis ad caput congestio, chronica cerebri aut meningum irritatio, inflammatio etc. s. p. maniam producentes vel ad eam saltem conferentes

sanguinis aliorumque humorum depletionibus, epithematibus dein frigidis, lotionibus, perfusionibus capitis, methodo in genere antiphlogistica et derivante accommodata tempestive auferantur; omnes influxus quacunque via corpus et animum irritantes, praesertim speciali ad morbum relatione gaudentes, quam studiosissime proscribantur; hinc habitaculi aut domicilii permutatio saepe absolute requiritur. In subjectis junioribus, robustis antehac sanis insultus hac medendi ratione non raro pedetentim mitescunt, cessant, et mania aliorum morborum acutorum more criticis sub excretionibus tres, quatuor, sex intra septimanas perfecte sanatur. Crisi vero imperfecta, intercepta, aut prorsus deficiente morbus, utut rarioribus cum invasionibus continuat, characterem magis minusve inflammatorium retinens, vel nervosum induens, atque tunc certis periodis exasperari solitus. — Debilitate universali cum erethismo inculpanda protractus remediorum tonicorum systema nervosum praeprimis erigentium, et narcoticorum, apte combinatorum vel alternantium usus indicatur. — In potatorum mania opii virtus excellit.

His methodus psychica conveniens semper adjungenda est. Quae maniae originis moralis sanationi, penes vitae regimen exacte definitum, saepe sola sufficit. Pro circumstantiis ceterum jam fames insuper, jam oscillatio juxta *Cox*, faciei obtectio, motus in rota cava, imo in casibus admodum rebellibus cum circumspectione ac securitate, ut supra monui, instituenda maniaci in aquam frigidam demersio repentina, et quousque secure conceditur, in eadem detentio, vel hujus loco aegri denudati perfusio cum aqua frigida, ab altitudine sex, duodecim pedum projicienda, maniacis domandis et pacandis egregie conducunt. Poenae corporeae nonnisi maniacis ratione non penitus orbatis, malevolis ac subdolis, iisque generatim conveniunt, qui non gravamina solum sentire, sed finem quoque illarum perspicere valent. Insultuum decremento imminuenda quoque respondeat vis

adhibita, et tractaminis pharmacorum ope intensitas. — Intervallorum tempore maniacus strenua et secura sub invigilantia continuo custodiatur, atque omnes eo dirigantur medentis conatus, ut aegri cerebrum methodo antagonistica, in melancholiae tractamine exposita partim in cutem et intestinum rectum, partim in plexus abdominales conversa, irritante et alterante liberetur, virium systematis irritabilis abundantia laboribus corporeis impendenda consumatur, animi quies tractamine congruo invitetur, atque cuncta eum de novo concitare valentia, uti: hominum plurium praesertim peregrinorum adspectum, maniacorum aliorum impetus et clamores, strepitus quosvis etc., studiosissime praepediendo conservetur, rationisque in ferociam involuntariam imperium occupatione, amicorum gratorumve commercio, institutione revocetur.

§. 1447. Sub *convalescentia* ut praecaveantur vesaniarum recidivae, earundem, quibus sanationem impetrare contigit, medelae rationum pharmaceuticarum, diaeteticarum, psychicarum, vel duarum saltem posteriorum continuatione longa opus est. Convalescentiam debite consolidatam ne credas, nisi animus per aliquot septimanas constiterit ex integro pacatus, somnus absque insomniis gravibus, et protractus, humorum circulus non concitatus, sitis famesque normales fuerint observatae, alvus quotidie, feminarum menses rite secesserint.

ordo V. *Nevroses cum motuum muscularium aberrationibus.*

§. 1448. Aberrationes motuum muscularium *vel* motibus nimis alacribus, nimis fortibus, inordinatis, involuntariis, *vel* justo segnioribus, debilioribus, aut plenaria eorum impotentia in conspectum prodeunt. Ibi *spasmum* (crampum) in genere, hic *atoniam muscularem* gradu leviori, *paralysim* altiori exhibent. Inde morbi

huc spectantes in *duo* dispescuntur *genera: spasmos* et *paralyses.*

Genus I. Spasmi.

§. 1449. *Spasmi* nomine generatim designatur morbus, motibus musculorum aut partium musculosarum involuntariis, quoad intensitatem ac extensionem debito majoribus, nimis acceleratis, inordinatis sese manifestans. Sensu autem angustiori *spasmus tonicus* distinguitur a *clonico* seu *convulsione;* in illo contractio continua musculorum, in hoc contractio et relaxatio alternantes obtinent.

Utut spasmus latissimo sensu cunctas corporis offendere possit partes, quatenus eae vigore texturae organicae facultate gaudent sese contrahendi, breviores reddendi ac densiores; ex eo tamen, quod facultas haec admodum distincte in textu celluloso percipiatur, nondum sufficiens fluit ratio, cum Prof. *Clarus* *) concludendi, veram spasmi sedem in textu celluloso esse quaerendam.

§. 1450. Phaenomena, quae spasmos circumdant, *essentialia* habentur: musculi contracti fiunt breviores, tumidi, duri; dolent; unde pro partium spasmo agitatarum aut tensarum diversitate convulsiones, distractiones, distorsiones, tensiones, angustationes etc. efficiuntur; *non essentialia:* pulsus durus, contractus, subpressus, inaequalis; febris, alvi ac transspirationis cutaneae suppressio, cutis sicca, frigida, urinae largae, tenues, limpidae etc.

§. 1451. Spasmi tam tonici quam clonici jam *universales*, per totum expansi organismum, jam *locales*, ad singulas circumscripti partes occurrunt. Non varias solum inde trahunt *denominationes*, sed diversis etiam *phaenomenis* stipantur.

*) Der Krampf in pathol. und therap. Hinsicht systematisch erläutert. Thl. I. Leipz. 1822. 8.

Spasmus tonicus universalis, tetanus (Starrkrampf, Todtenkrampf) in musculorum capitis, colli et cervicis, trunci ac membrorum contractione involuntaria, perstante consistit. Manifestatur immobilitate et rigiditate corporis totius persistentibus, summe dolorificis, corpore simul vel communiter recte extenso, vel rarissime antrorsum inclinato (*emprosthotono dicto*), vel aeque raro retrorsum tracto (*opisthotono*), quam in alterutrum latus incurvato (*pleurothotono*), supervenientibus per intervalla validioribus adhuc singulorum aut omnium fere musculorum contractionibus cum cruciatuum augmento pene intolerabili, gemitus, lacrymas, ejulatus clamosos exprimente, quae unum aut duo post temporis minuta prima remittunt, morbo ingravescente intensiores ac frequentiores, decrescente mitiores rarioresque recurrunt, quemadmodum specialius adhuc exponetur.

Spasmus tonicus localis observatur: in palpebris cum oculorum praeclusione; in bulbis cum retractione eorundem aut directione obliqua; in musculis faciei, qui si labiorum oris anguli utrinque aures versus retrahuntur, osque sic illud canis dentes porrigentis aemulatur, *spasmus cynicus* audit; in masseteribus et temporalibus, *trismus* vocatus; in musculis colli ac cervicis cum capitis vel situ obliquo vel reclinatione; in musculis pharyngis cum dysphagia (spasmodica); in illis laryngis, tracheae, bronchorum cum dyspnoea aut asthmate (spasmodicis); in sphincteribus ani et vesicae urinariae cum alvi urinarumve retentione; in musculis artuum etc.

Spasmorum partes singulas occupantium tum tonicorum tum clonicorum plerique vel variorum sistunt symptomata morborum, in quorum expositione ipsi eorumque significatus ac therapia partim jam occurrerunt, partim adhuc pertractabuntur; vel dispositione consimili favente iisdem ac nevroses in genere et tetanus in specie, causis procreantur, juxta analogos dijudicantur respectus, et juxta indicationes generales modo analogo curantur.

Citra *tetanum* igitur et *trismum* hic momentosiores solum, *specierum* dignitate donati adhuc lustrabuntur, *asthma* nimirum, *incubus*, *pertussis*, *singultus*, *palpitatio cordis*, *vomitus*, *raphania* et *chorea St. Viti.*

§. 1452. *Gradus* spasmorum minimum inter et altissimum summopere variat.

Decursus jam continuus est, actione causae perstante, vel febre aut inflammatione essentiali modo adjuncta; jam remittens, plerisque in casibus; jam intermittens et quidem periodo nunc regulari nunc irregulari, ubi spasmi aut febris intermittentis symptoma vel larvam sistunt, aut chronici jam evaserunt.

Duratio plurimum diversa. Accessus singuli intra angustum minutorum aut horarum paucarum terminum nonnunquam continentur, morbus vero totus saepe nimis in annos protenditur, utut remissionibus tunc gaudens ac intervallis omnino liberis.

Spasmi vel *in sanitatem* abeunt crisi nunc lenta nunc celeri, nunc resolutoria nunc excretoria maxime per sudores et urinas; vel in nevrosos alias praesertim graviores spasmorum formas, aut in vesaniam, in paralyses *transmutantur;* vel immediate aut mediate *in mortem* terminantur.

§. 1453. *Therapia* spasmorum magnis non raro premitur difficultatibus, partim quia dispositio in eos hereditaria vel adquisita ad naturalem quasi aegrotantis constitutionem pertinet, vel causae excitantes amoveri, ulterius evitari nequeunt; partim quia spasmi diuturni profundissimas in universo organismo figunt radices; partim quia natura spasmorum nequaquam adhuc liquet. Non enim haec per opinionem eorum, perfecte illustratur, quibus nonnisi in lucta inter factorem systematis irritabilis expansivum et contractivum, et quidem contractione in spasmis tonicis expansionem superante, exaltata simul systematis nervosi irritabilitate, haerere contenditur. In casibus igitur permultis indicationes curam ducant gene-

rales necesse est. Secundum has causae occasionales et, ubi adfuerint, complicationes inopportunae auferantur, morbus principalis febrilis inflammatorius, nervosus, organicus etc. fortasse mali fontem sistens, modo characteri, gradui, stadio conveniente tractetur, nec non spasmi sedes, status totius systematis nervosi, sanguiferi et assimilatorii simultaneus, atque effectus illo jam inducti, attenta considerentur mente. Licet enim remedia emolliendo, relaxando deprimentia, narcotico-pacantia, alterantia, sicut incitantia aromatica et spirituosa, tandem epispastica varia externa in spasmos plurimum celebrentur, cuncta tamen non solum absolute antispasmodica haberi nequeunt, sed etiam contra indicationem adhibita spasmum imo augendo, aliaque adhuc ratione declarari damnosa debent.

Spec. 1. Tetanus.

§. 1454. *Tetanus* nobis rarus, in zonis autem torridis inter tropicos frequens morbus est, continuus per vices vehementer exacerbandus, periculo plenus, saepe lethalis.

W. Trnka de Krzowitz, commentarius de tetano. Vienn. 1778. 8.
Rush, über den Starrkrampf etc.; in d. Samml. auserl. Abh. f. pr. Ärzte. Bd. II. S. 703.
W. A. Stütz, Abh. üb. den Wundstarrkrampf. Stuttg. 1804. 8.
Cullen, *Haase*, in d. a. W.
Clem. Schwarzer, diss. de tetano. Vien. 1814.
C. M. Mayrhofer, diss. inaug. pathol. therap. de tetano rheumatico. Vindob. 1832.

§. 1455. Annunciant tetanum universalem: subito plerumque ingruens tensio in nucha, dein in dorso superiore cum aliquali capitis retractione, tensio dolorifica sub cartilagine ensiformi, ad angulos maxillae inferioris, cardialgia, cephalalgia, vertigo, amblyopia, dyspnoea, anxietas, cordis palpitatio, pulsus irregularis, frigus,— a laesione ortum (traumaticum) insuper siccitas vulneris, dolores ab hujus loco juxta nervorum situm protensi,

subsultus tendinum, musculorum convulsiones. Post horas, rarius post unum alterumve nycthemerum spasmus tonicus a nucha, dorso, sterni adpendice ad masseteres ac temporales, linguae radicem, ad musculos dorsi, pectoris, intercostales, abdominales, diaphragma, postea ad extensores membrorum, ultimo ad digitorum flexores propagatur, symptomatibus tunc circumdatus supra (§. 1451.) memoratis. Incerta post remissionum intervalla exacerbationes irruunt, paucis utplurimum minutis durantes, raro mediam excedentes horam. Sub his corpus modo supra dicto summis cum cruciatibus tenditur aut curvatur, temperatura ejus perstante facies vel rubet lugubris et distracta, turget, imo livescit, vel pallet, sudore frigido tegitur, respirium difficile redditur, inaequale, anhelosum, lingua maxillis trismo detentis in ore reclusa vel inter dentes compressa, saucia haerens, loquela saepe praepedita, praesentia animi obfuscata vel suspensa, somnus inquietus, interruptus, pulsus jam non mutatus, jam lentus aut acceleratus, inconstanter intermittens, alvi urinarumque excretio contractis sphincteribus cohibita, in viris involuntariae non raro seminis expulsiones. Finitis hujus modi exacerbationibus cuncta remittunt symptomata; aeger dolores hinc illinc lacerantes, membrorum formicationes et stuporem, dedolationem universalem sentit, et inquietus motum peragere tentat. Successu fausto symptomata recensita exacerbationibus frequentia et intensitate et duratione decrescentibus magis magisque mitescunt, ac pedetentim cessant omnia; et die 3^{tio}, 7^{mo} ad 14^{tum} usque somnus profundus, quietus, reficiens, sudor largus, liberae alvi urinarumque evacuationes morbum dissipant. Quandoque tetanus in convulsiones, et his primo solutis in *sanitatem* abit. Rebus autem male cedentibus vehemens evolvitur febris, exacerbationes memoratae citius ac ferocius repetunt, vel fortibus sub convulsionibus apoplexia aut orthopnoea suffocatoria, vel sine his exhaustio virium massaeque

humorum dissolutio intrant, morbo alioquin maxime periculoso *lethalem* imponentes finem.

§. 1456. De *differentiis* spasmorum in genere superius memorata etiam de tetano valent. Qui raro *purus* ac *substantivus*, utplurimum potius morbis aliis, mox nominandis, junctus occurrit, iisque passim productus, adeoque *complicatus*, *symptomaticus*. Morborum principalium partim residua, partim spasmi effectus et sequelae sunt, quas *cadaverum lustratio* detexit, nullum adhuc in recludendam tetani naturam momentum largita.

§. 1457. *Dispositio* in tetanum a generali ad nevroses non discrepat. *Causae* excitantes communissimae sunt: laesiones praecipue nervorum ac tendinum per ictus sclopetarios, contusiones, lacerationes, fracturas ossium complicatas, corpora peregrina acuminata, acuta aliave adacta vulnerique inhaerentia, ponderosiorum gestatio onerum; refrigerationes subitaneae praegresso imprimis aestu; aër admodum corruptus v. gr. in aegrorum cubiculis nimium repletis; irritamenta gastrica varia, vermes, venena acria; metastases praesertim in medullam spinalem factae; excretionum variarum suppressiones; substantiarum narcoticarum abusus; animi adfectus vehementes, imprimis terror; organorum nerveorum phlogoses, ut encephali, medullae spinalis (*Fernelius*, *Reid*, *Harless*, *Brera*, *Bergamaschi*, *J. Thomson*); omnis morbus summos secumferens dolores; omnis operatio valde dolorifica; hydrops ventriculorum cerebri; hysteria gradus altioris; larvatae febres intermittentes.

§. 1458. Sicut spasmorum generatim ita et tetani *naturam* eruere nondum licuit. Hypothesis, in systemate musculari factorem contractivum summo praeponderantem gradu, excedentemque in systemate sensibili receptivitatem subesse, explicationem omnibus numeris absolutam haud suppeditat. De medullae spinalis aut involucrorum ejus phlogosi adsertum de singulis modo valet tetani casibus, quemadmodum origo ex causis diversis, §. 1396.

et praegresso indicatis aperte comprobat, et in cadaverum sectionibus per *Carmichael*, *C. Wenzel*, *van Dekeere*, atque per me institutis visa et reperta confirmarunt. An non veritati propius accederet opinio, causam tetani proximam in valida haerere apparatus motorii praesertim extremitatum, aut et capitis vel trunci irritatione, jam immediata, jam per nervos functioni illius dirigendae dicatos mediata, idiopathica aut sympathica, quae, sive simplex, sive inflammatoria, sive nervosa fuerit, aut psychica, contractionem praevalentem ac constantem producendo, atque normale intermusculorum consociationes aequilibrium auferendo, voluntatisque imperium eludendo sese parem ostendit? Certum est, opinionem de irritamento ac potente ab eo irritatione therapiae simplici ac solidae plurimum favere.

§. 1459. *Prognosis* majorem in partem infausta; plerisque enim in casibus tetanus lethalis est. Minus ominosus censendus, qui nostro in climate a refrigerio, qui a validis animi motibus, a saburra gastrica, vermibus, hysteria suam repetit originem. Utut decursu infausto mors cito, die tertio, quarto ingruere jam consueverit, duratio tamen ultra quartum protracta nycthemeron plenariam nondum praebet ab eventu deplorabili securitatem.

§. 1460. In *therapia* tetani secundum indicationes pro spasmorum cura in genere supra (§. 1453.) statutas procedendum est. Hinc *primum* causae excitantes, sustinentes auferendae, adeoque v. gr. corpora peregrina impressa, clavi, aculei, festucae ligneae, osseae, irritamenta gastrica etc. tollenda, nervus, tendo incisus plenarie transscindendus, suppressae humorum excretiones restituendae, supplendae sunt. In tetano per refrigerationem inducto non admodum intenso, febre tunc moderata stipari solito, ratio medendi antiphlogistico-diapnoica, dein pacans, sopiens et diaphoretica auxilio est. Cedunt hunc in scopum balnea calida simplicia, emollientia, cataplasmata hujusmodi juxta spinam dorsalem applicata, infusa, decocta emollientia cum liquore Minde-

reri, liq. corn. cerv. succinat., potus emollientes tepidi; pulvis Doweri, serius pro necessitate cum moscho, camphora, sale volat. corn. cerv., frictiones simul cutis moderatae siccae, vesicantia ad nucham. Balneis, ne motus exasperet potius spasmos, aeger linteis impositus immitti debet, hisque a vasis fundo distans quoad possibile immotus sustineri. — Causis, malo principali fortasse inflammatorio, complicationibus abactis, aut non abigendis, infringendis *altera* obtinet *indicatio*, in nervorum irritatorum sensibilitatem deprimendam, obtundendam, et influxum systematis nervosi totius in musculos universim activum refrenandum tendens. Princeps hoc intuitu remedium in opio habetur. Dosibus autem longe majoribus ac alio quovis in morbo non solum absque sopore fertur, sed etiam, ut proficiat, requiritur. Quarta igitur, dimidia grani pars, vel urgente multum tetano granum integrum opii, omni media, integra hora, malo moderato omni bihorio porrigitur, et ubi aeger deglutire nequit, major adhuc dosis enemate injicitur. Methodo *Stützii* opium alternatim cum kali carbonico brevibus intervallis adhibetur, usuque balneorum kalinorum adjuvatur. Viribus nerveis vere labentibus opiatorum cum moscho, camphora, vino, liq. corn. cerv., aethere sulphurico etc. combinatio convenit. Caustici ad nucham adplicatio attentionem meretur. Frictiones cum unguento mercuriali, usus calomelis internus largus ad citam usque salivationem, sed et sine ista, ab Americae et Angliae medicis, lotiones ac balnea frigida, quae jam *Hippocrates* certis sub conditionibus et restrictionibus commendaverat, nec non perfusiones frigidae a *Cullenio* aliisque laudatae, ulteriorem, adhuc a praxi confirmationem exspectant.

Crisi intrante salutari methodus medendi, ceteroquin morbi magnitudini stadioque semper adcommodanda, restringenda, et natura, quo tendit, ducenda est.

§. 1461. Ad convalescentiam promovendam omnes, quae recidivam hic admodum facilem, et generatim

nevroses inferre valent, circumstantiae ac potentiae summo studio sunt arcendae, praepediendae, morbique effectus restantes tollendi. Universali itaque, in musculis adfectis praedominanti debilitati et imminenti humorum dyscrasiae methodus excitans, roborans et restaurans per pharmaca nota in- et externa, victum eupeptum et regimen vitae concordans apte opponenda.

Spec. 2. Trismus.

§. 1462. *Trismus* (der Kinnbackenkrampf) communius forma maxillae inferioris ad superiorem fortiter adpressae (Mundklemme, Mundsperre), quam ab ea diductae, orisque proinde multum hiantis (das Mundklaffen) observatur. Raro substantivus propriam sistens tetani speciem, plerumque potius hujus symptoma et comes occurrit, nunc praecedens nunc postea se adjungens. Saepe praedominatur adeo, ut cetera tetani universalis symptomata minora pro tempore obfuscet, ac substantivus adesse minus attentis facile videatur. Talis tetano universali aequabili, nostro sub coelo, frequentior est, a tetani causis morbisque causalibus supra enumeratis oriundus; infantes praeprimis recens natos intra primos quatuordecim dies, plerumque ante nonum, infensissime adgrediens.

J. Chr. Ackermann, Abh. üb. d. Kenntn. und Heil. des Trismus, oder des Kinnbackenzwanges. 2. Ausgabe. Nürnb. 1778. 8.
Beaume, von den Convulsionen der Kinder. A. d. Franz. Leipz. 1791.
Dr. J. Zangerl, etc. üb. d. Convulsionen im kindl. Alter. Wien 1834. 8.
Cullen, *Haase*, *Henke*, *Fleischer*, in d. a. W.

§. 1463. *Trismus neonatorum* sicut adultorum tetanus in zonis torridis vulgarior ac in Europa cernitur. *Prodromi* ejus observari solent: inquietudo infantum, clamor subitaneus, pavores sub somno, leves musculorum faciei convulsiones, strabismus, sugendi ac deglutiendi, quin impedimentum inveniatur, impotentia, vomitus bilis

viridis, lactis forsan ingesti etc. *Intrat* ipse brevi post gastricis et nervosis utplurimum stipatus symptomatibus, musculorum faciei liventis ac turgidae convulsionibus, oculis apertis, fixis cum dilatata pupilla, respiratione difficili, anxia, anhelosa, voce debilissima, ore spumante, membrorum distorsionibus, succussionibus. Incertis continuat cum remissionibus, ast altero, tertio, rarius quarto demum die saepissime aut viribus exhaustis, aut paralysi, suffocatione, aut apoplexia inductis tenellos interficit. Casu felici tetani in modum solvitur.

§. 1464. *Causae* excitantes sunt: meconium retentum, aër corruptus praesertim nimis calidus simul et humidus (ut in brephotropheis oppletis, spurcis), refrigeratio, acidum primarum viarum, bilis acris aliaque irritamenta gastrica; involutio neonatorum nimis arcta, premens, nec non laesiones ac vulnera in tetano memorata.

§. 1465. *Trismus* ab hujusmodi vulneribus, *traumaticus*, ubi sine tetano universali adest, sensatione quadam ingrata in circumferentia oris, aut titillatione in nervi facialis plexu ad maxillae inferioris angulum, aut risu sardonio annunciatus, nonnisi essentialibus stipatur phaenomenis, eminentes functionum ceterarum turbas excludens.

§. 1466. *Prognosis* trismi tum neonatorum proprii, tum cujusvis alius aetate infantili ingruentis, anxia ferenda est. Raro enim mors, et quidem paucissimos intra dies, non accedit.

§. 1467. *Curae* tetani neonatorum, majorumve infantum, sicut tetani traumatici momentum primum est, noxas producentes ac alentes amovere; hinc aërem mephiticum, effluviis variis onustum corrigere, subducere meconium, irritamenta alia gastrica emetico cenveniente aut purgante et enematibus eliminare: acidum enervare magnesia, lapidibus cancrorum etc., involucra stringentia relaxare etc., vel vulnus, ut festucae ossis, spicae,

aliave corpora heterogenea extrahi possint, dilatare, nervos tendinesve discindere semilaceros, aut tensos, etc. Therapia ulterior illi, quae tetano opponitur §. 1460., quoad essentialia conformis, sed aetati perfecte adcommodanda est. Idem de rarioris cura *convalescentiae* tenendum.

Spec. 3. Asthma spasmodicum.

§. 1468. *Asthma spasmodicum* seu *convulsivum* (a. caducum seu epilepsia pulmonum *van Helmontii*, der Brustkrampf, die krampfhafte Engbrüstigkeit) eam sistit propriam dyspnoeae speciem, quae in organorum respirationis spasmo consistit, insultibusque periodicis recurrit. Asthma *sensu strictiore* dicitur, a ceteris dyspnoeae ac orthopnoeae speciebus probe distinguendum.

§. 1469. Rarior in genere morbus est, duplici modificatione observandus, in infantibus *asthma spasmodicum* seu *acutum infantum*, etiam asthma *Millari*, et in adultis *asthma spasmodicum adultorum* vocatus.

§. 1470. a) *Asthma spasmodicum* seu *acutum infantum*, a. *Millari* (die *Millar*'sche Engbrüstigkeit, das *Millar*'sche Asthma) infantes aut nullis aut levibus modo symptomatibus catarrhosis adfectos subito, noctis utplurimum tempore, invadere solet. Repente e somno expergefiunt infantes cum gemitu vel clamore anxio, voce profunda, depressa, non sonora, respirio multum difficili; cum constrictionis, oppressionis pectoris sensu, continuaque aëris captatione, pulsu accelerato, parvo, subpresso, inaequali, cute naribusque siccis, urinis parcis pallidis, aquosis, absque doloris autem in larynge sensatione, absque omni vel notabili saltem tussi, absque sputo ac febri. Facies turgida conspicitur livido-rubra, oculi protuberant splendentes, venae faciei et colli turgescunt, et post horae quadrantem aut medium sub sternutatione iterata, ructibus, vel vomitu vel alvi excretione insultus cessat; ast duodecim, viginti quatuor post horas

multo intensior, et sic tertia, quarta vice etc. revertitur. Tempora intercalaria perfecte libera non inveniuntur, sed lassitudine, moestitia infantis, variisque levioribus stipantur symptomatibus spasmodicis. Nisi serio morbus impugnatur, sequens insultus quilibet praegresso citius ac vehementius ingruit, spasmis fortioribus, universalibus, debilitatis incremento, urinis alvoque involuntarie secedentibus, periculo suffocationis terreficus, sub validis tandem convulsionibus non raro suffocaturus. Talis in mortem exitus subito nonnunquam et inexpectato post intervalla parum molesta, deceptiva, intra sex octove dies irruit. Secta cadavera nec inflammationis nec status morbosi alius vestigium in organis respiratoriis ostendunt.

Joh. Millar, Bemerk. üb. d. Engbrüstigkeit u. d. Hühnerweh. A. d. Engl. Leipz. 1769. 8.
E. Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Bd. II.
Jahn, *Henke*, *Richter*, *Haase*, in d. a. W.
Schnuhr in *Rust's* Magaz. f. d. ges. Heilk. Bd. 25. H. 1.

§. 1471. Asthma descriptum, consuetim sporadicum, infantes plerumque constitutionis tenerae, debiles, multum irritabiles, praecipue ab uberibus vix amotos, sed majores quoque ad octavum, decimum usque aetatis annum infestat. Communissimam quidem causam excitantem refrigerium agnoscit, per subitaneam praecipue temperaturae aëris ambientis vicissitudinem inductum, sed et ab aliis momentis nevroses in genere producere valentibus potest oriri.

§. 1472. *Autenrieth*, *Hecker*, et nuper *Jurine* et *Albers* omni quidem studio evincere sunt conati, rarum omnino asthma *Millari* non propriam morborum speciem, sed meram esse cynanches membranaceae dictae modificationem; ast utut aliqua utriusque morbi non negetur similitudo, gravia tamen inter utrumque discrimina intercedunt, ex §. 574. jam nota.

§. b) 1473. *Asthma adultorum spasmodicum* (die krampfhafte Engbrüstigkeit der Erwachsenen) pariter

noctu potissimum, saltem vesperi suas facit invasiones, vel subitaneo et inexspectato modo, vel praegressis jam post meridiem capite obnubilato, animo male disposito, ventriculo inflato, dysphoria, trahentibus inter scapulas et in nucha doloribus etc. Aeger e somno repente excitatus vehementem patitur pectoris oppressionem et constrictionem, respirationem valde laboriosam, lentam, *sibilosam*, eamque non nisi sedendo vel stando possibilem, loquelam perarduam et interruptam, inanem tussiendi nisum; anxius ad fenestram apertam vel in atmosphaeram liberam confugit, ore multum diducto insignique cum conamine reficientem hausturus aërem. Cor interea vehementer ac inordinate palpitat, pulsus arteriarum spastice contractus est, irregularis et intermittens, sensus repletionis et angustiae sine fixo quodam in pectore dolore.

Insultus, sub quo facies collapsa et pallida conspici solet, quandoque tamen cum frequentiore etiam pulsu, aliquo caloris ac sitis augmento, adeoque aliquali cum febre incedit. Symptomata per tempus plerumque ingravescunt, deinde remittunt, et jam pauca modo post minuta prima, jam tardius imo post horas aliquot successive, et quidem, urinis saepe hypostaticis, quandoque sputis quoque facile secedentibus dissipantur. Malo diu nondum durante non nisi aliqua remanet oppressio. Initio autem invasiones, incommodis memoratis, speciatim flatulentia, dyspnoea, somnolentia post meridiem vel sub vesperam praegressis, omni plerumque nocte, deinde longioribus jam fixis jam incertis intervallis, malo tamen ingravescente denuo quavis nocte circa vel post mesonyctium revertuntur. Casu funesto symptomata tam intensitate quam duratione increscunt: aeger orthopnoea detinetur, loquendi ac libere tussiendi fit impos, vomiturit imo biliosa reddit, et in lipothymiam incidit. Ad insultuum finem plerumque materiem expectorat mucosam, puriformem, vel sanguine mixtam. Tali expectoratione mane et de die pariter continuante insultus vel jam non repetunt, vel

infracti longiora relinquunt intervalla, donec magis magisque fatiscentes brevi penitus emaneant.

J. Floyer, Abhandl. üb. d. Engbrüstigkeit, nebst einem Anhange, der die Beobachtungen *Ridley's* üb. d. Engbrüstigkeit enthält. A. d. Engl. übers. von *J. Chr. Fr. Scherf.* Leipz. 1796. 8.

M. Ryan, Beobachtungen üb. d. Geschichte und Heilung des Asthma. A. d. Engl. Leipz. 1796. 8.

§. 1474. Morbus, de quo agitur, in principio, levique gradu congruum per tractamen *sanatur*, vel in minores saltem aliarum partium adfectiones nervosas traducitur. Admodum facile vero *recidivus* evadit, per aestum imprimis atmosphaerae, hinc tempore aestivo, per majorem in genere calorem, corporis exaestuationem, ejus animive motus validos, magnas tempestatis vicissitudines, frigidae praesertim subitaneas in calidam mutationes, pectoris stricturas, pressiones, ventriculi flatulentiam, oppletionem etc.: sic iteratim reversus profundiores figit radices, imo per vitam non amplius evellendas. Sub insultibus ipsis, etsi quandoque praesentissimum minantibus periculum, raro quidem jugulat, saepe tamen in subjectis junioribus ac validis in pneumoniam lentam, inde in phthisim pulmonalem ulcerosam, longa sub duratione in pituitosam, hydrothoracem *transil*, cordis arteriarumve majorum anevrismatibus occasionem quandoque praebet, atque hoc modo secundario *lethalis* redditur.

§. 1475. *Dispositio* in asthma spasmodicum in statu hypochondriaco, hysterico, aut alio nervoso in subjectis cujusvis ceterum temperamenti, praesertim tamen mediae aetatis et generis masculini, invenitur. Saepe hereditaria est. — *Causas excitantes*, quae et malum facile revocant (§. 1474.), inculpare licet: corporis exaestuationem, refrigerationem, humectationem gravem, tempus humido-frigidum, subito multumque varians, ex frigido imprimis in calidum transiliens, fortes sub loquendo, declamando,

cantando etc. intensiones, adfectus animi vehementes, ac pathemata, odoramenta penetrantia, pulveres, denique insultuum arthriticorum, habitualium humorum evacuationum, efflorescentiarum cutis chronicarum suppressiones.

§. 1476. *Natura* asthmatis *Millari* in spasmo tonico musculorum rimae glottidis, tracheae ramorumque ejus, asthmatis adultorum spasmodici in spasmo tonico fibrarum muscularium ramorum ac ramificationum tracheae consistit, cum quadam, ut *Cullenio* videtur, fibrarum pulmonis rigiditate, liberam plenamque exspirationem prorsus impossibilem reddente.

§. 1477. In asthmate *infantum*, *Millari*, *curando* citra causarum excitantium ac alentium amotionem remedium princeps juxta *Millar* in asa foetida, juxta *Wichmann* in moscho habetur. Exhibuit autem asam foetidam *Millar* tam interne dosibus largis aceto ammoniacali solutam et aqua pulegii remixtam, quam externe in enematibus, felici cum successu. *Wichmann* egregiam moschi virtutem durantibus insultibus aeque ac toto morbo porrecti, et imprimis balneis moderate calidis, atque cataplasmatibus emollientibus, laryngi, tracheae ac pectori impositis adjuti laetus comprobavit. Sulphur aurat. antimon. cum extr. hyoscyami vel opio, externe epispastica et pediluvia irritantia ab aliis salutifera visa sunt.

§. 1478. Asthmatis *adultorum* spasmodici *cura* in eam insultus ipsius ac intervalli liberi distinguenda. Intercalari tempore in causam excitantem amovendam, enervandam, ac nevrosim, quae subest, principalem auferendam therapia fiat. Remedia hunc in finem seligenda, methodique instituendae sunt et noxis specialibus et nevrosi principali in casu obvio exacte convenientes, omnino variae. Si quid febriculae activae, subinflammatoriae morbo adhaeret, methodo ac regimine antiphlogisticis caute administrandis abstergendum, adeoque simplex ac purus iste reddendus est. Prodromi supra memo-

rati deinde pro eorum fonte, indole, magnitudine, nexu prudenter oppugnandi sunt, sicque conandum, ut insultus ipse praepediatur. Sub insultu spasmum in organis respirationis solvere oportet. Penes regimen antiphlogisticum huic indicationi interne nervina conveniunt, jam sopientia et alterando pacantia jam erigentia, externe tam pacantia quam antagonistica irritando derivantia. Praecipuam merentur adplicationem: opium, extr. hyoscyami, aq. laurocerasi, ipecac. dosibus refractis, aut sola aut opio nupta in pulvere *Doweri;* flor. zinc., magister. bismuth. etc.; valeriana, chamomilla, moschus, asa foetida, liq. corn. cerv. simplex et succinatus, sp. aether. nitric., aeth. sulphuric. etc.; infus. fortius fabar. coff. tostar.; inspiratio vaporum moderatissime calidorum emollientium aut simul sopientium, suffituum analepticorum, fumigatio cauta seminum stramonii siccatorum, juxta *Chiarenti* aëris atmosphaerici inflatio; fotus, inunctiones aromaticae spirituosae ad pectus et intra scapulas, balnea calida emollientia, aut saponata, aut aromatica, membrorum frictiones, sinapismi fortes vel vesicantia sterno, vel intra scapulas, vel brachiis imponenda, enemata nunc irritando evacuantia, nunc pacantia, antispastica, pediluvia acria. Quae proficiunt, ad insultus solutionem usque perfectam continuentur. Promovendae ad finem illius expectorationi muci fors tenacioris eadem vel sola, vel cum liq. *Mindereri,* aut sale ammoniaco; sulphur. aur. antimon., kermete minerali, scillae praeparatis, infuso senegae, gummi ammoniac. etc. apte juncta inserviunt. Insultibus habituali fere modo recurrentibus, adeoque sincere nervosis alterantia generatim, emetica leniora in specie bono cum effectu opponuntur; item fonticuli in brachiis commendandi.

Magni momenti in hoc morbo *diaeta* est et *regimen.* Conveniunt autem victus digestu facilis copia restrictus, animalis, et blandus solvens minime flatulentus vegetabilis, potus aquosi, aër atmosphaericus non nimis oxy-

genatus, non calidus, purus, motus in illo moderati, vita generatim sobria, alvus quotidie respondens.

§. 1479. *Convalescentiae* tam ex asthmate acuto infantum quam adultorum spasmodico cura de praepedienda recidiva et tollendis morbi effectibus residuis occupatur. Priorem in finem omnes noxae supra enumeratae sunt sedulo arcendae, in alterum methodus nutriens restaurans, et roborans apte combinata adhibenda.

Spec. 4. Incubus.

§. 1480. *Incubus* (*ephialtes*, der Alp, das Alpdrücken) oppressionem pectoris sistit sub somno invadentem, anxio pressionis fortis et instantis suffocationis sensu, inanibus motus peragendi conaminibus, et variis ob conscientiae clarae defectum hallucinationibus sensuum stipatam.

Invasio vario durans tempore aegrum excitando finitur, qui aliquamdiu adhuc anxietate, palpitatione cordis, defatigatione plectitur, sudore perfusus.

Chr. Reil, Fieberlehre. B. IV. Cap. 4.

Joh. Walter, Abh. vom Alpdrücken, dem gestörten Schlafe, erschreckenden Träumen und nächtlichen Erscheinungen u. s. w. A. d. Engl. von *El. Wolff*. Frankf. a. M. 1820. 8.

§. 1481. Ad ephialten quae *disponuntur* sunt individua in nevroses generatim proclivia, turbis digestionis chronicis cum nisu in pituitam et acidum generandum laborantia, verum et plethorica. — *Causae occasionales* habentur: animi adfectus et pathemata, corporis labores facultatumque mentis intensiones nimiae, coena nimis copiosa et tarda, dyspepsia vel et apepsia, haustus spirituosorum justo largiores, visque horum noxia per situm dorsalem capite demisso intenditur.

§. 1482. Sanatio ulteriorum *praecautione* insultuum impetratur. Maximam igitur partem *cura* in corrigenda dispositione, potentiis nocentibus evitandis ac abigendis, et, si nihilominus reverterentur accessus, in remediis

antispasticis et roborantibus congrue adhibendis, casu rebelli in epispasticis potentibus ac ulceribus artificialibus consistit. *Waller* natron carbonicum longo continuatum usu imprimis utile observavit.

Spec. 5. Tussis convulsiva.

§. 1483. *Tussis convulsiva* (t. ferina, pertussis, der Keuch-, Stick-, blaue-, Eselshusten) est morbus contagiosus et plerumque epidemicus, infantes prae adultis plectens, tussi vehemente spasmodica, suffocationem minitante se manifestans, cujus accessus ab exspirationibus tussiculosis brevibus, imperfectis, multis, citissime insequentibus cum subsequa inspiratione subitanea profundissima, sonum asinino mugitui similem edente incipiunt, vario brevi tamen tempore durant, et vomitu utplurimum terminantur.

W. Butter's Abhandl. von dem Keuchhusten. A. d. Engl. von *J. C. Fr. Scherf.* Stend. 1718. 8.

F. G. Danz, Versuch einer allg. Geschichte des Keuchhustens. Marb. 1791. 8.

Fr. Jahn, üb. d. Keuchhusten. Ein Beytr. zur Monogr. desselben. Rudolst. 1805. 8.

A. Fr. Marcus, der Keuchhusten; üb. seine Erkenntniss, Natur u. Behandlung. Bamb. u. Leipz. 1816. 8.

Rosenstein, Cullen, Henke, Richter, Haase, in opp. cit.

§. 1484. Notio pertussis solidior non nisi ab initio saeculi decimi quinti repetenda. In decursu diversa morbus offert phaenomena lateralia, de diverso charactere laterali testantia. *Tria* inde distinguere licet *stadia, catarrhale* nimirum, *convulsivum*, et stadium *tussis secundariae* vel *decrementi*, vocata.

Stadio *primo* infantes symptomata experiuntur catarrhalibus universim penitus similia, in specie tussim frequentem, brevem, siccam, sono acuto notatam, mane ac vesperi sicut altero quovis die exacerbatam, somni turbas, et aliquam utplurimum, quandoque intensam febrim. Stadium hocce nunc paucis modo absolvitur diebus,

nunc ad unam alteramve septimanam protrahitur, donec tussis scilicet infantem subito invadat angens, suffocatoria, conditionis ante designatae, stadium alterum aperiens.

§. 1485. Stadio *secundo*, quo propriam sibi malum nactum est formam, accessiones tussis primis diebus rarae, postea frequentiores evadunt et rudiores, tandem omni fere media hora revertuntur. Annunciari solent praecedente, jam per aliquot minuta secunda jam per primum titillationis in trachea, vel pressionis in epigastrio, formicationis in fronte, vel anxietatis insignis sensu, quo fulcimen, quod manibus prehendant firmiterque teneant, infantes quaerere impelluntur. Nunc tussis ingruit cum in- et exspiratione supra descriptis; inspirationem scilicet quidpiam profundiorem exspirationes breves, quasi expulsivae quinque, sex, pluresve cum anxietate et suffocationis instantis sensu sequuntur, quas inspiratio alia excipit jam descripta, acute sonans, vel clamosa, profunda, protracta, huic denuo exspirationes tussiculosae mox memoratae succedunt, atque scena haec pluribus iterari solet vicibus, donec insultus finiatur. Sub finem communiter tenax pituita vel expectoratur tussi, vel validis expellitur sternutationibus, vel vomitu una cum contentis ventriculo cibis ac potulentis ejicitur, atque sic insultus, postquam uno, duobus, imo et pluribus durasset minutis primis, terminatur. Plorare infantes per tempus adhuc continuant, phaenomenis lateralibus sensim cessantibus cito adhuc et laboriose respirant, defatigati de cephalaea conqueruntur, vel priorem brevi recuperant hilaritatem, cibum potumque desiderant, suos repetunt lusus. — Durante insultu magna cum anxietate ac suffocationis sensu conjuncto musculi fere omnes in motus tremulos et convulsivos aguntur, vultus profunde rubet aut caerulescit, inflatur, turgent ejus venae, labia livent, protruduntur ac rubent oculi multum lacrymantes, manus pedesque frigent, pulsus suppressi tanguntur tremuli vel

intermittentes, cutis frigido tegitur sudore, alvus ac urinae involuntarie secedunt, et quandoque sanguis ore naribusque extricatur. Gradui pertussis altissimo vehemens per aliquot momenta supervenit spasmus viarum respiratoriarum, tussim ac respirationem intercipiens, raro tamen in animi deliquium, suffocationem, aut apoplexiam abiturus.

Stadio isto incipiente, et accessionibus nycthemeri spatio aliquoties solum redeuntibus, infantes per intervalla haud aegre habent; morbo autem invalescente, et invasionibus tunc de nocte haud secus ac de die intensius atque frequentius, imo vix non omni horae dimidio, revertentibus, tempore intercalari admodum delassati manent, pallidi, morosi, cum perstante quadam dyspnoea. Invasiones alternis exacerbari diebus, et a pastu atque de nocte, praesertim auroram versus, fortiores ac frequentiores esse consueverunt; sine occasione aperta periodis plerumque incertis ingruunt, sed et erroribus diaeteticis, refrigeratione, cursu, chorea, cachinnis, fletu, clamore, terrore, ira etc. omni tempore facile provocantur.

Vegeti ceterum infantes tussim hanc, nisi effrenis sit' non raro per septimanas aliquot, quin alias manifestas patiantur functionum laesiones, ferunt; debiles vero, teneri multumque irritabiles in alteram paullatim incidunt febrem, omni vespere et altero quovis die luculenter exacerbari, mane remittere solitam; adjunguntur bulimia, alvus jam restricta jam diarrhoica, somnus inquietus, dyspnoea, haemoptoë, imo et pneumoniae in suppurationem faciles, vel cordis aut aortae anevrismata, vel ingens sanguinis ad caput congestio, encephalitis, hydrocephalus acutus; epistaxis repetita, quam frequentem vel profusam amblyopia, amnesia, nec non amentia ipsa sequi possunt; quandoque herniae, prolapsus, strumae.

§. 1486. Casu faustiore stadium istud tribus, quatuor, minus fausto pluribus demum post septimanis in *tertium* seu *tussis secundariae stadium*, eoque mediante

in sanitatem abit. Significant hoc tussis in convulsivam quidem adhuc inclinans, inspiratione tamen profunda sonoque singulari asinorum mugitum aemulante, et vomitu destituta; invasionum ipsarum imminuta multum intensitas et frequentia, haemorrhagiae narium, aliarumque cessatio, sputorum alborum, tenacium in flavo-viridicantia, mobilia, crassa, copiosa incipiens mutatio; sudores universales levantes, adpetentia, digestio ciborum, alvus normales; successiva virium refocillatio.

Ni refrigerium, errores in diaeta, tempestatis injuriae, exaestuationes corporis motusve animi graves, aut vapores, fumi, pulveres irritantes etc. decursum turbent, aut recidivas imperfectas provocent, stadium tertium aliquot communiter durat septimanis; totus igitur morbus ante nonam aut decimam rarissime suum attingit finem.

§. 1487. *Dispositio* in pertussim in aetate infantili generatim, in organorum respiratoriorum irritabilitate speciatim morbis praegressis ut pneumonia, morbillis etc. adaucta invenitur. *Causas excitantes* suggerunt: peculiaris atmosphaerae constitutio epidemica, praesertim tempus humido-frigidum et variabile, quemadmodum vere frequentissime et autumno; et contagium specificum. Illa malum primario generatur et in epidemiam extenditur, hoc autem citra dubium in alios transfertur ac disseminatur.

§. 1488. *Natura* tussis convulsivae, licet numerosae prostent de illa opiniones, hodiedum adhuc latet. Constat modo, esse morbum diuturnum rebellem, contagiosum, sui generis et decursus definiti; partim influxibus epidemicis, partim contagio specifico eum produci; initio acutum, postea lentum facere decursum, et stadio primo notam irritationis vel inflammationis specificae, altero adfectionis nervosae, tertio debilitatis et relaxationis membranarum mucipararum organa respiratoria vestientium

praedominantem secumferre; — prolibus tinea capitis aut scabie laborantibus communiter parcere; variolis intercipi, et raro bis eidem insidiari subjecto. Quam *Astruc* et *Marcus* de indole pertussis inflammatoria tulerunt, sententia non totam ejus complectitur naturam specificam, et nonnisi circa stadium primum pro parte posset concedi. Nomen *bronchitidis epidemicae*, quod ei tribuit *Marcus*, observatis non confirmatur. Nec sedes ejus quaerenda in ventriculo, quemadmodum *Huxham* et *Stoll* imprimis opinabantur, utut egregia certis sub conditionibus virtus emeticorum comprobata habeatur.

§. 1489. Tussis convulsiva tractamine apto ac regimine congruo saepissime *sanatur*. Si stadio primo febris et dyspnoea graves, atque tussis sputorum expers perstant, morbus, antequam perfecte evolvatur, *lethalis* fieri potest. Stadio secundo raro sub insultu lethalis supervenit haemorrhagia, aut suffocatio, aut apoplexia, haud aeque raro haemoptoë, phthisis pulmonalis vel trachealis, dyspnoea succedunt.

Malo protracto et favente dispositione scrophulae, rhachitis, in infantibus infra anni aetatem hydrocephalus acutus, tabes, facile explicantur.

Infantes teneri, debiles, valde irritabiles pertussi periculosius, etsi non vehementius, ac aetate provectiores plectuntur. Ex parentibus phthisicis, asthmaticis progeniti prae aliis periculo subjiciuntur. Absoluto altero aetatis anno minus periculosa fieri consuevit. — Infantes efflorescentiis cutaneis chronicis defoedati, aut qui insultus nec frequentes nec validos patiuntur, qui modica gaudent expectoratione, qui intervallis liberis bene habent, appetunt, tranquillo reficiuntur somno, qui denique ad finem insultus vomunt, facilius ac alii solent superare pertussim; macilenti facilius ac obesi et laute pasti. Quae vero vermibus, symptomatibus nervosis antehac laborantes, et majoribus sub insultuum decursu haemorrhagiis adflictos consuetim graviter plectit.

Sonus inspirationem concomitans acutus subraucus, stridulus, tussis expiratione subsequa praestitae duratio protracta et vehementem et periculo plenum indicant morbum.

Cura initio statim congrue instituta plurimum mitigari potest stadium nervosum.

Stadio tertio, quousque excurrit, maxima adhaeret in recidivas propensio.

§. 1490. *Curatio* tussis convulsivae *a causis amovendis*, enervandis inchoari non potest, quoniam infringere constitutionem epidemicam tum scientiam tum artem superat medicam, et contagium, dum morbus cognosci potest, jam pridem agere cessavit. — Pro implenda *indicatione* generali *secunda* et therapia et diaeta cum regimine stadiis singulis, et praedominanti in his characteri catarrhoso-inflammatorio, nervoso aut debilitatis statui adcommodentur est necesse. *Primo* itaque *stadio* tussis convulsiva pro symptomatum et dispositionis individualis ratione quemadmodum febris catarrhalis jam levis ac simplex, jam gravis inflammatoria, in catarrhosam praesertim pneumoniam ac bronchitidem proclivis (T. I. §. 566. —568.) consideranda et tranctanda venit. Quare et hic sanguinis depletiones universales aut saltem locales, subsequo tamen stadio nervoso semper ob oculos habito, sunt instituendae, methodique ceteroquin antiphlogistica solvens et evacuans, vel emolliens seorsim aut junctae administrandae. Alvus speciatim eccoproticis, magnesia, hydromelle infantum, electuario lenitivo, nisi liberrima sit, solvenda. — Complicationes obtinentes quocunque stadio respiciantur oportet. — Stadio *secundo* pertussis ut morbus spasmodicus eminente membranae muciparae organorum respiratoriorum et gastricorum adfectione stipatus debet curari. Praedominante, uti plerumque sub hujusce stadii initium, uberiore muci tenacis secretione egregiam emetica exerunt virtutem, iisque quandoque repetendis pituitam solventia; sal ammoniacus, squilliti-

ca; sulphur. aurat. antim., refractae tartar. emetici doses, infus. poligal. Senegae, etc. subjungenda, interpolanda. Statu pituitoso, nervosum spasticum fere aequante, eorundem remediorum cum nervinis jam pacantibus narcoticis vel alterantibus, jam erigentibus apta requiritur combinatio, quemadmodum sulph. aur. antim. cum opio, extr. hyoscyami, belladonnae, pulv. *Doweri*, ipecac. dosi refracta sola vel cum flor. zinc., magist. bismuthi, aut cum valeriana, moscho etc., vel et tart. emetic. cum lapid. cancror. methodo *Fothergillii*. Hic pulveris ex tart. emet. gr. uno et lapid. cancror. drachm. semis constantis granum infantibus anni unius aetatis e cochleari parvo lactis aut aquae, tempore jentaculum inter et prandium medio porrigi, hancque dosim quotidie, donec vomitus cieretur, augeri modicum curavit. Pulvis facile sumitur, et absque vomitu etiam efficax, in specie diaphoresin et expectorationem movens vix non omni stadio (leviter febrili cum nitro admixto) egregius laudatur (*Cullen* opp. cit. T. III.). Praevalenti autem, ut stadio secundo ulterius progresso consuevit, statui nervoso pro tota casus individualis conditione *mox* narcotica, uti praeter nominata etiam pulv. radic., infus. folior. belladonnae, aqua laurocerasi, *mox*, labentibus praecipue stadio adultiore viribus, nervina incitantia, quemadmodum valeriana, millefolium, moschus, castoreum, asa foetida, haec enematibus addenda, cum balneorum calidorum usu congrue opponuntur. Laxitas insignis gummi ammoniacum, ipsumque hepar sulphuris, granis quinque ad decem ex melle mane ac vespere capiendum, indicat; maxima cum irritabilitate simul obtusa et larga tenacis pituitae secretione cautum tincturae cantharidum usum, a gtt. una ad duas, tres, bis terve per diem ex syrupo et mucilagine gummi arabici, sine vel cum tincturae opii dosi infantis aetati ceterisque adjunctis probe adcommodata, instituendum concedit. Omni in casu methodus simul proficit antagonistica: et quidem per vesicantia epigastrio aut regioni

dorsali intra scapulas imposita, per sinapismos suris applicatos, pediluvia acria cum cineribus aut decocto seminum sinapis, enemata irritantia, unguentum c. tartaro emetico (*Autenrithii* dictum) ter quaterve de die regioni epigastricae inungendum, donec pustulae prodeuntes in ulcuscula vergere inceperint. Animus gaudio improviso, terrore etc. fortuito commotus plurimum quandoque profuit. Remedia emollientia, relaxantia nunc obesse consueverunt.

Stadio tertio pedetentim ad medendi rationem roborantem et restaurantem adaequatam transeundum est. Indicationi itaque amaricantia nota, lichen Islandicus, cortex Peruvianus, balnea tum simplicia tum leviter aromatica, esculenta blanda, eupepta, bene nutrientia, praeprimis atmosphaera libera, pura, sicca, amoene calida, motus moderatior etc. respondent. Domicilii rationisque vivendi mutatio quandoque summam fert utilitatem.

Spec. 6. Singultus.

§. 1491. *Singultus* (der Schluchzen, Schlucken) inspirationem sistit subitam, brevem, sonantem, spastica diaphragmatis contractione, angustata simul glottidis rima, effectam.

Paucis post minutis secundis vel quolibet medio primo repetit, jam mitis jam vehemens, imo totum concutiens corpus; nunc per quadrantem nunc per horas durat, per dies quandoque aut septimanas, jam de die solum, jam de nocte vexat, mox continuus mox periodicus. Diu durans oppressionem ventriculi, ructus, nauseam, vomitiones, anxietates, calores, defatigationem, animi deliquium, diaphragmatis dolores imo inflammationem inducit. Quandoque sternutando, tussiendo finitur.

F. G. H. Brüning, singultus morbus, symptoma, signum. Traject. 1758.

Hecker, Conradi, opp. cit.

§. 1492. Singultus semper *vel* irritationis aut inflammationis, *vel* adfectionis nervosae diaphragmatis, idiopathicae aut sympathicae, *symptoma* observatur.

Inde quae sit ad singultum *dispositio*, sponte intelligitur. *Causae excitantes* sunt *primo* in casu: offa grandis, aut dura, aut aspera avide deglutita, potulentum frigidum, acredo ciborum, pharmacorum, venenorum; ventriculi oppletio; costarum inferiorum, vertebrarum correspondentium fracturae, distorsiones, cartilago xyphoidea introrsum acta; diaphragmitis, aesophagitis, gastritis, aliorumve abdominis viscerum phlogoses, gangraena, illarum causae excitantes; nimia diaphragmatis per vomitum, tussim, sternutationes, partus difficiles intensio; heterogenea in ventriculo acida, biliosa, generatim acria, vermes, capitis commotiones, vulnera etc.; casu *altero:* omnes potentiae debilitantes et in specie systema nervosum adficientes, quales nevrosium in genere recensitae sunt causae, nec non morbi ipsi nervosi uti febres nervosae, hysteria, hypochondriasis, epilepsia, aliaeque spasmorum formae, febres intermittentes nervoso indutae charactere.

§. 1493. Ubi symptoma leve, ubi grave, periculosum, imo lethale sistat singultus, ex ejus indole, magnitudine, duratione, ex morbo principali, causa excitante etc. rite pensitatis facile statuitur. In recidivam pronissimus est.

§. 1494. *Therapiam* causis morbisque principalibus diversis opponere oportet. Quare irritamentum quoddam auferri vel dilui, leniri, dissolvi, irritatio mitigantibus, temperantibus in- et externis sedari, inflammatio congruo tractamine, nevrosis universalis medendi modo in nevroses generatim commendato jam pacante, alterante, jam incitante, jam antagonistico debent dispelli. Ad hunc citra vesicantia, sinapismos, balnea, clysteres, errhina spectant speciatim sternutatoria, longa aëris inspirati retentio, modica pectoris per fasciam constrictio, deligatio

artuum, attentionis alia in objecta directio, commotio animi subito inducta.

§. 1495. In *convalescentia* a recidivarum causis, singultum valde rebellem, molestum imo damnosum (T. I. §. 384.) reddentium, maxime caveatur.

Spec. 7. Palpitatio cordis.

§. 1496. *Palpitatio cordis* (cardiopalmus, das Herzklopfen) motus hujus sistit inordinatos, vehementes, non aegro solum ingratos ac molestos, sed observatori etiam per adpulsum ad costas visu tactuque percipiendos.

Testa, Kreysig, opp. cit. de morbis cordis.

§. 1497. Arteriarum pulsus corde palpitante inordinatus et inaequalis, saepe intermittens, ceterum nunc magnus ac durus, nunc parvus, mollis ac debilis, respirium difficile esse consuevit, et saepe anxietas magna, vertigo, membrorum tremores, altissimo mali gradu et lipothymiae, aut convulsiones adsociantur.

§. 1498. Accessus palpitationum cordis intensitate, duratione, frequentia magnopere variant; jam de die potius, jam de nocte intrant, et quibuscunque cordis activitatem immediate vel mediate exstimulantibus exasperantur, revocantur. Saepe sudore solvuntur.

§. 1499. Eminentem in cardiopalmum *dispositionem* subjecta exhibent admodum irritabilia, sensilia, debilia, in nevroses prona, chlorotica, nec non quae plethora, congestionibus sanguinis in visceribus abdominis, helminthiasi laborant. Transitorium quidem cardiopalmum stimulantia mox indigitata, quemadmodum adfectus animi, concitationes pathematicae, motus ac intensiones corporis validae, aër calidus, potus spirituosi, coffeae uberiores, pharmaca calefacientia etc. provocare valent, *causae* vero cardiopalmi facillime ac frequenter repetentis aut vix non continui in variis inveniuntur morbis, praecipue in nevrosi multiplici, uti hysteria, hypochondriasi,

chlorosi, in variis etiam cordis vasorumque majorum vitiis organicis: anevrismate, ossificatione, atresia, polypo etc. etc.

§. 1500. *Prognosis* in cordis palpitatione ex hucdum prolatis facile elicitur.

§. 1501. In *therapia* facienda primum est, eo adlaborare, ut causae amoveantur, morbus princeps causalis auferatur, vel, si auferri nequit, effectus ejus, cordis irritatio, pro possibili deprimatur. Quem in finem modo requiruntur essentiali: quies corporis animique summa, ciborum potuumque irritantium, calefacientium, ut et copia excedentium, pariter influxuum quorumvis circulum intendere, accelerare, sanguinem rarefacere, et plethoram universalem aut insignes sanguinis congestiones topicas inducere valentium strenua evitatio; potulenta insuper ac pharmaca frigidula et refrigerantia vel pacantia, digitalis etc., non raro, quemadmodum plethora, vitiis cordis organicis vigentibus, imo venaesectiones parvae, prout res postulant repetendae. Durante insultu ipso situs quoque adcommodatus requiritur; horizontalis vel in latere dextro utplurimum conducit, ceterum lotio aut continua lateris sinistri pectoris cum aqua frigida humectatio, et pro re nata haustus frigidae virtutem egregiam exerunt palliativam.

Spec. 8. Vomitus.

§. 1502. *Vomitus* in *motibus* ventriculi, aesophagi, pharyngis, nonnunquam et superioris intestinorum tractus *involuntariis, convulsivis et antiperistalticis*, et in simultaneis musculorum abdominalium atque diaphragmatis *contractionibus spasticis* consistit, *cum violenta ventriculo contentorum* aut in eum undecunque delatorum *per os*, vel et per nares simul, *expulsione* inde effecta.

S. J. L. Doering, diss. Hippocratis doctrina semiotica de vomitu. Marb. 1792. 8.

E. Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Bd. I. S. 163.

J. P. Frank, Epitome etc. L. V. P. II. p. 362 etc.

§. 1503. *Antecedere* vomitum solent: ructus frequentes, nausea, vomituritio, quibus horror, dysphoria, uberior salivae confluxus, tremor labiorum, vertigo, epigastrii convulsio ac tensio consuetim adsociantur. Phaenomena vomitum ipsum *comitantia* nimis nota, fusiore haud indigent delineatione. Vomitum quies et levamen *sequuntur*, quorum duratio, sicut vomitus cessatio vel repetitiones a causae praesentia vel absentia, natura, et agendi ratione pendent.

§. 1504. Inter possibiles vomitus *effectus malos* referuntur: concussio et pressio vehemens viscerum in cranii, pectoris, abdominis cavis sitorum, sanguinis in iisdem congestiones, imo vasorum minorum quandoque diaereses, inde vertigo quoque, haemorrhagiae variae in- et externae, extravasata, oculorum, organorum deglutitionis, ventriculi, pulmonum inflammationes; imo apoplexia aut suffocatio, amaurosis, struma, abortus, herniae, prolapsus; anevrismata aut varices.

§. 1505. *Distinguitur* vomitus: a) ratione originis in *primarium* et *secundarium*, *idiopathicum* et *sympathicum*, *substantivum* et *symptomaticum*; b) pro charactere in *inflammatorium* et *nervosum*, spasticum; c) pro materierum ejectarum conditione in *gastricum* saburralem, biliosum, pituitosum, *cruentum* seu *haematemesim*, *stercorosum*, *verminosum* etc. d) pro decursu ac duratione in vomitum *acutum* et *chronicum* s. habitualem, *continuum* et *periodicum* eumque modo regulari vel erratico recurrentem; et e) pro effectu et sequela in *morbosum*, *criticum*, *salutarem* et *damnosum*.

§. 1506. *Disponunt* ad vomitum magna ventriculi irritabilitas et in motus antiperistalticos facilitas undecunque pendens, cum vel sine systematis nervosi sensibilitate universim exaltata, spasticisque morborum formis. *Excitant* vomitum a) *idiopathicum:* cibi potusque copia excedentes aut qualitate vitiosi; pharmaca acria, nauseoso donata sapore venena acria, sed et narcotica; hetero-

genea varia, digestionem recusantia; saburrae ventriculo contentae acidae, rancidae, putridae, pituitosae, biliosae, vermes; externa aut per cartilaginem xyphoideam introrsum directam facta ventriculi pressio, ictus ejus, vulnus; gastritis idiopathica, sympathica, metastatica, acuta, chronica, suppuratio, induratio ejusdem praesertim in pylori regione; — b) *sympathicum:* graviditas, vividae rerum nauseosarum imaginariae repraesentationes, motus corporis in rheda, navi etc. vacillantes, frequens in gyrum rotatio, faucium ope pennae, digiti immissi etc. irritatio, praecipue vero morbi sequentes: spasmus, inflammatio acuta et chronica, induratio, angustatio, obturatio intestinorum per faeces siccas duras, corpora peregrina varia; volvulus, hernia incarcerata, qua saepe vomitus pertinax, tandem plane stercoris (*ileus, miserere dictus*) cietur; phlogoses, indurationes aliaque vitia organica hepatis, lienis, pancreatis, omenti, mesenterii glandularumque ejus, vesicae tum felleae tum urinariae, uteri, ovariorum, testium, renum, diaphragmatis, imo aesophagi, pharyngis, cordis, pulmonum, meningum, encephali; viarum biliferarum et urinalium per calculos irritatio; vulnera, commotiones capitis, hydrencephalus; dentitio difficilis, dysmenia, exanthematum praecursores impetuosi, eruptio ipsa difficilis, inordinata, imperfecta; febres nervosae, aliae nervoso circumdatae charactere, morbi chronici spastici aut convulsivi; — c) *metastaticum:* suppressiones diarrhoearum profusarum vel diuturnarum, habitualium, sudorum, ulcerum chronicorum, efflorescentiarum chronicarum et acutarum, profluviorum sanguinis normalium aut in consuetudinem transgressorum, mensium praecipue, lochiorum, haemorrhoidum etc., rheumatismi, erysipelatis, arthritidis etc.

§. 1507. *Dignitas* et *significatio* vomitus symptomatici, conditio critici jam in morbis, quos comitari observatur, expositae sunt. Salutaris ceterum esse potest vo-

mitus, ubi saburras, venena, substantias peregrinas, vermes ventriculo haerentes, calculos felleos exterminat, ubi diarrhoeas, oedemata, hydropes, statum pituitosum, morbos spasticos aut convulsivos chronicos modo sublevat essentiali, aut prorsus tollit; ubi contagium quoddam susceptum, antequam universalem exercere valeat effectum, eliminat. Anceps vero, vel periculosus est vomitus, qui excedit vehementia, persistit, nil sublevat, virium dejectionem, lipothymiam, gravia symptomata nervosa infert, pertinacem alvi retentionem, emaciationem, exhaustionem virium post se trahit, vel faecum ejectione stipatur; qui a viscerum nobilium inflammatione, pervicace alvi obstipatione, hernia incarcerata, laesionibus capitis, hydrencephalo etc. suam repetit originem; qui herniotomiam sequitur. Vomitu reddere fluida porracea, aeruginosa, brunea, grisea, nigricantia, cruenta (nec metastatica nec critica), ichorosa, olida, malum. Qui a ventriculi organorumque contiguorum indurationibus, scirrhis, carcinomatibus, ulceribus aliis oritur, vomitus vix unquam sanatur.

§. 1508. Pro *vomitu* non critico, non salutari radicalem in modum *tollendo* requiritur, ut causae excitantes aptissime et quam citissime auferantur aut enerventur, ut malum princeps, ventriculi nempe vel organorum ante (§. 1506.) nominatorum status irritationis aut inflammationis, vel sincere nervosus debelletur, spastica ventriculi, diaphragmatis, musculorumque abdominalium irritatio componatur, inhibeatur motus antiperistalticus, et, emesi sedata, convalescentia convenienter curetur.

Quod causas auferendas attinet, saburrae gastricae, venena, vermes, substantiae peregrinae, nisi ipso jam vomitu sufficienter evacuentur, aquae fatuae tepidae affatim haustae, cautae faucium irritationis vel emetici ope confestim sunt eliminandae; quemadmodum circa gasteralgiae curam §. 1370. fusius exponebatur. Repleto nimium ventriculo potus diluentes, solventes, aqua tepida,

vel faucium irritatio prius adhibendae, ut modo mitiore, quam emeticis consueto, depletio illius sollicitetur. Quocunque sub vomitus genere herniis adfecti erga incarcerationem, quousque fieri potest, praemuniantur, nec non infantes corpore pronato aut in latus posito erga suffocationem praeserventur oportet. Vomitu non sufficiente, sicut emetico potente contraindicato, adlaborandum est, ut noxae memoratae pro qualitatis ratione immutentur, neutralisentur, decomponantur (quoad venena confer. §. 393. et §. 1370.), atque per enemata et purgantia congrue selecta et caute propinata deorsum eliminentur. — Morbi principes therapiam exigunt toti eorum indoli speciali, aegrorumque constitutioni convenientem, adeoque variam, suo ubivis loco jam traditam. — Vomitus a vectione, vibratione etc. per quietem, vini boni aliquot cochlearia, infusum aut aquam distillatam melissae, menthae, flor. chamomillae ets., vel per infus. fabar. coffeae tostarum et illitiones spirituosas epigastrii, vitato simul omni cibo, curatur. Vomitum a graviditate pharmaca rarius sedant quam aptum vitae regimen. Attaman eo pertinaciter perseverante nunc sensibilitatem nimiam pacantibus, imo opiatis, vel ubi debilitas simul adest, erigentibus mox nominatis aut liquore min. *Hoffm.*, spiritu aetheris nitrici etc. compescere; nunc plethoram depletionibus sanguinis cautis; nunc sordes gastricas adcumulatas eccoproticis auferre opus est.

Si vomitus sublatis et noxis et morbis causalibus ultro pergit; si isti ac illae nequaquam aut non cito satis tolli queunt; si vomitus vehemens urget, curatio indicatur palliativa, symptomatica, in irritabilitatem universim aut topice saltem excedentem minuendam, moderandas contractiones spasticas, et motum tubi intestinalis perístalticum sollicitandum tendens. Absolvitur dosibus exiguis remediorum internorum pacantium, sedantium narcoticorum, e quibus *opium* longe excellit, vel leviter incitantium nervinorum, qualia saepe enumerabantur, vel

potus *Riverii* aut pulverum aërophororum, vel et opii cum kali carbonico alternatim porrigendi; externe balneis calidis simul, fomentis epigastrio adhibendis simpliciter aromaticis vel cum vino paratis, levibusve epithematibus, linimento volatili, lotione quadam spirituosa, ipsa tinctura opii illinenda; enematibus leniter irritantibus et evacuantibus, postea pacantibus, spasmos sedantibus, aromaticis; antagonistica denique cutis praesertim epigastrii per sinapismos, vesicantia, lenes frictiones siccas, cucurbitulas siccas irritatione.

Summi in curando vomitu momenti diaeta censeatur. Cibi et potus, quos vomitus conditio exigit vel concedit, nonnisi parvis portionibus, de regula non frigidi, nec durante vomitionis insultu aut mox finito capiantur, situs corporis quietissimi in latus dextrum modice curvatus teneatur, temperatura conveniens, aëris puritas curentur et animi aegrorum exhilaratio, summopere commendanda.

§. 1509. *Convalescentia* non sedulam modo et constantem noxarum superius recensitarum fugam, studiosum ciborum ac potuum selectum, summamque in usu exposcit temperantiam, sed saepe stomachicis cum et absque nervinis, ut: amaris, amaro-mucilaginosis, amaro-aromaticis, spirituosis, vino annoso blando, opio etc., nec non, quae mox nominabantur, fomentis, epithematibus, inunctionibus, balneis continuandis, aut scuto stomachico indiget conveniente.

Spec. 9. Raphania.

1510. *Raphania* (convulsio cerealis, die Kriebelkrankheit, Krampfsucht) morbus gastrico-nervosus est sui generis, a nutrimentorum e frumenti vitiosi farina paratorum usu suam ducens originem, variisque symptomatibus a ventriculo maxime egredientibus, spasmis tonicis et clonicis, molestoque formicationis sensu in artubus,

praecipue digitis, intensiore autem malo sub universa quoque cute, ipso imo linguae in apice se manifestans.

E. Wichmann, Beyträge zur Geschichte der Kriebelkrankheit i. J. 1770. Leipz. u. Zelle 1770. — Desselben kleine medicinische Schriften.

Lentin, Beob. einiger Krankheiten. Göttingen 1774. S. 1—80.

J. Taube, Geschichte der Kriebelkrankh., besonders derjenigen, die i. d. J. 1770 u. 1771 in den Zellischen Gegenden gewüthet hat. Gött. 1782. 8.

Dr. Wagner, Beobacht. der Kriebelkrankheit in d. J. 1831 u. 1832. In *Hufeland's* u. *Osann's* Journ. d. pr. H. October 1831 u. May u. Juny 1832.

Dreyssig, *Haase*, i. d. a. W.

§. 1511. Morbus a Galeno quidem jam memoratus, primum tamen a *Schwenkfeld* in montanis Silesiae regionibus 1558 exacte observatus, lentus communiter est decursu et febris expers, hinc inde vero celer et febre stipatus.

Casu priore annis prava frugum qualitate et annonae caritate mulctatis, quemadmodum annis 1771 et 1772 in Saxonia (*Wichmann*, *Lentin*, *Taube*, *Stark*), 1831 et 1832 in Borussia (*Wagner*), nonnunquam *epidemicus*, utplurimum *prodromis* annunciatur, plures per dies aut unam alteramve septimanam praecedentibus, uti sunt: gravis membrorum delassatio, tremor, formicatio jam dicta, dolor tensivus rheumaticum aemulans, caput obtusum, soporosum, dysorexia, ventriculi pondus, frigus in abdomine et per dorsum decurrens. Ipsis sub invasionibus formicationem praeviam spasticae membrorum, saepe angulorum sub forma, digitorumque contractiones summe dolorificae excipiunt, vel tremor universalis, convulsio, tetanus, in dorso frigus, aestus in internis, sitis inexplebilis, varium post tempus vomituritio vomitusque levans cum pituitae tenacis, quandoque et nonnullorum trichocephali disparis speciminum ejectione. Invasiones pro mali gravitate ab hora dimidia ad duas protrahuntur,

saepiusque per diem recurrunt. Perstant tempore intermedio sopor aliquis, capitis obnubilatio, dejectio animi, spasticaeque in artubus contractiones, nonnunquam imo stupor eorum et paralysis; adsociantur facies collapsa, discolor, magna pupillae dilatatio, jam fames excedens jam anorexia, quam ructus acidi, pyrosis, cardialgia comitantur.

§. 1512. Raphania, dum in septimanas protenditur, vel vomitu et alvo, multum pituitae tenacis nec non trichocephalos saepe et ascarides lumbricoides eliminantibus, aut efflorescentiis psorae similibus, vel abscessibus ad corporis superficiem factis, *fausto* finitur *modo;* vel in diuturnos fatiscit languores, in epilepsiam, fatuitatem, cataractam, amaurosin, paralyses cum diarrhoeis debilitantibus, tabem, hydropem *transgressura;* vel viribus citius plurimum consumtis paralyses efficit, gangraenam membrorum, gangraenosas aliis quoque locis vesicas, lipothymias, ipsamque demum *mortem.*

§. 1513. Raphania febri juncta, praeprimis in Galliae provincia *Sologne* observata, prodromis jam supra enarratis jam nullis praegressis a febre orditur, similiter ceterum, uti mox descripta, partim gastricis, partim convulsivis, tetanicis atque soporosis cum symptomatibus, vesicis gangraenosis, gangraena sicca, digitorum imo et membrorum majorum secessu acute ac periculose decurrit, nonnisi raro sub evacuationibus aut metastasibus ante nominatis feliciter judicatur, utplurimum potius septimo jam vel octavo die interimit.

§. 1514. *Causa* excitans princeps, confirmante nuperrime *Wagner* (l. c.), est secale cornutum, aestate admodum humida in frumentis plerumque simul haud bene maturis exsuperans, cujus e farina pisti panis aliique cibi humidi, glutinosi, graves, mucido ac nauseoso donati odore raphaniam producere valent. Incusantur et aliorum vegetabilium: raphani raphanistri, lolii temulenti, agrostemmatis githaginis, nigellae sativae etc. inter fruges

uberius crescentium semina, sicubi farinam in nutrimenta quotidiana impendendam larga ingrediuntur.

§. 1515. Morbus in montosis Germaniae regionibus nonnunquam in menses protractus haud minus, quam acutus in Gallia, secumfert periculum. Indoles ejus et circumstantiae externae simultaneae paucos modo convalescere sinunt aegros; quorum potior numerus vel immediate succumbit, vel epilepsiae prius, tetano, paralysi multiplici, tabi traditur.

§. 1516. *Indicatio therapeutica* prima est, emeticis, dein purgantibus primas depurare vias. Hunc in finem ob pituitam tenacem et obtusam ventriculi ac intestinorum irritabilitatem fortioribus tartaro emetico, rheo, senna, sale quodam acuendis etc., dosibusque majoribus opus est, potu simul acidulo adjuvante. Quo obtento specificaque mali causa sedulo et constanter evitata easdem, quae pro nevrosium tractamine generatim valent (§. 1337. ets.), normas sequi oportet. *Wagner* (l. c.) opii gran. semis cum tartar. vitriolat. gr. decem omni trihorio porrectum plurimum laudat, sudorem inde moveri largum, citoque intrare convalescentiam expertus. — Externe vesicantia, sinapismi, balnea calida, lotiones excitantes, atque frictiones spinae dorsalis partiumque spasmo tensarum egregio sunt auxilio.

Therapiam secundariam roborantem *Wagner* nunquam vidit necessariam.

Spec. 10. Chorea St. Viti.

§. 1517. *Chorea St. Viti* (Scelotyrbe, epilepsia saltatoria, ballismus, der Veitstanz) spasmorum clonicorum species est, universalibus ut plurimum, faciei praesertim et membrorum, convulsionibus, quibus conscientia perstante motus corporis insoliti, gesticulationum petulantium adinstar, choream non raro aemulantes perficiuntur, sese manifestans.

G. W. Wedel, de Chorea St. Viti. Jen. 1682.
E. Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Hannover 1794. B. I.
Jos. Bernt, Monographia choreae St. Viti. Prag 1810. 8. — Deutsch bearb., verm. und verb. Aufl. v. *Dr. J. A. Sohler*. Wien 1826. 8.
J. Schäffer, diss. de chor. St. Viti. Viennae 1815. 8.
Haase, *Richter*, in opp. cit.

§. 1518. Morbus juniora fere solum subjecta, ab octavo ad decimum quartum aetatis annum, plectit. Ipse paucissima modo aetatis virilis provectioris vidi hoc adflicta malo. Lente solum ac pedetentim formatur; per septimanas enim imo menses, quin semper attendantur, *praecedunt:* capitis gravitas, obnubilatio, vertigo, cardiopalmus, formicationis per membra sensus, dysorexia, dispositio animi peculiaris jam hilaris jam tristis, gestus petulantiam mentientes. Motus deinde conspiciuntur involuntarii, convulsivi, supra memorati. Qui periodis irregularibus de die exacerbantur ac remittunt, per vices quoque, de nocte communiter, penitus silent. Annunciantur saepe exacerbationes tales ac insultus vertigine, cephalaea, visus obfuscatione, musculorum faciei convulsione, spasmo faucium, cardialgia, oppressione pectoris, cordis palpitatione, membrorum formicatione, stupore aut doloribus, nonnunquam et singulari animi dispositione. Sub insultibus ipsis aut exacerbationibus partes singulae, quidquid firmissima renitatur voluntas, tremunt, vel miras, ridiculas saepe in gesticulationes aguntur; vel aegrotus saltantis in modum se gerit, aut huc illuc celerrime currit, aut in gyrum agitur, aut celeritate ac dexteritate insolita et admiranda sane alta conscendit loca etc.: *chorea major* adpellata est. Aliquando invasio eo solum restringitur, ut aeger genua, femora, aut lecti integumenta etc. pugnis citissime pulset (*malleatio* audit), vel brachia rotet, aut antrorsum ac retrorsum, aut sursum ac deorsum moveat, vel eadem aut et extremitates inferiores certam modo ad directionem v. gr. juxta curvam tantum lineam movere, ideoque cibum

potumve non nisi per circuitum ori ingerere, locum determinatum nonnisi per ambages adtingere valeat: *chorea minor* dicta.

Concomitantur saepe varia variarum corporis partium, musculorum scilicet faciei et cervicis, linguae, diaphragmatis etc., symptomata spasmodica, inde loquelae difficultas, suppressio, suspiria involuntaria, risus, fletus, pectoris oppressio, palpitatio cordis etc. Lateris sinistri membra intensius quam dextri prehendi consueverunt. Sunt, qui subito vehementer lamentari incipiunt et fundere lacrymas, aegri; sunt, qui ecstasi transitoria corripiuntur et s. p.

§. 1519. Insultu consimili mediam vel integram post horam, vel et tardius finito, motus involuntarii pedetentim cessant, succedunt defatigationis sensus, invasionibus intensis ac protractis somnolentia, somnus, sudor. Sub insultu actorum memoria aegro rarissime remanet.

§. 1520. Insultus fixa vel incerta post intervalla rarius aut saepius, imo pluries, communiter de die solum, majore tantum sub morbo de nocte pariter, nunc sine nunc ab ansa data v. gr. animi adfectu, errore diaetae, incedendi tentamine etc. recurrunt, maloque graviter invalescente vix non continui evadunt.

Per se haud facile mortem inducit morbus, in menses tamen tres, sex, in annos imo protrahi potest; diutius durans vel iterum iterumque revertens graviores in nevroses, epilepsiam, maniam, amentiam, apoplexiam, paralyses abit, vel febrim provocat tabificam.

§. 1521. Insignis in choream *dispositio* in pueris, praecipue in puellis invenitur, teneris, delicatulis, debilibus, parentum hypochondriasi, hysteria adfectorum, nonnunquam et vesanorum progenie, corpore ac animo irritabilibus, praematuram adeptis pubertatem aut instinctu sexuali praepostere provocato agitatis. — *Causae excitantes* a generalibus nevrosium causis non differunt. Frequentissimis accensentur: pubertatis periodus prae-

mature inducta; adfectus animi, ira praesertim et *terror; masturbatio; refrigeratio; vermes;* — rarioribus: saburrae gastricae; excretionum, efflorescentiarum, tineae capitis in specie, psorae, malorum cutis scrophulosorum, ulcerum suppressiones; vulnera. *Epidemica* quoque visa est chorea. (Medic. Jahrb. des k. k. österr. Staates. X. oder neueste Folge. I. B. 3. St.)

§. 1522. Morbi hujus peculiaris *natura* nondum liquet; non tamen in assimilationis, sanguificationis et nutritionis debilitate sola, nec in praedominante systematis nervorum ac musculorum irritabilitate ac mobilitate separatim, verum in utraque unita potius quaeratur oportet. *Sohler* et *Haase* in propria quadam medullae spinalis nervorumque inde proficiscentium adfectione, cujus tamen demonstrare indolem nequeunt, illam esse fundatam existimant.

§. 1523. In *medela* facienda conamen primum in causam occasionalem ceterosque influxus nocivos tollendos, enervandos, nec non durantibus spasmorum clonicorum exacerbationibus in aegrum ab omni contusione, lapsu etc. defendendum convertere oportet. — Therapia in morbum ipsum auferendum necessario dirigenda, remissionum tempore potissimum, et juxta indicationes fiat, in nevrosium cura generali expositas. Chorea nevrosi pura reddita, numerosis in casibus in instituto clinico tractatis flores zinci, magister. bismuthi, cum infusis valerian., meliss., chenopod. ambrosoid., frequenteque balneorum tepidorum simplicium, post saponatorum usu, eminente cum successu adhibui. Amaricantia serius addere consuevi, nonnunquam ad corticem Peruvianum, vel ad martialia tandem transgressus. Intra duas, tresve septimanas morbus saepe, rarius quinta aut sexta demum cessit.

Convalescentiae tractamen, citra praevertendas recidivae ansas, statui per morbum effecto restanti accommodetur; tonicum communiter instituatur, roborans,

digestionem, assimilationem universam, sanguificationem proinde ac nutritionem secundans.

Genus II. Paralyses.

§. 1524. *Paralysis* (resolutio, die Lähmung) facultatem musculorum motricem in una pluribusve corporis partibus deperditam significat. Debilitas insignis, vel facultatis motricis jactura periodice ac transitorie tantum manifesta, *paralysis incipiens*, minor debilitatis musculorum gradus *atonia*, *inertia* vocatur.

Immobilitatem a paralysi obstaculum, vigori musculari haud deficienti renitens, eoque non vincendum, distinguit. Sic ligamentorum articuli lateralium, capsularium, cartilaginum interjectarum etc. siccitas, induratio, ossificatio immobilitatem ejusdem pariunt.

§. 1525. Coëxistens facultatis movendi ac sentiendi defectus *paralysis completa, exquisita;* solus prioris defectus, vi sentiendi perstante, paralysis *incompleta, paresis;* partium infra caput sitarum, organis tum respirationi tum humorum circulo dicatis exceptis, vel et inferiorum modo extremitatum paralysis *paraplegia* (Querlähmung); lateris alterutrius vel membrorum solum resolutio *hemiplagia* audiunt.

Paralysis ceterum completa aeque ac incompleta partes varias tum internas tum externas musculosas v. gr. tractum intestinalem, ventriculum, aesophagum, pharyngem, vesicam urinariam etc. infestare, universalis vel ad singulas tantum limitata partes, continua vel intermittens, periodica, substantiva vel symptomatica, primaria vel secundaria esse potest.

H. Boerhaave, aphor. 1057—1070.

B. Chandler, Versuch üb. die verschiedenen Theorien u. Heilmethoden der Schlagflüsse und Lähmungen. A. d. Engl. m. Anm. Stendal 1787. 8.

Th. Kirkland, Commentar üb. d. Schlagfluss u. d. Lähmung, nebst einigen andern damit verwandten Krankheiten. A. d. Engl. Leipz. 1794. 8.

§. 1526. Paralyses quandoque subito intrant v. gr. in apoplexiis, saepe vero pedetentim fiunt debilitate, frigoris, aquae frigidae juxta partis nervos defluentis, formicationis vel torporis sensu, tremore, convulsione, spasmo tonico, atque doloribus diris praegressis.

Partes paralyticae utplurimum laxae tanguntur, pulsum exhibent topice debiliorem, molliorem, minorem, hinc inde intermittentem, successive frigefiunt, et oedematoso saepius inflatae tumore contabescunt.

§. 1527. *Dispositio* in paralyses vel in musculis ipsis obvia, vel in nervis ad eos spectantibus horumque organis centralibus, medulla spinali, oblongata et cerebro quaerenda est. In genuina ubique debilitate cum irritabilitate infracta, vel in activitatis vitalis impedimento, suppressione consistit. *Causas excitantes* potentiae nocentes ac morbi sistunt, vel facultatem musculorum motricem ipsam debilitantes aut penitus auferentes, vel conditiones ad virium muscularium manifestationem requisitas subducentes. Sunt autem hae causae vel idiopathicae vel sympathicae, et vel systemati nervoso, vel circulatorio, vel ipsis musculis proxime inhaerent. Huc proinde pertinent: a) quaecunque cerebri, medullae oblongatae, spinalis, nervorumque ex iis prodeuntium influxum potenter infringunt vel tollunt, unum alterumve istorum organorum premendo, laedendo, destruendo, vires eorum inhibendo, labefactando, exhauriendo, quemadmodum: plethora, humorum congestio, extravasatum, columnae vertebrarum curvaturae, tumores, excrescentiae osseae, nervorum induratio, exsiccatio, vulnus, disscissio; vapores arsenici, hydrargyri, plumbi, hoc ipsum, narcotica quaevis interne in abusum tracta; validae cerebri medullaeve spinalis concussiones; refrigerationes magnae ac subitae, dolores, inflammationes vehementes rheumaticae, arthriticae, aliae; colicae dirae; febres intermittentes malignae; terror fortis, ira effrenis, nonnunquam et vermes; quibus cunctis plerumque spasmi clonici ac tonici

prius excitari, hosque paralyses demum sequi observantur. b) Quae humorum totius organismi plurimum minuunt copiam, vel liberum intercipiendo adfluxum partium singularum nutritionem praepediunt easque viribus spoliant, uti: haemorrhagiae quaevis profusae, phlebotomiae excedentes, diarrhoeae, seminis jacturae nimiae, nutrimentorum inopia; arteriarum singularum compressio, dissectio, anevrisma amplum, rigiditas, ossificatio etc. c) Quae fibras musculares ipsas motibus ineptas reddunt, ut: extensio earum, distractio, pressio, contusio, vitia organisationis, v. gr. ossescentia, in materiam adipi, cerae aut spermati ceti similem commutatio; intensio immodica, plenarius motuum ac exercitationum defectus.

§. 1528. Paralyses diuturnos, et quo longiores eo pertinaciores sistere consueverunt morbos. Quae a plethora universali vel locali, a metastasi varia suam trahunt originem, cura congrua haud neglecta non difficulter saepe *sanantur;* quae vero vitiis organicis nulla ope pharmaceutica vel chirurgica auferendis producuntur, insanabiles perstant.

Paralyses ab apoplexiis praecipue aetate senili, a causis magnopere debilitantibus, exhaurientibus, et adfectione cerebri organorumque sensuum praevalente stipatae, nec non partium paralyticarum sensibilitate abolita, frigore, laxitate, pallore, oedemate vel et tabe insignitae, diutissime durare, rebellesque sanationi resistere solent.

Hemiplegiae saepe in apoplexiam, vel in fatuitatem, amentiam, in amaurosim, acoiam, alaliam transeunt. — Paraplegiae insanabiles plerumque manent. — Extremitatum inferiorum facilius, si unquam, ac superiorum paralyses sanationem admittunt.

Sunt autem sanitatis redeuntis praenuntii: formicationis, titillationis, aut vellicationis, punctorarum nonnunquam fortiorum imo dolorum in membro paralytico sensatio; succussiones electricis analogae, convulsiones

leves *); aliqua motus facultas per vices manifesta; calor, elasticitas et transspiratio restitutae; quandoque eruptio cutanea; pulsuum magnitudo et vigor increscentes.

§. 1529. *Therapia* paralysium ad indicationes generales notas disponitur.

Causarum excitantium indoles ac sedes diversae diversam quoque, hinc inde specificam, curandi methodum rationali-empiricam exigunt. Sic paralyses ab imminente aut praesente jam apoplexia ope venaesectionum promte institutarum, enematum evacuantium, regiminis subfrigidi, quietissimi; paralyses extremitatum inferiorum a chronica periostii vertebrarum dorsalium phlogosi, suppuratione, ad *Pottii* exemplum per fonticulos duos juxta partem columnae vertebralis adfectam utrinque factos, — a vaporibus arsenici etc. per sulphur, hepar sulphuris, saponem, kali tum interne tum in balneis administranda, — ab intoxicatione plumbea citra haec eadem per mercurialia quoque, nec non per emollientia, humectantia, — a rheumatismis inveteratis externe per epispastica nota, urticationem, electricitatis, galvanismi, cauteriorum, sed et lotionum frigidarum, embrocationis usum, interne per excitantia transspirationem moventia, camphoram, gummires. guajaci, liquorem, salem volat. corn. cerv. etc. apte tractantur. Requisitae sanguinis copiae, digestioni, sanguificationi, debitae excretiones inter et restaurationem proportioni deficientibus ratio medelae nutriens, roborans, evacuationes nimias cohibens opponenda est. Vitiis musculorum singulorum organicis quandoque nonnisi chirurgia valet mederi.

*) Haec phaenomena exclusivos nucis vomicae vel strichnini effectus minime constituunt, ab aliis enim remediis salutiferis, venaesectione, arnica, emetico etc. haud minus inducuntur. *Manson* ab jodinae, *Anderson* a rhois toxicondendri usu similia viderunt. (*Hufel.* u. *Osann*, Bibl. d. pr. H. 1831. Febr. p. 82 ets.) Quare non specifici sunt pharmacorum quorumcunque effectus, verum communia sanitatis redeuntis signa.

§. 1530. Causa materiali non obtinente aut ea jam abacta, paralysis nunc ex debilitate et deficiente irritabilitate perstans, vel ex causis debilitantibus et irritabilitatem directe aut indirecte obtundentibus profecta remediis indiget incitantibus, in nervos specialius activis, vel alterantibus efficaciae intensioris. Illis adnumerantur, interno pro usu: valeriana, calam. aromat., camphora, liq. corn. cerv., spirituosa et aetheres, olea aetherea etc.; pro usu externo: lotiones, inunctiones, epithemata, balnea, emplastra irritantia, stimulantia, frictiones siccae manu nuda vel linteo, panno, scopula setosa armata instituendae, pulsatio, flagellatio, urticatio, electricitas, galvanismus, moxa, cauterium potentiale, fors et acupunctura. Alterantia sunt praecipua: arnica, gratiola, ipecacuanha, tart. emeticus, fortassis pulvis quoque aut extract. adeo laudatae a *van Lier*, *Roose*, *Magendie* nucis vomicae, a $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ ad 1—3 grana bis terve per diem porrigendum. Digestionis, sanguificationis, nutritionis languor tonicorum poscit connubium. Remediorum dictorum virtus distractione aegri et exhilaratione, adfectibus animi gratis ac modicis, potente voluntatis imperio, et, ubi movendi facultas aut non penitus abolita fuerat aut reverti incipit, usu partium paralyticarum assiduo, prudenter adcommodato plurimum intenditur et accelleratur.

Remedia externa ut partis laborantis nervis quam proxime adhibeantur conandum est, ideoque origo eorum et decursus ratio probe considerandae.

§. 1531. Paralysi feliciter sublata praecaveatur recidivis noxas quaslibet, causarum titulo supra recensitas, stricte vitando; nec non sequelae paralysium frequentiores: debilitas partium, laxitas, macies, sensibilitas dejecta aut quandoque exsuperans, methodis medendi tonica, restaurante, incitante, imo et irritante debellentur.

ORDO *VI. Nevroses cum functionum systematis nervosi aberrationibus mixtis.*

§. 1532. Continentur hoc ordine morbi, qui characteres aliquibus nevrosium ordinibus hucdum expositis competentes praeseferunt unitos, adeoque vel sensus communis a norma deviationes cum sensus interni, aut motuum muscularium aberrationibus, vel sensuum hallucinationes cum instinctuum naturalium deflexu etc. etc.

Species huc spectare mihi videntur: *hypochondriasis* et *hysteria; epilepsia; vertigo; sopor; apoplexia; lipothymia* et *asphyxia; hydrophobia.*

Spec. 1. Hypochondriasis et hysteria.

§. 1533. *Hypochondriasis* (die Hypochondrie) virorum idem est, qui in feminis *hysteria* dicitur, morbus; cnm nec causae utriusque, nec aegrotantium sexus diversitas essentialem naturae differentiam constituant. Ambae enim in systematis nervosi adfectione consistunt, per immodicam hujus sensibilitatem et dysphoriam, multifarium symptomatum nervosorum formae diversissimae lusum, attentionem aegrotantium in statum morbosum fixam, continuamque circa eum occupationem sollicitam sese prodente, et functionum viscerum abdominis inertiae utplurimum consociata.

In communem hujusce status sequelam influxus externi alias ac in hominibus sanis sollicitant impressiones; aegrotantes nec de his congruas ideas, nec genuinum proprii status sensum nanciscuntur, multiplici illusionum generi facillime exponendi.

Th. Sydenham, Opp. omn. in diss. epist. ad *G. Cole* M. Doct. de variola et hysterica passione.

Fr. Hoffmanni, med. rational. syst. T. IV. P. III.

Joh. Kämpf, Abhandl. von einer neuen Methode, die hartnäckigsten Krankheiten des Unterleibes, und besonders die Hypochondrie, sicher und gründlich zu heilen. Zweyte Ausgabe. Leipz. 1786. 8.

Al. Ant. Etzel, diss. de morbo hypochondriaco. In *Stollii* diss. ed. Eyerel. Vindob. 1789. V. II. p. 392—436.

Ludw. Storr, Untersuch. über den Begriff, die Natur und die Heilbedingungen der Hypochondrie. Stuttg. 1805. 8.

K. J. Zimmermann, Versuch über die Hypochondrie und Hysterie. Bamb. 1816. 8.

Traité de maladies nerveuses ou vapeurs, et particulèrement de l'hysterie et de l'hypochondrie par *M. Louyer-Willermay*. T. II. Paris 1818. 8.

J. P. Falret, Betrachtungen üb. d. Hypochondrie etc. etc. A. d. Franz. übers. von *Wendt*. Leipz. 1822. 8.

§. 1534. Forma hujus morbi utraque maxime et adeo mutabilis est, ut morborum protei nomine donata sit, atque completam delineationem difficulter concedat. Utraque vero *communibus*, quae sequuntur, insignitur *symptomatibus*: attentione in corporis statum minimasque ejus mutationes exorbitante, mutationum morbi et terminationum infaustarum metu; magna animi desponsione; mentis per sensus et illusiones detentione; gravibus de debilitate musculari magna (apparente) querelis; morositate; doloribus ac spasmis sine manifesta occasione, varias corporis partes infestantibus vagis, transitoriis, varias per imaginationes aegrotantem angentibus; inquietudine, dispnoea, anxietate, cardiopalmo, insolita arteriae coeliacae pulsatione; frequente palloris et ruboris, aestus et frigoris alternatione, extremitatum plerumque frigore, cutis formicatione, pruritu, ardore; pulsu languido, parvo, inaequali et inconstante; — altior mali gradus etiam frequente sed fugace macularum et scintillarum visione, amblyopia, aurium susurru, baryecoia, olfactus et gustus hallucinationibus, somno turbato, vertigine, animi deliquiis. Horum plura, mox tamen haec mox alia, aegros aut aegras subito utplurimum invadunt, varioque tempore tenent. Insultus ejusmodi periodis incertis jam brevioribus jam longioribus, maxime ab animi adfectibus et pathematum effervescentiis, recurrunt, et aliis non raro multiplicibus stipati phaenomenis.

Hypochondriasis (Milzsucht) *in specie* systematis gastrici adfecti et stasium in abdominis visceribus obtinentium insuper offert symptomata, uti: adpetentiae mox excedentis mox deficientis inconstantiam, sitim variabilem, ponderis et oppletionis in ventriculo et abdomine sensum, utriusque tensionem et expansionem; digestionem tardam, imperfectam; ructus acidos, pyrosim cardialgiam, flatulentiae incommoda; alvi obstipationem frequentius ac diarrhoeam, quandoque vomitum; solitudinis amorem, dispositionem animi communiter tristem, quandoque tamen per momenta valde hilarem et jocosam; nunc validum coitus desiderium, nunc plenam in sexum sequiorem apathiam.

Hysteriae (Hysterie, Mutterbeschwerde), nonnunquam uteri aut ovariorum vitiis junctae, symptomata *specialia* sunt: functionum sexualium turbae et peculiaria phaenomena nervosa, inquietudo praecipue et borborygmi, in abdomine; uteri per vices turgescentia et motus; sensus globi in imo ventre moti, ab uteri plerumque regione per abdomen, ventriculum, pectus specialius aesophagum, ad pharyngem adscendentis, hunc constringendo, colloque sub inflato ac vasis ejus turgentibus suffocationem minitantis (*globus hystericus*); instinctus sexualis aut silentium aut vigor nimius; hemicrania, *clavus hystericus* i. e. cephalalgia a frigore ordiens et ad parvam capitis plagam circumscripta, quasi a clavo in cranium adacto; virium delassatio subitanea, ansis vix ullis aut levissimis nequaquam respondens; lipothymia jam solum adparens perstante nimirum conscientia integra, jam realis, imo asphyxia protracta; spasmi varii et convulsiones, celeris saepe cachinnorum spasticorum cum lacrymatione citra causam psychicam alternatio.

§. 1535. Hypochondriasis et hysteria admodum diuturnae sunt et pertinacissimae. Iusultus earum vehementia et numero symptomatum, duratione, repetitione summopere variant. Qui ab uno alterove communiter sym-

ptomatum recensitorum, saepe a frigore et horrore, cum largo urinarum limpidarum, pallidarum, aut straminei vel pallide viridicantis coloris (spasticarum dictarum) fluxu ordiuntur, variumque post tempus cum similium vel et turbidarum, serum lactis aemulantium secessu, frequenter cum sudore, et in sexu sequiore nonnunquam cum fluidi mucosi e genitalibus excretione desinunt.

§. 1536. Inter ceteras *differentias* illa in hypochondriasin et hysteriam *sine* et *cum materie*, i. e. sine aut cum materialibus viscerum abdominis in genere, aut testiculorum, uteri ovariorumque in specie mutationibus, sive primariis et causalibus, sive secundariis et symptomaticis obvenientem, notatu dignissima.

§. 1537. In hypochondriasin et hysteriam *disponuntur* homines systematis nervosi perquam irritabilis animique teneri ac mollis, congeniti vel per educationem emollientem, vitae genus otiosum ac sedentarium, lateralem animi ac sensationum culturam, nimias mentis intensiones etc. adquisiti; digestione languida insuper laborantes. — Ad *causas efficientes* spectant: studia praematura, nimia, invita et repugnante Minerva suscepta, continuata, vel ad unicum circumscripta objectum; nimia phantasiae concitatio, animi continuus per moerorem, aegritudinem, invidiam, zelotypiam, amorem infelicem, irrequietam honoris cupidinem, arrogantiam offensam etc. motus; exsuperans sensationum fotus, denegata instinctus sexualis vigentis aut imo exaltati sedatio, excessus in venere, masturbatio, incongruae vigiliae ac somnus; — sessio aut in genere quies nimium dilecta, protracta in habitaculis calidis, humidis simul ac udis mora; victus vilis, diaeta inordinata, potulentorum calidorum abusus; stases in visceribus abdominalibus; plethora abdominalis quemadmodum ante haemorrhoides (§. 1156.) et arthritidem (§. 1309.); profluviorum cruentorum normalium aut habitualium, mensium imprimis et haemorrhoidum suppressio; humorum jacturae nimiae; gravamina a vermibus

praesertim taeniis; purgantia et drastica quaevis in abusum adhibita.

§. 1538. *Idea* de hypochondriasi et hysteria superius pronunciata per symptomata principalia eorumque sedem, per dispositionem atque potentias excitantes utriusque corroboratur. Animi passiones aegrotantium et imaginationis sub iisdem ludibria adeo exorbitant, ut vesaniae, melancholiae speciatim, accedant. Essentialis et attentione dignissima est oppositio, inter sensibilitatem nervorum sensibus inservientium omnium exaltatam, animae occupationem de statu morboso, partimque veris morbose tamen adauctis sensationibus, partim hallucinationibus irrequietam, sollicitam, et inter viscerum abdominis languorem ac inertiam intercedens. Status uterque mutuo in nexu tanto haerere videtur, ut alter systema nervosum altius attinens potentiis morbificis tam directe in idem agentibus, ante nominatis, quam plexuum abdominalium irritabilitatem atque vigorem deprimentibus procreari possit, et ut hypochondriasis aeque ac hysteriae germina memorato jam systematis nervosi altioris jam plexuum abdominalium e statu morboso (cum vel sine materia) propullulent. *Sydenham*, *Fr. Hoffmann*, *E. Stahl*, *R. Vogel*, *J. Kämpf* et auctores plerique posteriorem, *Haase* priorem simul genesis fontem ob oculos habuere; fallitur autem *Falret*, constantem in omni hypochondriasi adfectionem encephali primariam defendens.

§. 1539. Hypochondriasis et hysteria in se spectatae non periculosas quidem, duratione tamen longissima, symptomatum conditione, et facillimo insultuum recursu haud minus molestas aegris quam taediosas medicis, et delassantes sistunt morborum formas. Hereditaria diathesi deficiente nonnunquam aetate provectiore, vel et citius matrimonio, mutatis negotio, vitae ratione, habitaculo et domicilio, climate etc. fugantur. Quandoque et haemorrhoidibus, arthritide, efflorescentiis cutis chronicis etc. evolutis cessant. Quo diutius autem perseverant, quo

frequentius suas repetunt invasiones, eo profundiores agunt radices, eo certius turbas in abdomine provocant aut jam praesentes adaugent; eo longius non sanationis modo spem proscribunt, sed alios insuper certius inducunt morbos: melancholiam, maniam, epilepsiam, apoplexiam, vel hydropem, tabem.

Subjecta hypochondriaca et hysterica a febribus et exanthematibus epidemice regnantibus plerumque perstant immunia.

§. 1540. *Therapia* tam in morbum totum auferendum, quam in mitigandas invasiones singulas, praesertim valde molestas vel vero periculosas, tendat oportet.

Pro morbo toto abigendo causae liberis intervallis durantibus tollantur, infringantur. Mala proinde localia, stases in abdominis visceribus, si in culpa aut morbo conjunctae adsunt eumque pro parte coëfficiunt, alunt, victu tenace omni, farinoso, glutinoso, acido, pingui, potu emolliente, relaxante, excessu in venere etc. stricte vitatis, per interna solventia, serum lactis, aquas soterias solventes, enemata similia, *Kämpfiana*, balnea calida simplicia, saponata muriata, victum succulentum digestu facilem, sedulum in atmosphaera libera motum, mentis distractionem, exhilarationem etc. auferantur. Plethora universalis aut localis solum, in abdominis visceribus obtinens, per adaequatas sanguinis depletiones et methodum antiphlogisticam in genere subtrahatur. Debilitati universali cum praedominante functionum viscerum abdominalium languore et inertia absque stasibus tamen, tumescentiis, indurationibus etc. per methodum specialius in haec viscera dirigendam incitantem, irritantem, roborantem, nec non congrue nutrientem ac restaurantem occurratur etc. — Momentis corporeis aut causalibus, aut morbum saltem alentibus et intendentibus sublatis, hic ipse nunc pure nervosus redditus modo adcommodato psychico, diaetetico, atque per pharmaca tractetur, proprietates subjecti hypochondriaci vel hysterici omnes simul atten-

tissime computentur. Hunc in finem faciunt: aegrotantis distractio et exhilaratio per expositiones rationales, solatium ac spem praebentes, consortia et conversationes ipsi gratas, deambulationes, vectionem, equitationem tempore sereno in regionibus amoenis; rusticationem, peregrinationem; lucubrationum mentis majorum omnium fugam, et occupationes potius ac labores, partim attentionem a morbo derivando, partim corpus pedetentim roborando ac durando, simulque viscerum abdominis inertiam corrigendo proficuos: lusum billard dictum, leviora hortulani ac ruricolae negotia, ligna serrare, runcinare, tornare et similia; cibi ac potus normalibus se- et excretionibus cunctis, alvo maxime et transspirationi, nequaquam adversi, digestu faciles, ast nec acidi aut multum salsi, nec relaxantes aut calefacientes, moderata sumti copia; pharmaca denique incitantia in systema nervosum praecipue activa, leniora casu singulari et potentiora, in- et externe adhibita, uti chamomilla, valeriana, millefolium, melissa, mentha, castoreum, moschus, asa foetida, camphora; — spir. aether. sulphur. nitric. etc., sp. meliss., liq. corn. cerv. et succinat., sal. volat. corn. cerv., ol. anim. Dippel. etc., jam singula jam apte copulata. *Formey* (verm. med. Schriften B. I.) balnea egelida, successive frigida — a grad. 23 ad 14 R. recedendo — per 10, 15 minuta prima princeps declarat remedium. Utut de egregia illorum virtute non sit dubitandum, usus tamen magna indiget circumspectione.

Ipsis dolorum et spasmorum hypochondriacorum et hystericorum sub insultibus, concitato simul humorum circulo et orgasmo, penes regimen saltem negative antiphlogisticum, pharmaca pacantia uti mucilaginosa, mucilaginoso-oleosa, alias vero nervina mox nominata in- et externe administrata, speciatim millefolium, chamomilla, melissa, valeriana, castor., as. foetid., liq. c. c. succin. etc. pro re nata opio, extr. hyoscyam. etc. unita conveniunt. — Lipothymiae hystericae odoramentis va-

riis, citissime vero pennarum adustarum aliorumve empyreumaticorum odore dissipari solent.

§. 1541. Princeps in *convalescentiae* cura momentum causas mali occasionales fugiendas, diaetam congruam et regimen strictissime atque constanter servandum concernit; reliqua, siquidem adhuc requiratur, curandi ratio specialibus semper adcommodetur circumstantiis.

Spec. 2. Epilepsia.

§. 1542. *Epilepsia* (morbus caducus, sacer, comitialis, herculeus, die Fallsucht, fallende Sucht) nevrosis est, spasmorum consuetim universalium, partim et praecipue clonicorum, partim tonicorum insultibus, conscientia et sensationibus, consequenter et sensuum ex- et internorum functionibus cunctis suspensis, insignita.

Boerhaave, aphor. 1071—1088.

Tissot, Abhandl. von der fallenden Sucht. Aus dem Franz. Berl. 1771. 8.

Lentin, von der habituellen Epilepsie. In seinen Beytr. z. ausübenden Arzneyw. B. III.

Ed. Fl. Birly, Diss. de epilepsia. Vien. 1814.

Ed. Löbenstein-Löbel, Wesen und Heilung der Epilepsie. Leipz. 1818. 8.

D. C. Sommer, die Behandlungsart der idiopathischen Epilepsie etc. etc. Quedlinb. u. Leipz. 1819. 8.

J. Cooke, History and Method. of Cure of the various Species of Epilepsie etc. etc. Lond. 1823. 8.

§. 1543. Insultus jam brevioribus jam longioribus post intervallis, jam subito, jam prodromis variis praegressis intrant. Primo in casu *duo*, altero *tria stadia*, prodromorum scilicet, convulsionum et soporis distinguuntur. Inter *prodromos* frequentiores observantur: gravitas capitis, cephalalgia, vertigo, agrypnia vel somnolentia major, insomnia inquieta, anxietas, gasteralgia, abdomen flatibus expansum, multiplex visus, auditus, olfactus etc. hallucinatio; animi dysphoria peculiaris,

moestitia aut morositas, irascibilitas; spastica variis corporis partibus symptomata etc.; non raro aura epileptica i. e. sensatio quasi halitus ab una alterave extremitatum ad spinam dorsi, in specie ad plexus coeliaci regionem, vel a spina dorsali versus cerebrum et sic porro migrantis, jam calidi jam frigiduli, vel formicationis vel ictus quasi electrici. — *Insultus* ipse utplurimum a clamore aegri penetrante orditur, quicum aliquot passus titubando celerrime progressus aut in gyrum actus concidit, et conscientia et sensu privatus. Simul convulsiones majores minoresve ingruunt, communiter universales, cum diversis singularum partium motibus ac distorsionibus, pollicum retractio, tensio musculorum abdominalium spastica, respirium difficile, acceleratum, suspiriosum, gemebundum, inordinatum, spuma oris, dentium stridores, borborygmi sonori, erectio penis, et ad insultus finem saepe urinarum, alvi excretio imo et seminis ejaculatio involuntariae; pulsus tangitur frequens, suppressus, inordinatus, intermittens; cutis, oculorum et s. p. sensibilitas suspensa est; faciei ac colli vasa expansa, facies turgens rubra, dein uti labia livida cernuntur, rotantur oculi et distorquentur, nictitant palpebrae, turget, rubet, sensim madet tota superficies et s. p. Stadium istud pauca plerumque, 5, 10, 15 minuta prima, raro plura excurrit, et symptomatibus memoratis sensim remittentibus, tunc cessantibus, perceptibili hincinde leviore adhuc convulsione, membrorum tremore, flatibus olidis secedentibus, quandoque et vomitu *vel* in delassationem et animi dejectionem sub sudore universali foetente et conscientiae reditu desinit, *vel* in soporem prius profundum, mox breviorem mox longiorem transit, quo soluto aeger per tempus ($\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ horae) de capitis obnubilatione atque dolore pressivo conqueritur, conscientiae et sentiendi facultatis integritatem nonnisi pedetentim recuperaturus. Insultus sequelae nunc successive dissipantur, aegerque vel ad proximum usque insultum sanitate rela-

tiva, animi libertate et hilaritate gaudet, vel tempore intermedio cephalaea obtusa, vertigine, balbutie, amblyopia hallucinatione visus etc. magis minusve adficitur.

§. 1544. Raro unicus occurrit insultus epilepticus; communissime enim hic tempore statuto vel incerto, de die aut nocte, omni medio vel quadrante anni, omni mense, septimana, die, ingravescente malo pluries imo intra nycthemeron revertitur. Occasio data v. gr. error diaetae aut regiminis, validus animi adfectus, ira etc. nequaquam semper eruitur.

Morbus *pertinacissimus* esse consuevit. Per annos perstat, saepe totam imo comitatur vitam. Imminutio et *sanatio* fors contingentes nunquam subito, sed invasionibus antea mitioribus atque continuo rarioribus factis, et sub sudoribus nocturnis (*Sommer*) universalibus, non debilitantibus, urinarumque foetentium, non hypostaticarum, fluxu intrant. Insultus frequentiores rebellem reddunt morbum, variaque facile inducunt *mala posthuma*; memoriae ac intellectus imbecillitatem in specie, fatuitatem, dejectionem animi, melancholiam, imo maniam, amaurosin, baryecoiam et acoiam, alaliam, paralyses, apoplexiam, — tabem, hydropem. — *Mors* vel per quosdam horum morborum lente, vel gravissimis sub insultibus etiam subito per apoplexiam aut suffocationem infertur.

§. 1545. Inter epilepsiae *differentias*, *idiopathica* et *sympathica*; *principalis*, substantiva et *symptomatica*, a cerebri, medullae spinalis, plexuum abdominalium, nervorum extremitatis alicujus adfectione originem ducens, *epil. cerebralis*, *spinalis*, *abdominalis*, *extremitatum* inde neotericis nuncupata; *acuta* et *chronica*; *typica* et *atypica*; *hereditaria* et *adquisita*, specialem hic merentur mentionem.

§. 1546. *Dispositio* in epilepsiam, hereditaria, congenita aut adquisita, in systematis nervosi debilitate ac erethismo, atque reactionum in singulis ejus partibus

mutuarum disproportione latere videtur; hinc in nevroses generatim prona, in epilepsiam quoque facilius incidunt subjecta. Disproportio dicta saepe cranio praegrande, lato, cum osse frontali multum protuberante eminenter indigitatur. — *Causae excitantes* et morbi causales partim topici dantur partim universales; priores in cerebrum, medullam oblongatam et spinalem, plexus abdominales, aut in membrorum nervos directo ac immediato, posteriores potentiore solum agunt modo nocivo. Praecipuis adnumerantur: organorum nerveorum nunc dictorum, involucrorum membranosorum, thecarumve osseorum, nec non partium ipsis contiguarum tumores, excrescentiae, incrassationes, indurationes, vulnera, abscessus, ulcera; metastases in illa factae; excretionum normalium vel habitualium retentiones, vel sicut ulcerum chronicorum, impetiginum, arthritidis suppressiones; humorum in capite aut abdominis cavo congestiones, cum vel absque plethora universali; validae animi commotiones per iram, terrorem, praesertim ex inopinato insultus epileptici conspectu, anxietatem; meditatio rigorosa, protracta; inebriationes; refrigerium; haemorrhagiae; excessus in venere, specialius masturbatio; galactyrrhoea; evolutionum organicarum impedimenta, dentitio difficilis, dysmenia, partus laboriosi; dolores omnis generis vehementes, maxime ab heterogeneis prementibus, irritantibus aut laedentibus inducti, sustentati; spasmorum clonicorum, tonicorum omne genus; saburrae gastricae, vermes praeprimis, in adultis speciatim taeniae; calculi fellei et urinales per ductus suos transprimendi.

§. 1547. Circa epilepsiae *essentiam*, generalem modo proferre conceditur opinionem, illam ab essentia spasmorum generatim in eo solum differre, quod ad insultus epilepticos formandos gravis encephali ipsius adfectio, idiopathica aut consensualis, primaria aut secundaria, requiratur; hanc in activitatis cerebri suppressione perio-

dica consistere, indeque functionum sensuum omnium interet externorum pendere interceptionem.

§. 1548. Quae ex dispositione hereditaria aut per insultus frequentes adquisita et profunde radicata pendet; quae ex vitiis organicis sanationem respuentibus, aut aliis causis nec tollendis nec enervandis proficiscitur; quae aetate virili ingruit, epilepsia insanabilis manere consuevit. Insultus rari (*Boerhaave*) ac inordinati, eorum sine prodromis aut praecursoribus nonnisi in capite persensis introitus, et communiter vel semper noctis tempore accessus, sanationem difficulter impetrandam esse indicant. Lethalis epilepsia evadit in infantibus recens natis, nec non in adultis morbos chronicos exhaurientes: tabem, hydropem, melancholiam complicans. Per dentitionem difficilem, saburras gastricas, partum laboriosum producta causis hisce sublatis communiter cessat. Non hereditaria, ni regimen et curatio adversentur, in juvenibus aeque ac puellis pubertatis tempore evanescit.

§. 1549. *Therapia*, ut in omni morbo, in causas excitantes aut sustinentes, post in epilepsiam ipsam dirigenda, quemadmodum in malis periodicis generatim, in palliativam insultuum, et radicalem, siquidem possibilis, morbi totius secedit. Aura epileptica praecurrente insultus non raro praepediri potest, partem supra locum, e quo illa exit, illico tornaculi aut fasciae densae ope fortiter premendo, et sic ulteriorem illius progressum supprimendo. — Durante insultu caute attendendum, ne aeger ex lapsu, convulsionibus aut linguae inter dentes compressione detrimentum patiatur. Stragulo igitur largo et molli v. gr. stramine, lana, setis equinis repleto imponatur, vestimenta, ligacula cuncta prementia, generatim arcta et stringentia solvantur, dentibus corium, aut lintei aut panni complicati frustum interponatur, praecaveatur autem ne inutilis imo noxia saepe pollicum solutio tentetur, ne aeger convulsus fortiter coërceatur, et ne cubiculum hominibus non stricte necessariis repleatur.

Suffitus graviores generatim obsunt, aura vero pura, libera, adspersio aquae egelidae, frictiones leves, et insultibus diutius continuatis enemata, pro re nata, vel emollientia, evacuantia, vel pacando aut incitando antispastica commendari merentur. Sanguinis ad caput congestiones magnae apoplexiam minantes adaequatas poscunt sanguinis depletiones. Ceterum crisis insultuum ad normas generales (§§. 86. 87.) traditas, observato simul naturae nutu, ex prioribus fortasse invasionibus cognito, promoveatur.

§. 1550. Tempore intercalari conandum, ut causae producentes et morbi principales cognitu saepe difficillimi auferantur, enerventur aut pro possibili obtundantur. Quare impressiones cranii elevare, fracturas reunire, exostoses, extravasata, quoad conceditur, auferre, suppressas humorum evacuationes restituere, aut modo artificiali supplere, nervos tensos, vulneratos, induratos, scirrhosos discindere, aut ulcus artificiale in eorum viciniis efficere ac sustinere, etc. etc. necesse est.

Causis vero ablatis, vel arte majoribus, vel ignotis, tractamen ad rationes pro nevrosium therapia in genere (§. 1337.) expositas instituendum, et epilepsiae sedi, characteri generico, symptomatibus et eminentibus et constantioribus, decurrendi modo, connubio, et ipsis jam effectibus rite ponderatis prudenter adcommodandum est. His mox medendi methodus antiphlogistica mitior aut generosior, mox temperans et pacans, mox incitans, antagonistice irritans etc. indicatur. Epilepsia nevrosim puram sistente, nullisque causis materialibus detegendis, medicus ad empirico-rationalem remediorum ducitur usum, felici hincinde experientia commendatorum. Praecipua sunt: a) excitantia: valeriana, in pulvere praesertim et dosibus majoribus sola aut sequentium singulis nupta, folia aurant., as. foet., moschus, castoreum, camphora, oleum terebinthinae, radix artemisiae vulgaris juxta *Burdach;* liq. corn. cerv., ol. animale Dippelii,

phosphorus; b) temperantia et pacantia: viscum quercinum, betonia, opium, belladonnae radix et folia, quae tamen ultima duo, testantibus *Gredingii* tentaminibus, rarissime revera indicantur; c) antagonistica, partim in plexus abdominales, partim in cutem activa: emetica dosibus refractis, quibus nausea invitetur, alatur; flores zinci, magist. bism., zinc. sulfuricum, cuprum ammoniacale, nitras argenti fusus; flor. arnic., nux vomic., herb. sedi acris; enemata et inunctiones antispasticae, eruptiones cutaneae artificiales et ulcera per fonticulos, setaceum, moxam praesertim in aegris aetate provectis. Quae seligenda methodus, quae arripienda sint remedia, circumstantiis omnibus casus individualis rite pensitatis indicatur. Adjuvant pro re nata balneorum egelidorum usus, congrua in animum actio, maxime regimen vitae scopo exacte concordans. Quare ciborum copia justo major, iique concoctu difficiles, potus aromatici, spirituosi calefacientes, motus corporis ac intensiones validae, adfectus animi quivis vehementes aversioni inprimis, terrori, anxietati juncti, curae, moeror, etc. refrigeratio, humectatio strenue vitentur.

§. 1551. Insultibus epilepsiae profligatis reliquiae curatione, earum indoli, magnitudini ac dignitati, sedi conveniente auferantur oportet, inque recidivas, quum hae facillime ingruant, praevertendas maxima convertatur sollicitudo. Hunc in finem assidua tam noxarum, quae epilepsiam pepererant, quam omnium generatim huic morbo producendo parium fuga absolute requiritur.

Spec. 3. Vertigo.

§. 1552. *Vertigo* (scotodynia, der Schwindel), symptoma potius quam morbus, est angens, aegro adparens vel sui ipsius vel objectorum externorum rotatio, oscillatio, ascensus et descensus, vel motitatio confusa. Saepe cum diplopia, crupsia, visus obfuscatione, susurru aurium adest, et in nauseam, vomitum vel lipothymiam

non raro transgreditur. Altiori in gradu aeger subito circumvelatur tenebris, titubat, et humum concidit (vertigo caduca).

M. Herz, Versuch über den Schwindel. Zweyte Auflage. Berlin 1791. 8.

§. 1553. Vertiginis *causae* sunt a) *idiopathicae:* plethora universalis, sanguinis aliorumve humorum in capite congestio v. gr. per collaria justo arctiora, validam frequentemque tussim, varia circuli per pulmones obstacula, et momenta pleraque apoplexiae generandae paria; hydrocephalus internus, encephali ulcera, indurationes, hydatides, commotiones, cranii impressiones, fracturae, tophi et exostoses, celeris in gyrum actio, citatus scalarum spiralium ascensus, vectio solito rapidior; vitia nervi optici organica, gravis oculorum intensio; b) *sympathicae:* odoramenta, suffitus, errhina varia; ventriculi oppletio, sordes gastricae, vermes in primis viis, alvi obstipatio protracta, phisconiae viscerum abdominis, stases humorum in illis; substantiae narcoticae, spirituosorum usus debito largior, pleraeque causarum lipothymiae infra enumerandarum, quatenus haec vertiginem saepe antecedit; sanguinis aliorumve profluviorum normalium aeque ac habitualium, eruptionum cutis chronicarum etc. suppressio; tandem c) vertigo non raro *symptoma* nevrosium universalium, epilepsiae speciatim, hysteriae hypochondriaseos, febris nervosae, nec non majoris in genere debilitatis universalis occurrit.

§. 1554. Vertiginis *essentia* latet, nisi pro sensus hallucinatione sumatur, mox ab impressionibus in organon visus aut cerebri partem nervo optico proxime junctam idiopathicis aut sympathicis, mox ab animae functionibus ipsis, speciatim plurium sese urgentium impressionum aut perceptionum clara animadversione et perfecta distinctione deficientibus, proficiscente.

§. 1555. Vertigo idiopathica a causis non tollendis semper ominosa; diu enim perstat, facile saepeque recurrit inque apoplexiam, paralysim, epilepsiam, lipothymias, aut in amaurosim transire amat. Malorum dictorum praecursor non raro ad illa feliciter praecavenda facit, sin minus, ab his ipsis suum nanciscitur significatum. Idem de vertigine, morborum variorum specialius nervosorum et gastricorum febrilium aut non febrilium, et debilitatis universalis, vel completae virium exhaustionis symptomate, censendum.

§. 1556. *Cura* vertiginis partim *radicalis* est partim *symptomatica;* illa liberis inter vertiginis accessus intervallis, et causis ejus non auferendis, haec ipsis sub invasionibus, et praesente causas excitantes ac sustinentes tollendi vel enervandi impossibilitate, praeferenda. *Prior* eo tendat, ut causarum actio deleatur, plethorae proinde universalis aut localis per phlebotomias, depletiones sanguinis topicas, remedia derivantia cum accommodato vitae regimine, per evacuationum suppressarum restitutionem vel artificiale supplementum tollatur, saburrae gastricae, narcotica, si paulo ante capta fuerint, via brevissima per emetica eliminentur, diutius vero ingesta per acida, infusum fabarum coffeae tostarum fortius, alkali volatile, innocua reddantur; debilitati universali per roborantia, incitantia in systema nervosum et nervos olfactorios maxime activa, occurratur etc. Regimen ac diaeta his semper exactissime concordent.

Durante vertiginis *insultu* convenit, aegrum situi quieto capite suberecto committere, vestes, fascias, ligacula etc. circuli libertatem impedientia et humorum in capite congestioni producendae aut sustinendae faventia laxare, atque longiore sub duratione majoreque debilitate obtinente confestim erigentia et analeptica, errhina, fronti, regioni superciliorum ac temporum fomenta ac lotiones adhibere. Huic scopo remedia spirituosa, aethereo-oleosa, alkali volatile, substantiae aromaticae inserviunt,

quibus sinapismi ac pediluvia calida simplicia, aut irritantia accedunt.

§. 1557. In *convalescentiae* stadio penes sequelas morbi auferendas maxime de aëris puri usu, accommodato corporis motu, noxarum omnium superius relatarum, ciborum in specie copiosorum, digestu difficilium, flatulentorum fuga sollicite curandum est.

Spec. 4. Sopor.

§. 1558. *Sopor* (coma, die Schlafsucht) somnus dicitur morbosus, diverso et insolito tempore ingruens, jam brevis jam protractus, et adeo profundus, ut clara aegri conscientia incitamentis consuetis ardue aut non possit resuscitari.

§. 1559. *Rationem* soporis *proximam* receptivitatis et reagendi facultatis systematis nervosi, cerebri praecipue, suppressio, debilitas, exhaustio sistit.

Causae igitur *excitantes* in potentiis ac morbis inveniuntur, vires nerveas vel supprimentibus, vel debilitantibus, exhaurientibus. *Illis* adnumerantur: plethora, sanguinis intra cranium congestio, ejusdem aliorumve humorum extravasata, a variis profluviis cruentis aliisque, aut morbis suppressis (in apoplexiae tractatu fusius lustrandis); hydrocephalus internus; validae encephali commotiones, cranii impressiones, tumores, excrescentiae introrsum agentes, meningum intumescentiae, incrassationes; substantiae narcoticae, et inebriantes; — *posterioribus* accensentur: larga humorum dispendia, massa sanguinis nimis serosa, fatua, ut in hydropicis, chloroticis; complurium vel momentosorum singulorum corporis aut animi stimulorum subtractio; vigiliae longae praegressae, corporis mentisve intensiones nimiae, quemadmodum a vehementibus febris intermittentis paroxysmis, epilepsiae insultibus a studiis nocturnis diu continuatis, et s. p.

§. 1560. Patet ex his, soporem adfectionem esse *symptomaticam*, quoad *magnitudinem*, *durationem*, *differentias* a morbi principalis conditione et causis potissimum pendentem. Inferioris igitur dignitatis sunt soporis distinctiones ab hujus gradu lateralibusque petitae symptomatibus: in *coma vigil* seu soporem, e quo aeger ad aliquam ast non perfectam excitari conscientiam potest, mox tamen in eundem relabitur, jam sine jam cum delirio (typhomaniam); *coma somnolentum*, soporem et febris et delirii expertem, e quo aeger excitari nequit; *carum* (cataphoram), cum pleno incitabilitatis defectu, et respiratione profunda, anhelosa, ronchis stipata; et in *lethargum*, gravi vitae debilitati, deliriis placidis, amnesiae eminenti, febrique lentae junctum.

§. 1561. Soporis symptomatis singuli utut momentosi significatio et *dignitas* ab ejus magnitudine atque duratione simul ac morbi principis indole, forma, intensitate, stadio, duratione, nec non momento causae disponente et excitante petantur. Quibus collatis ac rite ponderatis facile deciditur, num sopor leve, num vero anceps, grave, periculosum, vel plane lethale sit signum. — Notari meretur, soporem et *simulari*, hacque larva medicos quoque incaute credulos, per tempus saltem, decipi posse.

§. 1562. *Therapia* soporis primum causas morbosve principes auferre adlaboret. Plethora igitur modo iteratim jam exposito, — congestiones ad caput, aut in meningum et cerebri sinubus et vasis accumulationes localibus saltem sanguinis depletionibus, postea frigidis ad caput fomentis, situ dorsali pectore et capite modicum elevatis, pediluviis, enematibus, epispasticis derivantibus, — humorum effusiones, ubi attingi possunt, trepanatione, — metastases derivantibus et antagonisticis adaequatis debellentur etc. Debilitati universali incitantia interne ac externe, jam mitiora jam potentiora, penetrantia, epispastica, humorum, mediante nutrimentorum apte sele-

ctorum digestione perfecta, copia augenda et qualitas emendanda opponantur.

Convalescentia ad normas therapeuticas generales curetur oportet.

Spec. 5. Apoplexia.

§. 1563. *Apoplexia* (der Schlagfluss) morbus est, subitanea conscientiae omniumque sensationum ac motuum voluntariorum jactura, perstantibus humorum circulo et respiratione utut saepe difficili et stertorosa, se manifestans. — Leviore gradu, aliqua conscientia et aliquo adhuc debili motu musculari praesentibus, morbus *parapoplexia* (unvollständiger Schlagfluss) dicitur, ut a mox designata, quae *exquisita* audit, distinguatur.

H. Boerhaave, aphor. 1007—1035.

J. J. Wepferi, historiae apoplecticorum, observationibus et scholiis anatomicis et medicis quamplurimis elaboratae et illustratae. Amstel. 1724. 8.

R. Wilhelm, Diss. de apoplexia. In *Stollii* Diss. edit. *J. Eyerel.* Vindob. 1788. Vol. I. p. 302—344.

Bernh. Chandler, *Thom. Kirkland*, opp. cit.

Portal, Observations sur la nature et le traitement de l'apoplexie, et sur les moyens de la prévenir, à Paris 1811. 8.

Chr. G. Hopf, Versuch eines Umrisses der Hauptgattungen des Schlagflusses und ihrer Behandl. Stuttgart 1816. 8.

Traité de l'apoplexie ou hémorrhagie cérébrale, considérations nouvelles etc. etc. par *Moulin.* à Paris 1819. A. d. Franz. und mit Anmerk. begleitet von *C. Caspari.* Leipz. 1821. 8.

Haase, *Jos. Frank*, *Richter*, opp. cit.

§. 1564. *Essentia* apoplexiae in cerebri et partis systematis nervosi sensibus ac motibus voluntariis praefixae impotentia (paralysi) consistit. Quum rationem proximam hujus activitatis jacturae jam virium suppressio jam vera debilitas immediate vel mediate exorta sistat: prima et intuitu practico gravissima *apoplexiae distinctio* a) in apoplexiam *a virium suppressione* et b) *a vera virium debilitate*, statuenda venit. — Vires autem cere-

bri tam a sanguine intra cranium congesto aut extravasato, quem *Richoux, Riobé, Bricheteau, Moulin* (*Horn's* Archiv f. medic. Erfahr. 1819 H. VI. und 1820 H. I.) incongrue pro unica apoplexiae causa proxima habent, quam ab humoribus serosis, lymphaticis, purulentis, ichorosis, extravasatis, imo a variis cerebri, meningum, ossium cranii vitiis organicis, subito et gradu ad apoplexiam requisito *supprimi* possunt; et *vera* earum *debilitas*, quam *Schaeffer* (*Horn's* Archiv 1819 H. I.) unice et contra omnem experientiam pro apoplexiae essentia declarat, aeque ab influxibus debilitantibus et alterantibus, quam generatim directe aut mediante incitatione nimia aut humorum immutatione nocentibus, suam trahere potest originem. Unde sequitur, divisiones in apoplexiam *sanguineam*, *nervosam* et *serosam*, sive phlegmaticam sive lymphaticam dictam, atque apoplexiam *ex vitiis organicis*, porro in apoplexiam *calidam* seu febrilem et *frigidam* seu afebrilem, in *idiopathicam*, *sympathicam*, *symptomaticam*, *metastaticam* etc. utut variae dignitatis practicae adeoque attentione admodum dignas, discrimini tamen ante statuto principi esse subordinatas.

§. 1565. Apoplexia vel subito et inopinate, vel *prodromis* variis praegressis ingruit, qui soli apoplexiae imminentis speciem tuto non indicant. *Praecedere* autem *apoplexiam a viribus*, praesertim per activas humorum intra cranium congestiones, *suppressis* orituram solent: capitis gravitas, obnubilatio, dolor, magna in somnum propensio, somnus inquietus, insomniis terreficis, pavoribus turbatus, amnesia, vertigo, crupsia, photopsia, aurium susurrus, animae praesentiae sensuumque activitatis suspensio (imminens lipothymia) transitoria, ad mentis lucubrationes inhabilitas; membrorum, alterutrius imprimis lateris, pondus, dedolatio, stupor aut formicatio; loquelae difficultas, balbuties; suspiria frequentia, pulsus lentus, durus, tensus, irregularis; facies saepe turgida, rubra, rubro-livescens, oculi rubicundi, labia sublivida,

venae jugulares turgentes, carotidum et arteriarum temporalium (eminens congestionum ad caput signum) pulsatio valida; nausea, vomituritio praesertim capite moto; initia quandoque paralysium in singulis faciei etc. musculis. — *Apoplexiam ex debilitate* consuetim annunciant: remissio virium magna, vertigo, in lipothymias inclinatio, obfuscatio visus, corporis pallor ac frigus, pulsus tardus, debilis, parvus, inordinatus, labiorum etc. tremor; — apoplexiam *nervosam* in specie, *a debilitate* scilicet *cum systemate nervoso eminentius adfecto:* tremores, convulsiones, faucium, cordis, ventriculi, sphincteris vesicae etc. spasmi, oculorum distorsio, coarctatio pupillae, palpebrae superioris prolapsus, pulsus duri, contracti, inaequales, imo intermittentes.

§. 1566. *Insultus* ipse, *Boerhaavio* rite adnotante, in primi generis casibus a cephalalgia intensa, anxietate, formicationis ad frontem sensu, tensionibus ad nucham, motibus linguae interceptis, balbutie communiter *orditur;* in casibus alterius ac tertii generis saepe a tremoribus aut repentina capitis oculorumque retorsione, vel manibus capiti admotis vel convulsionibus universalibus aut topicis, hinc inde a cordis palpitatione forti, magno orgasmo, et aliquali salivae ex ore profluvio incipit. Aeger mox, conscientia motuumque voluntate regendorum facultate subito privatus, collabitur aut repente prosternitur, profunde dormientis instar respirat ronchos ducens, nonnunquam stertens ore hiante spuma repleto, utplurimum obliquo, respirio lento aut interciso; in primi generis casibus pulsum offerens tardum, magnum, fortem, durum, aequalem aut inconstantem, vultum turgidum, rubrum, oculos rubros, sanguine quasi suffusos, protuberantes, fixos, palpebras tumidulas, pupillam dilatatam, immobilem, venas jugulares multum distentas; — in generis secundi ac tertii casibus faciem plerumque pallidam, pallide flavicantem, collapsam, sudore frigido madentem, oculos languidos quasi vitreos; palpebras conniventes aut spastice con-

tractas; non tumidas, artus communiter frigentes, involuntarios non raro urinarum alvique secessus, paralysin quandoque unius cum convulsione alterius lateris, pulsum tardum, debilem, parvum, admodum inaequalem, nec non intermittentem.

§. 1567. Insultus apoplectici raro, superveniente febre, aut suppressis profluviis vel efflorescentiis cutaneis etc. nunc revertentibus, aut criticis sub sudoribus, excretionibus alvinis, vomitu levante, urinis hypostasin levem et crystallis micantem formantibus, epistaxi etc. accedentibus *in sanitatem* abeunt; saepe nimis autem pauca jam intra minuta prima vel horulas, frequenter duo triave intra nycthemera fiunt *lethales*, — alias non raro paralysin linguae, singulorum faciei musculorum, alterutrius lateris corporis *(hemiplegiam)*, aut extremitatum modo superiorum vel inferiorum, vesicae cum ischuria vesicali; vel memoriae, intellectus, rationis imbecillitatem, fatuitatem, vesaniam; vel adynamiam universalem cum variis cachexiarum formis inde propullulantibus habent *posthumas*.

§. 1568. Sectis *in cadaveribus (Morgagni* l. c. Ep. I.—V.) nullam saepe materialem morbi et mortis causam detegere licuit; nonnunquam autem vasa ac sinus cerebri et meningum sanguine oppleti, *quandoque (Bernt, C. Wenzel)* sanguinis extravasata intra cranium et meninges, intra istas, aut in ipsa cerebri substantia, in ea praecipue, quae corpora striata et nervorum opticorum thalamos format, parte *(Maudin)*, rarissime in cerebello, vel denique in cerebri ventriculis sunt reperta; aut et accumulationes et effusiones humorum serosorum, lymphaticorum, massae polyposae iisdem in organis; substantiae cerebri insolita jam mollities jam densitas; vasorum diaereses; hydatides; quandoque cicatrices in cerebro aut folliculi membranosi a sanguineis insultuum ante superatorum extravasatis residui, quemadmodum *Cheyne, Rochoux, Riobé, Brichetau* et *Moulin* inquisitionibus suis

demonstrarunt. Mutationes morbosae utplurimum in hemisphaerio partibus paralyticis oppositio inveniuntur (*Serres*); nonnisi paucae certo noscuntur exceptiones. — Arteriarum basilarium et vertebralium ossificationes non raro sese objiciunt.

§. 1569. *Dispositio* in apoplexiam, et *causae* hujus *excitantes* pro *duplici* illius *varietate* differunt.

In apoplexiam *a suppressis* cerebri et systematis nervosi partis ad sensationes ac motus voluntarios facientis *viribus*, praesertim per sanguinis in capite congestiones et extravasata, *disponuntur* maxime homines *proprio* corporis *habitu*, integris nonnunquam familiis hereditario i. e. capite grande, amplo, collo brevi, crasso (cui non raro una aut duae deficiunt vertebrae), extremitatibus brevibus et crassis, atque abdomine vasto, donati; porro plethorici, torosi, obesi, intra quadragesimum inprimis et sexagesimum aetatis annum constituti. — *Generare* hanc apoplexiae varietatem valent: potentiae pleraeque inter excitantes encephalitidis et meningitidum causas idiopathicas, sympathicas et antagonisticas enumeratae (T. I. §. 322.), hae inflammationes ipsae gradu altissimo, mala earum posthuma nonnulla (ibid. 319. — 321.), substantiae narcoticae intensiores, varia odoramenta, effluvia et vapores concentrati, vicissitudines temperaturae ac tempestatis frequentes subitae et magnae, vere imprimis et autumno; observatis veterum et recentiorum testibus insuper: cordis vasorumque majorum vitia, ut cordis enormitas, ejusdem et aortae anevrismata, ossificationes valvularum ejus et vasorum majorum, polypi etc., sanguinem cerebrum versus impetuose urgentes aut ejus a cerebro refluxum praepedientes; capitis pronatio insignis et protracta; venarum jugularium compressio; respirii difficultas a thorace et abdomine compressis, cyphosi aut lordosi, statu pituitoso, vomicis, hydrothorace; respiratio intercepta in suspensis, submersis; nimia ventriculi et intestinorum oppletio; viscerum

abdominis singulorum aut plurium, maxime hepatis, renum, uteri, volumen morbosum atque tumor circulum graviter impediens, quare apoplexia gastrica et biliosa, non in systematis cujusdam favorem excogitata (*Romberg* in *Horn's* Archiv etc. 1820), vere existit, e morborum realium numero eheu! non proscribenda.

§. 1570. In apoplexiam *a vera* organorum memoratorum *debilitate* pendentem praecipue *disponuntur*: subjecta tenera, debilia, multum irritabilia, nevrosibus chronicis, hypochondriasi, hysteria etc. laborantia, aut morbis, largis humorum dispendiis, nutrimentorum penuria, curis, moerore exhausta, confecta, variae potissimum vero provectae aetatis. *Producunt* hanc: haemorrhagiae, aliorumve humorum jacturae largae, subitae aut iteratae, praesertim seminis per onaniam dispendia, remediorum evacuantium abusus; corporis mentisque adstrictiones nimiae exhaustionem inferentes, incongruus similemque effectum minitans stimulorum usus; animi adfectus et pathemata deprimentia: anxietas, sollicitudo, curae rodentes, moeror, desiderium inane, tristitia gravis etc., imo febres nervosae et nevroses purae chronicae, speciatim convulsivae; continua tandem humida, humido-frigida tempestas. (Confer. caus. febr. nervos. T. I. §. 141.) — Apoplexiae vere et praecipue autumno frequentius ac alio quovis anni tempore, quandoque revera epidemice grassantes, sub frequentibus et magnis tempestatis vicissitudinibus per refrigerationes generari consueverunt, nequaquam inde cerebri debilitati acquiescunt, sed pro diversa individuorum dispositione jam apoplexias sanguineas, jam serosas, pituitosas, jam febris intermittentis larvas sistunt (*Wilhelm*).

§. 1571. *Apoplexia* semper *periculosus est morbus*, saepius lethalis ac in sanitatem abiens. Gravis nunquam, levis difficile sanatur (*Hippocrates*, *Celsus*). Subjecta mascula prae femininis, aetate matura quadragesimum et sexagesimum intra annum (*Hippocrates*), rarius senilia,

rarissime juvenilia et puerilia invadit. Insultus levis faventibus sub rerum adjunctis, congruaque cura tempestive facta saepius absque malis posthumis resolvitur; fortis vero vel subito necat, vel paucis post diebus fortior repetit, et lateris sinistri frequentius ac dextri paralyses, aliaque ante recensita relinquere solet mala. Quilibet insultus sublatus magnam in recidivum proclivitatem post se trahit. Febris comparens non absolute fausto gaudet significatu; qui partim ab ejus cum toto morbo nexu, partim ab indole inflammatoria, nervosa, putrida, et intensitate, partim a symptomatum concomitantium natura, numero, magnitudine, dignitate depromendus est. Mala sunt signa: continuae sub insultu convulsiones, spasmus universalis, vomitus vehemens citra sordes gastricas; deglutiendi impotentia cum potus, medicaminis etc. per nares refluxu; alvus et urinae involuntariae; sudores faciem, collum, pectus, extremitates superiores tegentes, frigidi; facies defigurata, collapsa; respiratio ronchis, et stertore comitata cum spuma ante os protrusa, febris fortis, inquietudo, furor.

Apoplexiam feliciter sublatam pulmonis morbus non raro excipit, per paralysim vel suppurationem utplurimum lethalis futurus.

§. 1572. In *therapia* facienda duplicem memoratam apoplexiae varietatem rite ob oculos habere, adeoque expositam dispositionis et constitutionis totius individualis, causarum excitantium, morborum praesentium aut praegressorum in nexu causali haerentium, prodromorum, ipsorumque insultus phaenomenorum differentiam exactissime attendere oportet. Ob insigne apoplexiae periculum ac frequentem lethalitatem plurimi interest, imminentem jam cognoscere, ut verus ejus accessus, si possibile, *praevertatur*. Ceterum momenta indicantia tum generalia tum individualia sequendum.

Apoplexia igitur a cerebri viribus per activam san-

guinis congestionem suppressis *imminente (apoplexia sanguinea)*, aut jam *praesente*, aegrum in cubile spatiosum aëre puro gaudens, moderate temperatum (circa + 11 — 12 gr. Réaum.) transferre, in situ suberecto, capite et pectore scilicet elevatis cruribusque bene tectis declivibus, continere, vestimenta quaevis arcta prementia, stringentia, uti collaria, thoracula, caligarum etc. fascias quam citissime et quin aeger commoveatur, concutiatur, solvere atque tentare oportet, ut causa excitans agere fors persistens modo auferatur conveniente. Hoc respectu plethora localis et simul universalis per phlebotomiam largam e vena brachii non paralytici aut, casu multum urgente, e vena jugulari extemplo instituenda, et pulsuum duritie ac tensione perstantibus brevi iteranda, per enemata emollientia evacuantia sale culinari, aut Glauberi, aut nitro, oximelle etc. acuenda, egelida; si aeger deglutire valet, per purgantia antiphlogistica similesque potus inprimis acidulos, nec non data indicatione per fomenta frigida ex aqua, aut aqua cum aceto, aut aquosa nitri et salis ammoniaci solutione ad caput, tollenda est. Superstites intra cranium sanguinis congestiones, vel sine praevia plethora universali obtinentes, in subjectis debilibus quoque et senilibus per eandem in genere curandi methodum, et venaesectione non ultro indicata per hirudines aut cucurbitas scarificatas cum incisionibus profundis, priores ad tempora et retro aures, posteriores ad capitis rasi verticem, occiput juxta suturas, nucham, et collum adplicandas, specialius vero per evacuationum sanguinis humorumve serosorum, mucosorum, aut aliorum suppressarum, ubi culpam gerunt, restitutionem aut supplementum artificiale discutiantur. Sanguinis, puris extravasata, ubi certo cognoscuntur et attingi queunt, ope trepanationis, saburrae gastricae sursum turgentes non emeticorum irritantium, sed aquae solum tepidae, eccoproticorum antiphlogisticorum et clysterum ope abigantur; — stases insignes et

infarctus in abdomine per solventia et deorsum evacuantia auferantur; — eruptiones cutaneae, erysipelas, arthritis, etc. repulsae ratione pluries indicata revocentur et s. p. Simul femora moderate subligando sanguinis ab extremitatibus inferioribus refluxum minuere (*Wilhelm*) et calorem, lucem intensam, strepitum, omnesque impressiones irritantes orgasmum humorum cientes, corpus concutientes, quemadmodum sternutatoria, pulveres, vapores, fumigationes etc. imo et vesicantia, sinapismos, purgantia fortiora resinosa, extremitatum frictiones, strictissime vitare necesse est. — Haec medelae ratio procedente insultu continuari, mox intendi, mox praesertim in subjectis debilibus ac senilibus restringi, epispasticis, sinapismis in specie, copulari, aut mutato rerum statu congrue quoque modificari, mutari debet. *Febris*, si qua accesserit, juxta gradum et characterem apte tractetur, et si moderata, reapse salutarem se exhibeat (*Hippocrates*), ne nimis cito et justo generosius impugnetur.

§. 1573. Insultu tali apoplectico feliciter sublato *ad praecavendam recidivam* requiritur, ut 1) plethorae regenerandae obviam eatur, 2) potentiae irritantes, exstimulantes quaevis fugiantur, et 3) omnis humorum fortior ad encephalum congestio praepediatur. Indicatio prima per diaetam restrictam, imprimis vegetabilem, aromatibus non conditam, coenas parcissimas, somni protracti et speciatim a prandio omnis fugam, altera per abstinentiam a potuum, pharmacorum in- et externorum aromaticorum, spirituosorum, potus arabici, pulveris ac fumi nicotianae etc. usu, per balneorum calidorum, affectuum animi excitantium etc. evitationem; tertia denique per aestus a sole, fornace etc. fugam, debitamque urinae, alvi evacuationum, et transspirationis curam expletur.

§. 1574. Tractamen apoplexiae *a debilitate vera*, ad quam *serosa frigida* dicta, *pituitosa* et *nervosa* spectant, pariter in eo primum consistat oportet, ut causae

excitantes abigantur, se- et excretiones aequabiliter sustineantur, exorbitantia earum quaelibet praecaveatur, moderata lucis, caloris, odoramentorum blandorum concedatur actio, pharmacorumque incitantium imo, et irritantium externa, et, deglutitione concessa, interna fiat adplicatio. Huic indicationi conveniunt: acetum simplex et aromaticum, alcali volatile, sal. volat., spir. corn. cerv., fluida aromatica et spirituosa, qua odoramenta, errhina sternutatoria, faciei membrorumque lavacra, frictiones temporibus, nuchae, epigastrio, regioni spinae dorsi adhibendae; fomenta aromatica, aromatico-vinosa capiti imponenda; qua epispastica sinapismi, armoracia rasa, emplastr. cantharid., ad nucham, intra scapulas, aut ad brachia vel suras; frictiones extremitatum ac dorsi pannorum lineorum, laneorum aut scopularum setosarum ope perficiendae; tandem qua incitando, irritando derivantia enemata, semicupia, pediluvia aromatica, acria. Interne administranda sunt eadem, quae in febris nervosae therapia (T. I. §. 144. ets.) exponebantur. In remediorum tam externorum quam internorum selectu stricte distinguendum, num debilitas, sive immediate sive mediate orta, cum sensibilitatis ac irritabilitatis excessu vel defectu, symptomatibusque nervosis vel pituitosis manifestis incedant, quum casu priore incitamentis mitioribus, humorum circulum modice erigentibus, altero autem fortioribus sit locus. — Praedominantibus torpore ac inertia universali, pituitoso pulmonum et ventriculi statu, sic et complicantibus in ventriculo sordibus, emetica optime indicantur.

Nunquam hac in apoplexiae varietate a debilitate vera, exacto supersedendum est examine, num humorum in cerebro congestiones, seu causales seu laterales seu effectivae, adsint, utpote ante incitantium memoratorum adplicationem per phlebotomias parvas, vel locales saltem sanguinis depletiones nominatas auferendae.

Apoplexiae febris intermittentis larva in modum intermittentis nervosae malignae cito curanda est et adaequata cum gravitate.

§. 1575. Varietatibus apoplexiae singulis adcommodata ubivis *diaeta* et *regimen* exacte definiri debent, atque per *convalescentiae* quoque periodum strictissime servari. Simul hac durante eminentem vigere in recidivas opportunitatem, nunquam non attendendum est.

Paralyses tam *symptomaticae* quam ab insultu apoplectico *posthumae*, habito summo indolis apoplexiae praegressae respectu, secundum praecepta superius §. 1529. —1531. tradita tractentur.

Spec. 6. Animi deliquium et asphyxia.

§. 1576. *Animi deliquium* est subita omnium vitae manifestationum, conscientiae in specie, sensationum, motuum, respirationis et circuli remissio aut plenaria interceptio.

Horum symptomatum, respirii speciatim et humorum circuli, defectum, turgoris vitalis et caloris imminutionem spectanti facile est, animi deliquium ab apoplexia secure dignoscere.

§. 1577. Phaenomena animi deliquium comitantia, intensitate, extensione ac duratione varia, aliquas ejus *differentias* constituunt. Manifestationum vitae imminutio levior, sensibus quidem et conscientia clara breve per tempus abolitis, respirio tamen et pulsibus, utut debilibus, perstantibus, *lipothymia*, — gravior autem, conscientia penitus deficiente, calore animali evanido, respirio vix perceptibili, et pulsibus levissimis nonnisi in cordis regione manifestis, *syncope* audit; omnium vitae phaenomenorum interceptio, perstante adhuc vivendi facultate (status habitu suo externo morti verae simillimus) *asphyxia* dicitur (Scheintod, Todesanschein). Supponi autem vivendi facultas adhuc potest, quousque naturalis aut consuetus corporis, specialius capitis situs perstiterit,

et quousque putredinis notae, maculae scilicet livido-virentes, mortuorum dictae, variis in cutis plagis, atque odor specificus cadaverosus defecerint. Characteres ultimi unice certum de morte praesente perhibent testimonium; corporis enim frigus et rigor, maxilla inferior pendula, respiratio et pulsus deficientes, corneae obfuscatio, pupilla dilatata, irritabilitas iridis silens, corporis erga electricitatis et galvanismi irritamentum insensilitas, in se spectatae, certa mortis criteria non sunt. Memoratu dignissimi hoc intuitu consignantur casus, in quibus asphyctici conscientia, sensationibus, et auditu per aliquot dies perstantibus motum nihilominus vel minimum peragendo, loquendo, aut qualecumque aliud vitae signum edendo impares decubuerunt.

Edm. Goodwin, erfahrungsgemässe Untersuchung der Wirkungen des Ertrinkens, des Erdrosselns, und durch schädliche Luftarten erfolgten Erstickens, nebst den wirksamsten Mitteln, Scheintodte wieder herzustellen. Preisschrift. Aus dem Engl. von *Chr. Fr. Michaelis*. Leipz. 1790. 8.

K. Kite, über die Wiederherstellung scheinbar todter Menschen. Aus dem Engl. Leipz. 1790. 8.

Ed. Coleman, Abh. über das durch Ertrinken, Erdrosseln u. Ersticken gehemmte Athemhohlen, nebst Vorschlägen zu einer neuen Behandlungsart dieser Krankheit. A. d. Engl. Leipz. 1793.

V. Zarda, alphabet. Taschenbuch der hauptsächlichsten Rettungsmittel für todtscheinende und in plötzliche Lebensgefahr gerathene Menschen. Prag 1796.

C. R. W. Wiedemann, Anweisung zur Rettung der Ertrunkenen, Erstickten, Erhängten, vom Blitze Erschlagenen, Erfrornen und Vergifteten. Zweyte verm. und verb. Aufl. Braunschw. 1804. 8.

Der Scheintod und das Rettungsverfahren. Ein chimiatrischer Versuch von *J. F. Ackermann*. Frankf. 1804. 8.

J. P. Frank, System der medic. Polizeywissenschaft. B. V.

Vorlesungen über die Rettungsmittel beym Scheintode und in plötzlichen Lebensgefahren. Von *J. Bernt*. etc. Wien 1819. 8.

Anweisung zur zweckmässigen Behandlung und Rettung der scheintodten oder durch plötzliche Zufälle verunglückten Personen etc. Berlin 1820. 8.

§. 1578. Animi deliquia delassatio et musculorum remissio, caput obtusum, aurium susurrus, vertigo, scintillatio, obfuscatio oculorum, crupsia, tremores, cardiopalmus, oscitatio iterata, nausea, faciei, labiorum, nasi, totius cutis collapsus, pallor, et frigus, quae subito saepe intrant, *antecedunt. Invasio ipsa* brevis plerumque durationis, paucorum quandoque solum minutorum est, et rarissimis in casibus asphyxia aliquot diebus continuat. Dispulso animi deliquio aegri quasi e somno evigilantis conscientia redit, sub aliquibus plerumque musculorum facialium motibus cum suspiriis, respirio tardo, interrupto, oscitatione, pandiculatione, ructuum flatuumque expulsione, non raro et vomitu olidisve alvi dejectionibus, cum coloris, turgoris, caloris prioris, et pulsus successiva restitutione. Sunt casus, quibus conscientia plena tardius revertitur, sunt, quibus paralyses partiales observantur, brevi tamen utplurimum evaniturae.

Animi deliquium revera, praesertim a vitiis organicis, a vasorum encephali, pulmonum, cordis oppletione derivandum, saepius revertens debilitatem universalem, insignem in recidiva facilitatem, tremores, spasmos varios, perstantes imo paralyses, aliquando habet *posthumas.* Animi deliquium quoque et asphyxia mediantibus apoplexia, catarrho suffocativo, vel virium exhaustione *mortem* inferre possunt.

§ 1579. *Essentia* variarum animi deliquii ad asphyxiam usque gradationum in virium vitalium universarum debilitate vel suppressione, utplurimum subito irruente, consistit. Debilitas haec vel suppressio ab una alterave aut aliquot nobilissimarum corporis animaeve functionum et quidem vel a) conscientiae, vel b) respirationis, vel c) circulationis *turba* vel *suspensione* immediate oriditur; attamen haec vel illa ab una in alteram et in omnes modo inevitabili ac illico extendi solet.

§. 1580. *Dispositionem* igitur in animi deliquia insignis jam functionum animae, conscientiae speciatim,

uti in subjectis admodum teneris, debilibus, hystericis, hypochondriacis, nervosis dictis, jam respirationis, jam circulationis primario turbandarum facilitas suppeditat, quemadmodum in individuis organico quodam vel dynamico respirii vel humorum circuli impedimento, et cohibito inde libero et regulari ad cerebrum motu et refluxu laborantibus. — Unde *causae excitantes* pariter differunt, prout *proxime* ac *maxime vel* a) animi praesentiam, *vel* b) respirationem, *vel* c) circulum sanguinis graviter ac (conscientiam imprimis) repente vel infringendo vel supprimendo pares sese ostendunt.

Ad animi deliquii et asphyxiae causas *modo priore* (a) activas, potentiae spectant et morbi sequentes: impressiones in sensus valde ingratae, adversantes, terrificae, subitae praesertim ac improvisae; sola impressionum ejusmodi imaginatio perquam vivida; dolores excedentes; vulnera; sanguinis aspectus idiosyncrasia praesente; animi adfectus deprimentes subito provocati: timor, anxietas, terror, superventus quivis fortior; corporis mentisve intensio, defatigatio absolute aut relative (in convalescentibus debilitatis etc.) magna; fames longa, frigus nimium, protractum; fulminis ictus; humorum jactura, etsi non subita, quaevis magnopere debilitans, exhauriens, omnis debilitas in morbis gradus altissimi, ut in febribus nervosis, putridis, intermittentibus malignis aut larvatis, in ultimo phthisium, omniumque cachexiarum stadio; graviditas etc. praecipue in subjectis delicatulis, teneris, irritabilibus, sic dictis nervosis. — Causis *ratione altera* (b) agentibus accensentur: aër debito calidior et impurus, effluviis putridis aliisque nocivis, gasibus irrespirabilibus onustus, qualem theatra, diversoria choreis dicata, scholae, templa, nosodochia referta, fodinae etc. haud raro continent, praesertim individuis respirandus conditionis mox descriptae, pulmonesque valde debiles, parvos aut sanguine oppletos gerentibus, asthmaticis; respiratio inhibita, interrupta per spa-

smos, viarum respiratoriarum pituita, lympha, sanguine, aquis (in submersis) oppletionem; per earundem constrictionem, compressionem in jugulatis, suspensis, etiam sine aquae in tracheam introitu submersis, humo, nive etc. oppressis, quasi sepultis. — Causae *generis tertii* (c) habentur: cordis spasmus, inflammatio, vitia ejus vasorumque majorum organica, vel sanguinis ad encephalum propulsionem vel refluxum inde et liberum per cordis dextri cavitates transitum praepedientia, ut: anevrismata cordis sinistri et aortae, dextri et venae cavae, coronariarum cordis arteriarum; indurationes, ossificationes, coagula in illis polypiformia; hydrocardia, et hydrothorax; sanguinis venosi ad cor reditus justo languidior vel pro parte interceptus a repentinis, utut non largis simul, sanguinis jacturis in haemorrhagia praecipite, venaesectionibus, ab humorum serosorum, purulentorum evacuationibus, quemadmodum paracenthesi abdominis copiosissimo sub hydrope ascite, aut faecum canalem intestinalem opplentium larga eductione, vel a pulmonum, stomachi, intestinorum etc. spasmis, praesertim individuorum plethora, saltem polychymia, laborantium, in humorum orgasmum et ad caput congestiones pronissimorum, vel iisdem in capite jam ante adfectorum.

§. 1581. Ex animi deliquii et asphyxiae *differentiis*, pro origine ex functionum animae speciatim conscientiae, vel respirationis, vel circulationis turbatione, interceptione proficiscentibus, sequentes eminent dignitatis practicae: a) animi deliquium et asphyxia *hypochondriacorum, hystericarum, gravidarum, fulmine percussorum, famelicorum, congelatorum;* b) *suffocatorum, submersorum, oppressorum*, humo, nive etc. obtectorum; c) *jugulatorum, suspensorum, plethoricorum;* asphyxia denique d) *neonatorum*, mox debilitatem veram, mox solum adparentem, virium nempe suppressionem, proximam causam agnoscens. Vera debilitas ab evolutione tardata aut partu praematuro neonati, aut a larga sanguinis

jactura ex infantili funiculi umbilicalis disrupti parte pendet; debilitas fictitia jam a faucibus viisque respiratoriis pituita tenace impletis, jam a funiculi umbilicalis per collum infantis circumvoluti, aut sub partu prolapsi compressione, incarceratione, adeoque a momentis ibi suffocationem hic apoplexiam inferre valentibus proficiscitur.

§. 1582. Animi deliquia vulgo frequentia v. gr. ab animi adfectibus, penetrantibus odoramentis, objectorum horridorum adspectu et s. p. oriunda, in individuis irritabilibus, gracilioribus, sic dictis nervosis periculo carent. Quae autem causas profunde impactas, ardue aut non profligandas v. gr. organica cerebri ejusque involucrorum, cordis, majorumque vasorum vitia, universalem virium exhaustionem in nevrosibus variis chronicis, agnoscunt; quae protrahuntur; quae saepe recurrunt, periculum secum ferunt, non raro in asphyxiam transeunt, et facile necant. Asphyxia ipsa nunquam non periculosa. Penitior hujus aestimatio penes superius (§. 1578.) prolata praesidiis generalibus prognosticis, probe notis, superstruenda venit.

§. 1583. Animi deliquium et asphyxia *curam* exposcunt, juxta principia, aliorum quorumvis morborum therapiae communia statuendam, dirigendam (*J. B. Hueber*, Diss. de casibus improvisis. In *Stollii* Diss. Vol. IV. p. 372 etc.). Quare causa prae omnibus consideretur, ut ipso statim sub insultu vel, si fieri id nequit, intervallo libero abigatur, enervetur; postea sine cunctatione omnes quidem functiones vitales, ea tamen praeprimis excitetur aut liberetur, a cujus debilitate vel suppressione, interceptione, animi deliquium aut asphyxia exordium proprie cepit, a cujus igitur incitatione vel libertate reliquarum restitutio dependet.

In *hypochondracorum*, *hystericarum animi deliquiis* nervos sensuum cito et accommodata intensitate, iisque mediantibus totum excitare systema nervosum opus

est. Huic scopo conveniunt: faciei cum aqua recente conspersio, frictio sicca aut lotio frontis, temporum, manuum, antibrachiorum ope aceti simplicis generosi aut aromatici, fluidi spirituosi, aut spirituoso-aromatici, eorundem aut liquoris corn. cerv., salis volat. corn. cerv., plumae adustae etc. naribus submittendorum, liquoris *Hoffmanni*, spiritus melissae, aut spir. aether. sulph. linguae instillati, aut deglutitione non prorsus impedita, ope unius alterius-ve spiritus guttis paucis aquae aut infuso aromatico remixti, aut vini generosi aliquot cochlearibus capiendi. In hujusmodi subjectorum *asphyxia* autem ob deglutiendi impossibilitatem, soli tractamini externo incitanti ac irritanti, donec deglutitio restituta fuerit, insistendum est. Hujus tractaminis ambitu latissimo considerati auxilia sunt: acetum vini laudabile, destillatum, aromaticum, radicale, spir. sal. ammoniaci, sal. volatile corn. cerv., olea aetherea, balsama, naphtae, nec non substantiae foetidae empyreumaticae naribus submittendae, aqua frigida faciei et pectori fortiter adspergenda; vinum, spiritus vini simplex et camphoratus, spiritus frumenti in partium earundem sicut manuum lotiones adhibendi, spirit. melissae, aromaticus, spir. aether. sulph., balsamum vitae *Hoffm.* temporibus, pectori, et epigastrio illinendum; enemata excitantia cum vel sine camphora, asa foetida, etc., asphyxia pertinaciter durante enemata quoque ex nicotianae fumo; membrorum, thoracis, spinae dorsi mediantibus linteis calidis, pannis, scopulis mollioribus, stupa, foenu et s. p., in casu necessitatis nuda manu, et quidem juxta venarum cor versus decursum frictiones, initio lenes post fortiores ad cutis rubedinem usque, incalescentiam et turgorem; iterata epigastrii, aut surarum, femorum et s. p. per acetum radicale, aut spir. sal. ammon. caust. humectatio; balnea calida aromatica, sine aut cum vino addito; quibus sine efficacia manentibus sinapismi quoque acres temporibus aut nuchae imponendi, plantarum pedum frictio intensior, flagellatio, brachio-

rum ac femorum urticatio; electricitatis, galvanismi usus; variarum cutis plagarum compressio, cerae hispanicae imo in cutem instillatio, cauterium potentiale, moxa.

Simili modo ex- et interno animi deliquium et asphyxia *febris intermittentis malignae vel symptomata vel larvae* (T. I. §. 224. ets.) tractandae sunt.

Fulgure ictus ut resuscitetur, corpus denudatum aëris liberi actioni exponendum, aqua frigida conspergendum, ipsum totum, spina dorsalis praecipue, manus ac pedum plantae simpliciter aut per scopulas setosas fricandae, spir. sal. ammon. caust. naribus admovendus, eodem labium superius, tempora, regio processus mastoidei humectanda, aqua dilutus paucis guttis linguae instillandus, naribus injiciendus, atque illico eo adlaborandum est, ut respiratio per methodum paragrapho sequente indicandam restituatur. Apertae ad caput congestiones phlebotomiam confestim poscunt. Balneum, quod terreum vocant, aegri nimirum humo circumvallatio, potioris reliquorum auxiliorum partis administrationi impedimento est.

Animo linquentes et asphyctici *a congelatione*, qui et post aliquot dierum asphyxiam quandoque salvati adhuc fuerunt, caute adeoque pedetentim solum calefiant. In locum minus frigidum statim translati ac denudati nive aut linteis aqua frigida imbutis tegantur, vel aquae glaciali in labro aut alveo immittantur. Corporis rigentis egelatione contingente, prodeuntibus primis vitae resuscitatae indiciis assidue aqua quidquam minus frigida aut nive laventur et fricentur, sensimque juxta medendi rationem mox expositam externam, et, deglutitione restituta, internam quoque tractentur, moderatissimam tamen, et, ne apoplexia aut pneumonitis invitetur, non ultra completa vitae patentis signa protrahendam.

Animi deliquia *famelicorum* portionibus nutrimentorum fluidorum, potusque theati aromatici, vel vini annosi blandi minutis, caute porrigendis ac iterandis, dispellun-

tur. — Asphyxia famelicorum, nec non summe debilium, exhaustorum, remedia externa, prius enumerata, stimulantia et irritantia indicat.

§. 1584. Animi deliquia *ab aëre impuro*, corrupto, effluviis nocivis onusto, communiter brevi abiguntur per aërem purum, liberum, egelidum, qui vel admittendus, aut in quem aegri transportandi sunt, per ligaculorum singulorum vestimentorumque arctorum solutionem, situm capitis modice elevatum, per frontis, temporum, brachiorum, epigastrii frictiones, frigidas faciei conspersiones. —Asphyxia *ab aëre vel gas irrespirabili* (a suffocatione) praeter dicta promtissimam urget respirationis restitutionem. Quem in finem aperienda illico vena, aërque purus atmosphaericus, aut gas oxygenium aut aliud gasi noxio chemice oppositum, v. gr. aër atmosphaericus vaporibus chloricis tenuiter mixtus contra vapores carbonicos, contra sentinarum canaliumque effluvia etc. ope follis, casu necessitatis autem halitus hominis sani ac robusti immediate vel ope siphonis elastici *caute* ac *exiguis in quantitatibus* inflandus, pectus simul fricandum, et in respirationis naturalis imitationem, thoracem et abdomen alternatim comprimendo actio diaphragmatis sollicitanda.

Animi deliquium *a pituita copiosa, lympha coagulabili, cruore* in faucibus, viis respiratoriis haerente, his ipsis obstaculis per sternutationes, tussitationem provocatam, necessitatis casu et per vomitum, penna oleo illinita aut digito faucibus inducto excitatum amotis, dissipatur. — Si sub *asphyxia ex eodem fonte* inanes ad sternutandum, tussiendum, vomendum manent irritationes, oris fauciumque cava saltem mechanice per digitum linteo aut panno obductum, et oleo oblinitum purificanda, venaesectio instituenda, tracheotomia facienda, atque mox descripti ad restituendam respirationem conatus suscipiendi sunt, diuque continuandi.

Aquis *submersi* vel suffocationis vel apoplexiae le-

thalis periculo premuntur. Numerosis tum veterum tum Prof. *Bernt* observatis testibus, aqua in ejusmodi infortunatorum multis tracheam revera intrat, ibidemque in cadaveribus partim qua talis, partim qua spuma (*Hueber*) invenitur. Submersi *asphyctici* aquis quam citissime eximantur, nares, oris fauciumque cava a spumis, arena, luto etc. contentis modo ante memorato depurentur, ipsi vero capite et parte trunci superiore antrorsum et modice deorsum declinantibus per aliquot minuta secunda reponantur, ut aquae in faucibus, trachea collectae facilis per os ac nares paretur effluxus, post situ horizontali, capite in latus verso, summa cum circumspectione vicinam in domum transportati, udis a vestimentis illico liberentur, calidis probe siccentur linteis, talibusque modice tegantur. Nunc vena aut jugularis aut brachialis incidenda, atque ad agendi methodos transeundum est, pro suspensa respiratione restituenda, dein et pro circulo et animi praesentia revocandis necessarias, jam descriptas. Circulo in specie refocillando ac restituendo insuper convenit, corpus artificiali imbuere calore per cineres eidem toti admotos (lectum cinerum vocatum), aut arenas calefactas, per pannos calidos, lateres aut lapides planiores calefactos linteo inclusos, aut urceos aqua fervida refertos epigastrio, regioni pudendorum, internae femorum faciei, plantis pedum etc. adponendos.

Oppressi, humo, nive etc. *obruti* confestim extrahantur, ab omni vestimento premente, stringente liberentur; vultu et collo rubentibus, aut bruneis, aut livescentibus ac turgidis moderata sanguinis copia ex jugulari vel brachiali mittatur vena, aër infletur, odoramenta et errhina admoveantur, irritantia injiciantur enemata, caloris adplicatio, frictiones fiant etc. etc.

§. 1585. *Jugulati* aut *suspensi* in mortis apoplecticae versantur periculo. Quare illico, et quin agitentur, a strophio, fune etc. constringente, quemadmodum a vestibus arctis liberandi, aëri libero, egelido, puro ex-

ponendi, thorace et capite elevatis semi-sedentes collocentur, facie, collo, pectore aqua frigida aut aceto conspergantur, statim sectio venae jugularis vel brachialis larga instituatur, aut sanguine non manante scarificationes profundae in nucha, retro aures, ad tempora fiant, eoque adlaboretur oportet, ut respiratio modo supra indicato restituatur, ut enematibus irritantibus, pediluviis, imo balneis universalibus calidis, assiduis plantarum femorumque frictionibus a capite ac pectore fiat derivatio, sic circulus simul promoveatur, sensatio et conscientia resuscitentur. Duplici huic scopo, circulo praesertim expediendo caloris adplicatio, ope lectuli cinerum ante memorati, pannorum, laterum calefactorum etc. specialius convenit. Vitae signa prodentibus nares aceto generoso, radicali, alcali volatili admoto irritentur, labium superius alterutro modicum fricetur, et recuperata deglutiendi facultate paucum vini, juris calidi, aut infusi aromatici propinetur.

Animi deliquia *a plethora, validis humorum ad cor congestionibus*, situm corporis erectum, temperaturam subfrigidam, vestimentorum solutionem, faciei aqua frigida conspersionem, acetum naribus submittendum, labio superiori, fronti, temporibus fricando illinendum, clysteres derivantes, et sanguinis depletiones, pro rerum positione aut statim sub invasionibus aut tempore intermedio, exigunt.

Vitia cordis vasorumque majorum *organica*, animi deliquiorum culpam gerentia, nonnisi palliativam concedunt curandi rationem, quae durante invasione in tractamine mox designato, intervallorum tempore in corporis ac animae quiete, ciborum, potuum, pharmacorum incitantium, calefacientium omnium fuga, regulari se- et excretionum normalium cunctarum successu, pharmacorum, ubi opus, refrigerantium ac temperantium usu, nec non in phlebotomiarum parvarum hinc inde iteratarum administratione consistit.

§. 1586. Asphyxia *recens natorum* curam pro origine diversa poscit differentem. Ubi debilitas, macilentia, laxitas, pallor, facies collapsa neonati, sanguinis jactura e funiculo umbilicali fors jam resecto, ubi matris adfectiones morbosae, cachecticus gravidae status de *vera virium debilitate* testantur, funiculum umbilicalem, ut sanguis adhuc advehatur proli, non statim subligare, sed os faucesque a pituita ope digiti depurare, faciem et pectus aqua fortiter conspergere, thoracem ac abdomen alternatim comprimere, pulmonibus aërem inflare, prolem vertere saepius ac pronare, odoramentum submittere naribus aromaticum, balneum adhibere calidum pauxillo vini aut spiritus vini remixtum, inque hoc abdomen, dorsum, membra sedulo fricare opus est. — Ubi vero facies neonati turget, caeruleo-rubra aut livida, maxillis spastice sibi adpressis, ubi ipse robustus ac bene nutritus, mater sana et vegeta conspiciuntur, partusque sine notabili sanguinis dispendio absolutus, protractus vero fuit et admodum laboriosus: asphyxiae nonnisi *fictitia* subest *debilitas*, et quidem status, apoplexiae lethali accersendae idoneus. Funiculus igitur umbilicalis illico rescindendus, et, antequam subligetur, uno, duobus imo tribus cochlearibus sanguis ex eo extricandus, post sicut priore in casu procedendum est. — Infanti vitae signa edenti, atque valenti deglutire, infusi melissae aut flor. chamomillae cochlearia aliquot praebeantur sorbilanda, dorsum atque extremitates inferiores fluido quidpiam aromatico iteratim leniter fricando laventur, dein puerperae tradatur matri neonatus, ut calore uberibusque ejus foveatur, refocilletur, alatur.

§. 1587. Medendi rationes hucusque expositae in animi deliquiis *ad plenam usque conscientiam restitutam*, in asphyxiis *ad vitae signorum usque reditum*, qui non raro conamina plures (imo quinque, sex) per horas protracta demum sequitur, indefessa cum industria et constantia continuentur necesse est. Animi post deliquium dein

saepe nonnisi remedium analepticum et excitans v. gr. infusum melissae, flor. chamomillae, aqua destill. aromatica cum paucis liq. anod. m. *Hoffm.*, aut aetheris sulphurici guttis, vinum cochleatim capiendum etc., requiritur; post asphyxiam vero idem, quo resuscitatio impetrabatur, tractamen ad conscientiam usque et motuum voluntariorum facultatem recurrentem continuari debet, atque in erigendas specialius, quae prima vitae resurgentis obtulerant indicia, functiones determinari. Ceterum pro rerum adjunctis nunc obtinentibus jam methodum irritantem ac stimulantem multum restringere, aut prorsus deserere, jam modicam instituere phlebotomiam, jam ad pituitam largam, aquas etc. e faucibus, ventriculo, viis respiratoriis excutiendas, mechanice irritare fauces, aut deglutitione vigente emeticum ex aqua tepida, infuso chamomillae cum oxym. scillitico, vel solutione tartari emet. exhibere, jam enemata adplicare irritantia et evacuantia etc. e re erit.

§. 1588. Dispulso animi deliquio, et resuscitatione asphyctici feliciter impetrata, effectus et sequelas sive invasionis sive therapiae necessariae nunc forsan in conspectum prodeuntes auferendas esse, generalis jubet indicatio therapeutica. Effectus istos et sequelas suam ob indolem curatione, ab ea, quam animi deliquium ipsum et asphyxia petierant, plurimum differente saepe indigere, notis evictum est factis. Praemissa denique jam fuit commonitio, non raro therapiam in causam in- vel externam, prius nequaquam profligandam, nunc primum converti debere, nec non vitio visceris cujusdam organico insanabili, mali scaturiginem praebenti, palliativam solum opponi posse curandi rationem.

Spec. 7. Hydrophobia.

§. 1589. *Hydrophobia* (rabies canina, Hundswuth, Hundswuth mit Wasserscheue, Wasserscheue) morbus

sui generis dicitur, in homine nunquam primarie oriundus, a rabidis vero et aliquando nonnisi vehementer iratis canibus, aliisque animalibus nonnullis per morsum imo et linctum in illo producendus, atque insultibus convulsionum terribilium cum furore et peculiari mordendi nisu, dispnoeae fauciumque constrictionis spasmodicae, nec non valido plerumque aquae aliorumque fluidorum et objectorum splendentium horrore, essentialibus insignitus.

Animalibus autem, quorum rabies primaria et communicata in hominem transferri potest, praeter communissima, canes videlicet, speciatim lupi, vulpes, feles, sues, equi, asini, boves, galli, anseres et anates, adnumerantur.

§. 1590. Hydrophobia antiquissimis jam nota medicis, primum tamen a *Celso* (de med. L. V. c. 27.), post a *Galeno*, largissime vero a *Cael. Aureliano* (de acut. passionibus L. III. c. 25.) descripta fuit. Recentiores inter scriptores et monographos eminent:

Boerhaave, aphor. 1128 — 1147.

Greg. Überlacher, diss. de hydrophobia. In *Stollii* diss. Vol. II. p. 282 — 362.

Le Roux, über die Wuth. Preisschrift. Aus d. Französischen. Tübingen 1795. 8.

Portal, Bemerk. über die Natur und Heilung der Wuth vom Bisse toller Thiere. A. d. Franz. Leipz. 1782. 8.

M. J. Mederer, Syntagma de rabie canina. Frib. 1783. 8.

J. El Rougemont, Abhandl. von der Hundswuth. A. d. Franz. übersetzt von *Wegeler*. Frankf. 1798. 8.

J. N. Rust, etc., über die durch den Biss eines Hundes veranlasste Wasserscheue und ihre Behandlung u. s. w. In dessen Magazine für die gesammte Heilkunde. B. I. H. I. S. 97 — 174.

Von der Bedeutung und Heilmethode der Wasserscheue, durch *H. A. Göden*, Breslau 1816. 8.

L. Wander a Grünwald, Diss. de rabie canina. Viennae 1818.

J. C. Ribbe, Natur- u. medicinische Geschichte der Hundswuthkrankheit bey Menschen u. Thieren. Nebst einer Vorrede von *J. E. Rosenmüller*, Leipz. 1820. 8.

Dr. A. F. C. von Saint-Martin's, etc. Monographie d. Hunds-

wuth. Gekrönte Preisschrift, übersetzt von *Dr. Fitzler*. Ilmenau 1824. 8.

Dr. Joh. Wendt, Darstell. einer zweckmäss. u. durch Erfahrung erprobten Methode zur Verhüthung der Wasserscheu nach dem Bisse eines tollen Hundes. Breslau 1824. 8.

Neue Erfahrungen u. Impfversuche zur Aufklärung der Wuthkrankheit, besonders über ihre mögliche Fortpflanzung in der zweyten Generation. Von Prof. *D. Berndt*, zu Greifswald. Im Journ. d. prakt. Heilk. von *C. W. Hufeland* und *Osann*. Nov. 1824. S. 39 — 88.

Dr. Urban's Behandlungsart der von tollen Hunden Gebissenen etc. Daselbst. July 1826. S. 1 — 38.

§. 1591. Num hydrophobia per morsum animalis vere hydrophobi, ab illa per animalis solum irati morsum inducta aliquo momento essentiali differat, nedum liquet. Hydrophobia tamen, de qua hic agitur, qua *morbus* (h. substantiva) ab hydrophobia rarissimo quidem et minime essentiali febrium, inflammationum, et nevrosium chronicarum (*Ueberlacher* l. c. p. 183) *symptomate* (h. symptomatica), partim per genesin propriam mediante salivae contagio, partim per morbum principem sui generis, rabiem nempe caninam dictam, symptomatumque concomitantium syndromen, adeoque per specificam ejus indolem, propriamque formam et decursus rationem distinguitur.

§. 1592. Unius alteriusve animalium nominatorum rabidi morsum aut linctum haud semper sequitur rabies, insequens vero jam, utut rarissime, unam duasve post septimanas, jam complures demum post menses erumpit. Contagiosa animalis rabidi saliva seu vulneri majori minorive citra morsum illata, seu cuti epidermide spoliatae, excoriatae admota, facillime ac certissime, attamen et cuti nullatenus excoriatae sed tenuissima solum epidermide obductae, quemadmodum in oris, pudendorumque labiis etc., fricando adplicata, morbum inferendo par est (*Schenk, Paletta*). Partim actionem contagii secundare, partim morbi evolutionem accelerare valent: contagium aliquibus aut pluribus simul adactum locis, laesiones pro-

fundae, magna aut universalis aut organi solum laesi sensibilitas ac irritabilitas, tractamen omissum, neglectum, cita vulnerum morsorum coalitio, porro animi adfectus et pathemata deprimentia, angentia, influxus alii debilitantes varii, nec non temperamentum vividum, cholericum, aetas juvenilis, atmosphaera fervens, magna per validos corporis motus, cibos, potus spirituosos exaestuatio, suppressio transspirationis, alvi retentio (*Ueberlacher*). Morsus in facie, collo et generatim in glandularum salivalium viciniis contagii pariter favere actioni dicuntur (*Cael. Aurelianus, Fabric. Hildanus, Schenk, Portal, St. Martin*).

§. 1593. Proxime instantem morbi in homine eruptionem varia tam in morsus loco quam reliquo in organismo adnunciant phaenomena. *Localia* sunt: revertentes in vulneris morsi, utplurimum cito reuniti et cicatrisati loco dolores, accedens cutis super eo rubor profundus et aestus, partium contiguarum intumescentia, quandoque dehiscentia cicatricis, et in ulcus saniem fundens, fungosum, marginibus inversis notatum commutatio, quod nonnunquam brevi denuo clausum pruritus, dein dolores trahentes, pressivi aut punctorii, aut horrores excipiunt, juxta nervos inde ad columnam vertebralem diffundendi; partium morsarum stupor, paralysis aut convulsio levis; glandularum lymphaticarum proximarum tumor aliqualis et inflammatio. *Urban*, imminente coalitis in vulneribus ad contagium reactione, proxima eorum in circumferentia unam pluresve vesiculas a seminis sinapeos ad pisi minoris magnitudinem, fluidum partim rubellum partim livescens, contagiosum gerentes, *lyssas* veras, sese constanter observasse adseverat. — Ad *universalia* phaenomena simultanea spectant: hilaritas insolita transitoria (*Rust, Bernt*, in systemat. Handb. der Staatsarzneyk. Th. II.), post dedolatio, inquietudo magna, animi desponsio, tristitia, solitudinis amor; somnus inquietus cum insomniis angentibus, terreficis, nonnunquam in specie de

canum rabidorum impetu ac morsu; caput obtusum, vertigo, imo deliria, hallucinatio sensuum multiplex, in aërem perflantem imo nonnisi motum sensilitas ingens, photophobia, nec non animi deliquia; porro vomituritiones, vomitus bilis viridis, epigastrii pressio, dolores in nucha et dorso trahentes; pulsus durus, spastice contractus, intermittens, cordis palpitatio, respiratio laboriosa suspiriis ac singultu intercisa, anxietas gravis, vox rauca, insonora, tremula, obtutus saepe fixus et ferox, conjunctiva bulbi profunde rubens, pupilla valde coarctata, alienata faciei lineamenta, cutis sicca, pallida, extremitates frigidae, urinae pallidae, clarae. — Haec, ni deficiant, raro mitia sunt, cito transitoria, facileque praetervidenda, utplurimum potius diebus aliquot aut uno solum continuant, rarissime per dies aut septimanas intermittunt, eoque manifestiora evadunt et intensiora, quo morbus progrediens eruptioni propius accedit.

Incipiente revera *morbi eruptione* aeger per insultus, initio tardius postea citius citiusque revertentes, aestum percipit a morsus loco egredientem, cum horrore alternantem, ardorem internum praeprimis in faucibus, et sitim clamosam, quam sedare frustra tentat, quum illico dyspnoea spastica, anxietate summa, faucium constrictione, musculorum colli, cervicis ac faciei convulsionibus cum vehementibus corporis motibus, distorsionibus vultus et tremore universali corripiatur. Hicce aquae, sed aliorum quoque fluidorum et objectorum splendentium horror cito increscit adeo, ut solo jam eorum adspectu, sicut aquae fluentis strepitu, urinae secedentis lapsu, vocabulo „aqua“ audito, tandem imo propriam deglutiendo salivam miserrimus in anxietatem torquentem, validas convulsiones, deliria et furorem conjiciatur. Aër vel minimum perflans, ipsa atmosphaera libera, egelida eosdem saepe effectus (aërophobiam) provocat. Aeger simul aurium tinnitu ac susurru, scintillatione, photopsia (photophobia) vexatur; sub insultu quaqua vorsum agitatur, subito

assurgit, ejulat, vociferat, penetrante clamitat voce, arrepta quaequae impetuose dirimit; confringit, destruit, non raro utut perfecte mentis compos nisu adstantes mordendi, conspuendi non reprimendo invaditur, copiosam ore gerit salivam spissam, tenacem, jam effluentem, jam sputando successive projiciendam, os offert spumans, vomitum hinc inde patitur bilis viridis aut piceae tenacis, singultum validum, erectionem penis dolorificam, involuntariam urinarum seminisque evacuationem, effrenem in amplexus venereos nisum. Cutis sicca, calens, pulsus plenus, frequens, tensus, admodum inaequalis esse consuevit.

§. 1594. Absoluto tali insultu, primum pauca, postea 10, 20 ad 30 minuta prima usque, imo diutius excurrente, quies animique praesentia revertuntur; delassatus aeger symptomata febris haud magna semper intensitate, quemadmodum ipse observavi, offert, de se mox actorum obscure reminiscitur, summopere tristis et dejectus, gemebundus in lacrymas erumpit, tenebricosa quaerit loca, et nunc quoque objectorum jam memoratorum adspectu aut imaginatione sola, atque ob eminentem meticulositatem aliis pariter impressionibus fortioribus facile ac instantanee in horrendas de novo convulsiones, et furorem conjicitur. Sed et citra similes ansas insultus brevioribus post intervallis redeunt vehementiores, diutius durant, tandem persistunt, et *tres*, *quatuor*, rarissime quinque intra dies ab eruptione mali prima, sub convulsionibus et animi deliquiis, sopore in apoplexiam, vel virium exhaustionem et paralyses terminantur lethales. Semel mortem jam 30 ab eruptione horis sequutam observavi.

§. 1595. Cadaverum sectionibus, maximam partem hucdum valde mancis, ne unica quidem mutatio absolute constans demonstrata est. Anatomorum alii nervorum loci demorsi sanguine suffusi rubedinem inflammatoriam nec non duritiem inconsuetam, alii laxitatem potius

eorundem ac mollitiem repererunt; cadavera quaedam rubedinem aliasque phlogoseos notas in faucibus atque gangliis cervicalibus, alia iterum nil mutationis morbosae ibidem obtulerunt; nunc meningum ipsiusque simul cerebri substantiae justo siccioris, vel pericardii, cordis, vel pulmonum inflammationis vestigia, aut manifesta gangraenae in ventriculo, intestinis aliisve visceribus ante inflammatis indicia, vel vasa sinusque intra cranium nigro oppleti sanguine, ventriculus cordis sinister vacuus vel tenuis in toto organismo sanguinis massa etc., nunc vero insoliti prorsus nihil, detecta fuere. (*Ueberlacher*, loc. cit. p. 298; *Rust* loc. cit.; *Hufeland's* Journ. 1814; *Horn's* Archiv 1814; *Wander v. Grünwald* in loc. cit. p. 142; *Berndt* im oben angeführten Aufsatze S. 65 etc.; *J. Wagner*, in d. medic. Jahrb. des k. k. österr. Staates. Neue F. Bd. III. St. 3 und 4.)

§. 1596. *Causae excitantes* in animalibus variae habentur, prout rabies vel primario oritur vel communicata prodit; in homine, qui communicata solum rabie prehenditur, unica causa excitans specificum est canum aliorumve superius nominatorum animalium aut rabidorum aut vehementer iratorum contagium, faventibus conditionibus superius (§. 1592.) indicatis. Contagium hydrophobiae in animalis rabidi saliva continetur, indolis fixae, demorsorum vestibus aliisve objectis mediis adeo tenaciter inhaeret, ut longo etiam post tempore parti laesae adplicatum terribili morbo generando par adhuc inveniatur. Secundum insitionis tentamina, a *Berndt* anno 1822, *Magendie* et *Breschet* anno 1823, referente *St. Martin*, in nosodochio *Hôtel Dieu* instituta dubitandum non foret, quin in rabie tum hominis tum animalium aliorum communicata, inhaerens salivae inficiendi facultas pro morbo terrefico ulterius propagando persistat.

§. 1597. Utut numerosissimae tum antiquissimi (ab *Ueberlacher* l. c. p. 300 etc. perlustratae), tum recen-

tissimi aevi prostent hypotheses, hydrophobiae tamen *natura* tenebris adhuc tecta latet. *Hufeland* in nervorum intoxicatione consistere eam arbitratur. *Bernt* specificam, nobis non perspiciendam systematis nervosi adfectionem esse, hujusque formationem a morsus loco ordiri autumat. — *Alii* morbum intoxicationis potius massae humorum effectum esse contendunt. — Jam ab *Aromatario* prolata, nuperque denuo defensa opinio, naturam hydrophobiae in inflammatione et quidem colliquativa medullae spinalis et systematis nervorum trunci (*Göden*), in carditide (*Kreysig*), gastritide et intestinorum superiorum phlogosi (*Youatt*, *Borret* et *Adams*), in pharyngitide consistere, essentiali indiget correctione, quam in prima hujusce operis editione germanica jam §. 1200. indigitavi, probabilitatem pronunciando, statum gangliorum cervicalium et nervi accessorii *Willisii*, nervos cerebrales complures cum gangliorum systemate nectentis, inflammatorium sui generis, essentialem constituere causae morbi proximae partem. Hydrophobiae enim cum ceteris cunctis, e contagio aut viru animali ortis, idemque reproducentibus morbis analogia, perfecte evolutae symptomatum essentialium omnium topicorum ac universalium, systema nervosum prae sanguifero eminenter spectantium complexus, decurrendi atque consueta terminandi ratio, nec non mutationes cadaveribus lustratis hucdum demonstratae, morbo maximo nequaquam respondentes, prudenter computatae, adsertum omnino subfulciunt, inflammationes, etsi essentiales habendae forent, semper morbi universalis horrendi nonnisi partem (symptomatum syndromen unam) exhibere. Quo universus cunctis suis in systematibus organismus, quo universa humorum massa aegrotent modo, hodiedum haud magis constat, ac ratio cur contagium rabiei tempore admodum vario, quin manifestos edat effectus, in organismo delitescere possit, ac specialis contagii rabiei natura, ac effectuum mere topicorum, ad morsus vel laesionis locum circumscriptorum,

duratio, geneseos universalium viae et modus, ac denique potentiae nocentes patent, quae concurrant necesse est, ut in animalibus rabies, canum in genere nonnunquam epizootica, primario producatur modo. — Essentiale morbo est, contagiosam reproducere salivam.

§. 1598. Hydrophobia sibi permissa semper, saepius ante quam post quinque dies, et intra octiduum, lethalis est. Reapse evoluta aptissimam etiam per therapiam nonnisi rarissimis in casibus fuit sanata. Prodromi protracti ac certi, evolutio successiva, modica insultuum intensitas et interstitia longa aliquam sanationis spem suggerunt; ceterum tanto e numero paucissima solum sanationis tentamina felici hucusque coronata effectu constant. Confer. *Ueberlacher* l. c. p. 323 ets. *Waser* in med. Jahrb. d. k. k. österr. Staates. Bd. 13. St. 2. p. 243 ets.

§. 1599. Rebus ita sese habentibus *tractamen* conveniens *prophylacticum* meliora, quam *sanatorium* quodvis, utut maxime decantatum, sperare sinit; quare sollicitudo ac labor summus in *praecavendam* morbi evolutionem tendat oportet. Post animalis nimirum rabidi aut de rabie perquam suspecti morsum sine ulla mora *plaga demorsa* ita tractetur, ut 1) ab adplicato penitus mundetur contagio, hocque ipsum destruatur; 2) ut ejus reliquo cum organismo communicatio praepediatur.

Certius prior (1) obtinetur scopus, *vel* plagam demorsam cum aliqua ultra et deorsum infra laesionis limites circumferentia perfectissime *excindendo* (*Sauvages, van Swieten, Rust* et alii plurimi), locis organismi obesis, torosis; *vel* pulveris pyrii inspersi et accensi ope *exurendo*, in vulneribus amplis, laceris pro parte profundis; *vel* ope ferri candentis adaequati (*Celsus, Dioscorides, van Swieten, Mezler, Ueberlacher, Rust, Mease* aliique multi), specialius vulnere tantum superficiali solam fere cutem attinente, aut hac nonnisi per animalis rabidi salivam contaminata; *vel* citissimam instituendo amputationem, ubi vulnus digiti manus aut pedis, unius

alteriusve extremitatis ipsius ad ossa usque simul laesa penetraverit; *vel* (ast nonnisi aegro horrorem auxiliorum certorum mox recensitorum vincere prorsus nescio) ope lapidis caustici contagium decomponendo, simul ac vulneris superficiem destruendo, *omni*que *in casu* succedaneam *inducendo ac alendo suppurationem; vel*, hisce remediis pro momento deficientibus, vulnus pro possibili interim per urinam, aquam tepidam cum aceto, aquam muriatam, saponatam, lixivam, aut lapidis caustici (juxta *Mederer* drachm. sem. in aq. destill. libra) solutionem depurando; identidem lavando et continuo humectando, *aut*, ut sanguifluxus sustineatur ac promoveatur, vulneri cucurbitam siccam imponendo.

§. 1600. Una alterave istarum curandi rationum instituta, requiritur, ut a) organismi reactio exteriora versus determinetur, qua contagium loco fors adhuc adhaerens excutiatur, ejusque receptio adeoque actionis localis specificae interiora versus propagatio, quoad possibile, praepediantur; b) ut recepti fortassis rabiei contagii, effectuumque ejus specificorum modo insensibili progredientium immutatio ac enervatio tentetur. Priorem in finem (a) experientia suppurationem topicam, et aequabilem se- et excretionum normalium cunctarum sustentationem ac promotionem commendat; fini alteri (b) frictiones mercuriales (*Waser* et alii), balnea saponata et kalina calida, usus internus cantharidum, belladonnae, calomelis, cinnabaris prae ceterorum scopo prophylactico depraedicatorum farragine majorem sibi promeruisse confidentiam videntur.

Suppuratio plagae demorsae, modo dicto tractatae, nisi sponte procedat, duos tresve per menses, et, ut *Hufeland* securitatis causa suadet, parcior per annum imo sustinenda venit. Vulnus morsum initio neglectum nunc jam sanatum, scarificándum, modo descripto ope cauterii actualis aut potentialis urendum, in suppurationem

deducendum, haecque sustinenda erit, exigua licet morbi praecavendi spe ultro remanente.

Ad se- et excretiones promovendas nec sudorifera fortiora, alexipharmaca quondam dicta, uti theriaca, mithridatum (*Galenus, Dioscorides*), alliaria, ruta, angelica, moschus, camphora, alcali volatile, cinnabaris, acetum simplex aut aromaticum, ad *Boerhavii* et *Swietenii* mentem jejuno mane ventriculo haustum, sola et absque discrimine; nec diuretica, quemadmodum cepa, allium, squilla marina, anagallis arvensis, millepedes, baccae juniperi, terebinthina; nec purgantia drastica: colocynthides, rad. hellebori etc. (*Galenus, Aëtius, Boerhaave* aliique); nec emetica valida (*Dioscorides, Mercurialis* et alii); nec syalagoga potentiora (*Astruc, Desault, Kruttge* ad *Wendtii* relationem, et recentiorum complures) exclusive cedunt, sed aliquorum ex illis combinatio potius, aegro individuo adcommodata requiri, et proficua inprimis fore videtur, si ejus ita dirigatur usus, ut evacuationum nulla exorbitet ceterasque inde restringat, aut ne aegrum tractandum noxie debilitet. Quo intuitu praecipue aqua aut infusum theatum affatim sorbilandum cum interno pulv. cantharidum et cinnabaris aut calomelis, alkali volatilis, belladonnae usu, cum unguenti hydrargyri (drach. un. quotidie) frictionibus in loci morsi vicinia et alternatim in extremitatibus quoque et dorso, donec salivatio levis per aliquot septimanas sustinenda, aut diarrhoea modica cum binis aut ternis quotidie pultaceis potius, quam fluidis alvi dejectionibus comparuerit, nec non frequentior balneorum ante memoratorum adplicatio commendari maxime merentur. — Etiamsi remediis istis hydrophobiae eruptionem certe praecaveri, nullus defendere ausim, eorum tamen usus nunquam praetermittendus, vitae simul regimen antiphlogistico potius, quam incitanti et calefacienti accedens strictissime servandum, et exaestuationes, refrigeria, errores in diaeta, validorum animi adfectuum et pathe-

matum explosiones, quaelibet in vivendi ratione exorbitantiae etc. quam studiosissime fugiendae sunt. Remedia interna largioribus hic quam contra alias morborum formas, quibus indicata conveniunt, adhibentur dosibus. *Cantharides* in specie, *Galeno* et Arabibus jam decantatae, forma pulveris a gran. dimid. ad integrum usque cum mitigante quodam pharmaco bis terve per diem, donec stranguria levis usum aut suspendens aut ad minimas doses restringens accesserit, porriguntur, atque sic plures per septimanas continuantur. Qua prophylacticum a multis retro annis in nosocomio generali Vindobonensi fausto cum successu adhibitae fuerunt (*Axter* in d. Beob. u. Abhandl. österr. Aerzte u. s. w. B. I. Wien 1819. p. 146.) — Radicis *belladonnae* (*Münich* in *Richter's* chirurg. Bibl. Bd. V. St. 2. S. 377.) pulverem *Hufeland* ante cubitum a grano et quotidie per granum dimid. ascendendo ad oculorum obfuscationem, temulentiam levem, et notabilem faucium siccitatem usque, deinde dosibus imminutis aliquot per septimanas exhibendum, commendat. — *Moschus* et *camphora* qua adjuvantes solum, ad constitutionis individualis et symptomatum specialium haud pathognomonicorum indicationem, aut cantharidibus aut praeparato hydrargyri nuptae, proficere posse videntur. — Generosis *sanguinis evacuationibus* hoc in stadio nec theoria nec praxis (*Ueberlacher*) favet; plethora nihilominus manifesta, symptomata inflammatoria, febrilia etc., modicas exigere possunt phlebotomias.

Remedia ante nominata prophylactica scopo superius sub b) exposito insimul conveniunt, rabiei contagium fortasse jam receptum, si possibile, immutandi, enervandi, specificosque ejus exstinguendi effectus. Et hoc intuitu mercurialia, cantharides, et kalia cuivis alii pharmacorum generi, acidis in specie in- et externe adhibitis, palmam praeripere, experientia hucusque commonstravit.

Facta statim a morsu in mare aut fluvium *demersio*, a *Cael. Aureliano*, *Mead*, *Boerhaave*, *v. Swieten*,

Tulpio laudata, spem fefellisse observata fuit. — *Scutellaria lateriflora*, a *L. Spalding* infallibilis declarata, brevi, sicut *alisma plantago*, oblivioni tradetur.

§. 1601. Secuto rabiei introitu, quem febris et symptomata inflammatoria cum systematis nervosi exagitationibus minora identidem post intervalla recurrentibus, et intensitate crescentibus significant, pro symptomatum illorum aut istorum praepondio medendi ratio aut antiphlogistica, aut moderans, sedans, specifica indicatur. Citra phlebotomiam mox commemorandam, et potulenta antiphlogistica, addito roob sambuci etc. obscuro tigenda colore, et e vase terreo opaco consuetim facilius potanda, — remedia in prophylaxin ante commendata tantis vero porrigenda dosibus, ut effectus eorum recensiti cito impetrentur, depraedicata quidem leguntur, attamen indubitatam rarissime exeruerunt virtutem curativam. Forma bolorum nunc aptissime porriguntur. Radicis belladonnae in pulvere gran. sex, dein octo, decem imo, ad duodecim pro dosi insultu intrante *Sauer* (*Hufeland's* Journal d. pr. H. Bd. XI. St. 1.) exhibuit; atque *Hufeland* (System d. pract. Heilkunde Bd. II. Abth. II. pag. 344 etc.), ut sudor insultum terminans exspectetur et rite curetur, essentiali requiri modo declaravit. — In nosocomio hujate (Vindobonensi) chirurgus primarius *Axter* aegrotantes tres, Dr. ac Prof. *Rust* unam hydrophobia inchoante per internum cantharidum usum sanitati restituerunt. — Eundem effectum *Waser* (Medic. Jahrb. Bd. 13. St. 2. S. 234 etc.) per mercurialia ad citam salivationem adhibita, et per balnea calina iterata in puero obtinuit. — Therapia antiphlogistica generosior a *Boerhaavio* (aphor. 1144) commendata; venaesectiones largae jam a *Cael. Aureliano* laudatae, a *Rougemont* aliquoties cum successu institutae; venaesectio ad animi deliquium usque a medicis Anglis *Tymon*, *Schoolbread*, et a *Vogelsang* prorumpentibus primis hydrophobiae indiciis optato cum successu celebrata, a multis vero imitantibus aliis frustra instituta,

ob medicam ceterorum remediorum virtutem incertam phlethora saltem coëxistente, manifestis sub symptomatibus inflammationis cujusdam, pulsu febrili, duro, forti, in subjectis junioribus robustis, in censum vocari merentur. Sed et hic media tutissima via; et pro conservandis viribus, ad morbum tantum superandum requisitis, venaesectiones aliquot modicae jubentibus circumstantiis repetendae salutiferae magis, ac unica cum indeterminata sanguinis subtrahendi copia, esse videntur. Postea, et quo magis minuuntur vires, quo spasmi terribiles cum furore caput magis extollunt, cum cataplasmatibus emollientibus ad collum, et largo ad nucham emplastro vesicante, ad mitigandam saltem symptomatum insultus constituentium vehementiam, belladonna, aut pulvis *Doveri*, aut opium etc. cantharidibus et camphorae nuptum, vel moschus, castoreum, valeriana, aliave nervina aptissime combinantur.

§. 1602. *Psychicum* denique aegrorum tractamen adcommodatum, quo penes pharmaca nunc nominata pacantia horridi miserorum adfectus leniantur, absolute requiritur. Quod in eo consistit, ut non aër perflans modo praepediatur, objecta splendentia, speciatim fluida, lux intensa, spectatorum inutilium imo nocentium potius accessus, omnesque spasmorum ac furoris ansae, saepe nimis eheu! imprudenter ex intentione datae, strenuissime arceantur, sed aegri etiam modo benevolo, sincero et metus experte tractentur, torquens et exhauriens tristitiae, metus, anxietatis ac terroris alternatio celando periculum, expositionibus exhilarantibus, blandoque sermone, quoad possibile, mitigetur, et quies illis, nec non ipsis sub furoris incursibus ea, quam aliorum hominum necessaria ab infortunato impetu securitas fert, libertas corporis concedantur.

Index Tomi secundi.

Classis III.

Pag.

Ord. II. Efflorescentiae cutaneae elevatae.

Gen. 1. Efflorescentiae pustulosae §. 744. . . . 3

Spec. 1. Variolae §. 745. . . . . —

—— 2. Varicellae §. 764. 19

—— 3. Variola vaccina §. 774. 24

—— 4. Scabies §. 789. 35

—— 5. Tinea §. 799. 44

Var. 1. Tinea capitis §. 800. . . . 45

—— 2. —— faciei s. crusta lactea §. 808. 52

Spec. 6. Plica polonica §. 817. 57

Gen. 2. Efflorescentiae vesiculares §. 824. . . . 62

Spec. 1. Aphthae §. 825. . . . . —

—— 2. Miliaria §. 833. 67

—— 3. Herpes §. 841. 72

—— 4. Zoster §. 853. 79

Gen. 3. Efflorescentiae bullosae §. 860. . . . 82

Spec. Pemphigus §. 862. . . . . —

Gen. 4. Efflorescentiae squamosae §. 869. . . . 85

Spec. 1. Furfura §. 871. . . . . —

—— 2. Ichthyosis §. 873. 86

—— 3. Lepra §. 877. 88

Gen. 5. Efflorescentiae papulosae §. 881. . . . 90

Spec. 1. Strophulus §. 882. . . . . —

—— 2. Lichen §. 886. 91

—— 3. Prurigo §. 891. 93

Gen. 6. Efflorescentiae nodosae §. 894. 94

Spec. Acne §. 896. . . . . —

Classis IV. *Cachexiae.*

CAP. I. De Cachexiis in genere.

Sect. I. Definitio, descriptio, causae, essentia, differentiae, prognosis et therapia cachexiarum in genere §. 903. 97

Sect. II. Cachexiarum ordinatio §. 916. 103

CAP. II. De Cachexiis in specie.

Ord. I. Marcores.

Pag.

Gen. 1. Tabes §. 919. 106
Spec. 1. Tabes nervosa §. 929. 110
— 2. — dorsalis §. 938. 114
— 3. — infantilis §. 944. 118
— 4. — senilis §. 953. 123
Gen. 2. Phthises §. 957. 124
Spec. 1. Phthisis pulmonalis §. 966 129
— 2. — trachealis §. 985. 148
Species phthisium aliae: stomachica, intestinalis, mesenterica, hepatica, lienalis, renalis etc. §. 990. 150

Ord. 2. Cacochymiae s. dyscrasiae

Gen. 1. Cacohaemiae s. sanguinis dyscrasiae . . . 153
Spec. 1. Scorbutus; c. *var.*: cancr. aquat. §. 997 —
— 2. Chlorosis §. 1009. 162
— 3. Morbus caeruleus §. 1020. 167
Gen. 2. Cachexiae cum praevalentibus secretionibus morbosis secretorumque vitiis.
Spec. 1. Status pituitosus §. 1024. 169
— 2. Helminthiasis §. 1031. 172
— 3. Hydrops; varietates: h. anasarca, hydrocephalus, hydrorhachia, hydrothorax, hydrocardia, h. ascites, h. ovariorum, h. uteri §. 1045. 185
— 4. Tympanitis §. 1073. 213

Ord. 3. Cachexiae cum praedominante systematum singulorum adfectione.

Gen. 1. Cachexiae cum praedominante adfectione systematis membranarum.
Species: Morbus venereus §. 1082. 215
Gen. 2. Cachexiae cum praedominante systematis glandularum vasorumque lymphaticorum adfectione.
Species: Morbus scrophulosus §. 1114. . . . 238
Gen. 3. Cachexiae cum praedominante adfectione systematis ossium.
Species: Rhachitis §. 1124. 248

Classis V. *Morbi se- et excretorii.*

CAP. I. De morbis se- et excretoriis in genere §. 1135. . 254
CAP. II. De morbis se- et excretoriis in specie.
Ord. 1. Profluvia §. 1140. 255
Gen. 1. Profluvia sanguinis s. haemorrhagiae §. 1144. . 257

Pag.

Species: haemorrhagia narium, h. oris, haemoptoë, vomitus cruentus, haemorrhois, mictus cruentus, metrorrhagia §. 1148. 259
Gen. 2. Profluvia humorum secretoriorum . . . 288
Spec. 1. Blennorrhoea genitalium §. 1178. . . —
— 2. Spermatorrhoea §. 1190. 296
— 3. Salivatio §. 1197. 298
— 4. Diarrhoea §. 1202. 300
— 5. *Cholera:* nostra et orientalis §. 1212. . 310
— 6. Polycholia et excretiones biliosae §. 1228. 324
— 7. Diabetes §. 1232. 326
— 8. Incontinentia urinae §. 1242. . . . 331
— 9. Sudor §. 1247. 334
Ord. 2. Retentiones §. 1252. 336
Gen. 1. Retentiones sanguinis.
Spec. 1. Retentio mensium §. 1256. . . . 337
— 2. Suppressio lochiorum §. 1264. . . 341
— 3. — epistaxis; haemorrhoid. §. 1265. —
Gen. 2. Retentiones excernendorum.
Spec. 1. Suppressio blennorrhoeae §. 1268. . . 342
— 2. Retentio alvi §. 1271. 343
— 3. — bilis: *Icterus.* §. 1277. . . 347
— 4. Urinae secretio manca §. 1292. . . 356
— 5. Retentio urinae: *Ischuria* et *lithiasis.* §. 1295. 357
— 6. Arthritis §. 1308. 367

Classis VI. *Nevroses.*

CAP. I. De Nevrosibus in genere.
Sect. I. Nevrosium in genere definitio, descriptio, causae, natura, differentiae, prognosis, cura §. 1327. 381
Sect. II. Nevrosium ordinatio §. 1342. 395
CAP. II. De Nevrosibus in specie.
Ord. 1. Nevroses cum praedominantibus sensus communis laesionibus §. 1345. . . 396
Genus: Dolores §. 1346. 397
Spec. 1. Cephalalgia §. 1350. 398
— 2. Odontalgia §. 1358. 404
— 3. Gasteralgia s. cardialgia; *varietas:* Pyrosis §. 1365. 408
— 4. Enteralgia s. colica; *varietates:* c. saburralis, flatulenta, biliosa, verminosa, saturnina etc. §. 1372. 414

	Pag.
Ord. 2. Nevroses cum instinctuum naturalium anomaliis §. 1381.	429
Spec. 1. Appetitus excedens §. 1383. . . .	—
— 2. Pica §. 1387.	431
— 3. Sitis excedens s. polydipsia §. 1391. .	432
— 4. Instinctus sexualis excedens §. 1393. .	433
Ord. 3. Nevroses cum praevalentibus sensuum externorum alienationibus §. 1398. .	435
Spec. 1. Aurium susurrus §. 1401. . . .	437
— 2. Baryecoia §. 1404.	438
— 3. Amaurosis §. 1409.	441
Ord. 4. Nevroses cum sensus interni alienationibus; vesaniae §. 1416. . . .	446
Species: Amentia; varietas: cretinismus; stultitia; ecstasis; melancholia et mania §. 1424. . .	451
Ord. 5. Nevroses cum motuum muscularium aberrationibus §. 1448.	466
Gen. 1. Spasmi §. 1449.	467
Spec. 1. Tetanus §. 1454.	470
— 2. Trismus §. 1462.	475
— 3. Asthma spasmodicum: acutum infantum s. *Millari*, et adultorum §. 1468. . . .	477
— 4. Incubus §. 1480.	483
— 5. Tussis convulsiva §. 1483. . . .	484
— 6. Singultus §. 1491.	491
— 7. Palpitatio cordis §. 1496. . . .	493
— 8. Vomitus §. 1502.	494
— 9. Raphania §. 1510.	499
— 10. Chorea St. Viti §. 1517. . . .	502
Gen. 2. Paralyses §. 1524.	506
Ord. 6. Nevroses cum functionum systematis nervosi aberrationibus mixtis §. 1532. .	511
Spec. 1. Hypochondriasis et hysteria §. 1533. .	—
— 2. Epilepsia §. 1542.	518
— 3. Vertigo §. 1552.	524
— 4. Sopor §. 1558.	527
— 5. Apoplexia §. 1563.	529
— 6. Animi deliquium; asphyxia §. 1576. .	539
— 7. Hydrophobia §. 1589.	551

Corrigenda in Tomo secundo.

Pag.		lin.		loco:	exsiccatae	lege:	exsiccati.
—	32.	—	31.	—	rubignosae	—	rubiginosae.
—	56.	—	2.	—	substrahenda	—	subtrahenda.
—	75.	—	1.	—	gravidati	—	graviditati.
—	106.	—	33.	—	mutationem	—	mutationum.
—	109.	—	28.	—	intendent	—	intendunt.
—	112.	—	1.	—	extenuantur	—	extenuatur.
—	133.	—	24.	—	vesicolore	—	versicolore.
—	162.	—	15.	—	vireus	—	virens.
—	218.	—	10.	—	hac	—	haec.
—	220.	—	28.	—	indicatio	—	indicato.
—	231.	—	19.	—	haemoptoëa	—	haemoptoën.
—	232.	—	2.	—	mineralis	—	antimonialis.
—	249.	—	17.	—	saturae	—	suturae.
—	272.	—	ultim.	—	largitu	—	largitur.
—	281.	—	12.	—	evelata	—	elevata.
—	324.	—	23.	—	curae	—	cura.
—	403.	—	ultim.	—	antagonisticae	—	antagonistice.
—	411.	—	24.	—	extempla	—	extemplo.
—	418.	—	17.	—	modicae	—	modice.
—	427.	—	21.	—	conandam	—	conandum.
—	454.	—	24.	—	occupatione	—	occupationem.
—	469.	—	20.	—	nevrosos	—	nevroses.
—	506.	—	22.	—	hemiplagia	—	hemiplegia.
—	511.	—	15.	—	cnm	—	cum.

Apud eundem bibliopolam venales prostant:

	Rth.	gr	C. fl.	M. kr
Naimann, J. N. Edler v., Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie. 2 Bde. 4. verm. Auflage. gr. 8. 1831.	7	6	10	—
— — Anleitung zur Ausübung der Heilkunst, zum Gebrauche für den klin. Unterricht. 2. Aufl. gr. 8. 1821.	1	—	1	30
— — institutiones generales ad praxin clinicam usui academico dicatae. Editio latina. 8. maj. 1829.	—	18	1	—
André, C. C., Anleitung zum Studium der Mineralogie für Anfänger, mit 1 Kupf. und Tab. gr. 8. 1804.	1	16	2	30
Baumgarten, J. C. G., Enumeratio stirpium magno Transylvaniae principatui indigenarum collecta ac sec. systema sex. descr. 3 Vol. 8. maj. 1814—1816.	6	—	9	—
— — Carta script.	8	—	12	—
Bertoloni, A., Flora Italica, sistens plantas, in Italia et in insulis circumstantibus sponte nascentes. Tom. I. fasc. 1—6. 8. maj. Bononiae 1832—34. Ladenpreis	5	5	7	48
— — Amoenitates italicae sistentes opusc. ad rem. herb. et Zoologiam Italicae c. f. 4. Bononiae 1819.	6	16	10	—
Boër, Dr. L. J., sieben Bücher über natürl. Geburtshülfe. gr. 8. 1834.	2	—	2	—
— — septem libri de obstetricia naturali. 8. maj. 1830.	2	—	3	—
Brera, antologia medica, opera periodica in continuazione al giornale di medicina pratica pubbl. in Padova ed alla gazetta universale med. chir. farm. di V. L. Brera. 1ª annata 1834 in 12 fasc. 8. gr. Venezia	8	—	11	20
Brunati, J., de nomine, auctore, emendatoribus et authentia vulgatae dissertatio. 12. 1827. broschirt	—	8	—	24
Buchmüller, A. L., systematisches Handbuch der Arzneymittellehre für Thierärzte und Ökonomen. gr. 8. 1829.	1	16	2	—
Christen, Chr. Andr., Opium historice, chemice atque pharmacologice investigatum. 8. maj. 1820.	—	16	1	—
Eckel, G. Fr., über den Nutzen und die Wichtigkeit der Thierheilwissenschaft, nebst einer kurzen geschichtlichen Darstellung derselben. gr. 8. 1823.	—	12	—	40
— — thierärztliche Receptirkunst. gr. 8. 1826.	—	20	1	—
Gallisch, Dr. J. O., Tractatus de rubeola expon. illius signa et decursum, genesim, exitum, curamque. 8. maj. 1823.	—	12	—	40
Hayne, J., gemeinnütziger Unterricht über die schädlichen und nützlichen Schwämme. 12. 1830. brosch.	—	6	—	24
Hildenbrand, J. B. v., über den ansteckenden Typhus, nebst einigen Winken zur Beschränkung oder gänzlichen Tilgung der Kriegspest und mehrerer anderer Menschenseuchen. Zweyte vom Verfasser vermehrte u. verbesserte Aufl. gr. 8. 1815.	1	20	2	40
Hörmann, J., die Lämmerruhr oder die brandige Gedärmentzündung neugeborner Lämmer, ihre Vorbauung und Heilung. 12. 1827.	—	8	—	30
— — das Pferd, naturhistorisch und technisch dargestellt für Pferdezüchter, Cavallerie-Offiziere, Bereiter und Thierärzte. gr. 8. 1834. brosch.	—	14	—	48
Kern, Vinc., sul modo di trattamento nell' amputazione delle estremità, con 1 tav. in rame. gr. 8. 1820.	—	18	1	10
Medicina ex pulsu, sive systema doctrinae sphygmicae. 8. 1790.	—	16	1	—
Mühlibach, N. Th., inquisitio optico-physiologica de visus sensu; in qua visorum imaginum objectorum perceptione				

	Rth.	gr	C. M. fl.	kr
situ haud inverso, — uti hucusque docuerunt, repraesentari plane evincitur. in 8. 1816.	—	10	—	36
Mühlibach, N. Th., Blicke auf die allg. Erläuterungen üb. d. Magnetismus und den Somnambulismus des Dr. Mesmer, vorzüglich in Hinsicht des hierauf zu gründenden Natursystems. 8. 1817.	—	12	—	36
Omodei, A., annali universali di medicina. 8. gr. Milano. Ogni annata.	12	—	14	—
Piringer, J. F., Tractatus de partu praematuro artificiali. 8. maj. 1826.	—	9	—	30
Plenk, J. J., Anfangsgründe der Geburtshülfe. 6. verbesserte Auflage mit Kupfern. gr. 8. 1803.	1	16	2	30
— — specielle medicinisch-chirurgische Pharmacologie, oder Lehre von den Kräften der Arzneymittel, welche innerlich und äußerlich bey Heilung der Krankheiten am meisten gebraucht werden. 3 Theile. 2. Ausgabe. gr. 8. 1816.	3	—	4	24
Pollinius, Cyr., Flora Veronensis in Prodromum Florae Italiae Septentrionalis exhibita. 3 Tomi cum tab. aen. 8. maj. Veronae 1822—1824.	8	—	12	—
Preisfrage: Ist die Durchbohrung der Hirnschale bey Kopfverletzungen nothwendig oder nicht? Beantwortet von Jos. Louvrier und Ch. Lud. Mursina. Gekrönt von der k. k. Josephinisch-medicinisch-chirurgischen Akademie. gr. 4. 1800.	1	—	1	30
Prochaska, G., Versuch einer empirischen Darstellung des polarischen Naturgesetzes, und dessen Anwendung auf die Thätigkeiten der organischen und unorganischen Körper. gr. 8. 1815.	—	16	1	—
Ruffi, Jord., Hippiatria nunc primum edente H. Molin. 8. maj. Patavii, 1818.	1	—	1	30
Scarpa, A., chirurgische Abhandlung über die angebornen krummen Füße der Kinder, und über die Art, diese ungestaltheit zu verbessern; aus dem Italienischen übers. und mit einer Vorrede von Dr. Malfatti, mit 5 Kupfern. gr. 4. 1804.	1	12	2	15
Scheu, Dr. Fid., über Krankheitsanlagen der Menschen. 1. Th. gr. 8. 1821.	—	20	1	15
Schmidt, J. A., über Nachstaar und Iritis, nach Staar-Operationen. gr. 4. 1801.	—	16	1	—
— — W., über die Krankheiten der Harnblase, Vorsteherdrüsen und Harnröhre. gr. 8. 1806.	—	21	1	20
— — Geburtshülfliche Fragmente. Mit 1. Kupf. 8. 1804.	—	12	—	45
Spinola, M., Insectorum Liguriae species novae aut rariores quas in agro ligustico nuper detexit. 2 Vol. 4. maj. Genuae, 1806—1808.	7	8	11	—
Strauß, G., die Heilkraft der Natur, ihre Erkenntniß im Allgemeinen und in Beziehung auf die Grundsätze der Zoochirurgie insbesondere, dargestellt für Ärzte und Thierärzte. gr. 8. 1829. brosch.	—	20	1	—
Tenore, Cav. M., essai sur la géographie physique et botanique du Royaume de Naples. 8. gr. Naples 1827.	2	8	3	30
— — viaggio per diverse parti d'Italia, Svizzera, Francia, Inghilterra e Germania. 4 Vol. 8. gr. Napoli, 1828—1829.	10	16	16	—
— — Memoria sul Pruno Cocumiglia di Calabria. 4. Napoli, 1828.	—	12	—	45
— — osservazioni sulla flora virgiliana. 8. Napoli, 1826.	—	9	—	36
— — memoria sulle specie e varietà di Crochi della flora Napolitana. 4. Napoli, 1826.	1	8	2	—
— — saggio sulle qualità medicinali delle piante della flora Napolitana. 2ª ed. 8. gr. Napoli 1820.	1	8	2	—

	Rth.	gr	C. M. fl.	kr
Tenore, Cav. M., corso delle botaniche lezioni. 6 Vol. 8. gr. Napoli, 1816—1820.	10	—	15	—
— — flora Napolitana, ossia descrizione delle piante indigene del Regno di Napoli di alcune nuove specie di piante esotiche, coltivate nel Real Giardino delle piante, con rami miniati. Fasc. 1—40. Fol. gr. Napoli. . . .	666	16	1000	—
— — sylloge plantarum vascularium florae Neapolitanae hucusque detectarum. 8. maj. Neapoli 1831. . . .	5	12	8	15
Veith, J. E., Handbuch der gesammten gerichtlichen Thierarzneykunde. gr. 8. 1826.	2	12	3	—
Vering, G., über die eindringenden Brustwunden. gr. 4. 1801.	—	8	—	30
Walther, Ph. Fr., über die therapeutische Indication, und den Technicismus der galvanischen Operation, mit 3 tabellarischen Übersichten und 2 Kupfertafeln. gr. 8. 1803. . .	1	12	2	15
Wattmann, Joseph, über Verrenkung am Hüftgelenke und ihre Einrichtung, mit 1 Kupfertafel. gr. 8. 1826. . .	—	14	—	40
— — Beschreibung des Skeletes mit elastischer Gelenksverbindung zur pathologischen und therapeutischen Darstellung der Verrenkungen. Nach Art des geburtshülflichen Fantomes, mit 3 Steindrucktafeln. 4. 1823.	3	22	5	50
— — Cum textu latino	4	12	6	40

